D. XVIII. K.
18
26,078/7

41781

D. MARTINI GURISCHII TRACTATUS HISORICO-MEDICUS DE CHILO HUMANO,

SIVE

SUCCO HOMINIS NUTRITIO,

QUO

APPETITUS NIMII ET VORACITATIS, RERUM HAUD ESCULENTARUM CONCUPISCENTIÆ, NAUSEÆ ET INEDIÆ DIUTURNÆ,

CULTRIVORORUM, VITRIVORORUM, VENENIVORORUM ET PYROPHAGORUM EXEMPLA RECENSENTUR,

FARRAGO RERUM P. N. IN VENTRICULO ET INTESTINIS LATITANTIUM AUT VOMITU REJECTARUM SUPPEDITATUR,

HOMERDÆ RESOLUTIO CHYMICA, CUM USU MEDICO ET MAGICO OSTENDITUR,

ANNEXIS QUÆSTIONIBUS MEDICO-FORENSIBUS ET INDICE LOCUPLETISSIMO.

LIPSIÆ,

Sumptibus MAURITII GEORGII WEIDMANNI,

SAC. REG. POL. MAJ. AC ELECT. SAXONIÆ BIBLIOPOLÆ. Anno M DCC XXX. 180

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

SAlivam excipit Chylus, liqvor alimentitius ac Nutritioni ſacratus ex cibis & potu in Ventriculo, ceu Vaſe Chymico, extractus. Poſtqvam enim cibi cum potu in os aſſumti & a dentibus comminuti atqve inter manducandum Saliva imbuti ſunt, irri-

tante ac ſtimulante Appetitu in Ventriculum devolvuntur, ibique magis magisque ſubacta in fluorem rediguntur, qvi poſtea per Inteſtina proturſus defecatur & depuratus Chyli nomine per vaſa lactea ſangvini exinanito affunditur, impuritatibus & fecibus extra alvum determinatis.

Agimus proinde de Appetitu, qvo inſtigatore Ventriculus alimenta recipit. Hic qvandoqve tantus tamqve impetuoſus eſt, ut voracitas ventriculi vix ſatiari poſſit. Non raro idem Phantaſiæ depravatæ vacat, & ejus ductu nunc loco alimentorum, eſui deſtinatorum, incongrua, imo abſurda anxie deſi-

deſiderat & cupit; nunc vero qvædam ex his, qvibus veſcimur, reſpuit ab iisque odio connato abhorreret. Alio tempore Appetitus langvet aut plane extinctus eſt, unde Inediam præter naturam qvidam ſuſtinere poſſunt. Invenies ergo hic Hiſtorias edonum & bibonum inſignium. Videbis farraginem illarum rerum, qvas appetitus depravatus elegit, nec paucas, a qvibus a nativitate vel caſu qvodam interveniente abhorruit. Habebis exempla incredibilis veræ fucatæque Inediæ.

Appetitum ſequitur Deglutatio, quam variæ cauſæ, gulam lædentes, impediunt. Eas recenſemus, una cum

rebus, quæ incautius plerumque non-nunquam tamen ad ſtuporem gignendum, deglutitæ fuerunt. Hinc Hiſtoriæ Cultrivororum, Vitrivororum, Venenivorum, Pyrophagorum & aliorum.

Aggredimur poſtea ipſum Chylificationis opus & deſcribimus ejus officinam, nempe Ventriculum una cum Inteſtinis, tam naturali, quam præternaturali modo conſtitutis. Poſteriore conſiderato deprehendimus plura inſolita iis inhærentia, quæ partim poſt mortem in conſpectum venerunt, partim vomitu rejecta ſunt. Inteſtina vero receptaculum præbent fecibus, a ſuc-

a ſucco chiloſo per alvum abſcedentibus, nonnunquam tamen per os aliaqve loca incongrua egredientibus. Præter feces has multa quoque inſolita in Inteſtinis latitantia inventa aut excreta fuerunt, quorum Catalogum ſuppeditamus. Licet vero ſcybala alvina Corpori nutriendo amplius inepta ſint, aliis tamen præterea uſibus inſerviunt, dum Chymice reſoluta varia producta ſiſtunt, ſigna Corporis ſani & morboſi ſuppeditant & pluribus morbis extrinſecus applicata medentur, imo ad apparatus magicos illicito quamvis modo adhibentur, quæ ſingula annotata invenies.

Deni-

Denique pro inſtituto noſtro Quæſtiones in foro occurrentes deciſas annectimus, ſepoſitis tamen Renunciationibus de Lethalitate Vulnerum inteſtinalium, quas multi Autores operoſius tradiderunt.

Habes eo ipſo conſpectum & contenta præſentis Tractatus ſelectis nec adeo obviis, Obſervationibus referti; has enim, qvod noſti, colligere intendimus neqvaqvam vero novis excogitatis opinionibus famam venari ſtrepitumqve efficere ſtudemus.

CHYLO-

CHYLOLOGIÆ

CAPUT I.

De Appetitu aucto.

§. 1.

MEdiante Salivâ Chylificationem in Ore inchoari, in Sialologiæ noſtræ Capite qvinto, de Salivæ uſu naturali, inter alia, monſtravimus, nunc verò de ulteriori, ad hominis ſuſtentationem, qvæ potiſſimùm cibi & potûs aſſumptione eorumqve digeſtione perficitur, maximè neceſſarii ſucci nutritii, vocabulô inter Phyſiologos & Medicos uſu recepto dicti Chyli, elaboratione ejusqve Organis, & fecum alvinarum, ſeu ſcybalorum ſecretione, qvantum qvidem ad ſcopum noſtrum pertinet, in præſenti Tractatu agemus. Cum verò dicti Chyli præparationem & ſucci nutritii reſtaurationem Appetitus præcedere debeat, nec cibi ſine eodem ingeſti in laudabilem ſuccum & ſangvinem vertantur, Alimentorum Appetitum, Famem & Sitim, ante omnia conſiderabimus. *de Appetitu.*

§. 2.

Eſt autem nobis Alimentorum Appetitus cibi potûsqve ad Vitæ ſuſtentationem neceſſariorum deſiderium ſive manifeſta *Definitio.*

 edendi

edendi atqve bibendi voluntas, animi etiam reliqvas operationes, imò intentiones ſive arbitrarias voluntates, ita manifeſtè afficiens, ut, niſi ipſi ſatisfiat, hic, juxta Georg. Erneſt. Stahl. *Theor. medic. Phyſiolog. Sect. 3. p. 360. ſeq.* ad alia iners & inſolens compareat; hinc duplex apud Practicos occurrit Appetitus vitioſus, auctus ſcilicet & imminutus, de qvibus in hôc & ſeqventibus Capitibus agemus.

§. 3.

Appetitus differentiæ. Aucti Appetitûs Medici tres faciunt Differentias, nimirum Famem auctam, Appetentiam caninam & Bulimum. Fames aucta dicitur, qvando ægrotantes, ſive eâdem laborantes, præter ingentem famem, nullam aliam ſentiunt moleſtiam. Secundò Appetentiâ caninâ affecti continuam & ferè inexplebilem famem percipiunt, atqve paulò pòſt copioſiſſimè ingurgitata alimenta vel per vomitum, vel per ſeceſſum, iterum ejiciunt, ita ut alternatim, nunc vorando, nunc vomendô vel cacandô occupati ſint ægri, dum ita levati denuò novâ Cupiditate vorare incipiunt, rurſumqve ut Canes, qvod aſſumſerant, vomitu reddunt. Tertiò Bulimus eſt ingens per intervalla recurrens, ſæpeqve, ſi latranti ventriculo non ſtatim ſatisfiat, cum virium debilitate & Syncope deſinens Ciborum deſiderium. Qvanqvam Georgius Hieronymus Velſchius *Obſerv. propr. Decad. 7. Curat. I. p. m. 381.* etiam famem qvamcunqve immodicam, ſine vomitu & Syncope, ſive immodicum appetitum, Bulimum nominet.

§. 4.

Derivatio Bulimi. Deſcendit hoc vocabulum Bulimus, ſecundum qvosdam Autores, ὰ βȣ̃ς bos & λιμὸς fames, qvaſi taliter affectorum appetitus tantum poſcat, qvantum etiam bovi ſufficiat, ſeu qvantum animal hoc ob inſignem Corporis molem atqve vaſtiſſimam Ventriculi capacitatem ſatis notabilem alimenti qvantitatem aſſumere qveat; vel etiam, qvaſi Bulimô laborantes

adeò

adeò eſuriant, ut ipſorum fami ſeu appetitui ſedando vix bos ſufficiat. Mihi tamen cum aliis vocabulum Bulimus componi videtur â Græcâ particulâ βȣ, augendi ſignificationem habente, atqve idem qvod πολύ, multum, ſignificante, & nomine λιμὸς fames, ac ſi dicas multa ſeu magna fames, atqve ſecundum Johann. Coſter. *Theor. & Prax. Tab. 43. p. m. 154.* nihil aliud involvit, qvàm famem intenſiſſimam. Vid. etiam Dan. Sennert. *Pract. Lib. III. Part. I. Sext. 2. cap. 4. p. 105.* Henr. Petræi *Noſolog. harmon. Lib. I. Diſſert. 25. §. 20. p. 414.* & Joh. Antonid. van der Linden *Select. medic. Exercit. 13. p. m. 499. ſeq.* Hinc Eqvus Alexandri Magni, Bucephalus dictus, non tam â Capite bovinô, qvàm magnô eqvinô, nomen habuiſſe videtur. Imò antiqvitus non Bulimum, ſed Pulimum qvaſi polylimum fuiſſe appellatum, refert Philippus Camerarius *Horar. ſubciſiv. Cent. II. cap. 93. p. 360.*

§. 5.

Sicuti autem circa famis & Appetitûs ordinarii cauſam partim Spiritûs & Phantaſia, partim ſenſatio qvædam in Ventriculô, ſive ejusdem membranarum vellicatio, ſpiritûs in motum ejusmodi appetentem concitans, concurrunt, dum nimirum fluidum Ventriculi tunicæ nerveæ fibrulas eousqve afficit & commovet, donec ſpiritibus per has earumqve truncos undulantibus motum extraordinarium & retrogradum imprimat, atqve hinc in Ventriculô mollitiem ſeu langvorem, in Cerebrô verò ejusmodi impreſſionem præſtet, per qvam Phantaſia in alimentorum ſolidiorum deſiderium feratur; de qvâ materiâ prolixiùs agit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſial. Progymn. 8. p. 126. ſeq.* Ita etiam in Appetitu ertraordinariè auctô tàm ſpiritûs, qvàm vellicationem & contractionem qvandam in Orificio & Membranis Ventriculi concurrere, dubium non eſt. *Cauſa Appetitus.*

§. 6.

Famis canina. Cauſam vellicantem in Fame caninâ pleriqve Autores liqvori Ventriculi acido adſcribunt, qvem partim in ſtatu ordinariô & naturali in Ventriculô adeſſe, partim â cibis & aſſumptis acidis, v. g. ſuccô Citri, Acetô, Spiritu Salis, Vitrioli, &c. in ſtatu præter naturali augeri, ſtatuunt, taleqve acidum corroſivum inde probant, qvia in Vomitu eorum, qvi Appetentia caninâ laborant, Medici ſæpiſſime ingentem aciditatem annotârunt. *Exempla.* Meminit enim Rodericus â Fonſeca *Conſult. med. Tom. II. Conſ. 86. pag. m. 500. ſeq.* Adoleſcentis cujusdam octo & viginti annos nati, qvi Appetentiâ caninâ laborans acida Vomitu rejecit. Vir qvidem qvadraginta qvinqve annorum, macilentus omninò appetitu tentabatur inexplebili, cum motu materiæ ex Ventriculô verſus lumbos, unde animal aliqvod in Ventriculo detineri, varié mobile, ſibi perſvaſerat, qvod, qvamprimum alimentum aſſumtum eſſet, illicò id ſibi ſumeret. In hujus defuncti apertô Cadavere Ventriculus ingentis magnitudinis inverſus acidum ſpirabat odorem, juxta Gerard. Blaſ. *Obſervat. anatom. pag. m. 122.* Juvenis 26 annorum, melancholicus, poſt longum multorum acidorum uſum incidit in ingentem famem, qvâ qvotidie ſexies, ſepties & amplius cibum copioſum ſumere cogebatur. Poſt cibi ſumtionem ſæpe Ventriculi ſeqvebatur dolor, qvem deinde vel Vomitus, vel magnus alvi fluxus, lipothymiam ſæpius inducens, ſeqvi ſolebat, vid. Theod. Craan *Obſerv. in Henr. Regii Prax. medic. Lib. 3. Obſ. 3. p. 408.* it. Joh. Brœn *Animadverſ. in Henr. Regii Prax. medic. p. m. 401.* Item Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. cap. 11. & 18. p. 91. & 190. ſeq.* non modò Appetitum ordinarium â ſuô acido, é glandulis Ventriculi, pauciſſimô tempore copioſé ſegregato, & ab acidâ ſangvinis Diatheſi derivat, ſed etiam extraordinarium ſeu nimium variis Vomitûs acidi exemplis probat. Medicum enim novit, qvi é diuturnô periculoſiſ-

ſimôqve

ſimôqve morbô redux contractâ ſangvinis Diatheſi acidâ Appetitum ſenſit validum; ſed Autumni frigoribus accedentibus hic appetitus in famem ferè caninam mutatus eſt, qvamvis acida ſtudioſe vitaret. Sæpe enim, dum ad menſam accedebat, mirabatur ipſe, ſpiritus animales, detractô voluntatis imperiô, non poſſe ſiſti, & agitationem anomalam ex ciborum intuitu, ſe invitô, â ſolâ corporeæ machinæ diſpoſitione & Oeconomiâ tantam excitari, ut motûs ſpasmodicos & tremulos in totô corpore experiretur; frigore miteſcente & victu accomodatô fames prædicta ceſſavit; ſuccedente ſævô frigore fames priſtina rediit, acidis in Ventriculô regurgitantibus, unde ructibus acidis & freqventibus fuit moleſtatus, &c. Filia qvædam è variolis convaleſcens tantô impetu in fine morbi correpta fuit, ut famem caninam æmularetur; per morbum edulia moderatè aſſumſit, ſudor per plures dies obortus eſt ita acidus, ut hac de re fœteret; qvô fames ceſſavit, nempe ſalibus acidis non ampliùs ad Centrum, nempe Ventriculum, depoſitis, ſed è centrô ad ſuperficiem, qvâ evacuatione ab illis ſalibus copioſioribus depurata fui cruoris maſſa. Porrò Domina qvædam â novem menſibus lectô decumbens magnoqve appetitu laborans, tantoperè â ſalibus acidis exſiccata fuit, ut Sceleton judicaretur; Serô acidô abundabat, Catarrhô diuturnô cum tuſſi freqventi afficiebatur, ſudores erant continui; dum vomere intendebat, de aciditate conqverebatur, ut acetum validum ſibi videretur. Tantô Appetitu vigebat, ut vix ſatiari poſſet, qvamvis edulia maximô labore Stomacho illaberentur, ob Oeſophagi partem ſuperiorem adſtrictam. Ibidem adhuc meminit juvenis Viri de Leprâ ſuſpecti, qvi famem fermè continuam per totam vitam paſſus erat. Acidum qvoqve pro causâ famis caninæ ac Bulimi agnoſcit Johannes Bernhardus Gladbachius *Prax. med. p. m. 254.* Cauſam, inqviens, utriusqve refundimus in acidum corroſivum, particulis viſcidis liberum,

qvod probant illi, qvi interdum acida, æruginoſa evomunt, qvæ dentibus ſtuporem inducunt, imò Vaſis æneis excepta ea in æruginem arrodunt. Qvomodo antem ex his humoribus acidis Lipothymia produci poſſit, idem Autor *l. a. p. 250. §. 64.* hanc reddit rationem, qvòd in Ventriculô ingens humorum ſaburra acido-viſcida hæreat, qvæ morâ acrior evadit, dum in ſe invicem inſurgendô â compedibus particularum viſcidarum acidæ liberantur, qvod probant ructûs copioſi jejunô ventriculô eructantes: unde illæ atrociùs aggrediuntur orificium Ventriculi, qvod ſpasmaticè convellendo in conſenſum trahunt Diaphragma, nec non Cor, qvod mediante Pericardiô huic annexum eſt. Qvòdſi jam tantillum cibi aſſumunt, acidum illud corroſivum ſui juris redditum habet, in qvod agat & â qvô ad tempus iterum ſubjugetur; uti experiantur illi, qvi fame caninâ laborant, ita ut niſi ſatis capiant, præcedente Cardialgiâ animô delinqvant. Nec minus Henricus Petræus *Noſolog. Harmon. Lib. I. Diſſ. 25. §. 24. p. 415.* humores in Ventriculô hærentes famem præternaturalem, immodicam excitare ſtatuit, qvatenus, inqviens, nimiâ ſuâ frigiditate, aciditate & auſteritate Orificium ventriculi conſtringunt, corrugant comprimunt ac vellicant, adeoqve ſenſum naturali ſuctioni ſimilem & ſpuriam famem inferunt. Talis humor eſt pituita acida in Vendriculô reſtagnans. Et *§. 26. p. ſeq.* Hermeticorum opinionem ad rei veritatem accedere dicit, qvi ſtatuunt, tam ſtupendi appetitûs cauſam referendam eſſe ad Spiritûs qvosdam famelicos, eſurinos, voraces, ſalinos, qvos Vitriolatos vocant, qvia ex Vitriolô virtus diſſolvens, transmutans & devorans longè meliùs deducitur, qvàm ex Melancholiâ (qvam alii pro cauſâ agnoſcunt) qvi qvidem Spiritûs inſitâ proprietate, qvicqvid ciborum ingeritur, tam promptè conſumunt & reſolvunt, ut ne terminum qvidem legitimum nutriendi naturæ concedat, non ſecus ac fortes aqvæ, ex Salibus hiſce confectæ, parvô momento

mentô duriſſima corpora corrodunt. Talem ſuccum acidum, tanqvam cauſam nimiæ Ciborum appetentiæ, â ſuccô Pancreaticô acidiore derivat Paulus Barbette *Prax. Lib. 4. cap. 1. p. 11. 95.* Simulqve Pancreas cum Ventriculô pro parte affectâ agnoſcit. Cui conſentit etiam Fridericus Dekkers *Annotat. in l. a.* inqviens: Pancreas ſuccô ſuô acidiore ejusqve halitibus ſolitò acidioribus vellicandô, & pungendô appetitum excitat. Ut & ſuccus Glandularum Oeſophagi, qvem glandulis ſcatere avtopſia qvosdam docuit; nec non Saliva acidior, continuò deglutita, chylusqve in Ventriculô propter moram ſolitô majorem acidior factus, hujus affectûs cauſa exiſtere poteſt. Refert etiam Johannes Viridetus *l. a. Part. 2. cap. 3. p. m. 266.* Gerardum Blaſium aperuiſſe Virum qvadraginta annorum, in qvô præter alia notatu digna etiam occurrebat Ductus Pancreaticus duplex, diſtinctô locô Inteſtino connexus, ramulis qvaqvaverſum per Pancreatis ſubſtantiam ſe diffundens. Fuerat autem hic defunctus, dum in vivis erat, omni tempore famelicus, Ventris intumeſcentiis atqve cruciatibus mirè vexatus. Exinde Viridetus famem tantam â partibus acidis effici, ſtabilire pergit. Vid. etiam le Journ. des Sçavans *Tom. III. Conferences p. 306.*

§. 7.

Non tamen ſolummodô â liqvore Ventriculi acidô, ſed etiam ab acrimoniâ urinoſâ ſeu alcalinâ, modò ſatis activa ſit & volatilis, Famem caninam excitari poſſe partim ex ejusdem curâ, partim etiam autoritate nonnulli Autores probant. Sicuti enim in Curâ Bulimi ſeu nimiæ Ciborum appetentiæ, ab acidô Ventriculi dependentis, Alcalia & pingvia cum euphoriâ adhiberi ſolent, ita in acrimoniâ urinoſâ ſeu bilioſâ contrà Medicamenta acida prodeſſe experimur; cùm fæminæ cuidam, qvadraginta annos natæ, fame caninâ laboranti, Spiritum ſeu liqvorem Sulphuris per campanam eductum, aliis mixtum cum *Alcali vel bilis.*

priſtinæ

priſtinæ ſanitatis ſubſeqva reſtitutione, ſe ordinaſſe ſcribat Petrus Poterius *Obſ. med. cent. 3. Cap. 96. Oper. p. m. 387.* Deinde animalia voracia ductûs cholodochos Ventriculo implantatos gerunt, qualem in Lupis freqventius obſervari aſſerunt. Imo illi qvoqve homines, qvibus bilis per ductum peculiarem in Ventriculum defluit, voraciores eſſe judicantur, hinc etiam nonnulli Autores Remigem illum (in cujus corpore diſſectô Andreas Veſalius *Anatom. ſive de Corpor. human. Fabric. Lib. 5. cap. 3. fol. m. 379. & cap. 8. fol. 392. ſeq.* meatum qvendam Veſiculæ bilis Ventriculo inſertum animadvertiſſe ſcribit) voraciſſimum fuiſſe ſtatuunt. Inqvit enim Gothofredus Mœbius *Fundam. Phyſiolog. cap. 15. p. 367.* Remex Veſalii, cui bilis ad Ventriculum deferebatur, homo in vitâ, commilitonum ſuorum teſtimoniô, erat voraciſſimus fortioriſqve Ventriculi, non facile nauſeæ in procellis maris obnoxius. Vid. etiam Mich. Ettmull. *Oper. Tom. II. fol. 54.* & Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progym. 10. p. 153.* Item Paulum Rhetorem illum ramum habuiſſe, & *πικρόχιλον ἄνω* fuiſſe, ex Fontano refert Gothofredus Mœbius *l. a. p. 354.* Qvantùm autem Veſalii locum allegatum attinet, nullam qvidem, in meâ Editione, Voracitatis mentionem de iſtô Remige pontificiali, ſed tantummodo, ipſum virum calidi ſicciqve temperamenti fuiſſe, atqve ejusdem familiares illum nunqvam vomentem, ac ne in maximis etiam procellis nauſeabundum vidiſſe, verum longiſſimô Spiritu ſubinde cornu inflâſſe, omnesqve militones gravi voce & unô ſpiritu recenſendis numeris longè ſuperâſſe, reperire potui. Contrarium tamen exemplum, vomitûs ſcilicet freqventioris â bile, per cholodochum in Ventriculum delatâ, annotavit Zacutus Luſitanus *de Prax. medic. adm. Lib. 2. Obſ. 1. Oper. Tom. III. fol. m. 40.* de fabrô qvodam lignario, qvi Ventriculi dolore diu premebatur immaniter, bilioſi verò humoris vomitu miteſcebat. Tunc poſt qvatuor dies iterum recrudeſcebat

bat & eodem vomitu levabatur. Excretum erat bilioſum & continuò oris patiebatur iſte Vir amarorem. Malum bienniô rediit in orbem, remediis minimè ſuccumbens. Deniqve inflammatione Ventriculi oppreſſus triduò extinctus eſt. Diſſectô & apertô Corpore & inveſtigatâ origine mali, Vas cholodochum ad Ventriculi fundum implantatum non ſine adſtantium celebrium Medicorum admiratione inveniebatur. Famem caninam epidemicam potius ex atrâ bile, Os Ventriculi occupante, qvàm ex acidâ pituitâ ortam, ex Braſſavolâ refert Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 318.* Et Johannes Mauritius Hoffmannus *Diſqviſit. Corp. human. anat. pathol. Specim. 3. §. 14. pag. 32.* Bulimum â particulis ſalinis volatilibus acrioribus liqvori gaſtrico admixtis, vel bile ejusmodi propter conſtrictionem folliculi fellei ſpasmodicam factam, intra ventriculum regurgitante fibrillas ventriculi nerveas plus ultra rodente ac percellente & per impreſſum motum concitatiorem in ἀταξίαν ſive fugam ciente, deducit.

§. 8.

Ad cauſas famis caninæ refertur etiam Vermium ſeu Lumbricorum progenies, ſive in ipſô Ventriculô hoſpitentur, ſive ex Inteſtinis in illum conſcendant; imprimis autem qvatenus alimenta Chylumqve abſumendô & Ventriculum rodendô ejusmodi appetendi ſtimulum inducunt. Utrum verò ſoli vermes famem inducere poſſint, inter recentiores dubitat Michael Ettmüllerus *l. a. fol. 54.* & qvidem propterea, qvoniam taliter appetentes, uti promptè appetant, ita promptè digerant, qvod fieri neqveat a Vermibus. Putat ergo Ettmüllerus, unà cum vermibus in Inteſtinis adeſſe acidum, ſuccum eſurinum, nimium, â qvô & appetentia oriatur & etiam digeſtio, qvæ non ſolos præſupponit Vermes. Si autem adſint, dubio procul vellicando & morſicando malum inſigniter augerent. Negat etiam Andreas Petermannus, Lumbricos, qvà tales, appetitum ca- *Vermes.*

ninum excitare, ſed hunc potiùs liqvamini illi, qvo Ventriculus repletus ſit, adſcribi debere aſſeverat. Et utut rejecto tali Lumbrico, ſecundum obſervationem Tralliani mox recenſendam, morbus ceſſaverit, liqvamen tamen illud, tanqvam veram cauſam, aſſumtâ Hierâ catharticâ ſimul evacuatum eſſe aſſerit dictus Petermannus. Johannes Jacobus Waldſchmidius *Prax. p. m. 440.* Lumbricos potiùs pro effectu habet, cùm ex nimiô victu aſſumpto facilè generentur Lumbrici. Interim ejusmodi exempla non adeò ſunt rara, ſed tam apud veteres qvàm modernos reperiuntur.

§. 9.

Exempla a Vermibus. Famem caninam ob Lumbricum duodecim Cubitorum Hieræ beneficiô perſanatam annotavit Alexander Trallianus: novi, inqviens, Mulierem qvandam, qvæ cùm multa & immodica aſſumeret omniaqve concoqveret, & nunqvam ſatiari ſe diceret, roſionem verò in Stomachô experiretur & capite doleret, pulverem purgatorium accepit: erat autem is hiera. Factâ vacuatione Vermem projecit, qvi longitudine duodecim Cubitos & plures habere putabatur, atqve tunc immoderata & furioſa appetentia conqvievit. Innotuit igitur non Bulimon, ſed beſtiam fuiſſe, qvæ ad cibum ſumendum compelleret omniaqve conſumeret. Vid. Zacut. Luſitan. *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 2. Hiſt. 68. Oper. Tom. I. fol. m. 303.* Florentiæ fuit mulier, qvæ propter Vermes plures, qvos habebat congregatos in Ventre, non ſtabat unâ horâ inter comeſtionem & comeſtionem; qvæ ſi aliqvando propter aliqvam cauſam dimittebat cibum, vehementer cruciabatur: Iccirco pluribus vicibus ſurgebat ad ſumendum, & finaliter ſumptis pilulis de Coloqvintide, multa phlegmata emiſit, & Vermes ultra centum, longos ſatis, in pluribus diebus, & ceſſavit ab eâ appetitus ille, uti ex Nicolô refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 2. p. m. 303.* Aliud exemplum Mulie-

ris

ris cujusdam, quæ intenſiſſimè Appetitum patiebatur, ſumptô autem Spiritu vitæ rubrô Rulandi, & vomitibus dejectis liberata eſt, refert Martinus Rulandus *Theſaur. medic. p. m. 22.* ubi alius fæminæ ſingulis horis comedentis atqve ſumptô Spiritu Vitæ albô ultra centum Vermes dejicientis & liberatæ meminit. Fuit & aliqvando Morbus epidemicus Saraguſæ, qvem & famem appellabant, cùm omnes eô correpti ſaturari non poterant; & cùm infiniti morerentur, Medicus qvidam ſagax propinavit omni mane Bolum Armenam veram, modò per ſe, modò cum Theriacâ, qvibus per anum infinitos & in orbem coactos Vermes dejecerunt, & præter mentem qvam plurimi reſtituti ſunt. Vid. Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 21. Obſ. 28. Schol. fol. m. 358.* Fortaſſe eandem cauſam latitantem habuit Bulimia Pruthenorum, ſtupenda, qvi Anno 1535. febri correpti immani comedendi appetitu laborârunt, ut ſingulis diebus octies cibum poſtulârint, & ne ſic qvidem exſaturari potuerint, vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 319.* Graviſſimè ex acutâ & malignâ Febre laboraverat Vir quidam, Joſephus de Rogerio dictus, quam febrem ſubſecuta eſt non levior Dyſenteria; ab utroqve malô ope medicamentorum liberatus tantâ fame deinceps correptus eſt, ut unicâ die varii generis eſculenta ingurgitaverit, fere ad libras ſexaginta quatuor, nec tamen exinde fameſcere deſierit. Ad illam compeſcendam plurima adhibita fuere remedia, ex amaris potiſſimum compoſita, ut acidum exorbitans, quod tantæ famis cauſa credebatur, infringeretur: ea verò in longum tempus aſſumpta & cum Aloë commixta expulêre tandem inopinatò Vermem adeò grandem & horribilem, ut Serpentis formam ac magnitudinem referret, qvi ſtatim ab egeſtione vitâ privatus longitudinem ſuæ molis exhibuit palmorum viginti ſeptem & ultra, atque ex parte ſuperâ piloſus apparuit; æger autem ſenſim reſtauratus liber â tam moleſtô vorandi deſideriô factus

eſt, teſte Joſephô Lanzonô *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. V. & VI. Obſ. 95. p. 177.* Juvenis quidam Romanus circiter viginti quatuor annorum ſæpe premebatur fame penitus inſatiabili, & niſi ferè ſemper ederet, in animi deliquium incidebat. Variis remediis per quadriennium, ſed fruſtra, uſurpatis, tandem ſuperveniente Aſthmate extinguebatur. Cujus Cadavere apertô inveniebatur in Ventriculô inſignis conglomeratorum vermium congeries, & duæ in inferiori Orificiô glandulæ, ad Moſchatæ ferè Nucis magnitudinem accedentes & vermibus figuræ colorisque varii repletæ, juxta Obſervationem Johannis Ludovici Hannemanni *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 33. p. 88.* Johannes Michäelis fæminam ſcorbuticam Appetentiâ caninâ laborantem curavit, quæ poſt uſum Succi Naſturtii aquatici rejecit Lumbricum latum inſignis magnitudinis, & exinde Appetentia canina promptè ceſſavit, referente Michäele Ettmullero *Oper. Tom. II. fol. 54.* Et Studioſus quidam, natione Livonius, ultra modum erat vorax, ita ut victu ordinariô non contentus jentaculis & merendis uteretur largiſſimis, vix tum ceſſante appetitu. Tandem â Pilularum mercurialium uſu Lumbrici lati fruſta ſatis procera & ulnas aliquot adæquæntia excrevit, qvæ dubio procul appetitus illius præternaturalis fuere cauſæ, ſecundum Mich. Bernh. Valentini ſententiam M. N. C. *Dec. II. An. 10. Obſ. 119. p. 214.* An Luporum voracitas a vermibus in ipſorum ventriculis dependeat, *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 1. p. 1.* & Chriſt. Franc. Paullin. *Lycograph. cap. 2. §. 9. p. 29. 30. item cap. 7. §. 6. p. 39. ſeq.* Johann. Dolæi *Epiſtol. 4. p. m. 251.*

§. 10.

Ventriculi ſubſtantia. Porrò ad Bulimi ſeu Appetentiæ caninæ cauſas pertinet etiam Ventriculi, imprimis ipſius tunicæ nerveæ & Orificii, ſubſtantia, quæ ſicut ſenſu exquiſitiore prædita eſt, â quacunque cauſâ, paululum vellicata Appetentiam auget: Quam ſen-

ſilem

ſilem Ventriculi ſubſtantiam vel Conformationi peculiari, vel pravæ conſuetudini adſcribere convenit. Per Conformationem peculiarem ſenſibilis magis evadit, quatenus copioſioribus & conſpectioribus nervis gaudet. Prava autem conſuetudo accuſanda erit in illis, quorum ventres ingurgitationibus & Commeſſationibus quotidianis vacant; hinc copioſioribus quoque allectis Spiritibus continuò ferè eſuriunt.

§. 11.

Dantur inſuper aliæ adhuc Bulimi ſeu Famis ingentis cauſæ naturales, non naturales & præternaturales, v. g. ætas puerilis & juvenilis, temperies maſſæ ſanguineæ acida, Inedia diuturnior, motus, conformatio certorum membrorum peculiaris, frigus & nix, qualia exempla ex variis Authoribus congeſſit Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 2. fol. 729. ſeq.* quibus ſequentia adjungere libet. A Pylorô relaxatô ortum Appetitum Caninum annotavit Fridericus Ruyſchius *Obſ. anatom. Chirurg. Obſ. 47. p. m. 94.* Scilicet mulier â longô tempore Appetitu caninô vexata aſſiduâ aviditate cibos ingerere debuit & voluit. Stomachus alimentis infarctus eadem haud diu retinere potuit, propter Pylori relaxationem; unde Inteſtina juſtô celeriùs onerabantur cibô, qvorum qvidem munus ſimiliter eſt ulteriori ciborum coctioni inſervire, non tamen cibum crudum in chylum convertere. Itaqve paulò poſt paſtum ſemper ferè de torminibus Ventris fuit conqueſta, idqve tam diu, donec Deus hiſce miſeriis finem imponeret morte. Apertô cadavere Viſcera ſatis bene conſtituta reperiebantur, ſolô ſtomachô exceptô, cujus Pylorus, ut dictum, ita erat relaxatus, ut omnes digitos junctim compoſitos admitteret.

aliæ cauſæ.

Pylorus relaxatus.

§. 12.

In viri cujusdam totô ætatis tempore valde famelici, aliàs bene ſani, Corpore diſſectô Oeſophagus in Thorace, intra Cor & Diaphragmâ inſigniter dilatatus ſingularem qvaſi Ventriculum

Ventriculus duplex.

 lum

lum conſtituebat; utroqve enim extremô anguſtia maxima notabatur. Vid. Gerard. Blaſ. *Obſerv. anatom. p. 120. ſeq.*

§. 13.

Epar magnum.

Fœmina qvædam grandæva ne ad momentum quidem absqve ingeſtione ciborum & potuum vivere potuit, qvin ilicet anxia ſupra modum exiliret, & tanquam injectô laqveô ſtrangulanda quamprimum videretur. Hoc illi vitium ferè â pueris cum ætate habuit incrementum. Apertô ventre Epatis moles ineffabilis atqve ingens pinguedinis copia fuit reperta, ita ut propemodum viginti adipis libræ fuerint detractæ, uti ex Gemmâ refert Johannes Schenckius *Obſ. medic. Lib. 3. fol. 319.* Alia exempla famis extraordinariæ ab inſigni Hepatis mole refert Theophilus Bonetus *l. a. fol. 732.*

§. 14.

à Stomachi & inteſtinorum vitio.

A Stomachi & Inteſtinorum vitiatâ figurâ, anfractibus carentium, famem intenſam ex Cabroliô annotavit Johannes Riolanus, *Anthropogr. Lib. 2. cap. 14. fol. m. 100.* ſcribens: animalia, qvæ unicum habent Inteſtinum â ventriculo rectâ ad anum protenſum, inſatiabilia ſunt, plantarum modo cibis addicta. Talis erat voracisſimus ille diſſectus Monſpeſſuli, qvi unicum habebat Inteſtinum, amplisſimum in S. Romani modum inflexum ſine ulla revolutione. Sic Baroniſſa quædam Lienem ponderis librarum ſex & ſemis, & tria tantum Inteſtina, Jejunum Colon & rectum, & quidem trium tantum ulnarum habens multi fuit & craſſi cibi, non bis ſed ſæpius in die comedendo, qvaſi lupinô fuiſſet nata Inteſtinô, juxta Anton. de Pozzis *vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 30. p. 31. ſeq.* Obſervationem modò ex Riolano recenſitam his verbis refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. fol. 732.* Firmius Chaudonus veracitate erat Eriſictonæâ, cui anſam præbuit, quod nec ſtomachi, nec inteſtinorum ullam habebat figuram proportionatam, præter Oeſophagum, qvi ſe inſerebat amplæ capacitati, maximæ Cucur-

bitæ

bitæ fundo ſimillimæ, qvæ ad latus dextrum ſub magnô Hepatis lobô prope cyſtim felleam, involucrum faciebat, ſurſum tendens, retinendo diutius alimento, nec enim Pylorus ullus erat: unicum deinde à Pylori loco ad anum inteſtinum erat, ſine ullô anfractu & vix ad quatuor ſpithamas accedens in formâ literæ S. ſed crasſitie immani: Cui Obſervationi Bonetus ſequentia annectit: Gyrorum in Inteſtinis hic ab Anatomicis asſignatur uſus 1) ne alimentum ſtatim elabatur nondum perfectâ concoctione, 2) ne nondum abſolutâ Chyli anadoſi, ſi ſtatim elaberetur, aliud mox elementum aſſumere cogamur ſicqve ob voracitatem â rebus agendis diſtrahamur: hinc animalia qvô rectiores ductûs habent â Ventriculô ad anum, eò guloſiora ſunt; qvò convolutiores, eò continentiora. Ad productionem intenſæ illius famis conferre potuit vaſorum meſaraicorum ingens numerus citam Chyli anadoſin promovens. Scribit etiam Petrus Dionis *Anatom. Demonſt. 2. p. 156.* ſi unicum Inteſtinum habuiſſet homo, indeſinenter edere coactus fuiſſet, ut ſolent Lupi cervarii & corvi aqvatiles, eò qvod breviſſima habeant Inteſtina. Hac eâdem de cauſâ qvidam ex Hydrope mortuus, qvem aperui, & in qvô Inteſtina reperi longitudinis, qvæ tantum ſufficeret, ut a Ventriculô ad anum pertingerent, ſingulis horis per vitam comedebat, imò & ſollicitè panem ſingulis noctibus prope lectum reponebat, quem comederet, quoties expergiſcebatur. Narrat etiam Gemma Friſius, fuiſſe mulierem, quæ noctu & interdiu ſingulis ferè horis comedere cogebatur, & ni faceret, in Lipothymiam trahebatur. Vulgus fabulabatur, ipſi aliquando Lutram per os irrepſiſſe in Ventriculum, ibiqve hærere vivam. Sed poſt mortem apertô Cadavere Colon Inteſtinum valde diſtentum deprehenſum eſt, totumqve vitreâ viſcidâ pituitâ flatuoſâ repletum, unde frigidi & acerbi vapores in ſtomachum inſilientes adeò moleſti morbi cauſa extiterant, juxta verba Ottonis Heurnii *Obſ. 25. p. m. 25.*

§. 15.

§. 15.

Pediculi. Famem inſatiabilem â Pediculorum catervâ in Ventriculô alimentum abſumentium annotavit Georgius Hannæus *Epiſt. ad Olaum Borrichium Actor. Hafn. Vol. III. Obſ. 91. p. 168. ſq.* Puer ſcilicet Icterô laborans in ſordidiſſimis dignisqve Empiricô pediculis ſolatium ſe inventurum ratus vel ſeptem vel novem devoravit. Diſparet ſenſim morbus, unde & ſibi & puero gratulabantur Parentes. Verùm citatô gradu approperantibus gravioribus ipſô morbô ſymptomatibus ſtultæ lætitiæ ſuæ graves dederunt pœnas. Pediculis enim ſugillatus inſidioſus hîc hoſpes ſimulatâ tantùm ſugâ delituit aliquantulum, ut poſtea ceu alter Pharao ſurgeret contumacior. Succeſſit quippe in vicem hujus mali, pallor infernus, Appetitus nimius, imò caninus, ut jurares, huic quinquaginta Ægeonis fuiſſe Ventres, inſignis quoque acceſſit Atrophia, unde Mors. Cum autem Ventriculus defuncti Cadaveris novaculæ cedebat in prædam, obtulit ſe monſtroſæ magnitudinis inuſitata Pediculorum in unum conglobatorum Colonia, qui in hanc civitatem receptis, infelici ſidere, ſed tectô latere natalibus, numeroſiſſimæ ſuæ multitudinis originem debuerunt.

§. 16.

Morbi. Solent etiam hôc malô corripi Scorbutici & Hypochondriaci & interdum, uti modò exemplum retulimus, febricitantes, ſiquidem nobilis quidam Vir, annorùm triginta ſex, Hypochondriacus, aliquoties cibum & potum interdiu aſſumere cogebatur, qvin & nocte ſemper circa horam primam edendi deſiderium magis invaleſcebat, ut niſi ſtatim cibi aliqvid exhiberetur, tuberculum qvoddam in foveâ Cordis vulgò dictâ, circa cartilaginem mucronatam, inſtar parvi cujusdam globuli, oboriretur, durum admodum, colorem qvidem cutis non immutans, at inſignem dolorem inferens; ut etiam lipothymia ſeqveretur. Verum vel exiguô cibô adlato non tantum

tum

tum dolor ille ſæviſſimus ceſſabat atque tuberculum evaneſcebat, ſed & ſomnus placidus ſuccedebat, referente Philippô Salmuthô *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 10. p. 116.* Puer decennis, poſtqvam febri malignâ per aliqvot ſeptimanas graviter laboraverat, ut ferè defunctus eſſe videretur, ſingulari tenebatur Bulimiâ, ut omnem cibum & potum, & qvicqvid in buccam tuburcinando quaſi ingeſſerat, cum continuô ejulatu, Canum inſtar, duriora oſſa rodentium, manderet & devoraret, ac lautitias iſtas ſuas cum lacrymis aſſumeret, teſte Johanne Michaele Fehrio *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 51. pag. 86.* De ſeipſô refert etiam Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. II. cap. 20. fol. m. 210.* qvòd peſtilentiali morbô pollutus Bulimiam ſeu incredibilem aviditatem ſuſtinuerit, qvater in die cibum aſſumendo.

§. 17.

De Bulimô ex Nive, ſeu aëre nivoſô & frigore ortum ſufficiente prolixè tractat Thomas Bartholinus *de Nivis Uſu medic. cap. 33 p. 186. ſeqq.* Locum etiam ex Xenophonte, de militibus totô die per nivem iter facientibus & furcillæ malô ſeu Bulimô laborantibus allegat Georgius Wolffgangus Wedelius *Diſput. de Bulim. cap. I. p. 6. ſq. vid. etiam ejusdem Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 2. p. 459.* Cur illi, qui per nives diu gradiuntur, ſæpe fame caninâ vexentur, & cur ſeptentrionalium plagarum incolæ edaciores ſint, vid. Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. I. cap. 17. p. 178. ſq.* item Phil. Camerar. *Horar. ſubciſ. Cent. II. Cap. 93. p. 360.* item Dan. Sennert. *Pract. Lib. III. Part. I. Sect. 2. p. 107.* Joh. Melch. Verdrie *de Action. Ventric. p. 22.*

Nix & frigus.

§. 18.

Varia autem nimiæ Ciborum appetentiæ ſive Voracitatis exempla apud Hiſtoricos & Medicos occurrunt, quorum nonnulla hôc locô annectere lubet. v. g. Mendicus qvidam juvenis viginti circiter annorum, torvi aſpectûs, robuſtus, la-

Voracitatis exempla.

ctucæ recenter ex terrâ avulſæ & illatæ, absque ullô ſale, oleô, butyrô aut acetô præparatæ, unà cum radice tantam qvantitatem devoravit, ut decem ruſticis famelicis ſatis fuiſſet, qvæ ab ipſô per unam & mediam horam, præſente Johanne Benedictô Grundeliô, fuit deglutita; Panem oblatum guſtavit qvidem, ſed, majori guſtu in præſentem lactucam raptus, ad ulteriorem famem ſibi reſervavit, paulòque poſt adhuc continuò per unam horam lactucam, copioſè â plebe oblatam, imò etiam erucas aliquot, â pueris collectas, comediſſe & per intervalla frigidam bibiſſe dicitur. Aliô tempore ingentem panem & plenam corbem lactucæ in unâ comeſtione conſumpſit, & tandem porcile accedens juſculum pro porcis paratum avidè exhauſit. Viſus eſt aliâ vice lac ebutyratum ad octo menſuras Würtembergicas, quæ libras medicas duas & triginta faciunt, intra horæ qvadrantem, deglutire; imò oculati teſtes retulerunt, eum arborum & olerum cruda folia, erucas, ranas vivas, carnes crudas & ſimilia inuſitata comediſſe. Interrogatus, quam ob cauſam res tam inconſvetas comederet, & cur tam robuſtus eleemoſynam ſub ſpecie muti colligeret? ſatis prudenter reſpondit: ſe manuali labore non poſſe ſufficientem panem pro tantâ fame lucrari, hinc urgente neceſſitate, ad majorem panis copiam acqvirendam ſe debere mutum fingere; & quamvis tali ſtratagemate plura eſculenta colligeret, tamen non ſufficere ad talem famem ſedandam, ſed opus eſſe lactucâ aliisque rebus crudis, optimô appetitu deglutitis. *v. M.N.C. Dec. III. An. 4. Obſ. 81. p. 175. ſeq.* Seqventia ingluviei exempla recenſet Jaſon a Pratis *de Uter. Lib. 2. cap. 3. p. m. 291.* Qvidam, nomine Albinus, centum Perſica, denos Pepones, quingentas ficûs paſſarias & trecenta oſtrea unâ devoravit cœnâ. Et Maximinus Imperator, qui Alexandro, Mammeæ filio, ſucceſſit, qvadraginta libras carnis unô die eſitabat potabatque Vini amphoram. Amphora eſt Cubus pedalis in longum, latum

tum & profundum, & continet urnas duas; & Urna viginti quatuor ſextarios aut Xeſtes, ſeu Pintas Parrhiſinas octodecim. Aurelianus Phagone qvôdam portentoſæ voracitatis delectabatur, qui in conviviô totum comedit aprum, vervecem unum & porcellum unum, & cum iis panes centum, bibitqve per infundibulum Vini orcam. Orca, ut Budæo placet, non eſt certa aliqva menſura, ſed vim magnam liqvoris continebat. De ipſo Imperatore Maximinô Thrace, ſcribit Chriſtianus Matthias *Theatr. hiſtor. pag. m. 612.* uti ſtatura & robore erat prorſus athleticô, ita edacitate ac bibacitate facilè eô in genere excellentiſſimum etiam vincebat. Bibiſſe ſæpe Vini amphoram unô die conſtabat; comediſſe libras carnis qvadraginta aut etiam ſexaginta. Et *p. 637.* idem Autor meminit ejusdem Phagonis, qvi tam capaci gulâ ac ventre fuit, ut unô die ante menſam ejus aprum integrum, centum panes, Vervecem & porcellum comederet, biberet autem infundibulô appoſitô plus Orcâ. Ubi dictus Autor addit: Orca Varroni vas vinarium teres eſt, quod Itali hodie Botitacio vocant. Plinius vocat Cadum ſalſamentarium, quod Itali Parile de tonina appellant. Homo qvidam prodigioſæ qvidem vaſtitatis & magnitudinis, at magis prodigioſæ incredibilisque Ingluviei, ita ut integrum vitulum crudum vel ovem incoctam unâ vice devoraret, & tamen necdum famem expletam diceret, A. 1511. Maximiliano Cæſari Comitia apud Auguſtanos agenti oblatus eſt, ortus Borealibus regionibus, ubi homines edaciores eſſe ſolent, uti ex Laurentiô Suriô refert Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 2. p. 304.* ubi etiam ex Olao Magno addit, juſſu cujusdam Regis ſeptentrionalis, qvendam Voratorem illicò ſuſpenſum eſſe, quod diceret, ſe Principibus gratum fore, qvòd ſingulo die decem hominum cibos devorare poſſet; item ex Alberto Kranzio ſubdit, qvòd Hiſtrio præpingvis juſſu alterius Danorum Regis ſuſpenſus eſt, ne utilium

laboratorum eſcas conſumeret, cùm ſingulô die decem hominum cibos devorare ſoleret.

§. 18.

Alia exempla. Ejusmodi Ingluviei exempla ſeqventia refert Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. III. cap. 5. p. m. 197.* Herculem, inqviens, neque famem tolerare noviſſe, neque gulæ ventrique imperare, neque etiam modum cibis ſtatuere, prodiderunt Græci. Eſt item incredibilis Milonis Crotoniatæ edacitas: is enim unô conviviô carnis pondo viginti totidemque panis voràſſe creditur; Vini tres choas exhauſiſſe. Quin & Taurum vivum in Olympiâ humeris ſuis circumtuliſſe ſtadii unius curriculô prædicatur, ipſumque poſtea ſolum die unô voràſſe. Theugenes Thaſius athleta taurum ſolus edebat. Aſtidamas Mileſius, qui ter in Olympiâ victor evaſit, qvantum novem aliis hominibus ſatis eſſet, devorabat, & plerumque omnia, quæ apud Ariobarzanem, Perſarum Regem, in conviviô parata offenderet, ſolus abſumebat. Eſt in exemplis quoque Herodotus Megarenſis tibicen & ſaltator, trium plus minus cubitorum altitudine & proceritate conſtans, qui panis ſex chœnices, carnis libras viginti ederet, vinique hauriret duos choës unô convictu: porrò & tubis duabus canere ſolitum Græci ſcripſerunt. Memoratur item Aglais fœmina, quæ etiamnum tubâ caneret. Hanc libras carnis duodenas, panis chœnices qvaternos comeſſe ſolitam narrant: & vini choën ebibiſſe unâ cœnâ. Celeno, Phrygiæ Rex, ferus & immitis, voracitate & ventris ingluvie memorabili extitiſſe fertur. In polyphagorum nomenclaturâ etiam reponunt Mithridatem, illum Ponti Regem maximum, ajuntque, quandoque certamen & cibarium & vinarium condixiſſe, conſtituiſſeque Victori præmium Talentum unum argenteum. Atque in eô certamine ipſum fuiſſe declaratum victorem. Timocreon Rhodius, Poëta, quoque inter edaces & multibibos relatus eſt apud Græcos.

cos. Atreſtidas Mantineus, Miles manipularis omnium voraciſſimus fuiſſe narratur. Quin apud Siculos fuiſſe templum edacitati dicatum, Athenæus prodidit. Huc usque Bruyerinus. Multos ejusmodi voraces commemorat etiam Claudius Ælianus *Hiſtor. Animal. Lib. I. cap. 27. Oper. fol. m. 378.* Camblex Lydorum Rex tantæ voracitatis fuit, ut nocte qvadam Uxorem abſumeret. Vid. Chriſtian. Warliz *de Morb. biblic. pag. 48.* Qvidam nomine Ægon ſolus octoginta placentas deglutivit. *Vid. M. N.C. Dec. I. An. 2. Obſ. 144. p. 228.* Voracitatis exemplum ex Pauſaniâ adducit Michael Neander *Phyſic. Part. 2. p. m. 317.* de Lepræô Eleô adeò voraciſſimô, ut etiam cum Hercule de Voracitate certare auderet, qui & triplici dentium ordine inſtructus & βȣφάγος cognominatus fuit, qvòd bovem integrum in unô prandiô conſumeret. Vir quidam quinquagenarius â pubertatis tempore inauditâ aviditate promiſcuè omnis generis eſculenta ingerebat, ingeſta citiſſimè egerebat, famis hunc circa Tropas invadebat, nec ultra vigeſimum diem appetitus vigebat, totidem poſt dies faſtidiebat, reliquis anni temporibus parcè comedebat ſanusque degebat. Quam voracitatem periodicam ex Jeſſeniô a Jeſſen refert Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 319.* Vir quidam ferè octogenarius, ſtaturæ proceræ, gracilis attamen corporis, & animi viribus in hac ætate mirè vegetus, tantâ ciborum aviditate geſtiit, ut ſæpius jurulentum cum cæpis, anguriis, foliis porraceis, braſſicâ capitatâ vel cauliferâ & radicibus petroſelini ſimul, more Gallicô, incoctum, acetarium, bonam partem petaſunculi in oblonga & tenuia fruſta conciſi & Saccharô conſperſi, botellos aliquot, lucanicas, alaudas aliquot, ſive Anatem ſylvaticam paluſtrem, atque armum agninum in unicô prandiô, omnia magnô cum appetitu ſine ullâ ſtomachi noxâ, ſimulque panis triticei portionem magnam pereſitaret: Potûs verò non valde avidus fuit. Vid. Joh. Helwig. *Obſ. 79.*

pag. 246. Sic puer epilepticus ac variorum abſurdorum eſu delectatus, ex pane oſtiatim collectô paratas offas tantâ menſurâ devoravit, quæ vel quinque mercenariis, diutinô labore defatigatis abunde ſuffeciſſent, belluæ Ruſſicæ, quam vocant Polyphagum, æmulus, nunquam enim potuit ſatiari vel ad usque crepaturam voraturus. Energumenorum ſtomachum quandoque monſtroſâ voracitatis ingluvie vexari, ex Schottô monſtrat Johannes Chriſtianus Frommannus *Tract. de Faſcinat. Lib. 3. Part. 4. Sect. I. cap. 9.* §. *11. p. 613.* & quidem binis exemplis, quorum alterum agit de Obſeſſê, qui, tametſi unô die triginta Gallinas abſumeret, famen tamen ſatiare non poterat; alterum de quodam, qui trium modiorum panes unâ vice devorare ſolebat, & eosdem mox eructans in vaporem reſolvebat: Et ſi panes deerant, ſua ipſe excrementa comedebat & lotium bibebat. Gulielmus Aquitaniæ Dux & Pictavorum Comes tantæ edacitatis & bibacitatis erat, ut ei vix quolibet prandiô ea cibaria ſufficerent, quæ octo fortiſſimis edacibusque juvenibus pararentur. Vid. Sim. Majol. *Dier. canicul. Tom. I. Colloqv. 4. fol. m. 62.* quô loco addit, quòd, ubi dictus Gulielmus mundi delicias excuſſerit Deoque ſe totum per converſionem dederit, jejuniis occupatus, pane modicô & aquâ contentus magnâ incolumitate vixerit. De voracitate Ugocionis à Fagiolani ſequentem hiſtoriam refert Hieronymus Drexelius *Aurifodin. Part.* 2. *cap. 8. p. m. 148.* Cùm in Urbem Lucam properaret Ugocio, ut Caſtruccium, quem in vinculis habebat, ſecuri feriendum objiceret, prandenti nunciatum eſt: à Piſanis arma eſſe correpta. At ille, tanquam incertus & parùm verus eſſet nancius, prandium continuavit. Adeſt alter & tertius: Piſis res perditas, Lucenſes quoque ad arma convolâſſe, Carcerem effregiſſe, Caſtruccium è vinculis eduxiſſe & Principem Civitatis ſalutâſſe. Ugocio comploratis Regibus cum prætorianô milite ad Canem Scali-

gerum

gerum Veronam confugit, non ſine honore atque benevolentiâ recipitur & multos dies lautè habetur. In Conviviô forte mentionem facit Scaliger Edonum & Gulonum, cùm gloriabundus ſubjungit Ugocio, ſe juvenem quatuor altiles capos, totidem perdices, aſſas hædi clunes, infertum vituli pectus, præter ſalſamenta cætera in cænâ abſumſiſſe. Aderat tum & audiebat Vir ingenioſus & ſalſus, Petrus Navus, qui gloriantem Fagiolanum facetè tangens: non eſt mirum, inquit, hæc â te juvene adſumpta, cùm ſenex & invalidè dentibus duas urbes integras unô prandiô conſumpſeris. Nam fama erat, Ugocionem, ſi â prandiô citiùs temperare voluiſſet, facilè duas urbes, Lucam & Piſas ſervaturum fuiſſe. Claudius Albinus Imperator, juxta Joh. Jonſton. *Thaumatograph. Claſſ. 10. cap. 2. Art. 3. p. m. 442.* tantum pomorum hauſit, quantum ratio humana non patitur. Nam & quingentas ficus paſſarias, quas Græci Calliſtruthias vocant, jejunum comediſſe, (quod etiam ſupra adduximus) Cordus dicit, & centum Perſica campana, & Melones Oſtienſes decem, & Uvarum Lavicanarum pondo viginti, & ficedulas centum & Oſtrea quadraginta. Item Suidrigellus Dux Lithuaniæ in ſex horas cænam producebat atque centum triginta utebatur ferculis. Ibidem etiam Jonſtonus & Chriſtianus Mathias *Theatr. hiſtor. p. 637.* Timocreontis Rhodii, cujus ſupra mentionem fecimus, Epitaphium apponunt, ſcilicet:

Πολλὰ πιὼν καὶ πολλὰ φαγὼν καὶ πολλὰ κακ' εἰπὼν
Ἀνθρώπους, κεῖμαι Τιμοκρέων Ῥόδιος. Sive:

Multa bibens & multa vorans: mala multaque dicens
Ipſe viris, jaceo Timocreon Rhodius.

Quod Germanus quidam ita reddidit:

Allhier hat ſeine Lagerſtatt
Der ſich nie hat gefreſſen ſatt,
Nun iſt ſein Hunger einſt geſtillt,
Weil ihm das Maul mit Erd gefüllt.

§. 19. De

§. 19.

Infans famelicus.

De Matre & Infante nimiô Appetitu laborante ſequentem Obſervationem annotavit Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lycograph. cap. 2. p. m. 30.* Ruſtica mulier Anglicana tertium gravida doloribus colicis afflicta pulverem ex Inteſtinô Lupi cum aquâ Chamomillæ præſentiſſimô cum levamine ſumit, & reſtituta eodem remediô, præſervationis gratiâ, crebriùs utitur: Cumque id non ampliùs ſupereſſet, ad partes vocat ſtercus & hepar lupinum maximè ſibi commendatum. Ab his tranqville vixit, appetitu immenſum auctô. Parit tandem puellum ſummè famelicum, cui cùm binæ genitricis mammæ lacte diſtentæ non ſufficerent, ſubſtituta adhuc alia in eodem pagô nutrix, cujus infans nuper deceſſerat; Verùm ne ſic quidem ſatiari poterat puſio. Demum datô ei vinô parciùs egit rariusque ſuxit.

§. 20.

Plura exempla.

Plura Edonum ſeu voracium exempla congeſſit Melchior Sebizius *de Alimentor. Facultat. Lib. 5. p. 1360. ſeq.* Chriſtian. Warliz. *de Morb. biblic. p. m. 47.* Joh. Jonſton. *Thaumatogr. Claſſ. 10. cap. 2. Art. 3. p. 442.* Henr. Mund. *de Aëre vital. p. m. 99.* Dan. Hartnacc. *Admirand. phyſic. p. 483.* Joh. Helwig *Obſ. 79. Schol. p. 246. ſeq.*

§. 21.

Bulimia in aſinis in Canibus

Accidit etiam Bulimus equis & aſinis, maximè cùm Caricas aut Mala geſtant, &, quod maximè mirum eſt, de omnibus, quæ eſui ſunt, uti ex Plutarchô refert Philippus Camerarius *Horar. ſubciſ. Cent. II. Cap. 93. pag. 360.* Unde inquit etiam Claudius Ælianus *Hiſtor. Lib. I. cap. 27.* Eryſichthonem, Myrmidonis filium, ob eam cauſam, quod ſupra modum vorax fuerit, aſinum fuiſſe appellatum. Canes autem voraciſſimos atque famelicos eſſe, ex ipſâ famis caninæ denominatione apparet. Canis etiam venatica quinque vel ſex diebus ante editos

tos fœtûs ſuos tantâ afficiebatur famis præternaturalis violentiâ, (licet quotidie ad ſatietatem uſitatô alimentô nutriretur,) ut repertos alterius canis catulos omnes, quatuor quinqueve devoraret, & ipſam canem catulorum matrem adoriretur, qvæ adjuta rabiem ejus effugit. Vid. Henric. Oldenburg. *Act. Philoſoph. An.1667. Menſ. Novembr. p. 447.*

§. 22.

Qvibus præter Lupos adhuc annumerari debet voraciſſima illa fera ſeptentrionalis, Gulo ſeu Polyphagus, Germanicè Vielfraß dicta, juxta Jul. Cæſar *de Subtilit. Exercit. 203. p. 620.* vocatur etiam hæc beſtia Roſomacha, qvod Nomen Sclavum eſt; Svecii Jerff dicunt, Germani Wildfraß, ipſe Scaliger jocô Vulturem qvadrupedem conſuevit appellare, cadavera namqve mirô certoqve odore ſectatur. Hoc tamen vocabulum Germanicum Joanni Scheffero *Deſcript. Lappon. cap. 29. p. 339.* diſplicet, cùm non devorantem multa, ſed ſylveſtria & fera, notet. Wild enim Germanis ferum ſignificat. Itaqve vel non intellexit ſatis Scaliger Germanicum vocabulum, vel qvod magis putat Schefferus, amanuenſis aut typographus ſcripturam ejus minus probè ſecutus eſt. Qvod ex eô qvoqve patet, qvoniam Gulo non feras modò conſectatur, ſed & animantia domeſtica, ut in Sveciâ non ſemel eſt compertum; imò aqvatilia qvoqve, cum in aqvis degere non infreqventer ſoleat. Eodem locô Schefferus de Gulone adhuc ſeqventia refert: Sunt Gulones non infreqventes apud Lapponas. Caput habent rotundius nonnihil, dentes validos acutosqve ſimiles lupinis, corpus amplum, pedes breviores, qvales lutrarum ſolent eſſe. Pellis eſt nigerrimi Coloris, de qvâ veriſſimè Olaus Magnus: candet fucatâ nigredine, inſtar panni Damaſceni, diverſis ornata figuris. Sunt, qvi Zabellinis pellibus qvodammodo æqviparent, niſi qvòd habeant delicatiores molliores qve pilos Zabellinæ. Animal ipſum non in terris modò tegit, ſed plerumqve *in Gulone.*

etiam in aqvis, ritu lutrarum, qvanqvam majus ſit & validius. Unde aliqvi ad lutras referunt, qvippe qvarum æqvat magnitudinem vel ſuperat. Neqve cedit Voracitate, qvinimò antecellit, unde nomen etiam accepit. De Gulone Conradus Geſnerus *Lib. I. de Qvadruped. vivipar. fol. m. 623.* ex Matthiæ â Michou Deſcriptione Sarmatiæ Europææ ſeqventia refert: In Lithuaniâ & Moſcoviâ eſt animal, voraciſſimum & inutile, qvod alibi non comparet, Roſſomaka nominatum, magnitudine canis, facie Catti, Corpore & caudâ vulpinis (Hyæna videtur, qvaſi ex lupô & vulpe compoſita) colore nigrô: Cadaveribus veſcitur. Inventô cadavere tantum vorat, ut extendatur & infletur Tympani inſtar: itaqve anguſtiam aliqvam inter arbores ingreditur, & per vim ſeipſum intrudit ac Ventrem premens ſtringens exonerat, ut violenter ingeſta violentiùs egerat: ſic extenuatum rurſus ad Cadaver properat & rurſus impletur, ita ut viciſſim de cadavere, qvantum poteſt, devoret & excernat, donec totum abſumpſerit. Et forſan natura tam inſatiabile animal in illis regionibus producit, ut homines ſimili voracitate laborantes redarguat. Qvoniam potentes cùm convivari cœperint, ſedent à meridie in medium noctis, continuô cibô & potu ſe opplendo, &, cùm natura exigit, ſurgendo â menſâ, ut egerant, & rurſus ſe ingurgitent, idqve ad vomitum usqve & rationis ac ſenſûs amiſſionem, ut ingvinis & capitis, qvæ ſint diſcrimina, tandem neſciant. Eſtqve illa conſvetudo perniciosa in Lithuaniâ & Moſcoviâ, magis verô absqve pudore in Tartariâ. Sed utinam intra illas tantùm gentes plus qvàm belluina illa ingurgitatio circumſcriberetur, nec Germaniam noſtram invaſiſſet, in tantum, ut qvò nobiliore qvisqve natus eſt locô, eò bibacior & voracior dies noctesqve tranſigat, atqve interim & nobilis, & bonus, & Chriſtianus haberi diciqve velit, cùm ne hominis qvidem ſecundum rationem, nedum Chriſtiani ſecundum pietatem, imò neqve

belluæ

belluæ ſecundum naturam viventis vitam tueatur. Nam utut Hyæna aut Crocuta & alia qvædam pauca Naturæ monſtra huic tam immani vitio obnoxia ſint, pleraque tamen omnia bruta in cibô potuque Naturæ modum nunquam excedunt, ne verberibus qvidem aut ullis illecebris, ut id faciant, adigenda. Inqvit etiam Georgius Abrahamus Mercklinus in Hiſtoriſch *Medicini*ſchen Thierbuche *cap.34. p.m. 233.* Gulones tantô in Carnem humanam ferri appetitu, ut ſi ejusdem participes fieri non poſſint, defunctorum atque ſepultorum hominum Cadavera è terrâ eruant, & dicto modô iisdem ſe impleant. Juxta verba Gaſparis Schotti *Phyſic. curioſ. Lib. 8. cap.39. p.886.* veſcitur Gulo perlibenter cadaveribus, tantumque vorat ut tympani inſtar infletur; tuncqve anguſtiam duarum rupium aut arborum ingreditur, & ventrem comprimendo extrudit per infernas ſupernasque portas excrementa, rurſumque ad Cadaver properans impletur denuò. Vera helluonum idea. Pellis coloris eſt ſplendidi & quaſi floribus diſtincta.

§. 23.

Voracitatis cauſa.

Tantæ autem Voracitatis cauſam in dictâ beſtiâ, Polyphagô, plerique Autores exinde petunt, quia primò in Gulone Ductus cholodochus non in Inteſtinum duodenum, uti aliàs in brutis & homine obſervatur, ſed in ipſum Ventriculum ejusque fundum implantetur; talis autem ductûs in ſtomachum inſertio, bilisque per eundem in Ventriculum ingeſtio, tam in brutis, quam hominibus, ſecundum paulò ante §. 7. allegata exempla, nimium Appetitum atque Voracitatem inducat. Deinde quia in Gulone non niſi unicum (uti dicunt) ſive ita parvum, ut â Ventriculi pylorô absque anfractibus & gyrationibus rectâ ad anum tendat, reperiatur Inteſtinum, uti de voraciſſimis tum animalibus v. g. lupis cervariis & cervis aquatilibus, tum ipſis hominibus, paulò ante §.14. ex Joh. Riolano, Theophilo Boneto, Petrô Dionis atque Othone Heurniô

 adduxi-

adduximus. Quibus addendum, quod de Gulone refert Thomas Bartholinus *Centur. 4. Hiſtor. 30. p. m. 292. ſqq.* poſt verba ſcilicet ſupra ex Gesnero à nobis recenſita ita pergens: Hiſtoriam Gulonis breviter concinnavit Apollonius Menabenus. Figuram ex Olaô mutuatus eſt Gesnerus *Lib. I. de Qvadrup.* Sed ipſi non viderunt. Animal ipſum Joan de Laet Vir celeberrimus & amicus olim ſecari vidit â Petro Paviô, in quô, ut mihi teſtabatur, præter admirabilem cum humanô Corpore ſimilitudinem, hæc tria admiranda obſervavit: 1.) Ductus umbilicalis nusquam apparuit, unde mirabantur, quomodo in Uterô nutrimentum poſſit accipere. 2.) Cùm omnia bruta ligamentô ſuſpenſoriô Jecoris ab homine differant, hujus animalis Jecur validiſſimè ligamentô diaphragmati nectitur, ideoque etiam cùm hominis internâ Jecoris conſtitutione conſentit. 3.) Cùm Inteſtina tam humana, quàm brutorum partim in tenuia & craſſa, partim in ſex partes dividantur: in hôc brutô nihil tale apparuit; Sed Inteſtinum ab exortu usque ad exitum undique ſibi ſimile figurâ inventum, nec formam ullô pactô mutari; quæ cauſa eſt, quòd hoc brutum ingeſta compreſſu abdominis egerere poſſit, quum & cæcô careat Inteſtinô, & reliqua recta ſint.

§. 24.

Obſervatio de Gulone.

Qvantum autem fidei his, de Gulone, Voracitatis cauſis habendum ſit, avtopſiâ edoctus Benevolo Lectori ſeqventibus exponam. Anno 1715. die 3. Aprilis huc Dresdam afferebatur, in noſtris Regionibus rarisſima & fortaſſe nunquam viſa, ab omnibus Venatoribus Polyphagi (Vielfraß) nomine appellata beſtia, ſexus feminei, quæ paulò antè in Sylvis Saxoniæ, Bohemiæ conterminis, globô trajecta fuerat; cujus ſecandi licentiam â ſupremô tunc temporis Aulæ noſtræ Venatore ab Erdmansdorff, cui per longum temporis ſpatium â conſiliis medicis fueram, impetrabam. Apertô proinde feræ hujus

hujus abdomine, ante omnia Inteſtina cum ductu cholodocho indagans horum ſtructuram & conformationem non in unicô, ſic dicto, ſeu recto Inteſtino parvo, ſed qvoad longitudinem & circumgyrationes cum aliis animalibus utplurimum conformem, nimirum Ventriculum, aliqvatenus expanſum, mollem tamen, deinde reliqva Inteſtina cum ſuis anfractibus atqve gyrationibus naturalibus, (excepto proceſſu iſtô Vermiculari, qui vulgò Inteſtinum cœcum appellari ſolet, in hac autem ferâ deerat,) uti in aliis qvadrupedibus offendebam. Porro Ventriculi paululum expanſi tunicæ non adeò erant craſſæ, ſed tenuiores, ejusque Cavitas multis osſibus atque tendinibus, ſibi invicem adhuc adhærentibus, ſuccôque quodam digeſtivo, inſtar chymi, repleta. Deinde in toto Inteſtinorum tractu nulla reperiebantur excrementa ſtercorea ſeu fœtida, qvalia in canibus & aliis, Carnem & Oſſa vorantibus, animalibus conſpici ſolent, ſed ſolummodò Oſſa comminuta cum partibus tendinoſis; & quidem in Inteſtinis tenuibus, quæ non adeò impleta, ſed, reſpectu craſſorum Inteſtinorum, ferè vacua erant, Osſium fragmenta majora deprehendebantur; craſſa econtra Inteſtina ſcilicet Colon & rectum, (quorum ſubſtantia erat crasſior, Colon etiam valvulis conniventibus carebat,) minoribus fragmentis oſſeis, inſtar ſabuli majoris, vel arenæ crasſioris, ſeu glareæ, ita erant infarcta, ut materia in iſtis contenta atque tunicas nimium qvantum expandens, digitis vel manibus minimè protrudi vel expelli poſſet; ſiqvidem talia ſic dicta excrementa oſſea, (qvorum Color erat ſubviridis, odor verò tædioſus & ſubamarus) adeò ſicca & friabilia reperiebantur, ut digitis conterere eadem facillimè liceret. Ex quâ ratione etiam, tonum fibrarum inteſtinalium earumque motum periſtalticum, pro expellendis his induratis oſſeis & compactis excrementis, vix ſufficientem eſſe, ſed majorem atqve erternam vim (uti Autores de rupibus & arboribus anguſtis ſcribunt) *Inteſtina.*

ad eorundem expreſſionem ſimul reqviri, non adeò fabuloſum mihi videtur.

§. 25.

Ductus Cholodochus. Deinde, quod alteram Voracitatis ab Autoribus adductam cauſam, ductum ſcilicet Cholodochum, attinet, ejusdem inſertionem in hoc Polyphagô, minimè in Ventriculi fundum aut alibi ejusdem loci, ſed, uti in canibus, in Inteſtinum duodenum implantatam obſervare licuit; ut adeò Voracitatis Cauſa neque in unico ſic dicto parvo vel recto Inteſtinô, neque in extraordinariâ bilis in Ventriculum effuſione, in hac diſſectâ beſtiâ qværenda, ſed potius â peculiari Ventriculi Menſtruô derivanda videatur.

§. 26.

Reliqvæ partes. Reliqvæ hujus feræ partes internæ cum aliorum animalium Viſceribus conveniebant, niſi quod Epar & pulmones in plures lobos ſeu inciſuras dividebantur. Liqvor Veſiculæ bilis admodum erat dilutus. Uterus cum cornibus naturalis. Dentes erant fortes & anteriores acuti. Inciſores conſpiciebantur numerô duodecim, qvatuor canini & ſedecim molares. Denique etiam in hoc animali ſat magna pingvedinis copia tam externè, qvàm internè apparebat.

§. 27.

Externa figura. Qvoad externam figuram noſter Polyphagus circa Caput & faciem non æqvè Cattis & felibus, uti Geſnerus & alii Autores ſentiunt, ſed aliqvatenus juniori urſo, erat ſimilis; aures erant parvæ, oculi non admodum magni, collum ſatis longum & craſſum; ipſius autem Gulonis longitudo erat Ulnæ unius & octo pollicum; altitudo verò ab anteriorum pedum extremitate usque ſupra ſcapulam ſive ad dorſum (biß über das Buch) ſedecim pollicum, & a pedum poſteriorum extremitate usque ad medium ſpinæ dorſi, ſive os ſacrum (an denen Hinterläufften biß an das Creutz) octodecim pollicum. Cauda, quæ

quæ vulpinæ vel lupinæ non erat diſſimilis, niſi quod circa finem non eſſet acuta, ſed potius lata multisque pilis ornata, longitudinis erat octo pollicum, quæ ad ſuperiorem feræ longitudinem addenda erit. Pedum anteriorum Oſſa erant craſſiora; In quolibet pede qvinqve erant digiti cum ungvibus acutis, quorum primæ articulationes a quibusdam Autoribus membranâ qvadam, qvalis in caſtoribus & lutris, juxta Georgii Abrahami Mercklini Hiſtoriſch= *Medicin.* Thierb. *p. 11.* & Joh. Amos Comen. *Orb. pict. cap. 32.* reperitur, connexæ recenſentur, eâque de cauſâ Gulones ad Caſtores vel lutras, & amphibia referuntur, quod, ſecundum Joannis Schefferi locum ſuprà allegatum, præter feras & animantia domeſtica, aqvatilia quoque conſectentur, & in aqvis degere non infreqventer ſoleant. In noſtrô autem Gulone talismodi membranam, pedum digitos connectentem, minimè obſervare mihi licuit, qvapropter etiam Gulo minimè amphibiis annumerandus mihi videtur, imprimis cùm in ipſius inteſtinis nil niſi partes duriſſimas, oſſeas ſcilicet atque tendinoſas, in ſectione deprehenderim.

§. 28.

Cùm autem inter modò ex Thomâ Bartholinô allegatam Petri Pavii ſectionem cum relatione de peculiari Inteſtinorum ſtructurâ, (cui multi Medici ſubſcribunt) & inter hanc meam Obſervationem tanta ſit differentia, fortaſſe qvis dubitare poſſet, an hoc, in aliûs Medici noſtratis U. G. Bucheri, beatæ memoriæ, & aliqvot ſagacium Aulæ noſtræ Venatorum præſentiâ, diſſectum animal reverà Gulo ſeu Polyphagus fuerit, nec ne? Qvia tamen non modò in Ventriculô ſed etiam Inteſtinis, oſſa vel potius oſſea excrementa, manibus non extrudenda, contra Obſervationem in aliis, oſſa & carnes vorantibus animalibus, in noſtrâ hac beſtiâ reperiebantur; Deinde etiam qvidam præſentes Venatores, per tempus in Poloniâ & Moſcoviâ *An fuerit Gulo?*

com-

commorati, eandem pro Gulone agnoſcebant, & poſtmodum Pellio aulicus, cui dicti animalis pellis elaborationis & conſervationis gratiâ admittebatur, eandem, ob freqventem ejusmodi pellium emptionem & venditionem, ſtatim agnoſcebat, de Veritate Gulonis dubitare nolo, quod etiam tam ex Icone depictâ, quam ejusdem exſiccatâ atque in Regiâ noſtrâ Aulâ Venatoriâ reſervatâ pelle ſimulque depictâ apparebit, cum hac ſubſcriptione: Anno 1715. den 3. April iſt im Ambte Frauenſtein auffn Töpffer im Hirſchbrunnen dieſer Vielfraß im Wolffzeuge eingeſtellet und geſchoſſen worden. Hat gewogen 39. Pfund.

§. 29.

Bibones. Deniqve cùm inter hactenus recenſitos Edones nonnulli non ſolum voracitati, ſed ſimul etiam bibacitati, admodum fuerint dediti, atque nec cibis nec potulentis ſatiari potuerint, non immeritò alia adhuc Bibonum, vel, uti aliis audiunt, Biberonum, exempla annectenda erunt. Scilicet juxta Claud. Ælian. *Hiſtor. Lib. 12. cap. 26. fol. m. 482.* vinoſiſſimi omnium hominum fuiſſe traduntur Xenagoras Rhodius, qvem Amphoram vocabant: Heraclides pugil. Proteas Lanicæ filius, cum Alexandrô Rege ſimul educatus. Alexander etiam ipſe præ reliqvis hominibus vinoſus extitiſſe dicitur. Imprimis autem de bibacibus & vinoſis agit Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. 3. cap. 6. p. m. 201. ſeq.* ex qvô ſeqventia referam: Perſarum Reges in more habebant freqventius ſuper epulas bibere; qvi mos durat apud multas nationes. Ægyptii olim vino admodum dediti fuerunt. Græci fuerunt bibaces, & pluris fecerunt vinolentiam, qvàm opes, qvia non habebant aliam voluptatem honeſtiorem & parabiliorem. Proinde ad Vinum confugiebant, indeqve ingentia pocula ipſorum præſertim magnatibus familiaria fuerunt. Hodie apud Germanos viſuntur Vaſa potoria, qvæ plus qvàm duos choas capiunt; qvibus hoſpites

tes & externos liberaliſſimè invitant & proluunt. Ebrietas enim apud eos probroſa non eſt, qvemadmodum neqve apud Pleumoſios, Flandros dictos, & Belgas, Annonios: qvorum fœminæ in gloriâ habent vinô ſoporari. Diebus feſtis Græci, inferias agentes, poculis certabant: & qvi cæteris præbibebat, πρώμαχος nuncupabatur, qvaſi præpugnans, qvatuorqve choas ebibebat. Crematô Calanô Alexander convocatis amicis ac ducibus ſolenne convivium inſtituit, in qvô vinariæ potationis certamen indixit, Victori Coronam proponens. Bibaciſſimus omnium Promachus qvatuor ingurgitans congios, palmam retulit uniusque talenti coronam accepit. Verùm qvatuor tantùm dies ſupervixit. Cæteros verò, quos unum & triginta fuiſſe Chares tradidit, bibendo animam exhalaſſe ferunt. Romani tricongium Torqvatum appellarunt, â tribus unô impetu congiis exhauſtis: & bicongium â duobus congiis, Ciceronis filium, qui interfectori patris Antonio hanc laudem præripuit, qui ſuæ ebrietati volumen peculiare dicavit. Xenarchus Rhodius, Metretes eſt dictus, â potatione immodicâ. Maximinus pater amphoram Capitolinam ſiccabat ſæpe in die. Amphora verò octo congios capit ſeu duo de qvinqvaginta ſextarios. Tiberius ignotiſſimum qvæſturæ Canditatum nobiliſſimis antepoſuit, ob epotam in conviviô, propinante ſe, Vini amphoram. Nec alio magis Druſus filius eum regenerâſſe ferebatur. Idem Tiberius miraculi gratiâ ſpectavit tricongium illum bibentem & usque ad Proconſulatum è præturâ honores geſſiſſe vidit ſenex ille ſeverus & aliàs ſævus. Qvin & eodem nomine atque oſtentatione prodigioſâ bibendi L. Piſonem Urbis Curatorem delegit, quod biduo duabusque noctibus per potationem continuâſſet apud ipſum jam principem. Porrò ipſi juventa pronior fuit ad merum: unde & pro Tiberiô Biberius, & pro Nerone Mero vulgò nuncupatus eſt. De quodam Vini potatore reperitur, Syracuſis tamdiu

potare ſolitum, donec ab eô cooperta ova in terrâ fœtum ederent. &c. Imperator Aurelianus freqventer Bonoſum in aulâ habuit, qui bibit, quantum hominum nemo. Huic Aurelianus Hunilam, nobili gente Gothicam mulierem, nulla aliâ de cauſa uxorem dedit, quàm ut ejus indicio Gothorum omnia conſilia & arcana cognoſceret. De hoc Aurelianus dicere ſolitus: Non ut vivat natus eſt, ſed ut bibeat. Si qvando legati Barbarorum ad Bonoſum veniſſent, ipſis propinabat, ut eos inebriaret, & ab his per Vinum omnia cognoſceret, & extorqveret veritatem. Qvantumlibet bibiſſet, ſemper ſecurus videbatur & ſobrius. Præterea tantum mingebat, qvantum biberat, ſic ut ejus veſica nunquam gravaretur. Poſtea cùm â Probô ſuperatus laqveô vitam clauſiſſet, emanavit jocus, Amphoram pendere, non hominem. Vid. Chriſtian. Matthiæ *Theatr. hiſtor. p. m. 637.* ubi addit: Certè ejusmodi hominum (ſi modo homines, non amphoræ doliave pertuſa, nominandi ſunt) ſepulchris inſcribendum eſſet Epithaphium cujusdam Paraſiti, repertum Romæ extra portam Capenam, ubi olim ſepulturarum monumenta apud Veteres Romanos poſita erant, quod eſt ejusmodi:

Heus hîc ſitus eſt Ofellius
Bubalus bibulus, qvi dum
Vixit, aut bibit aut minxit.
Abi præceps.

De Novelliô Torqvatô, cujus paulô antè mentionem feci, ita ſcribit C. Plinius *Natural. Hiſtor. Lib. 14. cap. 22. fol. m. 250.* Torqvati rara gloria (qvando & hæc ars ſuis legibus conſtat) non labâſſe ſermone, nec levatum vomitione, non alterâ corporis parte, dum biberet, matutinas obiſſe vigilias, plurimum hauſiſſe unô potu, plurimum præterea aliis minoribus addidiſſe, optimâ fide non reſpirâſſe in hauriendô, neque ex puiſſe,

nihil-

nihilque ad elidendum in pavimentis ſonum ex Vinô reliqviſſe, &c. Hercules Craterem trium lagenarum capacem, qvem Pholus ipſius hoſpes prior obbiberat plenumque in manûs acceptum ori admovens pariter obbibit. Et Lityerſes totum vini dolium uno die ebibendo vacuavit triumque clitellariorum aſinorum onus, panes devoravit. Vid. Henr. Salmuth. *Annotat. in Gvidon. Pancirot. Rer. memorab. Lib. 2. Tit. 2. p. m. 100. ſeq.* ubi etiam meminit, Herculis poculum tantæ capacitatis fuiſſe, ut tam in eo navigare, qvam etiam bibere ex eo potuerit. Erat autem Lagena vinarium vas, ſed fictile, in qvô vinum aſſervabatur, in conviviis deplendum. Quòd ſi Crater ille trium lagenarum capax fuit, oportuit etiam ita amplum fuiſſe, ut Urnam, hoc eſt, qvatuor & viginti ſextarios, caperet. Item dolii a Lityerſe unô die ebibiti capacitatem idem Autor his verſibus & verbis explicat.

At filius Midæ Celænes nothus
Qva matre, dubium eſt, ipſa noverit parens,
Tres qvantum aſellos prægravet, panes vorat
Brevi die, ſimulque deterget bibens
Juſtum Cadum, decem amphorarum dolium,
Redditque jumentis onus portatile.

Amphoræ duæ, ut Georgius Agricola collegit, ſextarios duos & ſeptuaginta continent. Qui igitur dolium decem amphorum epotarit, is trecentos ſexaginta ſextarios in inexhauſtam alvi voraginem demerſerit, quemadmodum rectè concludit Hadrianus Junius, &c. Et Congius cujus aliquoties mentionem fecimus, cepit olim libras decem. V. Joh. Jonſton. *Thavmatograph. Claſſ. 10. Admirand. Homin. cap. 2. Art. 4. p. m. 444.* ubi etiam meminit, in Nuptiis cujusdam Nobilis, tempore Lipſii, quendam ſex Congios; & Camaterum Logothetam duos Congios ſimul exhauſiſſe: Integrum quoque Vini Ca-

dum einen Ohmen, aut Eymer, unô in prandiô exhaurire potuit Baro quidam in ſuperiori Sileſiâ ante aliquot annos vivens, qui etiam tam inſignis fuit roboris, ut ferreas eqvorum ſoleas & ſolidos Imperiales ſolâ manu rumperet, tres homines unâ vice detineret, binos ſub brachiis & tertium dentibus ipſius veſtibus infixis. Idem in venatione Eqvô excuſſus dum in terrâ proſtratus jaceret, Aprum ingentis magnitudinis irruentem unâ manu, pilis ſub mentô irreptis, in curſu retinuit, alterâ manu verò gladiô pectori violenter intruſô confodit: item jam ſeptuagenarius, cùm â militibus invaderetur, duos ex illis ita unicô pugnô excepit, ut mortuos in terram proſterneret & ſe liberaret, &c. uti refert Philippus Jacobus Sachs â Lewenheimb *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 98. p. m. 228.* Illorum, qui ligatis cruribus & brachiis amphoras plurimas abſorbent easque perpetuo mejunt, meminit Hieronymus Cardanus *de Rer. Variet. Lib. 8. cap. 40. p. m. 508.* ubi etiam Militis tribuni meminit, qui Vinum immotô gutture hauſit: Id quod etiam in Muſico quodam inſtrumentali, virô parvô, ſed potatore magnô, obſervare mihi contigit. Diotimus Athenienſis vocabatur Chone, id eſt, infundibulum, qvoniam eô appoſitô ori inceſſanter infuſum hauriret vinum. v. Lud. Cæl. Rhod. *Lection. antiqv. Lib. 24. cap. 6. f. m. 921. & Lib. 29. cap. 1. f. 1107. ſeq.* v. etiam Alex. Benedict. *de Re med. Lib. 22. cap. 4. f. 398.* Ejusmodi ſtrenuis potatoribus annumerandus quoque eſt ruſticus quidam natione Bohemus, poſtea miles, qui intra trium horarum durationem Cereviſiæ ducentos & octoginta Canthatos exhauſiſſe dicitur, ſponſione factâ ducentorum Joachimicorum, quos & lucratus eſt. Ita nimirum proceſſit: Per triduum inſtituit jejunium nihilque potûs, præter Oleum Olivarum, adſumſit; poſthac usque ad axillas infodi ſe in terram, beneque illâ iterum muniri curavit, adhibitô ori doliô Cæreviſiæ multum ingurgitavit, quô peractô quatuor panis fruſtula come-

comedit, effodi iterum ſe juſſit, dimidiamque horam ſomno indulſit, emiſſâ ſtatim in eâdem quantitate Cereviſiâ per Urinam. Hiſce peractis modum hunc repetivit, ſponſionemque ita depoſiti vicit. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſ. Curioſ. Obſ. 73. Schol. p. m. 176.* Viro cuidam in ætatis flore poſt dolores nephriticos in Diabetem incidenti difficile non fuiſſe ſingulis ſeptimanis dolium dimidium Cereviſiæ ingurgitare, refert Fridericus Ruyſchius *Obſ. 13. pag. m. 19.* Non poſſum, quin ex Pauli Ammanni *Irenic. p. 182.* ipſiſſimis ipſius verbis ſequentem Obſervationem annectam: Eine Böhmiſche Gräfin von 63. Jahren, ſchwerfälligen Leibes-Conſtitution, ſo gar, daß ſie bey fünff Centner wieget, ſonſt mit Suffocationibus und Catarrhis beladen, iſt den 14. Septembris 1674. jählingen Todes geſtorben, auch neben ihr eine alte Jungfer bey 60. Jahren, von Natur gantz hunde-mager in einem Seſſel ſitzend todt gefunden worden. Sie, die Gräfin, hat mit der Jungfer alleine zwey Tage vor ihren Tode über ſechs Pinten, Böhmiſches Maßes, des beſten Spaniſchen Weines zuſammen ausgetruncken, an ſtatt Biſcoten, zu jedweden Pint drey groſſe weiße Semmeln eingetuncket und gegeſſen, auch bey dem letzten Nachtmahl einen gantzen Reh-Schlegel mit Sardellen-Suppen zugerichtet, völlig verzehret; wie denn auch, als man die Gräfin aus dem Bette gehoben, daran zehen Perſonen zu thun gehabt, ihr über ein Seidel puren Spaniſchen Weines aus dem Munde gelauffen. Patrum memoriâ Shanus O-Neal, potens Ultoniæ in Hibernia regulus, crudeli, quod in Anglos conceperat, odiô clariſſimus, quippe qui & Caſtrum, quod in lacu Eangh conſtruxerat, Feoghnegall, id eſt, Odium Anglorum, nominavit, quosdam è ſuis ſtrangulavit, quòd Anglicô pane veſcerentur: ille vero, qui Patrem Dominatu, fratrem nothum vitâ ſpoliaverat, homicidiis & adulteriis contaminatiſſimus, helluo maximus, tantâ contentione & ſtudiô ebrietati famulabatur, ut ad Corpus Vi-

nô & aquâ Vitæ immodicè hauſtâ inflammatum refrigerandum ſæpius mento tenus terrâ conderetur; ſicuti & inter pocula poſtea fuit contrucidatus, juxta Thom. Lanſii *Conſultat. Orat. pro German. p. m. 951. ſeq.*

CAPUT II.

De Appetentiâ incongruorum, ſive Picâ & Malaciâ.

§. 1.

Appetitus depravatus.

EGimus in Capite antecedenti de nimiô Appetitu, & qvidem utplurimùm erga Cibum & potum ordinarium, ſive de Voracitate & bibacitate; progredimur nunc ad Appetitum depravatum ſive præternaturalem, qvô nonnulli non ſolùm inſolita, incongrua, & â qvibus aliàs Natura abhorret, ex Appetitu vitioſô & pravâ aſſvetudine, præ ordinariis alimentis, appetunt atqve in deliciis habent; ſed etiam conſveta tam eſculenta, qvàm potulenta in magnâ & extraordinariâ qvantitate aſſumunt.

§. 2.

Vocatur Pica vel Malacia.

Solet autem talismodi Appetitus depravatus â Medicis communiter Pica, & qvidem ab ave ejusdem nominis, (de qvâ Denominatione videatur Bernhardi Albini *Diſput. de Pica Anno 1691. Francofurt. ad Viadrum habit. Theſ. I. pag. 5.*) vel etiam Malacia vocari, eſtqve affectus Feminis, utplurimùm gravidis, familiaris; hinc etiam Gallis l'Appetit des femmes, & Germanis das Gelüſten ſchwangerer Weiber audit, & Theo-

Theodorus Zwingerus *Theatr. Prax. med. Part. poſter. p. m. 387.* non niſi prægnantes Fæminas tali affectu laborare ſcribit; Interim tali Picæ alias quoque ſexûs fæminei perſonas, & quidem tam puellas & virgines, imprimis Chloroſi & Menſium emanſione laborantes, quàm Vetulas, ſeu ſexageſimum & plures annos, ſuperantes eſſe obnoxias; imò non ſolùm in ſexu ſeqviore, ſed maſculinô quoque hunc abſurdarum rerum appetitum obſervari, proximè adducenda exempla confirmant.

§. 3.

Nonnulli tamen Autores Picæ & Malaciæ denominationes diſtingvunt, ita ut, quando â fæminis minùs alimentoſa, aut hæc vel illa alimenta magnô atque inordinatô deſideriô, extra graviditatem expetuntur, talem affectum Picæ, in gravidis verò Malaciæ nomine appellare ſoleant. Alii verò Autores binos hos affectûs paulò adhuc aliter â ſe invicem diſcernunt, certorum ſcilicet uſualium ſeu conſuetorum ciborum extraordinario & inconvenienti deſiderio, quandoque cum animi quaſi impotentiâ fæminas vexanti, Malaciæ, rerum verò inſuetarùm, vitioſarum atque â naturâ humanâ alienarum appetitui, Picæ nomen imponendo. *Differentia,*

§. 4.

Cauſam hujus affectûs Medici, præſertim veteres, a vitioſis vel malignis Ventriculi humoribus, ipſius tunicis inhærentibus, & quidem vel ex pravâ Victûs ratione & malâ coctione ortis, vel ab aliis partibus, v. g. in virginibus, Chloroſi laborantibus & uxoribus gravidis ex Uterô, in Viris verò, hôc affectu vexatis, ab Epatis & Lienis obſtructionibus, ortis derivant; nonnulli eandem in peculiari & ſpecificô quodam quærunt fermentô, quod certô modô nervos afficiendo faciat, ut animæ talis repræſentetur cibus. Cùm in picantibus deſiderium illud non niſi in certum aliquod corpus feratur, aliis æquè notis, & eâdem, quinimò majori virtute, peccans nempe fer- *Picæ cauſa.*

mentum

mentum emendante, præditis nullô modô expetitis, aut etiam noxiâ planè qualitate quæ ſunt inſtructa, deglutitis, res inſuper totâ naturâ ſuâ inſuaviſſimæ cùm pro delicatiſſimis utplurimum habeantur, quandam Phantaſiæ læſionem concurrere, & circa objectum expetitum revera delirium & mentis imbecillitatem adeſſe, Lucæ Schrœckio, Lucæ filio, probabile videtur; quamvis in cæteris ſuis actionibus tales non deſipiant &c. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 47. p. 77.* Scribit etiam Johannes Dolæus *Encyclopæd. medic. Lib. 5. cap. 6. p. m. 917.* certiſſimum eſſe, peculiarem quandam motionem fieri in nervô ſexti paris, quæ cauſa ſit perceptionis & judicii depravatio; & juxta Chriſtian. Marggrav. *Prodrom. Medicin. pract. Sect. I. Tab. 5. p. m. 6.* concurrit mala perſuaſio, quâ ſibi gratiſſimum fore cibum credunt. De utroque affectu ita loquitur Chriſtianus Johannes Langius *Prax. med. cap. 2. §. 3. Oper. Tom. II. fol. m. 6.* Cauſa utriusque affectûs phantaſticæ impreſſioni ſpirituum debetur, qui in Picâ inepta pro aptis, nauſeoſa pro delicatis, inſueta pro ſolitis eligunt; vel in Malaciâ tam obſtinatè appetunt, ut fœtûs œconomiam aut planè negligant, unde abortus, aut ſaltem ineptam illam ideam Embryonis corpori adhuc tenellô & cereo imprimant, unde ſtigmata. Occaſionem huic Spirituum exorbitantiæ dant aliquando cruditates Ventriculi, aliquando Menſium ſuppreſſio in ſexu fœmineô, utplurimum tamen naturalis ad ejusmodi ineptias inclinatio. Et in annotationibus ſequentia annectit: Quoad cauſam, unde tam ineptus appetitus, unde deſiderium hoc ſummum? in genere moneo, cauſam unicè quærendam in ſpiritibus delinquentibus. Verè eſt delirii ſpecies, dantur tamen deliria etiam aliûs appetitûs, v. g. venerei, item circa alia animi pathemata. Nos potiùs inter deliria hanc appetitûs depravationem retuliſſemus, quoniam verò plurimi Autorum ejus inter Appetitûs vitia meminerunt, & nos illud hôc locô negligere voluimus. Cauſa

itaque

itaque eſt aberrans Spiritus, cui idea ejusmodi delira impreſſa eſt circa Objectum Picæ, quemadmodum Malacia verè etiam delirium eſt, ubi non quidem circa Objectum abberrant Spiritus, ſed circa modum exceſſivum &c. Juxta Theodori Craanen *Obſervat. ſeu Prax. med. Lib. 3. cap. 4. p. m. 412.* contingit Pica præcipuè illis, quibus ſunt debiliores animæ, & quibus mentis ferè nullum eſt imperium in proprias cogitationes, quibusque volupe & præcipuum exercitium eſt, dum in feriis otioſi ſunt, attendere & diſtinguere omnes motuum varietates; quæ accidunt nervis linguæ & ventriculô implantatis, adeoque guſtui & appetitui inſervientibus. Adeò ut hic morbus non nimus ſit morbus mentis, quàm corporis. Atque Medici non eſt tam mentem, quàm ſymptomata Corporis curare. Quòd autem hoc malum gravidis præcipuè ſolet accidere, eſt, quia â Spiritu ſeminis virilis multum alterantur fermentationes ſanguinis, atque ſic fit (cùm peregrinum illud fermentum deponatur in Ventriculum) ut illæ Ventriculi fermentationes multum immutentur, & conſequenter appetitus: quò multum facit, quòd fæminæ, quæ ordinariò magis, quàm viri ſuos affectûs ſeqvuntur, non coërceant tales cogitationes, ſed per petulantiam ſæpe illas foveant, dum putant mulierculæ, ſibi illô tempore, quô gravidæ ſunt, nihil non per laſciviam licere &c. vid. etiam ejusdem Craanii *Tract. de Homin. cap. 122. p. m. 651.* item *Lum. ration. medic. ſeu Prax. medic. cap. 66. p. m. 291. ſeq.* Prolixe & perſpicuè etiam Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 7. fol. m. 30.* Picam & Malaciam ex ſolius Imaginationis errore hincque educto pravô judiciô, ex malâ Cerebri diſpoſitione ſpitituumque pravô motu ortô, non verò ex humorum in Ventriculô ſubſiſtentium vitiô procedere demonſtrat. vid. etiam Joh. Bernhard. Gladbach. *Prax. medic. Ideæ noviſſim. p. m. 258. &c.* Phantaſiam & Spiritûs ad Picam & Malaciam multum conferre dubium non eſt, ſiquidem in ſpirituum

perturbatione quandoque omnis appetitus & fames penitus ceſſant, ut ejuſmodi homines per aliquot dies & ultra nihil planè appetant vel aſſumant; Et ſicut in fame naturaliter præter vellicationem Ventriculi Phantaſia quoque concurrit, uti ex Phyſiologicis ſupponitur, ita quoque in his affectibus vitioſis non prava vellicatio, ſed Phantaſia depravata, quæ appetitum animalem regit, objecta determinat, eorumque deſiderium immediatè magis movet. Hinc etiam illi non adeò ineptè agere videntur, qui Picam inter Melancholiæ hypochondriacæ ſymptomata referunt, potiſſimum cùm ejuſmodi homines utplurimum alia quoque Melancholiæ ſigna præ ſe ferant, & ſimili modô, ſcilicet Phantaſiam tantùm demulcendo, ægrorumque deſideriis aſſurgendo ſicuti, nonnunquam in Melancholicis fieri ſolet, Malum hoc interdum curetur; quale exemplum infra ex Dominicô Panarolô adducemus. Porro Picæ cauſam in cerebrô & ſpiritibus habitare, probant exempla, ubi appetitus non tam ad aſſumenda, ſeu ad Guſtum, quàm alios ſenſûs, v.g. Auditum & Odoratum fertur; qualia exempla, alterum de fragore carbonum pedibus contritorum ex Actis Anglicanis, alterum de Corü odore ex Borellô paulò infra ſequentur. Interim tamen inter cauſas occaſionales frequentiſſimè etiam liquorem Ventriculi corruptum eſſe ſæpiusque forſan fomitem ſuum intra Ventriculum invenire, negandum non eſt. Plura de Cauſis Picæ reperies in Autoribus proximè allegatis, vid. etiam Georg. Horn. *Hiſtor. natural. Lib. 3. cap. 1. p. 156.* Joh. Matthæi *Quæſt. med. 12. p. 59. ſeq.*

§. 5.

Exempla. Varia autem inſueta & abſurda à fæminis gravidis & aliis perſonis Picâ vel Malaciâ laborantibus, extraordinariô appetitu deſiderantur, vel etiam conſueta & ordinaria alimenta in majori copiâ aſſumuntur. *Arena.* v. g. Arena, partim ſcriptoria, partim craſſior ſeu glarea, quale exemplum de primariâ Civis Haffnien-

Haffnienſis filiâ, quæ tenerâ adhuc ætate libenter arenas clanculum ingerebat devorabatque, ſicubi arripiendi dabatur occaſio, recenſet Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſt. 44. pag. m.62.* De Virgine nobili, duodecim annorum arenam ſcriptoriam avidè devorante, vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. Theor. pract. Obſ. 45. Schol. §. 6. p. m. 606.* Ejusdem præter propter ætatis alia Virgo nobilis, nunc Uxor & aliqvot liberorum mater, incompeſcibili erga arenam ſcriptoriam, imprimis atramentô imprægnatam, ferebatur appetitu, ut non ſolùm ex literis ſeu epiſtolis arenam ſcripturæ inhærentem colligeret, ſed etiam ſcribendo literas & maculas majores & minores, qvandoqve ſtudiò factas, arenâ ſtatim obſterneret arenamqve exſiccatam ori immitteret. Imò interdum integræ Chartæ plagulæ ejusmodi maculas ſeu guttas atramenti majuſculas inſtillabat, qvibus deinde tantum arenæ ſcriptoriæ, qvantum qvidem ipſæ imbibere poterant, inſpergebat, ſicqve exſiccando rotulas qvaſi formabat, magno poſtmodum appetitu clanculum deglutiendas. Uxor Barbitonſoris cujusdam in Palatinatu Hydrope laborans inſcia omnibus progreſſa ad fonticulum extra urbem, unde tantum arenæ devoravit, terqve qvaterqve, qvantum manu cavâ complecti unâ vice potuit, & hinc poſt biduum per fluxum Ventris plurimum pituitæ excrevit & ab Hydrope convaluit, uti ex Michaele Neandro refert modo allegatus Bierlingius *Adverſar. curioſ. Obſ. 53. Schol. p. 97.* hujus Caſûs Johannes Langius *Epiſtol. medic. Lib. 2. Ep. 12. pag. m. 550. ſeq.* ſe teſtem ocularem fuiſſe ſcribit. Puellus qvidam Svinfurtenſis ſex circiter annorum, murarii filius, â tempore ablactationis ſtatim arenam, pulveres, Cretam, edere geſtiit, in hypocauſtô humi adhuc ſerpens ex omnibus fiſſuris & angulis pulveres anxiè qvæſivit & deguſtavit, teſte Johanne Michaele Fehr *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 83. p. m. 199. ſeq.* Arenam glareoſam humidiorem orbi impoſitam & è cellâ ab ancillâ ſibi allatum copioſè & Obſervatio.

ſine noxâ in præſentiâ Georgii Segeri Uxor Civis Thorunienſis devoravit. *vid. ibid. An. 4. & 5. Obſ. 143. p. 150.* Fœmina qvædam aliàs bene valens, arenam & lapides molares contritos ingerebat, & ſemper ſecum in ſinu gerebat, & unâ die ſæpe, qvantum menſura librarum duarum, capiebat; imò dicta fœmina affirmabat, ſe jam tantum arenæ, qvantum lapidem molarem æqvare poſſet, devoraſſe, vid. Daniel. Sennert. *Practic. Medic. Lib. 3. Part. I. Sect. 2. cap. 5. p. m. 110.* Mulier prægnans glaream freqventer comedens tuſſim inde intenſiſſimam, Ventriculi dolorem & coctionis læſionem contraxit, uti ex Braſſavolô refert Caſpar Theophilus Bierlingius Theſaur. *l. a.* Nobilitatis Stemmate inclyta qvædam Domina carbones arenamqve comedit, & ſe in illis gratiſſimum dulcorem experiri libere confeſſa eſt, teſte Bernhardo Verzaſchâ *Obſ. 92. p. m. 238.* De Ædituo arenam avidiſſimè devorante vid. Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 6. p. 304.* & Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. f. m. 320.* ubi ædituum magnam inde Valetudinis commoditatem percepiſſe addit. Seqventia exempla annotavit Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 568. ſeq.* Filiola ſeptem annorum â bienniô fermè tantô ferebatur appetitu in arenam, ut omnia atramentaria expilaret, clamqve ubi ubi poterat, devoraret cum voluptate, mirantibus Parentibus & ſcribis arenæ defectum, qvam pro ſiccandis literis copioſam procurabant, donec rem inopinatò animadverteret Præceptor domeſticus, & ob eam rem objurgaret tenellam, indicaretqve facinus parentibus, ſed nimis ſerò. Hanc qvippe voluptatem magnô emerat dolore jamqve aderat Chloroſis, cereusqve pallor non ſolùm per faciem, manûs corpusqve, ſed & labia pallebant, imò ipſæ gingivæ penitus albebant. Aderat laſſitudo, ſomnolentia, interdum præcordiorum anxietas, reſpiratio moleſta cum palpitatione cordis, appetitusqve ad cibos parcus, major ad potum. Oculi flaccidi ad flavedinem aliqvam inclinabant. Aliqvoties

ſponte

ſponte ſuâ filô ligabat digitum acuque perfodiebat, ſed non ſanguis roſeus rubicundusque effluxit, liquor verò melleus vel aqueus potiùs &c. Item Heidelbergæ puer quidam arenam è profluente rivulô copioſè ac avidè devorabat ſine valetudinis noxâ. Joſephus Lanzanus Ferrariæ novit fæminam, quæ, dum gravida eſſet, aliquot libras arenæ maximâ voluptate ac ſine ullô incommodô unâ vice devoravit, & paulò poſt urinam propriam potavit. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 28. p. 32.*

§. 6.

Eodem appetitu etiam Calx parietum, lutum ex macerie & terra fornacum ab aliis deglutitur. Calcem de parietibus terramque fornacum corroſit & hòc modô ventriculum ſatiare conata eſt Illuſtris puella decem annorum, Filia Ill. Alberti Ottonis, Comitis Solmenſis, vid. Greg. Horſt. *Oper. medic. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 7. fol. m. 160.* Puella annos nata quatuordecim ab infantiâ Calcem parietum & laterum fragmenta ſæpe comedebat, neque ab eorum eſu abſtinere poterat. vid. Roder. à Fonſec. *Conſultat. medic. Tom. II. Conſ. 29. p. m. 157.* Picam inſolitam â Matre, geſtationis tempore Picâ laborante, cum lacte in prolem derivatam annotavit Gerardus Arnoldus de Vincquedes *Ephemerid. Academ. Natur. curioſ. Cent. III. & IV. Obſ. 149. p. m. 343.* Dicta ſcilicet proles, cùm annum circiter attigiſſet, avidè unguibus abradere cæpit parietem, calce obductum, eamque devorando, ſummô cum appetitu, in tantum, ut, cùm â ploratu ſiſti neqviret parietemque monſtraret mater, protinus exhilararetur; particulas ejusdem detrahendo & devorando, non ſine ſanitatis detrimentô. Refert etiam Caſpar a Reyes *Camp. Elyſ. jucund. Quæſt. 50. §. 4. p. m. 621.* ſe noviſſe tres pulchras virgines ſorores, ejusdem parentis filias, omnes ex eſu calcis intra triennium ſublatas, quarum ultimam nec primæ nec ſecundæ mors ab illius uſu deterruit. Virgo quædam nobilis quatuordecim annorum pro cibô Calcem in parietibus avidiſ-

Calx, lutum.

ſimè per ſex menſes, usque dum fuerat maritata, aſſumſerat, referente Samuele Ledeliô, vid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 147. p. 323.* Pharmacopolæ filius octo annorum ab aliquot menſibus Picâ correptus Cretam & Calcem muris abraſam avide devoravit nullisque ſeveris comminationibus à tali opere deterreri potuit, teſte Bernhardô Verzaſchâ l. a. Puellam quatuor fere annorum multum Calcis atque luti de parietibus deglubentem & deglutientem vidit Michael Bernhardus Valentini, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 86. p. 187.* De Virgine, quæ annô ætatis octavô vix ſuperatô eſu calcis cum limô & arenâ miſtæ, quâ parietes ferruminare & cruſtare ſolent, ita delectari cæpit, ut ſæpe & citra voluntatem ſuam è pariete illam abraſerit atque deglutiverit, juxta Georgium Segerum *l. a. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 143. p. m. 150.* Nobiliſſima virgo annos octodecim nata, præter Cretam etiam Calcem parietibus deraſam devorans, miram illius dulcedinem & ſvavitatem prædicavit, teſte Philippô Salmuthô *Cent. 2. Obſ. 62. p. m. 88.* Arenam & imprimis lutum ex macerie avulſum avidè ingerebat nobiliſſima qvædam fœmina illudqve Saccharô dulcius ſibi eſſe ajebat, juxta Baldaſſ. Timæum â Güldenklee *Lib. 8. Caſ. 22. p. m. 370.* Puella qvædam duodecim annorum lutum, quô fornaces glutinantur, & Calcem de parietibus abraſam tantô deſideriô devorabat, ut nullis nec verbis nec verberibus, quamdiu vixit, ab iſtô appetitu cohiberi potuerit, teſte Johanne Matthæo, Heſſo, *Obſ. medic. cap. 8. p. m. 137.* Roſini Lentilii Sororis filia vix unum annum egreſſa calcem murariam undique conqviſivit & avidisſimè deglutivit, *vid. M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 106.* Virum qvendam nobilem edendæ calcis vivæ deſideriô jamdiu preſſum, illam tandem pugni magnitudine voráſſe atque omninò recreatum eſſe, nullâ viſcerum offenſione, refert Johannes Fernelius *Pathol. Lib. 6. cap. 3. p. m. 128.* Argillæ eſu fœminam qvandam cacheticam ſatis expleri non potuiſſe, annotavit Hieronymus Reusnerus *Obſ. 69. p. m. 40. apud G. Hier. Velſchium.*

§. 7. Cer-

§. 7.

Cretâ ſubtiliſſime tritâ tantummodò placari & ſatiari potuit puella poſt ſcabiem retropulſam, referente Johanne Michaële Fehr *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 83. p. 199. it. Tr. de Abſinth. p. m. 98.* ubi dicit â repulſâ ſcabie in tantum Cretæ deſiderium puellam hanc incidiſſe, ut nocturni diurniqve ejulatûs non niſi Cretæ præparatæ exhibitione ſiſterentur. Fœminam qvandam gravidam in maximâ copiâ Cretam vorâſſe, refert Petrus Foreſtus *Obſ. medic. Lib. 18. Obſ. 7. fol. m. 141.* De filiô octenni Cretam avide devorante paulò ante ex Bernhardô Verzaſcha egimus. Vetula qvædam, Hortulani uxor, vegeta, robuſta & laboribus aſſveta ſexageſimum ætatis annum jam dudum ſupergreſſa ſingulari & vehementi appetitu comedendi Cretam accendebatur, quô ſubinde creſcente temperare ſibi amplius non potuit, quin quotidie ferè & quidem per ſat longum temporis ſpatium Cretam, ad Drachmæ unius vel alterius, qvandoque etiam tranſcendentem qvantitatem, ſi copia dabatur, inſtar delicatiſſimi edulii & cupediarum devoraverit, ſine tamen notabili noxâ, & licet de utendis medicamentis ſæpius admonita fuerit, ea tamen poſthabuit & præter conſvetam purgationem annuam nihil admiſit, annotante Petro Rommelio *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 15. p. 35. ſeq.* Puella quædam ſeptem annorum voluptuoſâ gulæ titillatione mentisque libidinoſô pruritu tacta nihil magis qvàm Cretam appetens eamque iterum iterumque devorans non modô exinde malè ſe habuit, ſed brevi poſt in morbum, Levcophlegmatia ſic dictum, incidit graviſſimum, juxta Obſervationem Danielis Bſchereri *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 221. p. 344.* De Comitiſſa gravidâ ſubinde Cretam, qvâ ad ſcribendum utimur, per plures ſeptimanas ſat copioſè ſine ullô illius aut fœtûs diſpendio, comedente, & juſtô tempore filiolum optime formatum & pulcherrimum, candidisſimi coloris, in lucem edente vid. Petrus

Creta.

trus Rommelius *l. a. An. 7. & 8. Obſ. 40. p. 63.* Monachum qvendam in Diœceſi Fuldanâ cretam, qvam ſecum perpetuò geſſerat, magnâ voluptate comediſſe ex Oethæo refert Johannes Schenckius *Obſerv. medicin. Lib. 3. fol. 320.* Cretam, rubricam, avidè ingerentis Uxoris exemplum recenſet Baldasſar Timæus â Güldenklee *Lib. 8. Caſ. 22. p. m. 370.* Omnibus rebus candidis mirificè delectata Nobiliſſima Virgo, annos octodecim nata, non ſolùm Cinamomum, Caryophyllos & Semina Saccharô incruſtata, ſed etiam Cretam ânxiè appetendô comedit. Vid. Philipp. Salmuth. *Cent. 2. Obſ. 62. p. m. 88.* Puella procax & vegeta annorum qvindecim & qvæ nondum Menſes paſſa erat, corripiebatur ſcabie, cujus pertæſa moleſtiæ ut & ejus pruritus faſtidioſi, linimentis eam curare ſategit; corripitur hinc brevi pòſt febre anxioſâ, qvâ tandem curatâ redit appetitus minùs conſuetus; præ cæteris enim eduliis ſpeciatim Cretâ ſubtiliſſimè tritâ delectabatur ejusque eſu mirâ voluptate afficiebatur, palam pariter ac clam eam ſuffuratam comedendo: vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. II. Colleg. Conſultat. Caſ. 3. fol. m. 1298. ſeq.*

§. 8.

Terra. Terræ portiunculas inter mundandum triticum repertas indicibili aviditate devorantes fœminas perplures ſe noviſſe refert Rodericus â Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. 3. cap. 9. p. m. 399.* Hieronymus Mercurialis *Medicin. pract. Lib. 3. cap. 6. fol. m. 285.* mentionem facit puerorum, terram non aliter ac panem appetentium. Et Simon Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 139. p. 202.* refert, ſibi notum eſſe exemplum puelli lactentis, quem nutrix ſæpius in hortô in terra nigra nullô gramine tecta depoſitum, ad eandem terram comedendam aſſvefecit, & qvidem per longum temporis ſpatium, nemine id obſervante, donec tandem nutrix aliqvoties animadvertens puellum ab eſu illius terræ vix retinere potuerit, quoties ſcilicet

hortum

hortum intravit puellusque terram conſpexit, cujus ſignum erat ploratus. Sed abſentia horti comeſtionem terræ planè abolevit. Idem factitaſſe quoque alium qvendam puerum, ſed natu majorem, dictus Autor ibidem refert, hicque puer, cum terrâ non potuit potiri, cretam comedit. Pulverem terreſtrem per pavimentum magnô cum deſideriô converrebat devorabatque puer qvidam Lipſienſis, juxta relationem Georgii Franci *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 570.* Pannificis cujusdam Gœrlicenſis filia ſordes, pulveres, &c. in platea colligens avidô ore ingeſſit, caſtigata licet ob id a parentibus, maturior autem ætate facta ab hisce abſurdis poſtea abſtinere didicit. Vid. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. 3. Hiſt. 95. p. m. 411.* De Baroniſſæ cujusdam filiola, qvatuor circiter annorum repurgamenta conclavium das Kehricht oder Geniſt avidè deglutiente vid. Petri Rommelii Obſervatio, *ibid. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 40. p. 64.* Imò Amici cujusdam filiam tam in infantia, qvàm poſtmodum in matrimoniô conſtitutam non ſolùm calcem & arenam, ſed etiam omnem ejusmodi pulverem, qvi, tempore imprimis æſtivô in menſis, fornacibus & in imaginum, in hypocauſtis ſuſpenſarum, parte averſa ſeu poſteriori, colligi ſolet, avidiſſimè deglutiiſſe ipſe memini. *Obſervatio.*

§. 9.

Honeſta femina Vitembergæ Saxonum gravida nauſeam ad omnes omninò habebat cibos, ut de felici fœtûs ſucceſſu maritus & amici deſperarent. Aſt ſubitò ſuſcitabatur ingens appetitus ad Cineres aqvâ infuſos pro parando lixivio, eosque mirè deperibat, atque, quod mirum, inſigni cum voluptate devorabat, & notabili cum emolumentô, ab eô enim tempore naturalis repetebat appetitus ad cibos ordinarios, reliqvoque geſtationis tempore durabat, illaque tandem fœtum undique ſanum excludebat, teſte Georgiô Francô *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 201. p. 361.* Petrus Johannes Faber refert exemplum de *Cineres.*

propriô filiô trium annorum Picâ laborante, qui arenam, Cineres & terram efflagitare & magnô cum crepitu iis veſci ſolitus fuit; Lac verò & alios cibos omnino reſpuit. V. Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. II. fol. m. 49.* Prægnantem mulierem Cineres in magna qvantitate comedentem ſe vidiſſe ſcribit Joh. Mich. Savonarola, *Pract. canon. de Urin. Rubr. 10. p. 688.* Pueros adultos cineribus, arenâ, cretâ, tanqvam victu ſapidô delectari ſe vidiſſe ſcribit Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 2. cap. 6. p. m. 304.*

§. 10.

Carbones. Carbones, Calces & alia infantes & pueros aliqvos adultiores devoraſſe, vidit Petrus Foreſtus, *v. Obſerv. medic. Lib. 18. Obſ. 7. Schol. fol. m. 141.* Carbones, calcem, terram, arenam &c. avidè etiam deglutiebat filia qvadriennis Comitiſſæ, cujus modò ex Rommelii Obſervatione *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 40. p. 64.* meminimus. Manhemii in Palatinatu inferiore juvenculam qvandam ubiqve maximâ cum delectatione carbones comediſſe refert Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 570.* Virgo qvædam nobilis antea veterum & a blattis & tineis ſituque corruptorum librorum per quinque menſes admodum delectata ad carbonum & Calcis eſum converſa in febrem albam incidebat. Vid. Philipp. Salmuth. *Cent. 2. Obſ. 63. p. m. 89.* Joſephus Lanzonus Ferrariæ novit Uxorem, qvæ gravida dum eſſet, unius menſis ſpatio eſu carbonum famem explebat: *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 28. p. 32.* Mulier qvædam tenuis habitûs triginta circiter annorum primis ſuæ geſtationibus menſibus Picam contrahebat, quâ multa abſurda, uti terram carbonesque expetens ſtomachi cacopraxiam ſibi acerſebat, qvâ fœtus malignê nutritus enecabatur uteroque ſtimulato ante debitum tempus foràs propellebatur; quod ter ipſi contigiſſe refert Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 222. p. 420. ſeq.* De puellâ decem annos nata,

natâ, quæ ab infantiâ inter alia inconſveta Carbonum comeſtione mirè delectabatur, Obſervationem communicavit Sylveſter Samuel Anhorn *l. a. Dec. II. An. I. Obſ. 39. p. 110.* Fœminam qvandam non qvidem eſum ſeu aſſumtionem, ſed fragorem Carbonum foſſilium pedibus contritorum per Picam appetiiſſe, reperimus in Henrici Oldenburgii *Act. philoſophic. Anglican. 1667. p. m. 446. ſeq.*

§. 11.

Ceſpite ſulphureô ſeu bituminoſo (Turff) Filia Conſulis *Ceſpes ſulphureus.* Amſtelodamenſis tantum non delectabatur, verùm etiam avidè & ſatietatem usque fruebatur, teſte Nicolaô Tulpio *Obſerv. medic. Lib. 4. cap. 23. p. m. 332.* & Heidenr. Overkamp *Oeconom. animal. cap. 3. p. m. 66.* aliûs virginis tale ferculum ſine detrimentô & ſummis cum deliciis edentis meminit.

§. 12.

Picis Picam obſervavit Johannes Ludovicus Hannemannus in fœminâ qvadam gravidâ Amſtelodamenſi, quæ forte *Pix.* fortuna locum aliquem, ubi naves pice obducuntur, vel ubi pix in uſum navium coqvitur, præteriens picem avidè appetit & panem candidum in eâ intinctum lautè comedit, ac ſi ferculum opiparum eſſet. *Vid. M.N.C. Dec. II. An. 2. Obſ. 47. p. 77.* Alcmariæ fœminam quandam gravidam cochlearibus picem navalem excepiſſe atque deglutiviſſe, refert Petrus Foreſtus *Obſerv. medicin. Lib. 18. obſ. 7. Schol. fol. m. 141.* Roſino Lentilio nota fuit mulier, quæ, quoties eſſet gravida, picem navalem liqvefactam pani illitam, ſummâ cum voluptate maximâque copiâ nullâque ſui vel fœtûs noxâ comedit, quæ ſi negaretur, aut abortum aut animi deliqvia patiebatur. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 3. Append. p. 106.*

§. 13.

Amurcam ſeu axungiam aurigarum (Wagenſchmiere) pari *Amurca.* appetitu deſiderans mulier quædam ruſtica panem ſimilagine-

um apud reſtionem in Vas ungventarium intinxit atque tam avidè comedit, ac ſi Vinô Malvaticô madefactum eſſet, teſte Caſparo Theophlio Bierlingio *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 209. p. 312.* Simile exemplum Lugduni Batavorum ſe noviſſe dicit Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 5. cap. 6. p. m. 915.*

§. 14.

Gluten. Glutinis Scriniariorum in pulverem comminuti libras duas mulierem quandam gravidam clam devorâſſe refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 106.*

§. 15.

Cera. De Pica erga Ceram ſeqventes Obſervationes recenſet Petrus Rommelius *l. a. An. 7. & 8. Obſ. 40. p. 63.* Ante paucos annos, inqviens, Illuſtrem qvandam Virginem Baroniſſam, jam viduam, novi, quæ maximô flagrabat deſideriô veſcendi cerâ & quoties occaſio dabatur, appetitui ſatisfaciebat. Illuſtriſſima alia quædam nata Comitiſſa mihi narravit, ſeipſam non minus in cœlibatu magnam ſæpius Ceræ, præſertim flavæ, qvantitatem comediſſe tantoque flagrâſſe deſiderio, ut etiam â Cereis ſacratis ſibi temperare non potuerit. Ceram ſigillarem Hiſpanicam, arenam & ſuccinum flavum in globulos precatorios tornatum, maſticatione in fruſtula comminuta, notabili quantitate ingeſſit Illuſtriſſima quædam puella tredecim circiter annorum, ſecundum relationem Johannis Jacobi Wepfferi *M.N.C. Dec. II. An. 8. Obſ. 68. p. 173.* Vid. etiam Ephem. Acad. N. C. *Cent. X. Obſ. 12. p. 267.*

§. 16.

Lapides. Lapillos, terram, Cretam &c. magnâ cum voluptate & copioſè comedebat puella nata annos quindecim, pallida & gracilis; aderant freqventes exſpuitiones, oris Ventriculi morſus, & anxietates totum corpus perturbantes. v. Theodor. Craanen *obſervat. ſeu Prax. med. Lib. 3. cap. 4. p. m. 412.* Lapidem molarem contritum fœminam quandam ſucceſſive devo-

devoraſſe, paulò antè ex Daniele Sennerto adduximus. Seqventem Obſervationem ex Libro Italico propriis Autoris verbis recenſet Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 28. p. 31. ſeq.* Anna Maria Jannoccaro Moglie d'Anello, eſſendo l'anno 1686. gravida, le venne voglia di pietre di Napoli, coſa ſtravagante ad udire, de, qvali preſe à mangiare, & continuò ſenza prender altro per ſuo cibo per lo ſpatio di trè meſi, e ciò faceva con tanto ſuo guſto, che più volte havea certato, non haver mai più in ſua vita aſſaggiata coſa per delicata ſi foſſe, che più ſaporoſa ô dilettevole ſiaſi reſa al ſuo palato; Venuto poi il tempo del ſuo partorire, fù aſſalita da dolori, ch'erano acerbiſſimi & oltre ogni tolleranza, ne' qvali ſtette per qvatro giorni ſenza poter partorire. Alla fine eſſendo ridòtta all'eſtremo di ſua vita, fecero venire multi chirurgici, li qvali allargando con ferri la ſtrada, per la qvale al mondo veniamo rinſcì un Bambino morto, caſi duro, come una pietra, e nell'uſcire fece una botta, come Se una piſtolla ſbarrata ſi fuſſe, che io inteſi da tutto il vicinato. Campatá dal periculo, tornò ad eſſer gravida, partorì felicemente, & ora ſi trova altreſi col ventre pieno, mà non fà piu ſimili paſti &c.

§. 17.

Largam Alabaſtri comeſtionem annovavit Elias Camerarius de fæminâ qvadraginta annorum, qvæ nonum ſub pectore fœtum gerens ejusqve perſentiens in Uterô motiones, offendens in vicini montis acclivi viâ candidi, qvod ibi effoditur, Alabaſtri fruſtula, vehementi in ea appetitu ſeſe ferri ſentiens, eidem tantisper indulſit iſthoc gravidatis ſuæ tempore ac ſubinde largiori lapidea ferenda doſi ingeſſit. Dehortatus primùm eam eſt maritus, deqve periculo, qvod ſubeſſe poſſet, admonuit, obſervans verò dehinc, eam nihil inde incommodi paſſam, qvin & pani nunc parciùs imminere, adeò ejus deſideriis gulæ haud defuit, ut potiùs ſtrenam ei multoties promiſſam *Alabaſtrum.*

 eamque

eamqve gratiſſimam exhibiturus, eam gypſei hujus ac molliuſculi marmoris ipſi humeris ſuis afferret exhiberetqve molem, qvæ gravare robuſtiorem virum haud mediocriter qveat, plenum ſcilicet eô qvalum, qvali imponere merces dorſo geſtandas ruſtica gens ſolet. Illa igitur avidè deliriis ſuis inhiat; miram guſtu ſvavitatem iſtius mineralis operoſâ maſticatione percipiens; eâ enim eſt duritie lapis, ut firmioribus atteri dentibus ſubita cumprimis aviditate ac inexplebili Picâ, atqve comminui potuerit, cùm maximè prius in fruſtula fabarnm avellanarumqve magnitudini reſpondentia fuerit ab ipſô diffractus. Fovit mirabilem appetitum paupertas ac fames maleſuada, cùm ſæpiſſimè vel per biduum integrum pane omninò deſtitueretur paupercula, largiſſimè eô tempore hoc lapideô nutrimentô paſta; cui tamen ne tum qvidem potuit valedicere, cùm pane iterum potiretur, qvin potiùs perpetuam ejus aliis cibis interpoſuit maſticationem, tanqvam condimenti palato ſuo gratiſſimi, &c. *vid. Ephemerid. Academ. Natur. Curioſ. Dec. III. & IV. Obſ. 54. p. m. 126. ſeq.* De Muliere, qvæ tantum comedit Tartari, ut ejus qvantitas eſſet incredibilis. v. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 1. p. m. 296.*

Tartarus.

§. 18.

Ollarum fruſta.

Fruſta colliſarum ollarum ruſticus quidam annorum quadraginta, homo robuſtus, firmæ valetudinis, fortunæ ſatis commodæ, quocunque pergebat, ſecum ferre ſolebat, & dentibus non minori appetitu comminuere, ac ſi panem bis coctum aut cibum duriuſculum manderet. Idque adeò in deliciis habebat, ut uxori ipſius neceſſe eſſet, ollas & ejusmodi fictilia ſummâ curâ recluſa præſervare, ne culina ollis deſtitueretur, uti ex Oethæô refert Johannes Schenckius *Obſerv. medicin. Lib. 3. fol. 320.*

§. 19.

Panis.

Panem, imprimis recenter è furnô extractum in gravidis, non

non modò appetitum extraordinarium ſeu Picam excitare, ſed quandoque etiam ſi ejusdem eſus ipſis denegatur vel præ pudore non conceditur, abortum vel alia ſymptomata cauſari, in Praxi medica ſæpius occurrit, taleque exemplum paulò antè ex Michaelis Ettmülleri *Vol. I. fol. m. 83.* recenſuimus, nimirum de puerô per totam vitam â pane abhorrente, & quidem ex illà cauſâ, quia ipſius mater panem bonum & albicentem in vicinæ domo viſam maximè appeteret, præ pudore tamen illum poſtulare nollet. Ipſe ejusmodi recordor Appetitûs; Fœmina *Obſervatio.* ſcilicet gravida, Mercatoris Lignicenſis uxor, Lipſienſes nundinas viſura, Haynæ matri meæ, ſub utrôque brachiô panem recentem & pulchrum ſatisque magnum domum geſtanti, ex improviſô obviam veniens, dictos panes fixis oculis intuebatur editisque aliquot ſuſpiriis ſecum equidem fruſtum hujus panis deſiderabat, pudore tamen impedita poſtulare nolebat; unde ex mutatô faciei colore Lipothymiam incidere videbatur. Quod cùm Mater mea animadverteret, ipſam ſtatim alloquebatur ipſique panem offerebat; ex quô illa ad ſe rediens cùm Matre meâ domum noſtram ingrediebatur bonamque & quidem ferè quartam magni panis partem cum recenti butyrô, ſummô cum appetitu comedebat, ſimulque bonam Cerevisiæ Vinique quantitatem hauriebat, atque dehinc cum ſociabus ſuis, poſt gratiarum actionem, ſiquidem oblatam ſolutionem mater mea recuſabat, læta ad iter ſe accingebat. Sequenti verò annô iterum Lipſiam tendens dicta femina ad parentes meos redibat, denuoque gratias agens referebat, ſe tunc temporis gravidam fuiſſe poſteaque ſtatô tempore binos filios ſanos peperiſſe; quibus absque dubiô, ut ipſa credebat, denegatô vel non impetratô pane deſideratô, ſalivam ipſi nimiùm movente, per abortum privata fuiſſet, cùm ejusmodi infortunium jamjam ex aliô appetitu non ſedatô perpeſſa eſſet. Diſceſſura autem Matri meæ in ſignum gratitudinis aliquot elegantioris lintei ulnas offerebat.

§. 20.

§. 20.

Panes melliti. Matronam quandam Nobilem, quæ intra unius diei noctisque ſpatium ultra centum & quadraginta panes dulciarios mellitos ſine noxa devoravit, e noſſe, ſcribit Theodorus Zwingerus *Theatr. Prax. med. Part. poſter. p.387.*

§. 21.

Triticum: Frumentum Triticum crudum & cretam in maximâ copiâ devoravit Mercatoris frumentarii Delphenſis filia, teſte Petrô Foreſtô *Obſ. medic. Lib. 18. Obſ. 7. fol. m. 141.* Triticô crudô adeò delectabatur gravida quædam fœmina Lipſienſis, ut ſingulis ferculis etiam orbem Triticô crudô plenum apponi curaret, referente Johanne Michaele Fehr *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 83. p. 199.* Dominam quandam Nobiliſſimam graviditatis tempore Triticum crudum deglutientem ſe noviſſe ſcribit Bernhardus Verzaſcha *Obſ. 92. pag. 238.* Hordeum crudum & varia alia appetiit etiam ancilla quædam ſebre albâ â primis juventutis annis laborans, cujus meminit Paulus Spindlerus *Obſ. 72. p. 135.*

§. 22.

Legumina. Varia etiam Legumina à Feminis Picâ laborantibus appetuntur, v. g. juxta Valeſc. de Tarant. *Philon. pharmac. Lib. 4.* *Milium.* *cap. 6. p. m. 395.* quædam Nobilis clam uſa eſt Miliô, annis ferè quindecim, unde facta fuit cærulea, ſtomachica & hepatica, denique mortua eſt, quòd morbi cauſam perpetuò celaverit. Tres Sorores virgines nobiles, formâ & opibus præſtan- *Fagopyrum.* tes, ſemina Fagopyri decorticata (vulgus vocat Heydegrütze) ſemper ſecum circumtulerunt & comederunt. Natis inde Obſtructionibus & aliis graviſſimis morbis, duæ a Medicis præſtantiſſimis ſanari non potuerunt; tertia non ſine magnô labore ſanitati eſt reſtituta. vid. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 3. fol. 326.* Alia fœmina toto ingravidationis tempore ſolâ pulte ex milio famem explebat. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 209. p. 312.*

Pluri-

Plurima ejuſmodi exempla, imprimis puellarum & virginum, varia ejuſmodi legumina & fructûs, ut milium, oryzam, frumentum Saracenicum, farinam &c. anxiè appetentium ubiqve occurrunt mihique nota ſunt.

§. 23.

Fermentum illud crudum, qvô piſtores maſſam ſubigunt farinaceam, mirâ aviditate ingerebat Georgius Francus, puer adhuc decem circiter annorum, cætera ſanus; & ita qvidem, ut ſæpius unâ vice ultra libram ſemis devoraret ſine ullâ moleſtiâ aut valetudinis labefactatione, uti ipſe de ſe refert *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 569.* *Fermentum.*

§. 24.

In Majoranæ exſiccatæ herbâ delicias ſuas qværebat fæmina qvædam gravida, qvippe qvâ modò ingravidata ſaturari cæpit, & cum fœtu excluſô hunc appetitum iterum depoſuit, ſecundum relationem Georgii Dethardingii *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 150.* *Majorana.*

§. 25.

Aliorum etiam Ciborum & Condimentorum Uſualium immodicô appetitu tenentur aliæ, v. g. viginti circiter libras Piperis mulierem qvandam prægnantem comediſſe, ex Nicolaô Florentino refert Caſpar Theophilus Bierlingius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 209. p. 312.* vid. etiam Roder. à Caſtr. *de Morb. Mul. Lib. 3. cap. 9. p. 399.* & Caſp. à Reies, *Qvæſt. 50. §. 4. pag. m. 621.* ubi talem Mulierem Franciſci Barberini uxorem fuiſſe addit. Virgo qvædam præter alia aromata appetebat & qvotidie ferè Piper pulveriſatum ad Unciam dimidiam, integram & ultra ſummâ cum voluptate abliguriebat ſine ullâ moleſtiâ. *Piper.*

§. 26.

Zingiberis freqventem eſum & uſum ſummis in deliciis habebat Virgo qvædam Nobilis, qvô, qvantulacunqve modò occaſio ſeſe offerebat, ad ſatietatem usqve veſcebatur. vid. Ehrenfr. *Zingiber.*

renfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 100. p. 184.* Fœmina quædam gravida libras aliquot Zingiberis, maximâ Voluptate, ſine ullô incommodô, unâ vice devoravit, nec, quod mirum erat, ardorem in faucibus ullum ſe ſentire faſſa eſt, multò minùs in Ventriculo. vid. Felic. Plater. *Obſerv. med. Lib. I. p. 239.*

§. 27.

Macis. Georgius Hannæus novit Generoſiſſimam quandam Matronam ex Per-Illuſtri Stemmate Ranzovianô, quæ gravida maximô cum Appetitu comedit folia Macis, illudque aroma non duntaxat cibis, tanquam condimentum in copiâ addidit, verum & illud noctu ſub cervicali linteo involutum recondidit, ut eô noctu pro lubitu veſci quiret; Partu verò editô vix guſtare cupivit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 115. p. 252.*

§. 28.

Cinamomum. Puella quædam nobilis Parentibus inſciis quotidie multum Cinamomi ingerebat, unde ſemper obſtructa erat alvô; ſubtractô autem hoc aromate meliùs habebat, *juxta Joh. Schenck. Obſ. med. l. a.*

§ 29.

Cæpa. Ad maturationem Bubonis peſtiferi cùm cæpam ſub cineribus aſſam, Theriacâ infarctam, illi imponeret Chirurgus, indiesque novam apponeret, priore abjectâ, puellula unam caſu inveniens, quam Chirurgus a bubone modò amoverat, clam eam devoravit, nec quicquam mali inde paſſa eſt, vid. Felic. Plater. *Obſ. med. Lib. I. p. 240.*

§. 30.

Sal culinare. Puella tredecim annorum à tempore ſexti anni ſuæ ætatis quacunque occaſione Sali accedendi ſacculos ſuos eô replebat veſcebaturque non ſecus ac alii infantes Saccharo; hinc ita exſiccata eſt & riguit, ut non poſſet pedes agitare tandemque mortua eſt. vid. Henric. Oldenburger. *Act. Philoſoph. Anglic. p. 103.*

103. Monialem ex ejusmodi Salis eſu in hepatis inflammationem immedicabilem deveniſſe meminit Caſpar à Reies *Elyſ. Quæſt. Camp. Quæſt. 50. n. 4. p. 621.* Sic Virgo quædam Nobilis in Ducatu Gœrlicenſi pallidioris faciei, difficulter reſpirans, unô verbô cachectica, cum ſuppreſſione Menſium tantâ aviditate Sal culinare appetebat, ut lautiſſima fercula multis paraſangis eidem poſtponeret, atque nec verbis, nec comminationibus inde avocari poſſet, ſemper in vetitum, clanculum, ſi apertè non poterat, ſal ſuffuratum in Marſupium recondebat, ut haberet quod devoraret, juxta Ehrenfr. Hagendorn. *l. a. p. 154.* Simile exemplum non modò in Generoſiſſimi Generalis de B. filiâ, ſummè cachecticâ, ſed in aliis quoque Virginibus ſæpe mihi obſervare contigit. *Obſervatio.*

§. 31.

Nobilis quædam Virgo ex Picâ Emulſionem Amygdalarum ad libras aliquot hauriebat, poſtridie acetum Vini in magnâ quoque copiâ ingerebat ſicque per aliquot dies producebat. Eô verò tandem factum eſt, ut derepente & furioſè vociferari inciperet, præ nimiâ anguſtiâ è feneſtris præcipitem dare conaretur, corpus huc illuc violenter jactaret, collum modò in hanc, modò in illam partem detorqueret, mox pedes ad clunes usque contraheret, Caput quandoque intra crura reconderet & ſcapulis pedes imponeret, oculos extrà prominentes immobiles haberet, & ſpumam ex Ore, ad extremum ferè totum Corpus ſudore difflueret. Et hæc omnia tantâ cum omnium membrorum laſſitudine, ut ne digitum quidem dimovere potis eſſet. vid. Philip. Salmuth. *Cent. 3. Obſ. 86. p. 153.* *Emulſio amygdalarum & Acetum.*

§. 32.

Cùm Felix Platerus, Juvenis, Monſpeſſuli, Pharmacopæo, Laurentio Catelano, cohabitaret, rebusque dulcibus, quod juvenibus conſuetum, mirè delectaretur, herus ipſius Ollas ampliſſimas Theriacâ, quam præparare maximâ copia ſolebat, *Theriaca.*

 plenas

plenas in Cubiculô, ubi Platerus cubabat, aſſervaret, dulcedine illius allectus intemperantiùs, quàm decebat, frequenter Cochlearia aliquot unâ vice devoravit, idque ſæpe in die, Cubiculum aliquoties tranſiens, nec meminit, ſe mutationem aliquam, multò minus damnum aliquod, inde ſenſiſſe, uti ipſe fatetur Platerus *Obſ. Lib. I. p. 239. ſeq.*

§. 33.

Fungi. Fungorum eſui quotidiano adeò deditus fuiſſe legitur Clemens VII. Pontifex Romanus, ut ad defectum horum præcavendum eorundem commeſſationem publicô edictô per univerſam ditionem prohibuerit, quâ tamen effreni inſtinctui factâ licentiâ morbum ſibi lethalem & Curtiô Medicô planê incurabilem accerſivit, vid. Frider. Schrader. *Diſp. Helmſtad. Anno 1696. habit. Reſpond. Dieter. Valent.* Kramer *de Idioſyncraſ.* §. 8.

§. 34.

Ceraſa. Mulierem quandam gravidam quæ Ceraſa matura avidiſſime deſiderans unâ vice quinque ſexve libras; & aliam, quæ triginta placentas comedit, ſe noviſſe ſcribit Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 7. fol. m. 31.* *placenti.*

§. 35.

Poma. citria. Poma citria acida triginta, quadraginta & aliquando plura unicâ nocte eſitantem fœminam ſe vidiſſe, refert Caſparus à Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. 50. §. 4. p. m. 621.* *putrida.* Poma putrida, fercula ſuilla, vir quidam plebejus efflictim appetebat, & â recentibus tamdiu abſtinebat, usque dum putredinem conciperent. vid. Joh. Michael Fehr *de Abſinth. p. 99.*

§. 36.

Haleces. Halecibus ſalitis tam impenſè delectabatur mulier quædam gravida Daventrienſis, ut ante partum ſine Ventriculi offenſâ ullove ſanitatis diſpendiô comederit mille ac quadringentos. Ipſa etiam infantis appetitum adeò ſtrictè huic ſervituti mancipavit,

cipavit, ut, cùm nec tum poſſet verbis, expetierit tamen ejulatu haleces, vid. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 2. cap. 24. p. 139. ſeq.* Item Noribergæ mulier quædam gravida, cùm in forô publicô tranſiret tabernam piſcium induratorum & ſalſamentorum, conſpectô doliô halecum muriâ conditorum Malaciâ ſtatim infeſtata Halecum ex muriâ crudorum ita penè duodecim ſine omni noxâ & Ventriculi offenſâ eſitavit. vid. Joh. Helwig. *Obſ. 137. p. 374.* Halecis appetitu impulſa gravida quædam ruſtica Chartam, cui halec involutum fuerat, ut reciperet, totum milliare verſus civitatem regrediebatur, teſte Johanne Muralto *Hippocrat. Helvet. de Pic. p. m. 403.* De Halece integrô in aula Caroli Quinti cum Cereviſiâ â quodam abliguritô v. Bernh. Swalv. *Ventricul. Querel. p. 117. ſeq.* vid. etiam Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. f. m. 167.*

§. 37.

De nimiâ Cancros comedendi avididate ſeqventia refert Johannes Billenſtein: Illo præſente & communi menſæ cum aliis aſſidente cùm inter cætera fercula Cancri quoque apponerentur, Religioſus qvidam & Concionator in mediis Diſcurſibus (quos facetè valdè & comiter fovebat) ſermonem omnem abrupit indeque mutatô & pallente vultu diductis palbebris & fluente per faciem ſudore tantam animi anguſtiam ſenſuumque oppreſſionem exhibuit, ut ipſum ſine morâ lapſurum arbitrati fuerimus univerſi. Sed revixit ſubitò & majori cum admiratione omnium, tanquam altô ſomnô ſopitus reſuſcitatus adfuit ſpiritus ejus, quamprimùm Cænobiarcha integrum Cancrorum manipulum (quod ipſe patiens præ verecundiâ primum facere nolebat) ejus patinæ largiter injecit, quos ille tantâ aviditate & velocitate, altum ſemper ex imô pectore ſuſpirans totoque corpore & maximè manibus contremiſcens, propriè dicam, devoravit, ut vix majores chelas & alias qvasdam duriores teſtarum partes inconſumptas reliqverit. Poſt *Cancri.*

hac expletô ſic appetitu totaliter ad ſe reverſus, nihil eorum, quæ vel a nobis vel ipſomet facta & dicta ſunt, ſe intellexiſſe conteſtatus eſt. Ultra centum etiam Cancros ſe comeſturum & plures comediſſe dicebat. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 187. p. 348. ſeq.* *Et Obſ. 346. p. 554.* refert Chriſtophorus Rœslerus, Sororem ſuam in partu laborantem non potuiſſe ulla ratione fœtum eniti, niſi priùs ediſſet Cancros; hos enim maximè appetierat, & cùm vix unum comediſſet, ſtatim enixa eſt filiùm. Cancros viventes cruſtaceâque veſte adhuc indutos deglutire in deliciis habuit vir qvidam plebejus Ehrenfrido Hagedornio optimè cognitus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 70. p. 147.* Trincavellus de propria matre, refert crudos eam gammaros fluviatiles eſitare conſveviſſe. Vid. Caſp. a Reies *Qvæſt. 50. §. 4. p. 621.* In rivô qvodam circa montem Anthon Petrus Bellonius tantam Cancrorum, noſtris Gammaris diſſimilium, qvantitatem invenit, ut mille temporis momentô capi potuiſſent. His, cum itineris duce veſcebatur crudis, neque jucundiorem ſaporem ullô in cibô ſe inveniſſe meminerat. Vid. Petr. Bellon. *Lib. I. Obſ. 47. fol. m. 46.* Ephippiarii Heidelbergenſis filia, puella undecim annorum, Gammaros vivos maximâ cum voluptate, ſed clanculum, devorabat, qvos undiqve conqvirebat ſecumque etiam in Scholam deferebat, èque Marſupiô promebat ac quodam cum ſtridore admordebat devorabatque ſine ullô incommodô referente Georgiô Franco *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 569.* De gravidæ Cancrorum nimiô appetitu in infantem propagato ſeqventem Obſervationem communicat Heinricus Hottingerus *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 133. p. 251.* Matrona nobilis in Uterô gerens ſummô quodam Cancrorum appetitu flagrans, imò quaſi ardens, in eorum eſu frena ſibi laxavit, ac ad ſatietatem usque comedit, quod factum preſſô, ut ajunt, pede Diarrhæa impetuoſiſſima ſecuta, ſed mox iterum ſedata eſt; Mater poſtea totô Geſtationis tempore nunquam

horum

horum repetiit eſum & uſum proſperrimèque vitam peregit. Appetitus autem hic non in Matre ſolum ſubſtitit, ſed in fœtum ſeu puellam excluſam transplantatus qvaſi, quæ tantâ gammarorum aſſumptione delectabatur, ut etiam vivos, niſi remoti fuerint, aggredi ac devorare non dubitaverit, idque per totum vitæ ipſius curriculum; cui ſeptimô ætatis annô finem impoſuit.

§. 38.

Ichthyophagos dari, refert C. Julius Solinus *Collectan. Rer. memorab. cap. 67. §. 968. p. m. 205. ſeq.* Poſt Indos, inquiens, montanas regiones Ichthyophagi tenent, quos ſubactos Alexander Magnus veſci piſcibus vetuit. Nam antea ſic alebantur. Et cap. 70. §. 990. p. 210. inquit, habitari Æthiopiæ aduſta Troglodytarum & Ichthyophagorum nationibus, quorum Troglodytæ tantâ pernicitate polleant, ut feras, quas agitant ipſi curſibus perſeqvantur: Ichthyophagi non ſecus, qvàm marinæ beluæ, modò in aquâ valeant. *Ichthyophagi.*

§. 39.

Duodecim Mullis vivis Mulierem quandam Dreſdenſem primâ vice gravidam mordicùs capita abſtuliſſe illaque devoraſſe, refert Caſparus Theophilus Bierlingius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 209. p. 312.* Ibidem etiam alia mulier Dreſdenſis gravida Cyprinum vivum ponderis fere unius libræ à capite usque ad caudam comediſſe legitur. *Mulli.* *Cyprinus.*

§. 40.

Angvillam vivam quendam Nautam devoraſſe integramque & vivam adhuc alvo reddidiſſe, ex Geſnerô refert Daniel Sennertus *Pract. Medicin. Lib. III. Part. 1. Sect. I. cap. 3. p. m. 16.* Et Chriſtianus Franciſcus Paullini *Tract. de Angvill. p. 162. ſeq.* ſcribit: Sabinam Urſulam Heyniſchin, tertiâ vice gravidam & ſimul quartanariam, ipſô acceſſionis die, ex vineâ ſuâ in Oppidum feſtinantem offendiſſe fortè in Ripa Vierræ adoleſcentes Angvil- *Angvilla viva.*

Angvillas capientes, quarum jucunditate & appetitu commotam unam â turbâ iſtâ & petiiſſe & obtinuiſſe, &, amputatô ſaltem capite ſubitò, videntibus ac ſtupentibus ſingulis, in fruſtaa tamen diſſectam, devorâſſe; & *pag. 100.* ſequentem hiſtoriam refert: Alebat Hugoldus Abbas juniores Angvillas in certô quodam Monaſterii locô, quas curæ fideique famuli ſui Liborii commendaverat. Aliquando, abſente Abbate, accedit Liborium mater ſua, tunc gravida, quæ filium ad locum usque, ubi cuſtodiebantur angvillæ, comitabatur. Petit à filio unicam: abnuit iſte. Illa ergò Liborium aliò mittens, ne videret furtum, arripit unam; & cùm iſte ocyus reverteretur, ſubitò mulier vivam devorat, ut falleret adoleſcentulum. Hic verò dolum catè ſubolfaciens rem indicat Cellario. Vix elapſâ horâ, ecce! denuo excluditur integra, eaque viva, deglutita angvilla, non ſine ſummis fæminæ cruciatibus. Res narrabatur Prælato, qui ſubridens increpat famulum, quod adeò durus & immodeſtus erga gravidam fuiſſet Matrem. Novit etiam Petrus Foreſtus aliquas mulieres gravidas crudas angvillas devorâſſe, *v. ejusd. Obſerv. med. Lib. 18. Obſ. 7. Schol. fol. m. 141.* Piſcatorem, qui ſpirantes piſces integros deglutiebat & ipſos in Ventriculum illapſos motitare nequaquam percipiebat, ſe vidiſſe dicit Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 2. cap. I. p. m. 332.*

§. 41.

Oſtrea. Virgo quædam Amſtelodamenſis, quam Phtiſis in certam deſperationem adduxerat, fit appetentiſſima Oſtreorum. Extorqvet vix tandem Matri, quod non impetrabat à Medicis. Oſtrea illa Colceſtria in ipſo lectô aperiuntur. Comedit, neſcio intra quam paucos dies plura qvingentis. Sanatur, nubit, parit, feliciter & frequenter. Vid. Chriſt. Franc. Paullin. *de Theriac. cœleſt. p. m. 164.*

§. 42.

§. 42.

Prægnantem libido invaſit edendi Conchylia nigra. Edit autem aliquot præcipitanter, ut & teſtas crudas bis terve dente conciſas devoraret. Dein mox infra horam fœtum parit ſanum & adultum cum iisdem ſemimanſis teſtis, & vulneratum in abdomine, vid. Joh. Baptiſt. van Helmont *de Inject. materialib.* §. *8. fol. m. 366.* *Conchylia.*

§. 43.

Jecore vitulinô crudô delectabatur fœmina quædam gravida, cujus meminit Roſinus Lentilius *Paralelism. ad Obſervat. Dec. I. An. 4. & 5. M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 106.* *Epar vitulinum.*

§. 44.

Erucas acetô & pipere conditas Chirurgum quendam Lœvardenſem absque ullô damnô comediſſe refert Stephanus Blancardus *Collectan. med. phyſic. Cent. I. Obſ. 50. p. m. 75.* *Erucæ.*

§. 45.

Lacertorum deſideriô adeò detinebatur puella quædam, ut, quoties illi liceret, arreptâ fronde oblongâ per hortum currendo venaretur innoxièque devoraret, quam puellam ipſe vidit Marcellus Donatus. *vid. de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 1. p. m. 296.* Lacertis viventibus veſci in more Aphris eſſe, ſcribit Ludovicus Cælius Rhod. *Lib. 28. cap. 2. fol. m. 1065.* *Lacertæ.*

§. 46.

Ranas admodum appetiit fœmina quædam gravida, juxta Johann. Dolæi *Encyclopad. medic. Lib. 5. c. 6. p. m. 915.* Et de puellâ decem annos natâ, quæ ab infantiâ ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cæciliarum, & ſerpentum omnisque inſectorum generis comeſtione mirè delectabatur, vid. Sylv. Sam. Anhornii Obſervationem *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 39. p. 110.* *Ranæ.*

§. 47.

Araneas Baronem quendam in Friſiâ quàm avidiſſimè comediſſe; item puerum quendam Rigæ in Livonia araneas, *Araneæ.*

I muſcas

muſcas ſimiliaque inſecta, ſine ullô ſanitatis detrimentô, niſi quod facie eſſet pallidâ, ediſſe, ex Hannemanni literis refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Centur. poſter. Obſ. 22. p. m. 247.* De mendicô araneos ſine valetudinis detrimentô vorante; item de puellâ araneos deglutiente, vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 3. Obſerv. 9. p. 172.* Varia aranearum fortuitò deglutitarum exempla recenſet Petrus Borellus *Cent. 1. Obſ. 81. p. 87.* De Medico, qui in Corpore cujusdam apertô, araneam in ſtomacho invenit; item alius Medicus ſeptem araneas è corpore humanô remediis expulit. Et *Cent. 3. Obſ. 19. p. m. 212. ſeq.* de Procuratore caſtrenſi, qui dum ſe opiparè cum amicis in hortô ſuô ſub vite exciperet, atque caſu araneola ferè inviſibilis in ejus vitrum vinô plenum jamjamque hauriendum incideret, dixit: nihil refert, deglutiêris, & hauſtô potu nullum hinc malum ſenſit, ſed duobus abhinc menſibus cum ingenti tuſſi araneam maximam rejecit. Ibidem etiam puellarum araneas innoxiè vorantium, nec non Heroinæ Anglicæ, quæ araneis inter cibos delectabatur, mentionem facit & juxta *Cent. 4. Obſ. 56. p. 318.* Organorum muſicalium Magiſter Londinenſis pertitiſſimus araneis deglutitis ſuos omnes tanquam panaceâ optimâ morbos curare ſolitus eſt. Juvenis Scotus, Lugduni Batavorum ſtudiis operam navans, in omnibus ædium angulis araneas conqvirebat ſibique cibum ſvaviſſimum eſſe affirmabat, homo aliàs ſanus, facie ſubpallidus & circa oculos ſubtumidus, quem Simon Schulzius noviſſe refert *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 10. p. 29.* Vixit etiam olim in Aulâ Sereniſſimi Electoris Brandenburgici generoſa mulier è Batavorum proſapiâ, quæ non tantum ſine noxâ, ſed & cum appetitu ſingulari, indies araneas aſſumſit, in tantum illarum aſſveta, ut & guſtu deteriores a melioribus ſecerneret. Hoc fine libentiſſimè aranearum venatui indulſit, perque omnes Palatii angulos eas deprædata fuit. *v. l. a. An. 3. Obſ. 146. Schol. p. 268.* De Puerô ſex anno-

annorum, qui Budiſſæ araneas per omnes domûs angulos venabatur iisdemque innoxie veſcebatur, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 570.* ubi Georgius Francus etiam obſervationem refert, Virum, inquiens, novi Ampliſſimum, qui me præſente aliquoties vel maximas variegatasque araneas, die groſſen verſilberten Creutz-Spinnen und Kancker, ſine ullâ noxâ & tam ſtudioſè delicatèque devorabat, ut unum alterumve primò extraheret & maſticaret pedem, dein tam diu globoſum araneæ corpus lamberet, donec per medium creparet atque ita penitus deglutiret. Hoc ſibi â puerô fuiſſe familiare retulit, ſed in principio a majoribus araneis ſenſit alvum juſtô magis lubricari & ſolvi, ſine ullô aliô incommodô. Docta Schurmannia araneas pro deliciis habuit & absque ſanitatis diſpendiô comedit, uti ex Struv. *Act. lit. Faſcic. 7.* refert Autor der Vergnügung müßig. Stund. *Part. 10. p. 42.* Refert etiam Philippus Salmuth *Cent. 2. Obſ. 22. p. m. 69.* ſe præſente nonnullos ora aquâ colluiſſe itemque lac comediſſe, quibus Aranei fuerunt immerſi. Puella quædam ad araneas accurrebat captasque avidè devorabat: tantumque abfuit, ut earum uſu læderetur, ut etiam pingvior fieret. Vid. Hieron. Cardan. *de Rerum Varietat. Lib. 8. cap. 40. p. m. 495.* Viro cuidam plebejæ ſortis per aliquot annos nihil magis in deliciis fuit, quàm araneos fortè obvenientes in eſcam capere; qui vir optimè notus fuit Ehrenfrido Hagendornio. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 70. p. m. 147.* Studioſum quendam Oxonienſem Araneas innoxiè devorantem ex Highmoro adducit Gothofredus Mœbius *Fundam. Medic. Phyſiolog. cap. 10. p. m. 159.* Incolas Cumanæ Inſulæ Apibus veſci, & ex eſu aranearum nullam noxam percipere; item Patavii qvendam fatuum juvenem innoxiè araneas & præter cicadas & locuſtas grillos etiam, quos tamen aliqvi vim habere Cantharidum experti ſunt, comediſſe, refert Johannes Dominicus Sala *de Aliment. & eorum adminiſtrat. cap. 2. p. m. 8.* Vid. etiam Steph.

Blancard *Collect. medico-phyſ. Cent. 5. Obſ. 43. p. m. 77.* Daniel Sennertus *Practic. Medicin. Lib. 6. Part. 5. cap. 1. p. m. 225.* ſcribit, ſe noviſſe Civem, qui ſancte affirmavit, ſe puerum cum delectatione & ſine damno araneas devoraſſe. Vixit Hildeſiæ Studioſus macilentus, facie pallidâ, totus valetudinarius, hîc conſiliô cujusdam araneis veſci cœpit, quorum uſu obeſus factus & bonæ valetudini reſtituus eſt, ſummôque deſideriô araneas venari ſolitus, nec minori appetitu comedens, ex Johannis Ludovici Hannemanni relatione *v. M. N. C. Dec. 2. An. 5. Obſerv. 116. p. 231.* ubi etiam Baronis ex Perilluſtri ſtemmate de Kniphauſen meminit, qui avidè & affatim iis inſectis venenatis veſci conſvevit. Locumtenens quidam araneas avidè venabatur, venatione captas in patinam congregabat, poſtea comedebat. Cùm interrogaretur, qvare adeò eſu horum inſectorum delectaretur? reſpondit, ſe hoc hæreditariò â matre habere, ut quæ avidiſſimè iſtis animalculis veſci conſveverat, juxta Obſervationem Johannis Ludovici Hannemanni *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 55. p. 64. ſeq.* Illuſtriſſimus quidam S. R. I. Comes, dum puer adhuc erat, impotenti animô araneis inhiavit, & Vir factus, quando volupe erat, quod tamen non rarò fiebat, propriis manibus captas, ori inditas dentibus comminuit, deglutiit, & ſine ullâ læſione in Ventriculô detinuit. Hic Comes Johanni Jacobo Wepffero narravit, illas lingvæ gelu inſtar frigidas & dulces apparere. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 68. p. 176.* Mendicus quidam Noribergenſis, Vir truci facie, barba horridâ, crinibus rubris, Araneivorus, vulgo der Spinnenfreſſer cognominatus, non tantùm araneos, qvales qvales etiam fuerint

- - pluris qvam tanti obſonia Rhombi
Qvam leporis Clunes, qvam turdos æſtimat aſſos,

Sed exinde quoque in tantum Veneris furorem agitur, ut oppidò metuat, ne Nervus nimietate rumpatur &c. ſunt verba

Michaëlis

Michaëlis Friderici Lochneri *ibid, An. 6. Obſ. 226. p. 441.* Juxta verba Ludovici Cælii Rhodigini *Lection. antiqv. Lib. XI. cap. 13. fol. m. 409.* Auctor Magnus Albertus eſt, in Coloniâ Agrippinâ puellam ſe vidiſſe, quæ in trimatu parietibus arreperet araneas venatura, quas voraret: eoque cibi genere oblectata inſigniter aleretur. Liceat adhuc ex Cornel. Stalpartii van der Wiel Obſervationibus rarioribus *Cent. poſter. Obſ. 22. p. m. 250.* ſequentia inſerere: Virginis cujusdam mentionem facit Ariſtoteles, quæ initiô ita aranearum aliarumque rerum venenatarum ſeſe aſſueverat eſui, ut fortiſſima tandem toleraret venena, haud aliter, quàm ſanus quispiam ſolitis veſcitur alimentis. Verum enim verò ipſa inde adeo evaſit venenata, ut ſolâ ſalivâ alíove corporis liquore appropinquantes mox interimere poſſet. Forſan hæc eadem fuit, quam Plutarchus aliique inter alia rariora ad Alexandrum Magnum â Rege quodam Indo transmiſſam donoque datam tradunt, eum præſertim in finem, ut Macedo amore captus cum illâ decumberet, ſicque certò interiret: Verum Ariſtoteles ſuſpicione motus Regi conſuluit, ut primò aulicum quendam ei adjungeret: quod ita contigit. Quam primùm enim ipſam impudicè attigiſſet, venenô infectus interiit. Præter adducta dantur adhuc alia araneorum non ſponte ſed caſu, innoxiè tamen deglutitorum, exempla. v. g. Capucinus quidam Eburo dictus Bullonius, cognomine Hampteau, araneam ingentem, quam decidiſſe viderat in Calicem, ſub jugi Sacrificio, vivam cum multâ animi averſione bibit. Infra paucos dies illi oborta eſt phlegmone in dextro femore ac ſub primô pure, inde araneam integram (mortuam tamen) reddidit. vid. Joh. Baptiſt. van Helmont. *de Injectis materialib. §. 7. fol. m. 366.* Virgini cuidam octodecim annos circiter natæ parentumque merces in tabernâ venum exponenti affertur manè cereviſia calida, cui panis erat intritus. Iſta cùm videret accedentes emtores feſtinando aliquot deglu-

tivit cochlearia reſiduumque ſepoſuit. Abeuntibus poſtmodum emtoribus, ubi liberum nacta erat tempus, recepit ſcutulam comeſtura, quod antè reliquerat. Sed ecce dum forte fortuna oculos infert in vaſculum, deprehendit ſupernatantes duos aranei pedes. Perterrefacta exinde domum ſe confert & parentibus, quæ contigêre, exponit. Iſti poſtquam etiam ex ancillâ reſciverunt, cereviſiam illam præcedenti jam veſperâ è doliô promptam, per totam noctem in apertô ſervatam fuiſſe cratere, relationi filiæ facilè aſſentiuntur, atque quantocyus Medicum in conſilium vocant. Sed ante ejus acceſſum Virgo vomitu rejicit aranei corpus & pedes aliquot, unde Medici juſſu ſumtâ Theriacâ ſudavit atque ſic convaluit, referente Georgio Segero *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 85. p. 76.*

§. 48.

Scorpii. Scorpios atque araneos Patavii adoleſcens fatuus citra noxam voravit, teſte Johanne Rhodio *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 91. p. m. 172.* Romæ alius integer mentis Scorpiones ſine damnô deglutivit, prius tamen accuratô modô complicatis Chelisque Caudæque ſpiculo, ne linguam & fauces deglutientis læderet pungeretque aculeus, vid. Thom. Bartholin. *Cent. 4. Hiſtor. 95. p. m. 418.* Ruſticus quidam in Valle Telina Anno 1663. Menſe Juliô illis, qui vineam laborabant, prandium præparabat ex farinâ in aquâ ebulliente coctâ; quod ferculi genus ab illis polenta vocatur. Accidit autem, ut quidam Scorpio in farinâ latitans ſimul miſceretur coquereturque, ruſticus comeſtâ iſtius polentæ particulâ percepit, ſe Scorpionem per medium intercidiſſe & ſimul mediam ejus partem devorâſſe. Hic improbus exinde ſibi mortem certò certius imaginabatur; ne verò ſolus moreretur, reliquis, nihil dicendo, alteram partem polentæ unà cum alterâ medietate Scorpionis dedit, qui ex inadvertentiâ illam ſimul ingeſſerunt, ſed etiam absque ullô damnô. v. Caſp. Theoph. Bierling. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 205. p. m. 306. ſeq.*

Æthio-

Æthiopas accolas Hydaſpis fluvii impunè veſci ſolere & Scorpionibus & Serpentibus ſcribit Hieronymus Mercurialis *de Venen. & Morb. venenoſ. Lib. I. cap. 6. p. m. 7.*

§. 49.

Pediculi etiam quandoque pro variô ſcopô aſſumuntur; quale exemplum viri ſexagenarii pediculos vivos recens captos avidè devorantis refert Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 176. p. 355. ſeq.* quippe qui inter truculentam belli præteriti Germanici crudelitatem natus, â parentibus pauperculis in pagô educatus, ob crebras irruptiones militum, eorundem malitiam cum ſuis evitaturus maximam Vitæ partem in ſylvarum latibulis conſumebat; Inter varia autem Phantaſiæ ſophismata eò ſorditiei deveniebat, ut pediculos ſuos recens-captos devoraret, quaſi epulas nutriendo corpori apprimè proficuas. Imò dictos pediculos majori aviditate deglutivit, ac à delicatulis aliàs tractari ſolent Oſtreæ, turdi, leporinæ carnes & ſimilia bellaria, juxta illud; quisquis amat ranam ranam putat eſſe Dianam &c. De puerô in Palatinatu, qui Capitis pediculos vivos admordebat devorabatque *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 570.* Et Roſinus Lentilius Lithuanum remigem vidit, qui conquiſitos è ſuis veſtibus pediculos mandebat. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 106. ſeq.* Nonnunquam etiam Icterici non quidem Picâ, ſed ſpe ſanitatis, impulſi Pediculos devorare ſolent, quale exemplum legimus in Thomæ Bartholini Actis Hafnienſ. *Vol. III. Obſ. 91. p. m. 168. ſeq.* de puerô, qui in ſordidiſſimis pediculis ſolatium ſe inventurum ratus vel ſeptem, vel novem devoravit, ſed inſelici eventu: diſparuit equidem ſenſim morbus, ſed ſucceſſit in vicem hujus mali pallor, appetitus nimius, imò caninus, atrophia & mors. Apertô Cadavere, obtulit ſe in Ventriculô monſtroſæ magnitudinis inuſitata Pediculorum in unum conglobatorum Colonia. Item puella ruſtica contra Icterum flavum, conſiliô matris, utebatur pediculis vivis, quos in capite *Pediculi.*

pite

pite ſuo captos & çera virgineâ abvolutos ſecurè devorabat: Verum beſtiolæ in corpore ſeſe multiplicantes pernicioſam peperêre Phthiriaſin, â quâ ægrè redimi poterat puella. *v. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. m. 37.* Ita etiam Pulicum eſu Virgo quædam Tubingenſis ſummopere fuit delectata, quos curioſiſſimè venabatur. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. App. p. 106.*

Pulices.

§. 50.

Bufo.

Cum paulò antè ranarum appetitarum mentionem fecerimus, liceat nobis hôc locô etiam bufonum devoratorum exempla inſerere: Bufonem vivum grandem deglutivit vinitor quidam Petrus Yvens, unde tanta anxietas ſuborta, ut Ventriculum pugnorum concuſſione ad expulſionem irritare cogeretur; id quod demum unâ â deglutitô animali horâ contigit, nullà tamen conſecutâ læſione. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. Medico-Gallic. An. I. Menſ. Maj. Obſ. 2. p. m. 87.* Dementem quendam bufones innoxiè comedentem non ſemel vidiſſe Medicum Montalbanenſem Duncanum, ex ipſius ore refert Petrus Borellus *Hiſtor. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 37. p. 137. ſeq.* ubi idem bis vidiſſe addit ab empyricis factitatum, qui poſtea antidota ſumentes venenum eorum a remediis retundi ſimulabant. Fœminam quandam gravidam minutos iſtos Bufones, cum pluviâ, ut ajunt, delapſos, ſine omni noxâ comediſſe, Parochus loci Chriſtiano Franciſco Paullini retuliſſe, dictus Autor recenſet *Tract. de Bufon. Sect. I. cap. 3. p. 73. Et p. 72.* cujusdam Hiſpani in Inſulâ Peragua fame preſſi meminit, qui Bufones coctos comedit. Oliger Jacobæus *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 107. p. m. 281.* cujusdam meminit, qui Anno 1678. Menſe Julio bufonem integrum turgidum maculisque inſignitum promptè devoravit, poſtquam beſtiolam manu leniter palpaſſet, lotium illa emittens ad diſtantiam ulnarum quatuor, os viri ſponte ingreſſa eſt ac deglutita. Per ſpatium inde horarum quatuor, donec hoſpes inſolitus exſpiraret, miſeros præ dolore ejulatus

edidit,

edidit, in partes omnes, trabes, ſcamna, & quicquid ſors obtulerat prolapſus. Buſones & Lacertas etiam maſticavit & devoravit Cultrivorus Baſileenſis *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. obſ. 178. & 179. pag. 334.* Ejusmodi animalia venenata vivida, ranas ſerpentes, buſones levi pretiô comedit etiam Cultrivorus ille Baſileenſis Rudolphus Dürr, v. Theophil. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Lib. 3. Sect. I. cap. 18. fol. m. 510.* Vidi ipſe adhuc puer Virum quendam ſeu Venenivorum, qui Buſonem diſſectum cum Arſenico deglutiebat, quibus aſſumtis equidem de Theriacâ ſuâ, quam vendere ſolebat, ſtatim bonam quantitatem ingerebat, nihilominus tamen ad crepaturam ferè intumeſcebat, donec omne hoc venenum cum Antidotô Vomitu rejiceret. An verò omnes Buſones innoxiè comedi poſſint, ex alius relatione credere videtur Petrus Borellus *l. a.* item Franciſcus Redi v. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſ. Anglic. p. m. 323.* cui tamen ſententiæ ſubſcribere veretur Chriſtianus Franc. Paullini *Tract. de Buſon. p. 72.*

§. 51.

Militis cujusdam Uxor, annorum triginta trium, temperiei ſanguineæ, dum eſſet gravida, magna tentabatur voluptate comedendi pullum gallinaceum vivum cum plumis, ut ipſa ſe emori præ deſideriô fateretur; Maritus ad ejus ſatiandum appetitum vulpinum, vivum pullum gallinaceum emit & domum redit, eumque præbet uxori, quæ ſtatim eum comedit incipiendô â capite, omnesque plumas, pedes, inteſtina & excrementa devoravit; Et poſtea faſſa fuit, ipſam nunquam majorem ſenſiſſe voluptatem in edendo, ac tunc, cùm pullum vivum manducavit, uti ex narratione amici fide digni refert Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 28. p. 32. ſeq.* *Pullus vivus.*

§. 52.

Monedulam vivam Ruſticus quidam pignore dato abſorpſit, cujus ungulis laryngi infixis vix ſtrangulationem effugit, *Monedula.*

 tamen

tamen cùm in Ventriculum fuerit delapſa, nullam noxam inde paſſus eſt, teſte Johanne Viridetô de prim. *Coction. Part. 2. cap. 1. p. m. 232.*

§. 53.

Pelles. Mulierem quandam gravidam Delphis pellem ovillam crudam unâ cum lanâ comediſſe refert Petrus Foreſtus *Obſerv. medicin. Lib. 18. Obſ. 7. Schol. fol. m. 143.* Virgo puella duodecim annorum Picâ correpta clam devorare ſolita eſt pelles argenteas & aureas, quæ Corami Romæ vulgò appellantur, ita ut decorticatæ apparerent. vid. Dominic. Panarol. *Obſerv. medicin. Pentecoſt. 3. Obſ. 38. p. m. 94.* cujus curam ſimul annectere liceat: Hoc ſtatu ægrotæ relato adſtantes monuit Panarolus, ut, quicquid juberet, perficiant, ſed maximâ cum cautelâ, ne puella ipſius artem invalidam & nullam redderet: Dixit interim primo loco, ut puellam nullo modô corriperent, vulgatum enim eſt illud adagium:

Nitimur in vetitum ſemper cupimusque negata.

Sed fingerent, ac ſi nihil egiſſet, interea tamen vel in prandio vel in cœnâ aliquod fictum narraretur exemplum alicujus mulieris, quæ comedens primò res aliquas ingratas, ut puta carbones, calcem, pelles, ſuo palatui admodum gratiſſimas, non multò poſt reliquiſſet omnia, nam neſcio quomodo ex abruptô amariſſimum & fœtidiſſimum omne ſentiens nunquam amplius talem cibum comederat: eamque eſſe iſtius morbi naturam, quod res prius gratiſſimæ, inſuaviſſimæ evadunt. Monuit etiam Panarolus, ut clam, ſi fieri poſſet, omnia obſervarentur, & non multò pòſt retulerunt, puellam, antequam pelles comederet, guſtare prius; quod cum relatum fuiſſet, juſſit Medicus, cum decoctô Colocinthidis & parum Aſſæ fœtidæ, pelles, omnes crepidas, chirothecas, & ſiquid aliud coriaceum adeſſet domi, imbui, dum ipſa puella per triduum Rus petiit. Reverſa puella more ſolitô ad comedendum pelles omnes abhorruit;

horruit; hoc autem non ſubitò fecit, ſed quando pelles omnes eodem modo ingratas percepit, & ſaluti priſtinæ reſtituta eſt. Nobilis quædam Virgo Corii odore ita delectabatur, ut ſemper illud pro maſticatoriô in ore teneret, juxta Petr. Borell. *Obſ. medic. Cent. Obſ. 2. p. m. 281.* Fœmina quædam pellibus muris alpini appetitui ſuo ſatisfecit, ſie hat ſich gelüſten laſſen die Felle von den Murmelthieren zu verſuchen, und ſie ſehr wohl geſchmack befunden, uti ex Harsdörffero refert, Bernhardus Albini Diſp. de Pica §. 2. p. 8.

§ 54.

Huic ex Harsdœrfferô allegatæ Obſervationi ſequentem de Linô aut ſtuppâ ex Johanne Langiô, *Epiſtol. medic. Lib. 2. Epiſt. 12. p. m. 550.* opponere libet, ubi inquit: Nec illud de cujusdam viri principis pellice obticere poſſum, quæ manè integros lini aut ſtuppæ manipulos, ut in Alpibus glis (non glis ſed mus Alpinus ſeu mus montanus, vulgò Murmelthier, vid. Joh. Schenck. *Obſ. Lib. 4. fol. m. 567.*) aut mus obæſus, plenis buccis devorabat. Quum forte ex ſtomachô laboraret, ac anus ejus urinam ad me perferret, omniaque prius de ejus Picâ conſtarent, conſultus ab anu, quid urina indicaret, reſpondi, juvenculam hanc plus lini de colô decerpere ore, quàm fuſô quovis verſatili deduceret. Qvùm hoc anus garrula vaticicium ex lotii obſervatione de me civibus prædicâſſet, ut vatem me omnes admirati ſunt. Juvenem etiam Bohemum voraciſſimum ſeu calculivorum in Curiâ Dresdenſi Stupam in magnâ quantitate devorâſſe paulo infra videbimus. *Stuppa.*

§ 55.

Lanam & Goſſypium præter alia, puella annos nata duodecim, facie pallida, poſitione gracilis, comedebat & ita eisdem delectabatur, ut inter ſuendum ejus pulvinaris, ſuper quô mulieres ſuere ſolent, Goſſipium ſuavi appetentiâ comederet, tametſi â matre & aſſiſtentibus increparetur, juxta Amat. Luſitan. *Lana, Goſſypium.*

ſitan. *Curat. medic. Cent. 3. Curat. 86. fol. m. 296.* Theodorus Craan *Prax. med. Lib. 3. Caſ. 4. p. m. 412.* etiam mentionem facit puellæ natæ annos quindecim, frumentum, lanam, goſſipium magnâ cum voluptate & copioſè comedentis.

§. 56.

Capilli. Puella quædam quatuor annorum proprios Crines, quoscunque vel corripere vel digitis involvens evellere potuit, avidiſſimè devoravit: Et quamvis parentes & alii diligenter hoc præcavere ſtuduerint, tamen nunquam omninò â ſuô inſtitutô penitus abduci potuit. Tandem in vehementem tuſſim ac Atrophiam totius corporis incidit, â quâ difficulter potuit curari. v. Joh. Schenck. *Obſerv. medicin. Lib. 3. fol. m. 320.* Ibidem etiam filii cujusdam Chirurgi octo annos nati ex Amatô Luſitanô meminit, qui capillos & parietum cretam aſſuetus cùm eſſet comedere, ſemel in Calcem vivam incidit, ex quâ, cùm abunde comederet, obiit. Schenckii tamen allegata Editioni meæ non reſpondent. Sequentem Obſervationem de Capillivoris annotavit Johannes Paulus Wurffbainius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 301. p. 688.* Gemelli pueri tantâ & faciei & morum ſimilitudine ſibi juncti erant, ut vix alterum ab altero dignoſcere liceret: Novimeſtre ætatis ſpatium ambo cùm attigiſſent, crines ſibi mutuò ad calvitiem usque evellere ac devorare cœperunt, hinc factum, ut major natu ægrotârit & de torminibus Ventris ac inſigni circa Ventriculi regionem dolore, conqueſtus, tandemque continuis jectigationibus defatigatus ac emaciatus, variis incaſſum præſcriptis medicamentis, quarto ætatis ſuæ annô mortuus ſit. Alter in vivis adhuc frater nauſeoſas has capillorum delicias avidè appetebat, ita ut nec minis nec ferulâ coërceri potuerit; quin, quamprimum ob domeſticorum abſentiam licebat, noctu præſertim, appetitui ſuo indulgeret, & capillos evulſos primò digitis conglobare, poſt ori citò ingerere ac deglutire ſoleret, melle ſaccharoque dulciores.

ciores. Capite abraſô, Capillos etiam Parenti dormienti evellebat ac deguſtabat, puerulus aliàs vegetus, ſanus ac alacris; Servatus verò hic fuit Capillivorus, per Amygdalarum dulcium Olei crebriorem uſum internum, cui pili per ſuperiorem gulæ portam ingreſſi, in Ventriculô juncti, per inferius mox guttur iterum ſunt deturbati ac elutriati. De Capillorum Pica hanc Obſervationem refert Johannes Adamus Gœritzius *Ephemer. Acad. N. C. Cent. X. Obſ. 12. p. 267. ſeq.* Pagus eſt, Affecking dictus, diſtans a Ratisbona duobus milliaribus, in qvô puella eſt decem annorum, Venatoris filia, quæ maximâ cum delectatione capillos devorat. Parentes ſanctè teſtantur, qvod omnes Capillos ad minimum ter ſibi extraxerit & voraverit, licet centies ob id caſtigata. Modum hunc ſervat: Capillos convolvit ſupra digitum & parum maſticatos deglutit. Proprii non ſufficiunt, ſed, ubi modò occaſio occurrit, aliis hominibus capillos aufert; inſuper aliquot pelles leporinas etiam voravit. Id omne tamen absque noxa, ſanam enim eam hactenus fuiſſe, Parentes dixerunt. Quærenti Görizio, unde hic mirum appetitûs ortum traxerit, mater faſſa eſt: Se gravidam aliqvando macellum prætereundo os bovinum piloſum vidiſſe illudqve valdopere appetiiſſe; ſed ob pecuniæ defectum ſibi prius domum eundum fuiſſe. Hac acceptâ ad macellum feſtinâſſe, tardius autem redeundo os illud piloſum non amplius inveniſſe, utpote ab alia fœminâ interea emptum & ablatum. Hinc triſtem abiiſſe, in quâ obſervatum fuit, quod ſtatim ac capilli crevêre, illos evellere & ori indere cœperit.

§. 57.

Virginem quandam Illuſtrem Chirothecas devoraſſe, confeſſam, nihil unquam magis gratum fuiſſe, ob ſaporem, quem præ ſe tulerint delectabilem, ex ore Johannis Theodori Schenckii refert Georgius Wolffgangus Wedelius Patholog. medico-dogmat. Sect. 3. cap. 2. p. m. 467. *Chirotecæ.*

§. 58.

Lintea & fila. Lintei & filorum lineorum appetitum Virgo qvædam circa annum ætatis duodecimum cum ſemiſſe incurrebat, ut non ſolum ejusdem fragmenta ori immitteret atque ſummâ voluptate qvaſi pergratô ſapore prædita deglutiret, ſed etiam filum ipſum ejusque plures glomeres repetitis vicibus ingereret. Imò lintei appetitus ad decimum ſeptimum usque annum pertinax erat, nec ulla præteriit dies, quâ illius cibi abſtinens eſſet, etſi vim ſibi inferret, & ubi deſiderió illi non ſatisfaciebat, ab aſcendente in Caput vapore immani illius dolore vexabatur atque omnium ſenſuum ſeqvebatur Conturbatio. Si latebras nanciſcebatur, è perulâ lintea in fruſta diſcerpta depromebat, quibus ad ſatietatem gratiſſimè veſcebatur. Vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. medico-gallic. An. I. Menſ. Jun. Obſerv. 12. p. m. 107. ſeq.* Item Illuſtriſſima quædam Comitiſſa fila linea perditiſſimè appetens ſemper in culeô glomeramina duplicati fili, quæ comederet, portabat; menſæ accumbens fila è mappis & mappulis, denique, quocunque locô ſtabat, aut verſabatur, ex induſiô propriô, ſtrophiolis, lodicibus &c. extracta perpetuò mandebat. Hinc è linô contexta utenſilia filorum hac ſucceſſivâ extractione clathrata quaſi efficiebat & turpiter defœdabat, juxta Roſinum Lentilium *v. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 150. Schol. p. 332.* Alia Mulier fila ſeu duplarium maſticare & devorare ſolebat; poſtea tamen ſuô malô prudentior facta, vitioſo appetitui reluctabatur, vid. Johann. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 3. fol. 320.* Victorius Trincavellius viſitavit puellam nobilem, quæ fila ex Veſtibus, quibus erant conſutæ extrahebat & comedebat, vid. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. p. 297.* Aliud exemplum Virginis generoſæ, quæ fila è veſtibus, maximè lineis ſtudioſè extrahebat, & avidè manducabat, præcipue aus denen blauen Schürtzen oder Fürtüchern, ut undique inſtar feneſtrarum perforaret, ex commemoratio-

moratione D. Lehmanni refert Georgius Francus *M.N.C.Dec.II. An.8.Obſ.234.p.569.ſq.* Seqventem Obſervationem communicat Mich. Pauli *M.N.C. Dec.III. An.7 & 8. Obſ.85.p.148.* Multas, inquiens, & varias inſolitarum gulæ libidinum ſpecies in ſeqviori ſexu numerari, inter omnes Medicos conſtat. Mihi argillam, maceratam calcem, corium, item araneas, faſcias crinales &c. ex faſtidio ſtomachi devorantes, obvenerunt. Omnes autem hæ vel pubeſcentes vel pubertati proximæ, vel gravidæ fuerunt habendæ. Rarius hinc in quadrienni puellâ Malaciæ exemplum. Hæc formoſiſſima mercis lineæ Negociatoris filiola in magnam ex ignotâ procatarcticâ cauſâ Cachexiam incidens de Inappetentiâ, Pectoris oppreſſione & circa hypochondria ſuffocationis ſenſu conqveſta tota langvebat tabemque in habitu corporis oſtendebat. Adhibitis proinde, aſt nullo effectu, pro inſtaurandâ nutritione Remediis, forte contigit, ut Gelaria dejicientis virgunculæ anum terſura filum lineum ex podice pendentem offenderet. Hujus inſoliti excrementi cauſam nec verbis, nec ferulis parentes exqvirere valuerunt; donec actiones filiolæ diligenter indagantes & quaſi veſtigia ipſius prementes ad faſces linamentorum aliquando adſtantem avideque fila vorantem conſpexiſſent. Cauſâ hac, ceu mali fomite, perſpectâ, propinatis poſteà catharticis multi filorum ex lino globuli ſeceſſerunt, tandemque aſſumtis per aliquot menſes ſic dictis inſtaurativis, tonicis, martialibus, ægra pleniſſimè convaluit.

§. 59.

Fila pretioſa oculata ſeu Inſtitas (Spitzen) quæ lintea Collaria exonant, Genuæ elaboratas & Lutetiam devectas pro qvadringentis Imperialibus, ſeu centum Piſtolettis monetæ Gallicæ, unâ vice & poſt triduum rurſus alias, pro aliis centum Piſtolettis, ex inordinatô appetitu fœminam quandam devoraſſe, ex Harsdörffero refert Philippus Jacobus Sachs à Lœuwenheimb *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 83. Schol. p. 201.* *Inſtitas.*

§. 60. Non

§. 60.

Charta bibula. Non niſi Chartam bibulam Ictérico-hydropico-nephriticum quendam per tempus & quidem avidiſſimè devorâſſe ex literis D. Maichanqvez legere licet *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 174. p. 330.*

§. 61.

Stramen. Puella qvædam nobilis Stramen, ubicunque habere potuit, avidè comedit; Cùmque ob eam rem â Matre graviter objurgaretur, de nocte, nemine advertente, ſtramen è lectô, in quo cubuit, clam devoravit. Semper fuit ferè pallida morbisque obnoxia. Poſtquam vero viro nupſit ab hisce deliciis abſtinuit. vid. Joh. Schenck. *l. a.*

§. 62.

Gramen & fœnum. De Adoleſcente ſedecim annorum Gramen ac fœnum locô cibi aſſumentem ſeqventem obſervationem recenſet Nicolaus Tulpins *Obſervat. med. Lib. 4. cap. 9. p. m. 312.* Allatus Amſtelredamum omniumque oculis expoſitus fuit Adoleſcens ſedecim annorum, qui in Hyberniâ, â parentibus fortè devius inter oves ſylveſtres ab incunabulis altus, induerat qvaſi naturam ovillam, corpore pernici, perpete pede, vultu truci, carne durâ, cute exuſtâ, artubus ſtrictis, fronte ut obtuſâ ac depreſſâ, ſic occipitiô convexo ac tuberoſô, rudis, temerarius, imperterritus, & exors omnis humanitatis, cætera ſanus, & optimè valens; deſtitutus voce humanâ balabat inſtar ovis & averſatus cibum potumque nobis uſitatum, manducabat ſolum gramen ac fœnum, & quidem eô delectu, quô curioſiſſimæ oves; obvolvendo identidem unumquodque & æſtimando ſingula minutatim, ſeligebat, guſtabatque tandem modò hæc, modò illa, prout naribus ac palato judicarentur gratiora ac magis convenientia, &c.

§. 63. De

§. 63.

De Caſei appetitu ſeqventia de ſuô Parente refert Roſinus Lentilius; ille ſcilicet duodecim circiter annorum puer Vinariæ degens à ſuis in hypogæum, Caſeos inde bubulos minores promptum, eſt ablegatus; qvum verò dolium, in qvô aſſervabantur caſei, eſſet iis pænè vacuum, isqve corpus nimium inclinare cogeretur, amiſſô æqvilibriô, in dolium præceps fertur: Reditu præter rem & opinionem protractô cellam hoſpites convictorem qvæſitum adeunt & opportuniſſimô tempore vix reſpirantem â ſuffocatione liberant: odore vero Caſei plus ſatis in Palatio Diogeneô Lentilii Parens imbutus caſeos ab illo tempore ſummis in delitiis habebat. *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. App. p. 60.* *Caſeus.*

§. 64.

Virum ex ordine literatorum, qui mirè eſu muci narium delectabatur, illumque ſubinde ex naribus & viſcidiorem pituitam ex ore colligebat manibusque tamdiu tractabat, donec exinde globulos formare poſſet, tuncque deliciarum inſtar deglutiebat, ſe noviſſe ſcribit Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. III. An. 7 & 8. Obſ. 40. p. 64.* ubi pariter fœminæ meminit, quæ narium mucum ſicciorem in deliciis habuit illumque naribus extractum ori (macim fortaſſe eſſe ſibi imaginans) avidè immiſit & edit. Puerum quendam Naſi mucoſa ſeu exſiccata recrementa, die dürren Naſenpöbel oder Putzen avidè aſſumſiſſe, ſcribit Georgius Francus *l. a. Dec. II. An. 8. Obſerv. 234. p. 570.* Ibidem etiam Pueri Naumburgenſis meminit, qui cruſtas Ulcerum in ſcabie exſiccatas devorabat. *Narium Mucus.*

§. 65.

Stercora varia nonnullis pro deliciis habentur, v. g. puero illi ex Epilepſia ſordido, cujus meminit Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 150. p. 327. ſeqq.* qvippe dictus puer ea, quæ alii ſaniores maximè abominari ſolent, avidiſſimè eſitabat; *Stercora.*

tabat;

tabat; hinc qvancqvam pera pane, ſimilâ aliisque nonnunquam turgeret, ille tamen appetitu mirô ferebatur ad Oletum proprium, quod, ubi data facultas, etiam de nocte ſurgens corraſit, focum inſtruxit, ollæ vel ſolum infuſum, vel aliis obſoniis, caſu in culinâ repertis, mixtum ad ignem coxit comeſturus. Præcipuè homerdâ â frigore conſtrictâ vehementer ad eſum delectabatur. Stercora ſuilla, anſerina, intra pedum digitos collecta, in deliciis fuere, &c. Virgo quædam nobilis ſtercora humana exſiccata avidiſſimè exoptabat & pulverata tanquam Tragemata condebat, Latrinarum cruſtas chartæ involutas ſecum ferens. v. Petr. Borell. *Obſ. phyſ. med. Cent. 4. Obſ. 2. p. m. 281.* ubi ſeqventia addit: Legimus Ariſtophanem qvendam vocâſſe Medicos fecivoros, quòd quidam adulatores fuerint, qui excrementa Magnatum deguſtare voluerint. Qvare de illô non ineptè dixit quidam, eum dignum fuiſſe Xenocrate Medicô, qui excrementis variis animalium omnes morbos curare ſolitus erat. Item puer qvadriennis in lectum cacaverat; flagra autem extimeſcens ſuum ſtercus comedit, juxta Johann. Baptiſt. van Helmont *Tract. Sextupl. Digeſt. Aliment. hum. §. 36. fol. m. 132.* Puellam quandam ſtercoribus delectatam fuiſſe & Virum Nobilem foria puellarum recentia avidiſſimè ſorbillaſſe, ex Nanceliô refert Johannes Jonſtonus *Thaumatograph. Admirand. Homin. cap. 2. Art. 2. p. m. 440.* Quidam nomine Claudius, natione Lotharingus, cujus infra Capite qvintô inter Omnivoros mentionem faciemus, præter alia, vorabat animalium ſtercora, cumprimis bubulum, calidum adhuc, prout è matre venit, &c. Georgius Hannæus vidit Juvenem, plurimis corroboratum vitiis, qvi qvoties unius vel alterius ſolidi pelliceretur mercedulâ, toties viliſſimum, & ſue, quam homine dignius, è propriâ per Ventrem factâ eluvie ſibi ſtruxit prandiolum. *v. M. N. C. Dec. II. An 8. Obſ. 115. Schol. p. 253.* Vidit Chriſtianus Franciſcus Paullini Hasfordii ad Mœnum ruſticam quandam

quandam mulierem gravidam, quæ maritum ad nundinas anniverſarias comitans, de variô ſuô appetitu mira referebat. Qvorum Colonus pertæſus dixit fortè: Ey Aenſe, friß einen Dreck. Paulò pòſt hic, ſolutis braccis, cumulum in gramine fumantem fecit & diſceſſit. Mulier, idem ſimulans, ſordidiſſimas Viri feces adhuc calidas ſummô cum delectamentô ingerit, Virumque inſequitur. Qui tandem retroſpiciens odoremque plane ſtercoreum admirans, reliqvias jentaculi adhuc aliqvas in facie conjugis deprehendit, dicens: Aenſe, was iſt das? fatetur: increpat ille fœtidum appetitum. Placatus demum â muliere conticuit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 16.* Et Petrus Rommelius novit fœminam, quæ gravida panem ſtercoribus humanis fœtidiſſimis ex Cloacis eductis probe intinctum & illitum, ſine noxâ Valetudinis, cupediarum inſtar expetebat & devorabat. *ibid. Dec. III. An. 7 & 8. Obſ. 40. p. 63.* Simile exemplum refert etiam Vitus Riedlinus *Lin. medic. An. 1697. Menſ. Nov. Obſ. 23. p. 800. ſeq.* de fœminâ gravidâ, quæ tantô deſideriô has feces ingurgitandi correpta fuit, ut ſtatim aliquot fruſta panis ad hunc uſum accommodata è domô ſuâ petierit, eaque huic Embammati intinxerit, & panem ſic probè tinctum avidè devoraverit &c. vid. infra *Cap. XIII. §. 51.* Juvenis qvidam qvadrati Corporis, voraciſſimus, morionem agens, verbô Monſtrum hominis, primis ætatis annis nihil magis in deliciis habuit, quàm ſordium ex eqvorum ſtrigillatione oriundarum eſum & uſum, ut de humanô Cœnô, tanquam obſcœnâ re nihil dicatur. Ex ephebis autem excedens deliciis hisce valedixit, potu ciboque poſtmodum vix ſatiandus. V. Ehrenfrid. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſic. Centur. 3. Hiſtor. 95. p. m. 410.* Maniacos præter alia abſurda etiam ſtercus proprium comedere, qvotidianæ obſervantiæ eſt. v. etiam Theod. Zwinger. *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 234. p. 540.* Qvalia exempla in noſtrô Noſocomiô plurima, & inter alia nuper in

Capillamentario, (jam reſtituto) obſervare mihi licuit. De furioſo, qui excrementa alvina in patina cum potu ordinario miſcendo intritæ loco avide devoravit, vid. Mich. Bernh. Valentin. *Novell. med. log. Caſ. XI. p. 272.* De quodam obſeſſô, qui trium modiorum panes unâ vice devorare, &, ſi panes deerant ſua ipſe excrementa comedere & lotium bibere ſolebat. v. Johann. Chriſtian. Frommann. *de Faſcinat. Lib. 3. Part. 4. Sect. 1. cap. 9. §. 11. p. m. 613.* plura Scybalophagiæ exempla infra reperies.

§. 66.

Muria. Fœmina quædam aliquoties gravida ſemper primis menſibus ad viginti ſeptimanas eôdem anorexias malô vexabatur, ut omnes fugeret cibos præter embammata cum pane ex aceto, item muriam è braſſicâ capitatâ minutim conciſâ per fermentationem ex adſperſô ſale extractam, **Sauerkraut-Lacke**; aut è Cucumeribus eodem modô conditis atque fermentatis, **ſaure** Cucumeren-**oder Gurcken-Suppe**; Nec alium admittere poterat potum, præter aquam ſimplicem fontanam. Nihilominus feliciter fœtûs enixa eſt ſuos; atque ſtatim â partu ſenſim ſaniores aſſumſit cibos Cereviſiamque bibit ordinariam, ceu ipſa faſſa eſt Georgio Franco, *v. M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 201. p. 362.* quô locô etiam mentionem facit Matronæ, quæ totô *Acetum.* imprægnationis tempore mirè acetum deperibat, furtimque, ubi ubi poterat, conquirebat; quæ fœtum dein Cuticula orbum & ſemicrudum peperit Leucopetræ. Et Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 149. p. 233.* fœminæ meminit cujusdam Nobilis, quæ uterum gerens toto geſtationis tempore nullum cibum niſi acidum expetiit, potûs verò locô continuò acetum avidis hauſit faucibus; poſtea vero fœtum absque Epidermide excluſit.

§. 67.

Colluvies pecorata. Extraordinarium quoque appetitum in Johanne Chriſtophoro

phorô Piſcatore annotavit Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 216. p. 336. ſeq.* Dictus ſcilicet Piſcator in febrem tertianam incidit, quæ ſatis diu, optimis licet remediis antefebrilibus â Celeberrimô Medicô præſcriptis & in caſſum exhibitis, ægrum miſerè torſit & vix non morti tradidit. Morbi tandem & Medicamentorum pertæſum ſummum deſiderium cepit bibendi ex ſpurciſſimâ illâ pecoratâ colluvie, quæ porcorum ſordibus luſtrandis & abluendis (vulgo eine Sau⸗Schwemme) deſtinata eſt. Et quia ob vires fractas & ſummam debilitatem ad paludem iſtam, ipſemet progredi non valebat, ſervum cum vaſe plurium menſurarum capaci ad illud implendum ad lamam iſtam ſtercoroſam, ad Collis radicem ſitam, ablegavit, ipſeque ab altitudine Collis, utrum ſervus mandata ritè exſeqvuturus foret, quaſi ex ſpeculâ, ne alia vel purior aqua, locô deſideratarum ſordium ſubſtitueretur, accuratiſſimè quaſi excubias agens, & obſervavit & præcavit. Reditum miſſi cum deſideratiſſimô & fœtidiſſimô nectare, ægre expectans, quantùm uires permiſerunt, obviam ſervo ivit ſummòque cum gaudiô illum excepit, atque ex tempore ſat largum hauſtum putidæ iſtius aquæ ingurgitavit & brevi ſpatiô ſeptem menſuras ſordidiſſimi hujus paludoſi potûs avidiſſimè ſummâque, ut ipſi videbatur, cum voluptate ebibit, & continuò à febre affligente convaluit.

§. 68.

Prægnantem quandam ob vitium Picæ maximam Glaciei copiam comediſſe indeque multis malis correptam fuiſſe, ex Braſſavolô refert Marcellus Donatus *de Medica hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 1. p. m. 297.* Mulier quædam Utero gerens ob Picam, quam patiebatur, frequenter Glaciem comedit, vid. Joh. Schenck. *Obſ. medicin. Lib. 4. fol. 567.* Et Hoſpitis cujusdam Uxor, cùm bis hyeme gravida hyemis copioſiſſimos fructûs, Nivem ſcilicet, mirum quantum appetiiſſet, appetituique ita indulſiſſet, ut, *Glacies & Nix.*

ipſâ narrante, tantum nivis comederit, ut mirum non fuiſſet, ſi glacies inde fauces, Ventriculum & Inteſtina obduxiſſet, idque repetitis aliquot vicibus, ipſa quidem parum hinc detrimenti paſſa fuit, niſi quòd ambo fœtûs citò nimis projecti vitâque privati fuerint. Juxta Vitum Riedlinum *v. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 128. p. 259.*

§. 69.

Caro humana. De Picâ ſeu pravò carnem humanam mordendi ſive edendi appetitu varia quoque hinc inde reperiuntur exempla. Ex Chronicô enim Lipſienſi Chriſtianus Johannes Langius *Oper. Medic. Tom. II. cap. 2. §. 3. Annot. fol. 6. refert* Exemplum prægnantis, quæ appetebat admorſionem pedis nudi ſervi piſtorii: qvi annuens binis vicibus hoc ſuſtinuit, tertiâ tamen vice id denegavit, hinc factum, ut bini fœtûs vivi, unus mortuus, excluſi fuerint brevi ab ipſâ fœminâ. Aliud exemplum refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 1. p. m. 297.* Non defuerunt, inquiens, noſtrâ memoriâ, quæ conſpectô virô quodam thoroſô ac corpore ſucculentô, morſu hujus appeterent armos, quod ipſum cuidam gravidæ, quò illius deſiderium expleret, & nequid incommodi accideret, haut gravatè admiſit; itaque illa dentibus partem avulſam crudamque paululum modô mandibulis confectam devoravit; illa verò nec dum ſatiata iteratò id tentavit; at vir illam repulit, nec denuò in Corpore ſuô pati lanienam ſuſtinuit; quæ confeſtim mœrore tœdioque affecta parturire occipit ac qvum geminos geſtaret, alterum vivum, alterum quod eadem pulpamentô fruſtrari contigerat, mortuum edidit. Mulier quædam Johanni de Muralto nota ardenti deſideriô clunes infantis duorum aut trium annorum commordendi deflagrans ipſum forte in gradibus ſcalæ domûs vicinæ comperiens recluſâ veſte ipſum in clunibus momordit. Confugientibus ad infantis clamorem dicebat illa, infantem cecidiſſe, ipſe verò, illam in natibus momordiſſe;

mordiſſe; quod & verum repertum fuit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 222. p. 422.* Mulier quædam gravida brachium viri cujusdam ter momordit, & eodem die tres quoque infantes enixa eſt. vid. Philipp. Salm. *Cent. I. Obſ. 41. p. m. 27.* Plura ejusmodi exempla in Sialologia noſtra cap. 5. §. 46. p. 245. ſeq. ex Johann. Helwig. *Obſ. 137. p. m. 374. & 377.* Joh. Lang. *Epiſtol. medicin. Lib. 2. Epiſt. 12. p. m. 549.* & Samuel. Haſenreffer. *de Cut. affect. Lib. 3. cap. 4. p. m. 425.* adducta reperies.

§. 70.

Absque dubiô etiam ad Picam vel depravatum & peculiarem appetitum referri poſſunt hiſtoriæ horrendæ, quas recenſet Marcellus Donatus *l. 4 p. 298.* Mediolani ſcilicet artificem mulierem quandam, nomine Eliſabet, rotæ atque ignis tormentô peremptam, ita â Juſtitiæ judicibus damnatam, quod blanditiis pueros alliciens inque domum introducens enecaret & ſale condiret indiesque comederet; cujus ferina beſtialisque immanitas ita detecta fuit. Cùm enim parentes puellam amiſſam, nomine Catharinam Seranam diligenter perquirerent, fortè felis puellæ manum ſubreptam in vicinorum domum aſportavit; quô ſpectaculô commoti catum venari cœpere, qui ad domum Eliſabet confugiens, qui illam inſequebantur, eò traxit, hique introgreſſi integrum adhuc Catharinæ Corpus interfectum invenêre &c. Item, Latro quidam ad Tynnani antrum in Anguſiâ, ubi cum ſceleratâ familiâ ab hominum ſodalitiô ſecretus agebat, infandô ſcelere prehenſus eſt, atque cum totâ domô in vincula conjectus. Mos erat homini truculento, adoleſcentes, quos aut furtô ſuſtulerat, aut absque arbitris jugulârat, domum adactos eſitare. Et quibus tenerior erat ætas meliorque Corporis habitudo majoribus habere deliciis; ob quod deteſtandum ſcelus cum conjuge omnique familiâ, unicâ ſexûs fœminei, probe vix dum annum unum natâ duntaxat exceptâ, vivus flammis traditus eſt atque conſumptus. Sed hæc

Anthropophagi.

hæc Dioni educata priusquam duodecimum ſuperaverat annum in paternô ſcelere deprehenſa, ut viva terrâ deſoderetur, ſententiam accepit. Qvumque duceretur ad ſupplicium, & ingens mortalium vis, mulierum præſertim, effuſa, quod tam immane facinus auſa fuiſſet, eam execraretur, converſa ad ſequentes vultu crudelitatem præ ſe ferente, quid, inquit, me objurgamini, velut ſcelus homine indignum admiſiſſem? mihi credite, ubi experti eſſetis, quàm palatum delectet humana caro, qui â liberorum eſu abſtineret, inveniretur nemo; ita perpetrati criminis impœnitens deſtinatum ſupplicium multis conſpicientibus deteſtantibusque tantam in fœminâ impudentiam contumaci animô obivit. Sequentem Caſum refert Johannes Wolffius *Lection. memorabil. & recondit. Centenar. 16. Oper. Tom. II. fol. m. 983.* Anno 1580. Brettebürgi mulier gravida, deſideriô ſui mariti capta & accenſa edendi, eum noctu jugulavit, & mortui ſic brachium & latus ſiniſtrum cingulotenus devoravit: reliqua ſale condita repoſuit, volens & illa comedere. Interea verò tres peperit filios & perpetuô claudebatur carcere. vid. etiam Joh. Schenck. *Obſerv. Lib. 4. fol. m. 567. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 109. p. 311.* Joh. Ludw. Gottfrid. *Chronic. Part. 7. fol. 761.* Fœminas carnem crudam appetentes & comedentes ſe vidiſſe ſcribit Petrus Salius Diverſus *de Affect. particular. cap. 19. p. m. 353.* An Cambleta Lydorum Rex Picâ, an voracitate, an inſaniâ laboraverit, quem Ludovicus Cælius Rhodiginus *Lection. antiqv. Lib. 7. cap. 11. fol. m. 240.* nocte quadam uxorem devoraſſe, cumque ſummô manè illius manum in ore comperiſſet, ſemet jugulaſſe ſcribit, ipſe benevolus Lector judicet. De carnium eſu allegatus Autor *Lib. 28. cap. 2. fol. 1065.* inquit: Nomades ac inſolens Hunnorum feritas nec ſemicrudas aſpernata carnes eſt. Sarmatis, Vandalis, ac innumeris aliis, equorum & vulpium carnes ſolatio ſunt. Jam qui & humanis veſcerentur, Scotos, gentem Britannam, ſe vidiſſe prodidit Hieronymus

Caro cruda.

nymus &c. De aliis, qui vel annonæ penuriâ vel, in obſidionibus nimiâ fame perciti variorum animalium cadaveribus vel propriorum quoque liberorum corporibus vitam ſuſtentare quæſiverunt; item de Anthropophagis, ſeu humanâ carne ordinariè & magnô cum appetitu veſcentibus, quod Indis familiariſſimum eſſe ſolet, prolixiùs agere ad ſcopum noſtrum non pertinet; Evolvi interim poſſunt Flav. Joſeph. *de Bell. Judaic. Lib. 7. cap. 8. p. m. 783.* Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 1. p. m. 299. ſeqq.* Philipp. Camerar. *Horar. ſubciſivar. Cent. 1. cap. 14. p. m. 86.* Bartholom. de las Caſas Beſchreibung der von denen Spaniern eingenommenen Indianiſchen Länder *p. m. 41.* Joh. Lud. Gottfridi Hiſtor. Chronicke *V.* Theil *f. 418.* Jean Mocquet Reiſe-Begebniſſe in *Africa &c. Lib. 2. p. m. 54. ſeqq. Lib. 4. p. 269.* Hiob Ludolfs Schaubühne der Welt-Geſchichte *Tom. II. Lib. 46. An. 1646. cap. 7. fol. m. 1335.* Roſin. Lentil. *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 150. Schol. p. 330.* Caſp. Barlæi *Rer. Braſil. p. m. 37. 611.* Hieron. Cardan. *de Rerum Variet. Lib. 8. cap. 40. p. 493.* Joh. Neuhof. Oſt-Indianiſche Geſandſchafft *fol. m. 34.* Batavo cuidam Anthropophagus ad quæſtionem, quid edulii in carne humana eſſet? reſpondit, ſibi nihil magis in deliciis eſſe ipſâ carne humanâ, interque illam ſapidiſſimam eſſe, quam ab Europæis albâ tinctis cute & quidem inter illos extremas partes, ut brachiorum, crurum & tibiarum. v. H. G. Herfeld. *de Origin. Morbor. §. 24. p. 28.* A Carnis humanæ eſu Morbi Gallici ſeu Neapolitani ortum derivat Italus quidam, Leonardus Fiorovanti, inquiens: Cùm inter Gallos & Hiſpanos ad Neapolim bellum eſſet, & magna annonæ, & præcipuè carnium eſſet penuria, malè feriati illi mercatores, qui victum caſtris advehunt, clam Cadavera mortuorum militum in varia ciborum & obſoniorum genera apparaverunt, eaque ubique exercitui vendiderunt, quas carnes cùm inſcii ſatis longô tempore comediſſent, plerique hôc morbô correpti & pleni puſtu-

larum & dolorum evaſerunt, plurimis etiam capilli deciderunt &c. v. Georg. Paſchius *de Novis Inventis Cap. 6. p. m. 380.* Vocabulum Samojedæ Ruſſica Lingua Anthropophagos ſignificat, *vid. Act. Erudit. Lipſ. 1719. p. 234.*

§. 71.

Metalla. Imò ne Metalla quidem, v. g. æs, ferrum, argentum, ab inordinatô Picâ laborantium appetitu immunia ſunt, qualem obſervationem ſupra ex Nicolai Pechlini Obſervationibus medico-phyſicis allegavimus, qui *Lib. 2. Obſ. 55. pag. m. 345.* Juvenis cujusdam Picâ planè peregrinâ conflictati meminit; hic enim Studioſus Upſalienſis dimidiô annô tanta Orexi laborabat, ut nullis cibis vulgaribus ſolidis ſatiari poſſet, unde duriſſima quæque & ipſa dicta metalla avidè appetebat atque devorabat. Erant autem duo duntaxat in ſeptimanâ dies, quibus hoc morbô tentabatur, Lunæ iſte & alter Jovis, cæteris diebus ſui compos victu & cibis iisdem utebatur, quibus alii ejusdem contubernii hoſpites. Hanc Picam allegatus Pechlinus magicam vocat absque dubio, quia hic morbus nullis medicinis parebat, ſed tempori & ſex menſium patientiæ relictus, uti ſubitò venerat, ita, imploratâ tamen prius, quod Studioſus narrabat, Sagæ mulieris operâ, deceſſit &c. Filia Conſulis Amſtelodamenſis tantùm non delectata, verum avidè & ad ſatietatem usque fruita ceſpite ſulphureô, ac plumbi laminis minutatim conciſis, ad inſtar alimenti vel maximè familiaris incidit tandem in morbum. v. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 4. cap. 23. p. m. 332.* Novit etiam Johannes Dolæus fœminam, quæ limaturam Martis comedebat, aliamque quæ plumbum appetebat. vid. Joh. Dolæi *Encyclopæd. med. Lib. 5. cap. 6. p. m. 915.* Quandoque etiam ejusmodi Metalla contra voluntatem degluttiuntur, quale exemplum de cochleari ex Felice Platero ſupra adduximus.

§. 72. In-

§ 72.

Interdum Perſonarum Picâ laborantium Appetitus non ad unum & determinatum Objectum, ſed ad plures & diverſas res inſolitas & incongruas fertur; quod confirmat puer ille ſexennis Svinfurtenſis, cujus ſupra ex Johannis Michaelis Fehr communicatione *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 83. p. 199.* mentionem fecimus, qui à tempore ablactationis ſtatim Cretam, pulveres, arenam edere geſtiit, poſtmodum calceamenta arripiebat & in illis hærens lutum abradebat. Creſcente autem ætate & hic præternaturalis appetitus ita increvit, ut poſtmodum copioſiùs arenam (interdum unâ vice menſuram pilei ſemipleni) calcem, carbones, lateres, ellychnia, carnem crudam & farcimina deglutiret, citra ullam querelam aut dolorem. In patriâ domô ſolus aliquando relictus de tribus parietum areolis calcem ferè omnem conſumſit, & hac de cauſa caſtigatus vicini murum, plateam verſus, adiit; vicinus hoc ſtatim animadvertens locum parietis ſucco abſinthii bene inunxit; puer amaritiem guſtans mox ad rivulum plateæ proximum ſe recepit ibique humidô & arenoſô lutô cupidinem ſuam rurſus placavit. Aliquando etiam Calcem vivam devoravit, quæ ipſius ventriculum adeò corrodit, ut ſæpè & continuò frigidam ingurgitare coactus fuerit. Cibos optimos vilipendebat, dulcia non appetebat, ut ſaccharum, mel, lac, nec carnem etiam. Optimum ſuum victum eſſe judicabat jura ex merâ aquâ confecta, & caſeum cum pane, præ omnibus tamen arenam. Edebat non ſolùm lychnos cum ellychniis, ſed etiam emnuctoriorum contenta exactiſſimè expurgabat. Puella nata annos quindecim lapillos, terram, cretam, frumentum, lanam, goſſipium aliaque ſimilia, a conſuetis alimentis aliena magnâ cum voluptate & copioſè comedit. v. Theodor. Craan. *Obſervat. ſeu Prax. medic. Lib. 3. Caſ. 4. p. m. 412.* Lapillos, terram, calculos, cretam, goſſipium, lanam & varia ſimilia comedebat puella quædam, *Varia.*

cujus meminit Amatus Luſitanus *Curat. medicin. Cent. 3. Curat. 86. fol. 296.* Ranarum, lacertarum, murium, carbonum, cæciliarum, imò & ſerpentum omnisque Inſectorum generis comeſtione mirè delectabatur puella decem annos nata, juxta Sylveſtri Samuelis Anhornii Obſervationem *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 39. p. 110.* Picam virilem, ſeu Appetitum inordinatum rerum vitioſarum & â naturâ humanâ alienarum ac inedilium annotavit Johannes Adamus Genſelius *Acad. Nat. Cur. Ephemerid. Cent. I. & II. Obſ. 195. p. 425.* ſequentibus verbis: Religioſus quidam Ordinis S. Auguſtini hydropota â teneris unguiculis delectabatur comeſtione omnis generis abſurdorum; ego his oculis vidi ipſum comedentem ex regno vegetabili folia quercûs, nucis &c. & promiſcuè omnium arborum, virgulta abietis & betularum in copiâ, Hyoſcyamum quoque & Cortices arborum, frumentum, urticas, cucurbitas & cucumeres crudos, gummata aut ſuccos arborum, ut Tragacantham &c. & quis recenſeret omnia illa abſurda? Ex regno animali comedit bufones, veſpertiliones, araneas, muſcas, cæcilias, cancros & piſces vivos omnis generis, imprimis vivas anguillas & Chikones dictos Hungaris; Delectabatur quoque comeſtione Millepedum & vermium, in ſummâ omnium ſcarabæorum & reptilium. Ex regnô minerali quoque multa abſurda comedit: Sulphur, cretam, vitra, calcem murorum & alia, imò vix non omnia non comeſtibilia ipſi fuere eſculenta ſine detrimento; Ordinariè unô hauſtu iteratis vicibus ebibit duas etiam tres medias aquæ, quatuor medias Caffée pro unâ vice, lac ad ſtuporem omnium cum commixtione fructuum & ſuprà dictorum abſurdorum, ut adeò plus, quàm Pica, guſtus iſte dicendus ſit. Plura ejusmodi videantur Capite quintô de Cunctivoris.

§. 73.

Pica in brutis. Picæ analogum quid interdum etiam in brutis obſervari, & qui-

& qvidem ratione Appetitûs ſeu Guſtûs, teſtantur Autores; ſiqvidem Lazarus Riverius *Cent. 4. Obſ. 93. p. 61.* miratur, quòd etiam feles Picâ laborent, ut vidit in fele ſuâ domeſticâ carbones & cineres comedente, cùm jam à multis diebus vix quicquam comedere valuerit; ideoque etiam ipſam nunquam catulos peperiſſe. exiſtimat. In Brightwell Hall Canis venatica quinque vel ſex diebus ante editos fœtus ſuos tantâ afficiebatur appetitûs depravati violentiâ, ut qvotidie ſufficienti alimentô nutrita alterius canis Catulos devoraret. vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglic. 1667. Menſ. Novembr. p. 447.* Soræ Danorum Pharmacopœus, nomine Burſerus, cicurem alebat picam femellam, quæ non tantum araneis, minutis piſculis, quos fundulos dicimus, caſeo, ſed etiam majuſculis aliquando lapillis, friabilibus tamen, imò Cicutæ ſemine, citra noxam, cupidè veſcebatur; voratô tandem foliolô (quod domeſtici notarunt) Aſari, fauſtè purgabatur, inordinatô iſto appetitu ad duos ferè menſes ceſſante, quibus verò elapſis rediit. Hanc picæ picam annotavit Chriſtianus Franciſcus Paullini *M. N. C. Dec. II. An. 5. Append. p. 8. item Obſerv. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 73. p. 88.*

in fele. *in Cane.* *in Picâ.*

§. 74.

Non autem tantummodò certa eſculenta, ſed etiam poſulenta â picantibus perſonis deſiderantur, hinc ſitis quoque depravatæ exempla apud Autores occurrunt; qvâlia præter hactenus recenſita adhuc ſeqventia annectemus. v. g. Erat ruſtica quædam in pagô quodam Schweden appellato, qui duobus milliaribus â Fuldanô Oppidô diſtat. Hæc gravida exiſtens cùm fortè obſervâſſet, piſcatorem qvendam in fluviô piſcari, rogat, ut quos piſces ille cepiſſet, venderet. Renuit ille. Inſtat gravida, ſed fruſtra. Itaque, cùm ſubtriſtior domum regreſſa eſſet, cœpit ſuam infelicitatem, quòd re tantopere expetitâ privaretur, deflere. Interea ſentit in ſeipſâ excitari magnam aquæ cupiditatem, quam dum explere cupit, nullum bi-

Pica ſitis. *Aqva.*

bendi finem ſibi viſa eſt facere. Nam uno die ad libras triginta aquæ hauſit, quæ tamen, ut hauſta eſt, ita per urinam rurſum excreta eſt. Hanc bibendi aviditatem usque ad partûs tempus retinuit. In puerperiô verò ad librarum viginti menſuram bibendo progreſſa eſt. Tandem verò tranſactis â puerperiô menſibus ſex, cùm jamdum ad minus libras quatuordecim ſingulis diebus hauriret, ad Medicum Jacobum Oetheum venit, quid ſibi acciderit narrans, ac conſilium expetens. vid. Johann. Schenck. *Obſ. med. Lib. 4. fol. m. 567.* Virgo quædam ſedecim annorum, quæ neque panem, neque âlios cibos guſtârat, non niſi ſerum lactis appetebat. vid. Joh. Bruyerin. *de Re cibar. Lib. 2. cap. 6. p. 143. & Lib. 6. cap. 1. p. 337.* Prægnantem quandam totô gravidatis tempore nihil aliud bibiſſe, niſi Acetum, ex Hercule Saxonia refert Bernhardus Albinus *Diſſert. de Pica §. 5. p. 13.* Barbitonſoris cujusdam uxor hydropica aqvam de fonte ſcaturiente magnopere ſitiebat. Progreſſa itaque, maritô inſciô, extra Urbem ad fontem ſitim ſedabat. vid. Joh. Lang. *Epiſtol. med. Lib. 2. Epiſt. 12. p. 550.*

Seri lactis. *Aceti.* *Aqva fontana.*

§. 75.

Aliorum ſenſuum.

In Pica non ſemper Cauſam in Ventriculô, ſed primariò in Phantaſiâ ſeu deliriô qværendam eſſe, ſupra diximus, quod etiam exinde probatur, partim qvia Picâ laborantes non ſemper edulia vel alimenta & potulenta, ſed aliorum quoque ſenſuum objecta impenſè deſiderant; partim quia picantes & prægnantes, ſi re impenſiùs deſideratâ, non potiantur, fœtui ſuo in uteri ergaſtulô adhuc incluſo, varias maculas, nævos, aliaque funeſta affricant vel imprimunt, vel ipſam mortem cauſantur. De quâ tamen Gravidarum in fœtum operante Phantaſiâ hoc locô prolixius agere nolumus, materiam hanc ad alium Tractatum de Uxorum Conceptione & Ingravidatione reſervaturi, interim tamen alia adhuc, in fœtûs non agentis Picæ, exempla adducemus.

§. 76. Re-

§. 76.

Refert ſcilicet Philippus Salmuth *Cent. 2. Obſerv. 62. p. 88.* Nobiliſſimam Virginem annos natam octodecim omnibus rebus candidis mirificè delectatam fuiſſe. Et *Obſ. 63. p. 89.* addit, ejusdem Virginis ſororem fœtore veterum librorum, â blattis & tineis exeſorum ſituque prorſus corruptorum unice fuiſſe delectatam. Et quamvis hæc â Parentibus, ancillis, Medicis & aliis prætereuntibus ſæpius riſu excipiebatur, eô ſaltem fine, ut â propoſitô averteretur; nihil tamen obtinere poterant. Qvantò enim graviorem fœtorem libri iſti ſpirabant, tantò majorem voluptatem ſe inde percipere contendebat. Tandem & ipſa, quinque integris Menſibus tranſactis, fœtoris iſtius pertæſa in viam rediens ſeipſam poſtmodum deriſit. Fœtorem Elychniorum ita amabat puella, ut emunctorium demum a Candela remotum naribus admoveret eâque mephiti recrearetur, juxta Roſin. Lentil. *Eteodrom. 1709. p. 26.* Ipſe Virginem, Viri non incelebris filiam, novi, quæ â primis ferè incunabulis non ſolùm pariter ejusmodi librorum ſitu corruptorum, ſed etiam ſtraminis mucidi, ſevique veteris fœtore maximè delectabatur, ut veteres fœtidasque candelas pro eô ſcopô in angulum quendam ab ſe abſconditas, datâ & quæſitâ occaſione, naribus admoveret, naſumque veteri ſtramini, in ancillarum lectis ſeu ſpondis reperiundo ſummæ delectationis gratiâ immitteret. Mulierem in Stow-market, Chloroſi laborantem, invitabat Pica ad Exſuctionem Venti ex follibus, quem quoties licebat, ipſa ventre ſuô excipiebat, ore apertô, impulſum per motum follium inverſorum propriâ manu adminiſtratum. Alia per Picam appetebat fragorem Carbonum foſſilium pedibus contritorum, vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglican. An. 1667. Menſe Novembr. p. m. 446. ſq.*

Pica Coloris. *Odoris.* *Obſervatio.* *Exſuctio v.*

§. 77.

Ridiculis Picæ ſpeciebus annumeranda eſt Hiſtoria ſequens

Pica ridic.

quens: Georgii Hambergeri, Medicinæ apud Tubingenſes Doctoris & Profeſſoris, Uxor gravida cùm eſſet, ex forô rediens, ova ferens, Domini Muſæum ingreſſa, ſuſpirans, cauſa ſuſpiriorum a Maritô qvæſita, reſpondit: ſe deſideriô teneri omnia illa ova, ſed ordine, in ipſius faciem projiciendi; quare Maritus, amore victus, linteô prætenſô, admiſit, ſed ne ampliùs tali deſiderio caperetur, monuit, ut ipſe Caſparo Banhino retulit, cujus *vid. Tract. de Hermaphroditis Lib. 1. cap. 12. pag. 135.* Econtra in Chriſtiani Johannis Langii *Oper. Tom. II. fol. m. 6.* exemplum legitur Uxoris, quæ petiit, ut maritus Ova cruda in ipſius faciem conjiceret. Sequentem Obſervationem dictus Caſparus Banhinus *l. a.* tanquam teſtis auricularis veriſſimam aſſerit: Scilicet alterius Doctoris Uxor gravida, Muſæum ingreſſa, omnem occaſionem qvæſivit, ut alapam acciperet; at maritus, propterea quòd & eam cordicitus amaret, & gravidæ parcendum ſciret, Conclavi egreſſus eſt. Ubi verò eſſet enixa propalam narravit, hoc ſe qvæſiviſſe eum in finem, ut ipſi iraſci poſſet.

Alapa.

CAPUT III.
De
Nauſeâ ſeu Antipathiâ certorum ciborum.

§. 1.

Appetitus imminutus.

SIcuti Appetitûs aucti, de quô hactenus egimus, differentes dantur gradûs, dum nonnulli homines præ nimio appetitu atque voracitate ſine delectu in omnia feruntur alimentorum genera, alii econtra in ſpecie in hunc vel

ilum

illum cibum ſolum peculiari appetitu ſtimulantur, neglectis reliqvis; ita etiam ſe res habet cum Appetitu imminuto, ſiquidem alii unum vel alterum tantummodo cibum, qvaſi per naturam ferre non poſſunt, ſed eundem maximè abhorrent; alii verò qvandoque per longum ſatis temporis ſpatium ab omnibus eſculentis atque potulentis penitus abſtinent Inediâque laborant.

§. 2.

Qvamvis ſcilicet ad corporis noſtri nutrimentum atque ſuſtentationem Divina Clementia plurima tam ſolidorum, quam liquidorum alimentorum genera conceſſerit, quibus etiam plerique homines indifferenter utuntur; reperiuntur tamen ſæpiſſimè, qui, ex certâ quadam Idioſyncraſiâ ſeu Antipathiâ, certos cibos, vel etiam medicamenta, aliis ſatis grata & familiaria, maximè abhorrent & tanquam venena averſantur, interdum etiam ab iisdem, vel fortuitò, vel dolô, vel vi, aſſumptis, varia Symptomata graviſſima, atque interdum ipſius vitæ periculum incurrunt. *Antipathia ciborum.*

§. 3.

Talis ciborum averſio, horror, odium, repugnantia, faſtidium & nauſea, ſive verbô, Antipathia, vel nativa eſt, vel acquiſita, quarum illa ab ipſô ortu & nativitate dependet, hæc verô â pravâ Diætâ vel aliâ ratione contrahitur, atque ſecundum Theodori Zwingeri *Faſcicul. Diſſertat. medic. ſelect. Diſſert. 1. §. 4. p. m. 7.* in certâ ac determinatâ quadam partium organico-membranoſarum texturâ atque expanſione, nec non configuratione pororum ab ſpirituum, â certis qvibusdam objectis inordinatè mobilium, Idioſyncraſiâ conſiſtit, & primò externorum ſenſuum organa eorumque fibras maxime nerveas cum aliis partibus ſenſibilibus afficit. Secundum Chriſt. Vater. *Phyſiol. experiment. Sect. II. cap. 15. p. 216.* eſt Antipathia Diſproportio Corporum, quâ ſe potius fugiunt, corrumpunt *Diviſio.*

& deſerunt, â particularum inſenſibilium figurâ, texturâ & motu inæqvali oriunda. Secundum Joh. Gothofred. Berger. *de Natur. hum. ſeu Phyſiolog. cap. 30. pag. 438. ſeq.* Antipathiæ vulgo dictæ, qvæ peculiaribus qvidem Idioſyncraſiis & cauſis, vel qvalitatibus adſcribi ſolent, qvaſi nullis rationum ſubſidiis explicari poſſint, magnam cum motibus animi cognationem habent. Harum cauſa à qvibusdam hodie ad ſingularem atomorum atqve meatuum habitudinem refertur: ſed nulla verior alia ſubeſſe videtur, præterqvam qvòd adverſa ejusmodi res, vel illis ipſis, qvi ferre eam neqveunt, præſertim in primâ ætate, vel eorum matribus, uterum gerentibus, inſignem terroris, doloris, ingrati odoris aut ſaporis, aliumve ſenſum incuſſerit, & ſui veſtigia ſucco nervoſo ac cerebro fortiſſime impreſſerit, iſtamqve impreſſionem in poſteriori, ob intimam matris cum fœtu ſecundum omnes partes conſenſionem, in hujus qvoqve, nimirum fœtus, cerebrum derivarit. Hac enim ratione qvemadmodum in fœtâ, ita etiam in fœtu, ex ingratâ ejusmodi & moleſtâ ſenſatione odii atqve averſionis Idea in mente excitatur, qvam deinde ſucci nervoſi agitatio, & in Cor, Ventriculum partesqve alias impulſio, harumqve variæ commotiones ſeqvuntur, &c. Utrum verò talis gravidæ matris cum fœtu communicatio per ſuccum nervoſum, vel per Spiritûs vel alio incognitô modô communicetur, hôc locô non inqvirere, ſed tantummodo aliqvot ejusmodi Antipathiæ variorum ſenſuum exempla recenſere volumus. Videatur interim de ejusmodi Idioſyncraſiæ explicatione Joh. Ludov. Hannemann. *Nov. Method. cognoſcend. Vegetabil.* §. 35. *ſeq. p. 70. ſq.*

§. 4.

Panis. A Pane adeò abhorruit ruſticus qvidam Normannus, ut eum nunqvam deguſtaverit, qvem ruſticum ſe noviſſe refert Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. 1. cap. 24. p. m. 79.* Imò hic ruſticus nec panem, nec carnes, nec piſces, unqvam deguſtabat,

ſtabat, ſed ſolis ovis veſcebatur; unde ei cognomentum Muſtelæ â vulgo imponebatur, qvòd id animal ovorum ſit avidiſſimum. Idem Autor etiam *Lib. 2. cap. 6. p. 143. & Lib. 6. Cap. 1. p. 377.* ſcribit, ſe in Belgicâ Galliâ, Chauniaci, puellam annorum ſedecim noviſſe, qvæ Panem nusqvam deguſtârat, nullosqve alios cibos, præter ſerum lactis, qvô ſolô educata fuerat, alterius cujuscunqve cibarii expers: Nam vel ipſius panis odorem ferre non poterat; qvod ſi in ſerum, qvô alebatur, vel momentum panis injectum fuiſſet, etiamnum è longinqvô olfactu deprehenderet & nauſeâ tentaretur. Puellus qvidam, qvinqve aut ſex annos natus, ex gravi morbô liberatus in aliud incidit Symptoma, ut, qvotiescunqve panem videret, imò etiam intelligeret nominari, in terram mortuus qvaſi proſterneretur, omni loqvelâ, viſu, auditu & intellectu privatus, qvi tamen tandem qvaſi ex ſopore expergefactus ſurgebat, & puerilia ſua negotia, ut antea, peragebat, teſte Gvilelmô Fabriciô Hild. *Obſ. chirurg. Cent. 2. Obſ. 44. fol. m. 116.* Adoleſcens qvidam qvindecim annorum è Sileſiâ oriundus, Gymnaſii Gorlicenſis tunc temporis Alumnus, per anni integri ſpatium ex affectu qvodam ſingulari in patriâ decubuerat, qvi hoc peculiare inter alia Symptomata expertus fuit, ut non modò panis eſum & uſum ſingulari faſtidiô averſaretur, ſed â morbô qvoqve convaleſcens id pariter faſtidium experiretur, ut qvovis die unam alteramqve micam non niſi rogatus aſſumeret. vid. Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. I. Hiſt. 100. p. m. 155.* Chriſtophori Seidleri Civis & Zythopeptæ Thorunenſis conjux ex malâ conſvetudine panem ſolum raro comedit, cum butyro rariſſimè, cum carnibus & obſoniis nunqvam; interim vixit ſana, evſarca & aliqvot liberorum mater, referente Simone Schulzio *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 158. p. 223.* De Aulicô qvodam obeſiſſimô panis eſum negligente; item de Monarchâ qvodam Auguſtiſſimô, valde macilento; & de literatô qvodam

ad carnes easqve pingves avidè libandas paratiſſimô, â pane tamen abſtinente, & qvovis cane venaticô magis gracili, vid. Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 138.* Sartor qvidam cachecticus Soræ per triennium ne micam panis guſtavit eumqve ita averſatus eſt, ut etiam mentio hujus illi moleſtiam creârit, ipſeqve tandem Atrophiâ obierit; juxta relationem Samuelis Ledelii *l. a. Dec. II. An. 2. Obſ. 42. p. 72.* Magiſter qvidam Eqvitum bene qvidem panem ſecalinum, at ſiligineum & triticeum citra animi deliqvium vorare vix potuit, annotante Roſinô Lentilio *l. a. Dec. II. An. 4. Obſ. 159. p. 305.* Mihi econtra notus eſt amicus, natione Hungarus, qvi panem ſecalinum & fermentatum absqve Ventriculi & Capitis noxa minimè ferre poteſt ſolô triticeô contentus. Idem etiam â Vinô maximè abhorret, de qvô infra pluribus. Vinariæ olim qvidam habitavit, qvi vultûs illico colorem mutavit animôqve prorſus defecit, qvando in potu aliqvô vel micam ſaltem panis, ſive caſu, ſive ſtudiô, injectam animadvertit, & qvidem ſic aſſiciebatur, qvàm primum aperiebat & ori admovebat poculum, etiamſi illam nondum deprehendiſſet. vid. David. Lipſii *Antipath. ſive Diſſert. de faſtid. Cib. & pot. p. m. 11.* Ibidem etiam viri meminit, qvi nunqvam panem, neqve in offâ, neqve in pulte comedere potuit. Johannes Bruyerinus *l. a. Lib. 6. cap. 1. p. 377.* refert, ſe virum eximiæ literaturæ vidiſſe, cui peculiare fuerit, multis carnibus, parciſſimô autem pane veſci, unde illi in pœnam fœtidiſſimus halitus contigiſſet. Nobilis qvidam Venetus ferre non potuit calidum recentemqve panem diſcindi, vid. Thom. Bartholin. *Hiſt. anat. Cent. 3. Hiſt. 28. p. m. 64.* Scribit etiam Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib 7. fol. 916.* Alexandrinum ſciviſſe qvendam rarenter admodum panem; alium nunqvam in cibum aſſumpſiſſe. Et *fol. 917.* inqvit: Junii Craſſi filium & Zæſium â pane naturâ abhorruiſſe. Civis qvidam Nicolſpurgenſis per totum vitæ ſuæ ſpatium panem ſeſe deli-

Obſervatio.

bâſſe

bâſſe non meminerat, utpote totô genere naturæ ſuæ contrarium, qvamvis ſubinde famelicus ſatis eſſet. Contigit tamen, cùm febre qvartanâ chronicâ afficeretur, medicamenta omnia reſpuens, Panem, aliàs naturæ ſuæ inimicum, appetere cæpit, eodemqve caninâ qvaſi fame paulò anteqvam Paroxyſmus invadere ſolitus erat, copioſè devoratô, ab omni ulteriore febre judicatus eſt. Hic tamen, etſi poſtea ſatis diu vixerit ſanus & incolumis, ab eô tempore iterum ab omnigenô panis eſu abhorrere & nauſeare cœpit, ſecundum relationem Franciſci Matthæi Hertodii *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 144. p. 228.* Pueri cujusdam, qvi per totam vitam â pane abhorruit, ex Schottô meminit Michaël Etmüllerus *Oper. Vol. I. f. m. 83.* & qvidem ob matris tædium, ex denegatô ipſi Pane nimis deſideratô, obortum. Mater enim hujus pueri gravida, cùm aliqvando in cujusdam mulieris vicinæ domum veniſſet & vidiſſet Panem albicantem & bonum, placuit illi illico, ut appetitu illô veſcendi teneretur, ſed ex pudore non voluit poſtulare; poſtulatione ergo hac Panis neglectâ & tædiô, qvòd non poſſet accipere, peperit puerum, qvi nullô Pane veſci potuit.

§. 5.

Ab eſu Carnium in totum abhorrentes plures ſe noviſſe dicit Amatus Luſitanus *Curat. medic. Cent. 2. Curat. 36. fol. m. 166.* Et Braſſavolus Illuſtriſſimam Juliam Taraconenſem, Federici Regis Neapolitani filiam natu minorem, carnes neque edere, neque guſtare potuiſſe refert. Nempe ſi bolum in os ponebat, in vehementiſſimam incidebat Syncopen, & vehementi clamore ululabat, in terram decidens volutabatur, idque ſemihoræ ſpatiô contingebat, poſtea ad ſe redibat. vid. Joh. Schenckii *Obſerv. med. Lib. 7. fol. 910.* item Bernh. Langwedel. *defenſ. Hippocrat. Themat. 13. p. m. 95.* Pharmacopœus quidam primùm Lipſienſis, deinde Dresdenſis, nomine Mauritius Steinmetz, nullô veſci poterat animali, ſangvine præditô; Cancris autem & *Carnis.*

N 5 aliis

aliis fluviatilibus exſangvibus fruebatur. Qvin & brodia carnium aſſumebat, itemque ova, lac, caſeum comedebat, carnes ſaltem ſangvine nutritas totus horrebat, teſte Philippô Salmuthô *Cent. 3. Obſ. 100. p. 111.* Qvidam Cæmentarius, nomine Michael Vogler, ex ſemicrudo Capite vitulinô, Menſæ illatô aliquot annorum ſpatiô ab omni carnium eſu prorſus abhorruit. vid. Joh. Schenck. *l. a. f. 321.* Obſtetrix qvædam, Barbara Zimmermannia, Longo-Salza Thuringa, Carnem aſſatam calidam neqve edere, neque illius odorem ſufferre poterat. Si verò frigefacta erat, illam absqve nauſeâ comedebat, referente Caſparô Theophilô Bierlingio *M. N.C. Dec. I. An. 2. Obſ. 207. p. 309.* ubi etiam Magiſtri eximiæ eruditionis meminit, qvi ad octavum ſuæ ætatis annum nullam carnem guſtare; & fœminæ ſexaginta annorum, qvæ ab infantiâ usqve ad illam ætatem carnem gallinaceam edere non potuit. Civis qvidam Scaphuſanus, Lanio, carnium eſum â teneris ad vitæ finem, ſcilicet annum ætatis qvadrageſimum ſeptimum, ſummopere averſabatur; nidorem illum pertulit; aliis & domeſticis de carne, ceu ſolitus paterfamilias, bene proſpexit, communi menſæ aſſedit, qvandoqve Conviviis interfuit, ſine ullâ nauſeâ aut horrore. A tempore ablactationis ad vitæ terminum ſæpe juſculis carnis reficiebatur: adultior qvoqve ſubinde comedit de farciminibus, carne vitulinâ & ſuillâ infarctis & aſſatis ſine ullô valetudinis damnô. Omnem reliqvam carnem, ſive qvadrupedum, ſive volatilium, ſive aſſam, ſive elixam, & qvomodocunqve conditam planè reſpuit, neqve illarum vel unicam in os admiſit. Cauſam tantæ averſationis eſûs carnium apud hunc Lanionem, tum ipſemet, tum alii detulerunt errori imaginationis maternæ. Cùm enim qvidam malè ſvada fame compulſus in macellum veniens, conſpectis inteſtinis ex bove recenter mactatô evulſis ſibi temperare neqviit, qvin illorum fruſtum calidum adhuc & excrementis plenum avelleret & avidiſſimè cum contentis devoraret;

voraret; Mater Lanionis illum adhuc Uterô gerens ab hoc ſpectaculô, imprimis videndo excrementa per barbam & mentum delabentia, ita perterrita fuit, ut ad puerperium usqve ab omni carne in victu abhorreret, annotante Johanne Jacobô Wepfferô *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 68. p. 174.* Fœmina nobiliſſima in puerperiô faſtidiô excipiebat omnes cibos ordinarios & vice verſa difficillimæ concoctionis & vix ruſticis accommodatos anxiè appetebat, imò ullâ absqve noxâ & ſingulari cum naturæ blandimentô aſſumebat, beneqve concoqvebat, pingvior inde reddita. Item Mercatoris cujusdam Uxor tenera ab olfactu carnis vitulinæ qvovis modô apparatæ nauſeabat cum inſigni ſuffocatione Uteri, juxta Samuelem Ledelium *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 112. p. 229.* De fœminâ ſpectatæ formæ & virtutis, qvæ ante annum ætatis ſuæ qvartum decimum nullius ſvaſu flecti potuit, ut carnibus veſceretur, vid. Jul. Cæſ. Scalig. *de Subtilit. Exercit. 153. p. m. 489.* Seqventia refert Martinus Schoockius *de Averſat. Caſei p. m. 203.* Ancillam habui, cui perſvaderi nullâ ratione potuit, ut carnem vitulinam guſtaret. Virum adhuc novi longe doctiſſimum ſcriptisqve celeberrimum, qvi licet â Judaicis ſuperſtitionibus ſit alieniſſimus, carnem ſuillam tamen æqve atqve angves execratur, nec patitur ullos cibos porcinâ pingvedine condiri. Item *p. 204.* mentionem facit cujusdam Virginis virtuoſiſſimæ, qvæ ab eſu petaſonis calidi abhorrebat, cùm tamen humerô ſuillô coctô calidô, aut petaſone frigefactô, ſummâ cum delectatione veſceretur. Hildebrandes Giſelerus Ruhman, tunc temporis Ducatus Calenbergenſis ſummus Præfectus ab Abbate qvodam ad prandium eſt invitatus. Cùm autem inter alios cibos etiam Caput vitulinum Menſæ apponeretur, non tantùm is ſummus Præfectus ipſum non potuit aſpicere, ſed â menſâ ſurgens clamore & geſticulationibus furibundo ſimilem ſe præbuit, uſqve dum Caput Vituli removeretur. Cujus filia qvoqve Caput Vituli in menſam

ſam appoſitum poſtea abhorruit. Ludovico Jacobo Inſtitori Haſnienſi ad Carnis Vitulinæ in menſâ conſpectum ſangvis è naribus manavit. vid. Johann. Rhod. *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 89. p. 49.* Refert etiam Henricus Smetius *Miſcellan. med. lib. 3. p. m. 164.* ſe vidiſſe, qvi ex ovillarum carnium eſu per vomitum & per alvum periculoſè purgarentur, idqve non ſemel tantùm, ſed ſæpius accidiſſe diverſis meminiſſe addit. Ab eſu Leporis Maranthæ Pater ſemper fuit alieniſſimus. vid. Bernh. Langved. *Defenſ. Hippocrat. p. 95.* Scribit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph curioſ. Sect. 3. cap. 1. p. 248.* ſe noviſſe honeſtam virginem, qvæ, qvamprimum caput leporinum crudum aſpexit, frigidô ſudore perfuſa gravi ſyncope correpta fuit, à coctô autem & aſſatô minimè abhorrens. Ibidem etiam meminit Monachi cujusdam, qvi Caput vituli coctum menſæqve impoſitum non ſine animi deliqviô intuebatur. Simile exemplum de qvodam, qvi caput vituli menſæ impoſitum aſpicere non poterat, recenſet Gothofredus Mœbius *Fundam. phyſiol. cap. 10. p. 161.* Item puella qvædam nec Caput vitulinum coctum, nec braſſicam capitatam, aſpicere valebat, ita qvidem, ut ſi ad id vi cogeretur (coqvam enim agebat) in animi deliqvium ac Syncopen incideret. Cujus rei cauſa cùm altiùs inqvireretur, puella hæc in hypochondriis binos nævos maternos oſtendit, qvorum dexter caput vitulinum, ſiniſter verò braſſicam capitatam unà cum foliorum venulis exactè referebat, juxta Obſervationem Georgii Sebaſtiani Jungii *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 135. p. 299 ſq.* Fuit Elbingæ primarius Paſtor, qvi porcelli aſſati caput videre non potuit, juxta Jacobum Barnerum *l. a. An. 6. & 7. Obſ. 199. p. 294.* Qvod confirmat etiam Simon Schulzius *l. a. An. 2. Obſ. 11. p. 30.* inqviens: Paſtor ille porcellum infarctum & totum cum capite & pedibus aſſatum nullô modô ſine inſigni Lipothymiâ vel videre, vel comedere poterat; Capite verò poſt aſſationem ablatô eum aſpiciebat & edebat. Notavit etiam Joſephus

ſephus Lanzonus Anno 1698. Virginem annorum qvindecim, qvæ caput vituli elixatum tolerare non poterat; *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.* Porcellum Trojanum Antwerpiæ qvidam nec tolerare, nec comedere poterat, ſiqvidem qvoties in conviviis ejusmodi porcellum inferri & menſæ apponi conſpiceret, ſtatim Syncope correptus corruit. vid. Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 7. fol. 917.* Capitis ſuilli menſæ illati conſpectum vir qvidam conſularis in Urbe Grœningâ ſine animi deliqviô ſuſtinere non potuit, niſi aure reſectâ, qvâ demtâ liberaliter ex illô Capite comedere non detrectavit. Et militum Tribunus nec picturam Capitis ſuilli in tabulâ videre, nec ædes, ubi tale ſignum compareret ſuſpenſum, progredi potuit, uti ex Deuſingio refert Philippus Jacobus Sachs a Leewenheimb *Gammarolog. Lib. 2. Sect. I. cap. 4. p. 592.* Ubere vaccinô guſtatô Generoſæ cuidam Comitiſſæ labia ſubitò intumeſcebant, & licet ipſa ab hoc cibô non abhorreret, qvoties tamen eſitabat, ſymptomati huic obnoxia fiebat, juxta Schenck. *loc. all.*

§. 6.

Senator qvidam Baſileenſis lardô non veſcebatur obqve id etiam qvæcunqve lardo confixa aut infarcta erant, non attingebat, juxta Felic. Plater. *Obſervat. med. Lib. 1. pag. m. 238.* *Lardi.*

§. 7.

A volatilium cujuscunqve generis eſu Pater Bartholomæi Maranthæ alieniſſimus fuit. vid. Phil. Jacob. Sachſ. *Gammarolog. l. a. p. 585.* item Bernh. Langwed. *l. a. p. 95.* qvi etiam *p. 97.* viri cujusdam meminit, qvi per aliqvot annos eſum carnis pullorum, caponum atqve gallinarum, ac juſcula inde parata abhorruit in tantum, ut ex ejus ſaltem guſtu Cardialgiâ & levi corriperetur animi deliqviô. Item ex Scaligerô fœminam adducit, qvæ ante annum ætatis ſuæ qvartum decimum nullius ſvaſu flecti potuit, ut carnibus veſceretur. Virginem Freibergenſem omnia volatilia, tam domeſtica, qvàm ſylveſtria abhor- *Volatilium.*

hotrentem ſe noviſſe ſcribit Michael Bapſt Artzney-Kunſt *p. m. 16.* Et fœmina qvædam Leucopetræ ſexaginta annorum â primis infantiæ annis carnem gallinaceam comedere non potuit. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. curioſ. Obſ. 14. p. 33.* Idem Autor etiam *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 207. p. 309.* Viri meminit, qvi animalia volatilia aſſata tolerare non potuit, imprimis verò anſeres aſſatos. Antipathiam cum Perdicibus annotavit Johannes Ludovicus Hannemannus, de qvodam Generoſiſſimô Eqvite, qvi nulli venationi libentius, qvam Perdicum, ſuam locabat operam ac tempus, avesqve ipſas ſummâ cum voluptate ſuâ verſabat tractabatqve manu, verùm ſi aſſatæ in menſam vel cubiculum occultatæ, ipſô inſciô, inferrentur, animi deliqvio erat proximus, totumqve ejus corpus ſudore frigidô manabat, &, niſi citò removerentur, pereundum ipſi eſſet: Aliqvando Perdicem aſſatam ipſi minimè conſcio ſub ſellâ, cui inſidebat, occultârunt; verùm tam gravis & periculoſa animi anxietas eum invadebat, ut profuſô gelidô ſudore per univerſum corpus, niſi removiſſent, procul dubiô exſpirâſſet. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 57. p. 67.* De ſpasmodicis ſymptomatibus ex eſu Coturnicum vide obſervationem Danielis Nebelii *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 60. p. 145.* Canem habuit Pontanus, qvi â carnibus gallinarum tantoperè abhorruit, ut iis oblatis fugerit. vid. Mart. Weinrich. *de Monſtr. p. 65.*

Perdicum.

§ 8.

Piſcium.

Piſces alii abhorrent, qvalem novit Amatus Luſitanus, & qvidem Hiſpanum, qvi nunqvam piſces guſtaverat; at cùm ſemel ab amicô ad cœnam vocatus datâ operâ piſcem ſiccum optimè piſtum ovis obvolutum ederet, in animi anguſtias & cordis preſſuras cum vomitu & ſeceſſu devenit; ita ut parum abfuerit, qvin ex totô ſpiritus deficeret & ipſe moreretur. vid. Amat. Luſitan. *Curat. medicin. Cent. 2. Curat. 36 fol. m. 165.* Nobilis etiam, nomine Arnheim, nullos piſces ferre poterat, juxta Caſp. Theoph.

Theoph. Bierling. *Adverſar. Cur. Obſ. 14. p. 33.* A piſcibus qvoqve ſic abhorrebat Eraſmus Roterodamus, ut ad odorem modò protenus ſentiret gravem Capitis dolorem, non ſine febri, ut ex ipſius Epiſtolis allegat Martinus Schoockius *de Averſat. Caſei p. m. 197.* Jacobi Gaffarelli Sororis cruri ſiniſtro, ex matris appetitu impreſſus fuit piſcis, mirâ arte efformatus. Hæc qvoties edebat piſces, acutiſſimos dolores eô loci patiebatur. vid. Jacob. Gaffarell. *Curioſitat. inaudit. Part. 4. cap. 5. §. 12. p. m. 104.*

§. 9.

In ſpecie nonnulli Angvillas maximè averſantur, uti de hoſpitâ ſuâ Venetâ recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. med. anat. Cent. 3. Hiſtor. 28. pag. m. 64.* Novit Ambroſius Paræus inter Galliæ proceres primariæ Nobilitatis virum, qvi appoſitâ Angvillâ medias inter epulas atqve ſodalium amicorum greges ſic conſternabatur, ut repentè in præcipitem virium omnium lapſum inciderit. vid. Ambroſ. Paræi *Introduct. ad Chirurg. cap. 22. fol. 26.* Novit Martinus Weinrichius qvendam, qvi Angvillarum non modò odorem, aſpectum, eſum non pati poſſet, ſed ne eſſet qvidem in ædibus absqve inſigni anxietate, ubi occultabantur, uti inqvit *Comment. de Monſtr. cap. 8. p. 65.* In Padova in un ſepolcro, non multo lungi dalla Brenta, una ſterminata copia d' angville fù ritrovata, che per una ſotterranea cloaca, che metteva foce nella ſuddetta, e radeva lo ſdruſcito muro del ſepulcro, v' erano dentro, per paſcolarſi di qve' cadaveri, penetrate: per lo che rifiutò un gran tempo il popolo nauſeato il cibo d' angville temendo le ſempre di qvelle, che di carne umana nutricate ſi foſſero v. Anton. Valliſnier. *de' Corpi marin. pag. 171.* De virô, qvi viſâ Angvillâ Lipothymiâ gravi corripiebatur: imò etſi cruſtis artocreatum inſtar angvilla incluſa menſæ inferretur, mortui inſtar concidebat, nec ad ſe redibat, niſi ablatâ Angvillâ. vid. Henr. ab Heer *Obſ. 29. p. 247.* In virô *Angvillæ.*

O 2 qvodam

qvodam Lipothymiam ex odore Angvillarum, aſſatarum, qvas coctas libentiſſimè comedebat, obſervavit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 214. p. 412. ſeq.* Ruſtici cujusdam uxor ex ſolô Angvillæ toſtæ odore ſubitò tormentis hyſtericis fuit afflicta, & deliqviô animi correpta, teſte Chriſtianô Franciſcô Paullini *Tract. de Angvill. Sect. I. cap. 3. p. 110.* qvi etiam *pag. 109.* ſcribit, ſe noviſſe nobilem & Generoſam Virginem, ad tonitrua præ terrore ſudantem, inqve animi deliqvium labentem, ex eô, qvòd mater tunc prægnans angvillam comediſſet, qvæ capta fuerat Cœlô nimbis, turbine & tonitru maximè turbatô, ad ſuperficiem aqvæ enatans. De Nobili Scotô, qvi ſubitò totus videbatur palleſcere, deliqvio animi proximus, qvoties Angvillas toſtas vel oculis uſurpabat, teſte Olao Borrichio *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 49. p. 206. ſeq.* Erat Ferrariæ cujusdam Civis Uxor, triginta & trium annorum, qvæ, dum Uterô gerebat, ſtatim Antipathiâ cum Angvillis laborare incipiebat, ita ut hoc ſolô ſignô ſe gravidam eſſe judicaret. Tunc enim nec edere nec videre Angvillas poterat, ad earum ſolummodò præſentiam in vomitum incidens. Poſt partum autem hæc ceſſabat Antipathia; imò eisdem coctis, tanqvam delicatô ferculô ipſa fruebatur, teſtante Joſepho Lanzono *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 208. p. 379.* qvod dictus Autor etiam Anno 1700. in juvenculâ primiparâ cujusdam Fabri uxore obſervâſſe ſcribit *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.* Mulier qvædam exenterans Lucium inqve Ventriculô ejusdem ranam inveniens ex tædio ranæ omnem poſtea lucium nauſeabat, vid. Michaël. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. m. 84.*

Lucii.

§. 10.

Halecum.

Haleces neqve edere neqve videre potuit Nobilis qvidam Matthias Heinrich ab Oppen, vid. Caſp. Theoph. Bierling *Adverſ. Curioſ. Obſ. 14. p. 133.* Gottofredo Polyſio honeſtus qvidam vir ſæpius retulit, ſe vel ad primum acetariorum & Halecum

lecum conſpectum adeò turbari tantâque affici anxietate, ut cum periculô Lipothymiæ ſudor frigidus in facie & manibus prorumperet; qvibus ſymptomatibus per aliquam temporis moram diſſipatis, ſe magnô cum appetitu præfatos comedere cibos. Accidens hocce rarum ipſi fuit hæreditarium, nam parens eodem modô ſeſe habuit ad prænominata edulia *vid. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 106. p. 266.*

§. 11.

Gammaros coctos Medicus qvidam ſine magnâ anxietate & perturbatione in menſâ ferre ac tolerare neqvivit, teſte Georgiô Sebaſtianô Jungiô *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 135. p. 299.* Novit etiam Libavius, qvi nullo cibo ex exſanguibus, cochleis & Cancris uti potuerunt, v. Phil. Jacob. Sachſ. *Gammarolog. Lib. 2. Sect. 1. cap. 4. p. 582.* Aliud Antipathiæ cum Gammaris exemplum communicat Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 25. p. 61.* ſeqventibus verbis: Amici cujusdam mei integerrimi uxor, præ aliis ferè eduliis aſtacos fluviatiles in deliciis habet, ſed qvotiescumqve iis veſcitur, voluptatem hanc, vix non momentaneam, ſat gravi, tædioſâ, imò ipſius valetudini inſidioſâ pœnâ luere cogitur. Poſt eſum enim eorum immodicâ & ſat diuturnâ corripitur ſtimulatione, quæ tam freqvens & vehemens eſſe ſolet, ut præter dolorem capitis vehementem vires etiam ad tempus aliquod haud parum labefactentur, proinde nolens volens ab eſu illorum abſtinere cogitur. Vir qvidam qvadragenariô major per longum tempus eſum Cancrorum tanto habebat in pretiô tantisque in deliciis, ut ſepoſitis aliis ferculis lautioribus, iisdem vel ſolis delectaretur. Poſt aliqvot autem annos, poſt comeſtionem Cancrorum ex improviſo ſenſit nauſeam primò ſeqvente mox inflatione pectoris, colli capitisqve cum anxietate qvadam conjuncta, efflореſcentibus una maculis rubicundis ſeroſisqve per pectus & caput; qvæ vero ſymptomata tandem ſudore ſive ſpontaneô, ſive ar- *Cancrorum.*

te factô ſenſim ceſsârunt. Ab eô tempore, qvamvis ne nauſeam quid inde viſus ſit habere, tamen comedens ſaltem unum vel alterum Cancrum, mox in priſtina relabitur ſymptomata, qvæ per annos præcedentes aliqvoties ipſum mirè exercuerunt, ut hinc Cancrorum eſui penitus valedicere coactus fuerit, ſecundum obſervationem Ehrenfridi Hagendornii *M. N. C. Dec. II. An.3. Obſ.35. p.98. ſq.* Fœmina haud vulgaris conditionis toties capitis dolores experiebatur, qvoties in Cibis Cancris marinis utebatur, teſte Thomâ Bartholino *Cent. V. hiſtor. 57. p. 294.* Sacerdos qvidam ſæpiuſcule in conviviis per tempus aliqvod mutus evadebat: in cujus cauſâ inqvirendâ dum curioſus ſeipſum examinaret & cibos menſæ appoſitos, num fortè aliqvis naturæ contrarius foret, deprehendit Cancros, etſi eorundem eſu natura ejus ſummè gauderet horum tamen adhuc calentium odore maximè offendi, ſeqve exinde mutum reddi, donec iidem refrigerentur. Hujus cauſam vix aliò, quàm in matrem prægnantem conjici debere, judicat Franciſcus Matthæus Hertodius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 145. p. 229.* Omnes Cancros vivos pariter ac coctos, angue pejus & cane devitabat puella, cujus matris dormientis mammæ cancer firmiter adhæſerat, *vid. l. a. An. 5. Append. p. 17. ſeq.* Scribit etiam Julius Alexandrinus, ſe quosdam ſcire, quibus Cancrorum uſus fuerit averſiſſimus. vid. Theod. Zwinger. *Faſcicul. Diſſert. med. diſſ. i. p. 12.*

§. 12.

Lactis. Senem quendam tantum ab ortu lactis habuiſſe odium, ut nunquam illud guſtaverit, refert Petrus Borellus *Cent. 4. Obſ. 61. p. 320.* Lac etiam ita abhorruit Conciliator Aponenſis, ut nec illud comedentes quadam ſine nauſeâ aſpicere poſſet. v. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. admirab. Lib. 6. cap. 3. p. 625.* Joſephus Scaliger per omnem vitam â lacte abhorruiſſe dicitur. v. Mart. Schoock *de Averſat. Caſei p. 200.* De Virô in Thurin-

Thuringia, qvi nunqvam lac deguſtavit, vid. David. Lipſ. *Diſſert. de Faſtid. Cib. p. 11.* Cuidam viro Hiſpalenſi epotô lacte adeo viſcera commovebantur, ut evomere ad ſanguinem usqve cogeretur, uti refert Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 57. p. 67.*

§. 13.

Sæpius etiam Butyri faſtidium experimur, cujus Antipathiæ exemplum domeſticum ad Nepotes translatum, notum fuit Thomæ Bartholino, ut ſi vel vi, vel blanditiis, puerulis butyrum obtruderetur, ſupervenerit vomitus, anxietas & narium hæmorrhagia v. Bartholin. *Cent. 3. Hiſtor. 28. p. 64.* ubi addit, qvosdam butyrum frigidum faſtidire, liqvatum in Cibis appetere, & ſi errore coqui frigidum forte cibis miſceretur, in Lipothymiam incidere. Qvale exemplum mihi notum & qvidem in coqvâ qvadam, ſuæ artis coqvinariæ non inerte; qvippe qvæ ad recentis & frigidi butyri eſum nullis perſuaſionibus nullôqve præmiô adigi poterat; econtra verò Butyrum liquatum tam cibis admixtum, quam intinctô pane vel etiam cochleatim calidè aſſumptum pro ſummis deliciis habebat. Butyri pariter ac Caſei uſum Hermanni Grube Parens adeò averſabatur, ut vix odorem citra ingentem vomitum perferret; imò hujusmodi cultellô, qvô butyrum ſive caſeus erant ſumpta, utut repurgatô, neutiqvam tamen caperet cibum, qvod de ſe ipſo etiam ſcribit dictus filius Hermannus Grube *de medicament. Simplic. Sect. 3. Art. 2. p. 53.* *Butyri.* *Obſervatio.*

§. 14.

Caſeum qvamplurimos abhorrere, qvotidiana teſtatur experientia, imò nonnullis caſeum non ſolum comeſtum ſed odoratum pro venenô habitum fuiſſe, teſtatur Amatus Luſitanus *Curat. med. Cent 2. Curat. 36. fol. m. 165.* Fœmina qvædam adeò Caſei odore abhorruit, ut ſi cultrô, qvô caſeus ſectus fuerat, inſcia panem dividiſſet, in Lypothymiam incideret; qvæ tamen *Caſei.*

tamen gravida facta bis terve adeò Caſei odore oblectata fuit, ut abſentem etiam, velut præſens, odoraretur, &, qvod mirum magis, avidiſſimè tum temporis ſemel atqve iterum eundem comederet, uti ex Johanne Fabrô recenſet Philippus Jacobus Sachs à Leewenheim *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 125. p. 300. & An. 2. Obſ. 144. Schol. pag. 229.* Guido Patinus Caſeum album molliorem averſabatur, ut de eô diutius cogitare non liceret, ne ſuccederet animi deliqvium. vid. Joh. Dan. Horſt. *Manuduct. ad Medicin. p. 123.* Et Johannes Prævotius, Profeſſor Patavinus Caſeô ſectô veſcebatur ſatis commodè, tritum ſine vomitu & Ventriculi fluctuatione vix deguſtabat, juxta Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 58. p. 83.* Alii econtra eqvidem caſeum crudum averſantur, nihilominus tamen ferculis, utpote juſculis & placentis ex eô paratis admodum delectantur, uti in duobus ſuis agnatis etiam obſervavit Philippus Salmuth *Cent. 2. Obſ. 17. p. 67.* Et Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. 2. Sect. 1. cap. 4. p. 587.* de agnatâ ſuâ refert, qvòd Caſeum nullô alio modô, niſi cùm placentis aſperſus fuerit, comederit. Id qvod de plurimis perſonis atteſtari poſſem. Zacutus Luſitanus in juventute qvatuor habuit ſcholares ſocios, qvorum unus caſeum eumqve veterem in odiô habebat, ut vel per plateam incedens perceptô ejus odore illicò in animi deliqvium incurreret, â qvo magnô labore evadebat. Socii per jocum ſuper bellaria & dulciarios panes, qvorum copiâ arcam plenam habebat, factô parviſſimo deſuper foramine, & cerâ oblito Pulverem caſei tenuiſſimum ſemel inſpergunt, ut eô invitô potirentur eſcâ: Ille arcâ apertâ, dum odorem Caſei perſentiſcit, vix dici poteſt, qvô animi pathemate fuerit arreptus, ita ut accedente livore faciei & labiorum, ſtertore ſuperveniente cum pulſu parvô mortis imaginem repræſentaret. At ſpumâ excretâ ab Ore, Epilepticorum inſtar, ad vitam revocatus eſt. vid. Zacut. Luſit. *de Prax. medic. admir. Lib. 3. Obſ. 107. Oper. Tom. III. fol. m. 122.* Qvidam Halberſta-

Halberſtadii Caſeum menſæ appoſitum qvidem tolerabat, ſed ſi is cultrô â ſordibus adhærentibus mundaretur, in animi deliqvium incidebat, teſte Gothofredô Mœbiô *Fund. phyſiol. cap. 10. p. 161.* qvô locô alium vidiſſe addit, qvi Caſeum integrum ſine ſummâ anxietudine ferre non poterat, diviſum autem, bene. vid. etiam Marcell. Donat. *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 6. cap. 3. p. 625.* Joh. Schenk *Obſ. Lib. 7. fol. 916.* ubi inter alia exempla refert, in familiâ qvadam qvosdam fuiſſe filios caſeô abſtinentes, & filias, eô utentes, veſcendo avidè; idqve qvod Pater τυρόμισος eſſet, mater autem eſitaret caſeum. Vir qvidam annorum triginta ſex abhorrens â nativitate â Caſeô omnibusqve epulis caſeô conditis, cùm die qvadam in domum Parentum ſuorum ad prandium invitatus Murænam comediſſet, domeſticorum qvidam facetus, magnam caſei partem admixam eſſe joci cauſâ retulit; qvid fit? illico abſtemius ille â Caſeô totus frigefactus imaginationis vi Syncopen patitur, juxta Obſervationem Joſephi Lanzoni *M.N.C. Dec. III. An. 3. Obſ. 35. p. 37.* Ex qvâ Obſervatione apparet, verum eſſe qvod ſcribit Roſinus Lentilius *M.N.C. Dec. II. An. 10. Append. p. 60.* ſcilicet aliqvos etiam ſolâ per diſcurſum Caſei mentione injectâ non tantùm horrendiſſimis torqveri vomitibus, verùm & animô penitus linqvi qvod exemplô cujusdam Capitanei probat. De ſeipſô ita ſcribit Martinus Schoockius *de Averſat. Caſei cap. 1. p. 209.* Ratione mei, qvi ex Dei ſingulari gratiâ nuper complevi annum ætatis nonum ſupra qvadrageſimum, hîc occurrit qvid ſingulare. Nam non modò per omnem vitam averſatus fui caſeum, verùm iis qvoqve natus ſum parentibus, qvi ſimili ἀντιπαθείᾳ fuêre notabiles. Ex fratribus, qvos habui ſex adultos, duo ſolùm caſeum oderunt. Mater, ut habuit qvatuor ſorores, ita ex illis una ſolùm caſearia fuit. Ratione patris hoc ampliùs ſingulare, qvòd tum avus, tum proavus aſpernati fuerint Caſeum, avus ampliùs odorem illius ferre non potuerit. Interim

terim liberi mei, qvorum octo adhuc ſuperſtites ſunt, avidiſſimè caſeum, qvem in delitiis habent, appetunt, exceptô ſolô filiô natu ſecundô &c. Cauſam hujusmodi averſationis Caſei dictus Autor Capite ſeqventi examinat ibidemque *p. 212.* Matronæ honeſtæ meminit, qvæ licet ab eſu Caſei haud aliter atqve cicutæ abhorreret, marito tamen, qvi magnarius Caſeorum Mercator erat, in caſeis tractandis vendendisqve erat auxilio. Johanni Petro Lotichio Caſeus adeò fuit exoſus, ut de ejusdem neqvitiâ Tractatum medico-Philologicum ediderit, in qvô *p. m. 23.* non modò cujusdam, qvi ex odoratu ſaltem caſei putentis ac fœtidi, tantùm non illicò Cordis palpitationem, ſed etiam animi deliqvium paſſus eſt, meminit, & alia qvoqve ex ipſius eſu exorta incommoda adducit.

§. 15.

Correctio. Hanc tamen Caſei Nauſeam ſeu Impreſſionem timore vel aliis occaſionibus corrigi poſſe, teſtatur Jacobus Schallingius *Ophthalmograph. ſive de Natur. Oculor. Lib. 2. cap. 16. fol. m. 66.* inqviens: Contigit in Aulâ Vinarienſi Ducum Saxoniæ, ut ſuô cum filiô ſederet ad menſam Aulicus, atqve ut â cibis appoſitus eſt Caſeus, filio qvoqve ſuo Caſeum porrexit Pater, non ſine durâ ſententiâ; Caſeum ede. Filius ab infante abſtemius extimeſcit verba Patris & abſtinet. Pater colaphum impingit. Filius corde ſyncopatur, è gynæceo ſpiritibus analepticis reſtituitur; proinde Caſeum æqve ac Pater ſuus in cibi conſvetudinem recipit. *Obſervatio.* Revocat mihi in mentem hæc Obſervatio alium Caſei Caſum. Ante qvadraginta circiter annos Lipſienſis Bibliopolæ filiolus, qvatuor præter propter ætatis annorum, Caſeum maximè abhorrebat, ad cujus tamen eſum domeſticus qvidam commenſalis, facetus homo, eum qvotidie perſvadere conabatur, tam in prandiô, qvàm Cœnâ Caſeum ipſi porrigendo. Tempore autem qvodam, cùm in dicti Bipliopolæ Villâ, in præſentiâ hujus filioli, bos mactandus eſſet, faceti hujus com-

commenſalis inſtinctu, Lanio bovis ori & naribus Caſeum admovebat ſimulqve aliqvoties interrogabat, num caſeum vorare vellet? aliàs ipſi moriendum eſſet. Poſtqvam autem bos ſemper per conſvetum mû, qvaſi negando reſponderet, tandem lanio dicebat: qvia Caſeum non vis vorare, te occidam, unàqve diffractô ipſius Craniô eundem occidebat. Seqventi die finitô ferè prandiô, facetus iſte dicto filiolo Caſeum denuò offerebat, qvem cùm renueret, ille puello, bovis, Caſeum vorare nolentis ideoqve â Lanione occiſi, fatum, in memoriam revocabat ſimulqve Caſeum ſeriò offerebat, & niſi eundem comedere vellet, ſtatim ſe lanionem, ad ſimilem pœnam accerſiturum eſſe, addebat. Qvibus minis puellus hic tandem eò adigebatur, ut non ſolùm tunc temporis Caſeum absqve ullô ſymptomate guſtaret, ſed poſtmodum etiam ad ejusdem eſum asſveſceret.

§. 16.

Solô mellis guſtu ita qvosdam perturbatos fuiſſe, ut ſeſe Helleborum aut Cicutæ vaſculum ſumſiſſe exiſtimarint, ex Petri Martyris Epiſtolis refert Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 57. p. 67.* Mel qvoqve Domina qvædam excellentiſſima Viri magni Hyberniæ Gubernatoris Conjux, iteratis vicibus, Antipathiâ ſingulari tolerare neqvivit, eôqve non ſemel valde perturbata fuit. His tamen non obſtantibus peritiſſimus ejus Medicus ſibi imaginans, averſionem hanc non niſi fictitiam eſſe, ſuſpicioni ſuæ ſubventurus parum Mellis ingredientibus aliis remedio contra leve vulnus applicando commiſcuit; Cùm verò totum pedem malè ſe habere animadvertit, ſtatim Curioſitatis ſuæ pertæſus remedium hocce removit, & è confuſione hac inexpectatâ ſimul remotâ feliciqve aliorum medicamentorum ſucceſſu Symptoma hoc non ſoli vulneri, ſed Melli tribuendum eſſe collegit. vid. Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. cap. 16. p. 320.* *Mellis.*

p. 320. ſq. Paulò aliter hæc Obſervatio reperitur in Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglican. 1667. Menſ. Novembr. p. m. 446.* ſcilicet Nobilis Matrona Hyberna acceptô levi vulnere in femore, uſa fuerat ope Chirurgi, qvi ubi applicationi, ad id præparatæ, immiſcuerat paululum Mellis, (â qvô ipſa extremê abhorrebat, qvod tum æqvè ignotum erat Chirurgo, ac ægræ mixtura) locus affectus extemplò putreſcebat, & ita in pejus degenerabat, ut fœmina cogeretur accerſere Chirurgum: qvi interrogatus de Ingredientibus, reſpondebat, ſe inter alia adhibuiſſe mel, ubi, illâ exponente Antipathiam ſuam contra ſubſtantiam illam, applicatio illa continuò fuit ſublata, & alia ægræ magis accommoda ſuppoſita, bonô cum ſucceſſu. Ibidem etiam *p. 445.* ſeqvens Obſervatio extat: Qvidam vocatus Morley, Edmundiburgenſis, cùm laboraret morbo aſthmatico, conſilium acceperat â qvibusdam comedendi boni Anglicani Mellis, cochleare unum: qvô factô æger undiqvaqve tumeſcebat, qvaſi devorâſſet perniciosiſſimum venenum. Medicus extemplò advocatus, ut vitam ei ſervaret præſcripſit commune Sudorificum, qvod convenienti tempore eum priſtinæ conditioni reſtituit. Deinde ex Apothecariis inqvirebatur, annon error fuiſſet commiſſus in Melle. Omnes autem aſſeverabant, merum fuiſſe Mel. Sed ut illius rei per experimentum certiores redderentur, aliunde procurabant eandem qvantitatem, cujus uſum inſeqvebatur idem terribilis eventus, ægerqve eodem genere ſudorifici reſtituebatur. Mel & ex eô parata Bernardo Bonio præſentiſſimum fuerunt Venenum. v. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 7. fol. 917. ſq.*

§. 17.

Saccharum & dulcium. Juvenis qvædam matrona, qvoties Saccharum vas paſſus vel dulce aliqvid guſtabat, acerbiſſimis dentium doloribus affligebatur; nec moleſtia levabatur, dum amari aliquid, vel acidi aſſumeret, vid. Henric. ab Heer *Obſ. med. 29. p. m. 254.* Civis

vis qvidam, ſtrenuus Bacchi miles, qvoties potabat vinum Rhenanum, Saccharô imbutum, faucium contractione & cruciatu affligebatur, qvoties purum, nullô modô offendebatur, juxta Olai Borrichii Obſervationem vid. Act. Hafnienſ. *Vol. IV, Obſ. 44. p. 147.*

§. 18.

Salis faſtidium annotavit Marantha: non multis, inquiens, abhinc annis Vir quidam nobiliſſimus è vita diſceſſit, qui nullum obſonii genus eſitare poterat, quod ſalem (etiamſi permodicum eſſet) haberet permixtum. vid. Johann. Schenck. *Obſ. med. Lib. 7. fol. m. 916.* *Salis.*

§. 19.

Ex Ovorum recentium ſorbilium aſſumptione mulieri cuidam Illuſtri alvum continuò fuiſſe ſolutam, ac ſi medicamentum abſorpſiſſet, recenſet Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 6. p. 625.* Item addit, ſe Illuſtris cujusdam Comitis puerum noviſſe, cui, ſi ova comedenda propinabantur, ſtatim ac deglutiiſſet, labia tumeſcebant, & facies purpureis nigrisque maculis conſpergebatur, Osque ſpumâ circumdabatur, ac ſi venenum deguſtâſſet. Alios, qui ex duobus vitellis, juri mixtis, in fluxum alvi tracti fuêre, novit Heurnius. vid. Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medicin. Cent. 12. §. 63. p. 1021.* Antonius le Grand in ſua Hiſtor. Natur. Obſervationem habet notabilem Advocati cujusdam Londinenſis, qvi cùm aliquando in ſorbili ovô pullum penè formatum imprudentiùs deglutiiſſet, ova in poſterum ita averſatus ſit, ut ad illa denuò ſumenda nec Medicorum etiam hortatu unquam adigi potuerit. v. Theod. Zwinger. *Diſſertat. ſelect. Faſcicul. Diſſ. 1. §. 9. p. 18.* Quidam ova tantô adeòque acerrimô proſequebatur odiô, ut bullas in corpore ſolô contactu ei excitarent. vid. Petr. Borell. *Hiſtor. med. phyſic. Cent. 4. Epilog. p. 351.* Alius ova frixa non gu- *Ovorum.*

ſtabat, quòd putaret, Stomachi naturalem Diſpoſitionem per illa turbari, qualis notus fuit Martino Schoockio *de Averſat.*
Ova taricha. *Caſei p.m. 225.* Ova taricha, quod ex Sturionis ovis paratur edulium, Caviaro dictum, atque à nonnullis pro deliciis habitum, nonnulli adeò ſunt averſati, ut ne ore quidem indi paſſi
Caviaro. ſint. vid. Marcell. Donat. *loc. all.* De hoc edulio ita ſcribit Paulus Ammannus *Manuduct. ad mater. medic. Sect. 3. cap. 4. §. 21. p. m. 192. ſeq.* Ova Sturionum ſale condita & in maſſam coacta, ab Italis vocantur Caviare, Caviaro, Caviale, liquore ſalato di peſce, quanquam Schottus *in Phyſic. curioſ. p. 1356.* ex Ovis Huſonis præparari dicat Caviaro. Advehitur magnâ copiâ ex Moſcoviâ in Italiam, eſtque Maſſa, Saponem Hamburgenſem viridem colore & ſubſtantiâ referens. Itali ac Siculi in Deliciis habent & tota Quadrageſimâ comedunt cum Lactucis, quod nec Græci intermittunt, dum jejunii tempore panem & Caviarum aſſumunt. Aſt Judæi quoniam ſciunt, Sturiones ſquamis carere, abſtinent juſſu Legis *Levit. 11. v. 9. 10.* â Caviarô præſcriptô, & Ova Cyprinorum ita ſalire norunt, ut optimè ſapiant, atque ex iis Caviare rubrum conficiunt. Plura de Liquoribus, qui vulgo Botarge & Caviaro dicuntur, reperies apud Guidonem Pancirollum *Rer. memorabil. deperdit. Part. 2. Tit. 25. p. m. 308. ſeq.* & Philipp. Jac. Sachſii *Gammarolog. Lib. 2. Sect. 1. cap. 1. p. m. 548.*

§. 20.

Sulphuris. Vir ætatis annorum triginta ſeptem talem inimicitiam cum ſulphure ac ſulphuratis tenebat, ut ſcabie affectus inunctione Unguenti ad Scabiem, in cujus compoſitione pulvis ſulphuris habetur, ſtatim in Lipothymiam, ac poſtea tremorem & capitis dolorem incideret. Ille Joſepho Lanzono juravit, nec ſine angore ac Cordis palpitatione Sulphuris præſentiam poſſe tolerare. Imò quod mirabile eſt, nauſeâ tentabatur, ſolâ ſulphuris nominatione. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.*

§. 21. Cum

§. 21.

Cùm globuli ex farinâ cum Carne ſuillâ conglomerati menſæ apponerentur, quidam nomine Johannes **Keller** in tam immodicos ſolvebatur Cachinnos, adeò ut, niſi ſtatim cibus prædictus menſâ rurſus fuerit ablatus, ipſe cum riſu animam exhalâſſet, ſecundum relationem Philippi Jacobi Sachſii â Leewenheimb. *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 134. Schol. p. m. 299.* *Globulorum ex farina.*

§. 22.

Poma nunquam guſtavit Imperator Conſtantinus, nec illorum odorem Uladislaus Jagello Polonorum olim Rex perferebat. Et quidam è plebe hominum ne minis quidem adduci in vitâ potuit, ut pomum excorticatum manibus contrectaret, quod tamen integrum benè jucundèque verſabat. vid. David Lipſius *de Faſtid. & Odio Cib. & pot. p. 10.* ubi addit: Quercetum Gallorum Regis Secretarium ſcribere, quendam ſolô malorum aſpectu è conviviô extractum fuiſſe, &c. Quodſi tamen Johannis Bruyerini Tractatum de Re cibaria *Lib. I. cap. 24. p. 80.* evolvamus, dictus Autor idem ipſi Johanni Querceto adſcribit: ' Novimus, inquiens, Johannem â Quercetô, Pariſienſem, Regium Secretarium in aulâ maximi Regum atque clariſſimi Franciſci, ejus nominis primi, qui ſolô malorum odore atque aſpectu adeò turbaretur, ut ſtatim illi abeundum eſſet è Conviviô, ſi oppoſita cerneret. Quodſi propiùs naribus admoverentur repentè illi è naribus ſangvis profundebatur; ideoqve turundis ex pane confectis utramqve narem obturabat. Hujusmodi etiam Malorum odium innatum & peculiare fuiſſe in nobiliſſimâ Aqvitaniæ familiâ Fluſtarum (qvos poſtea Foëſios appellarunt) idem Autor annectit. Æmylius Campanellus Medicus Poma ferre non potuit, vid. Georg. Horn. *Hiſtor. natural. Lib. 1. cap. 10. pag. m. 31.* qvi tamen Hornii locus corrigendus videtur, cùm ab ipſô allegatus Claudius Deodatus *Panth. Hygiaſt. Lib. I. cap. 11. p. m. 109.* non Campanelli, *Pomorum.*

panelli, ſed Campolongi mentionem faciat. De Pomis & Ovis aliam ſingularem Idioſyncraſiam annotavit Simon Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 11. p. 29.* Germanus, inqviens, qvidam Studioſus ova & poma tam cruda, qvàm cocta comedebat, manibus tractabat atqve in menſâ immota jacentia aſpiciebat; Si autem qvis eadem ad motum impelleret, nullô modô ferre & ſe moventia intueri poterat, ſed ſtatim totali Lipothymiâ corripiebatur. Vir qvidam doctiſſimus tantam nauſeam a fragis, malis, cotoneis aliisqve pomis percepit, ut illa ſine anxietate ac perturbatione neqve aſpicere, neqve odorem eorum perferre potuerit: Imò &, qvod magis mirandum, adeò ea averſatus fuit, ut, etſi in domô abſcondita laterent, atqve ab eô non viderentur, tamen iſta olfecerit, uti ex communicatione Johannis Matthiæ Neſteri refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 201. p. m. 376. ſeq.* Plures etiam, qvibus Mala faſtidium attulerunt, ſe noviſſe ſcribit Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 274. p. m. 789.* Idem de Laurenbergio refert Johannes Daniel Horſtius *Manuduct. ad Medicin. p. 123.* Novi olim in Patriâ meâ Senatorii ordinis virum, cui nomen Gottfried Vogel, qvi omnes pomorum ſpecies perferre atqve comedere poterat, exceptis illis, qvæ vulgo Pomorum Stetinenſium nomine venire ſolent, qvippe qvæ nec viſu, nec odoratu tolerare, multò minùs guſtare poterat. Sed ſi qvando in conviviis talia poma menſæ imponebantur, ſtatim ab eorum, etiam ab ipſô non viſorum, præſentiâ ſudore frigidô perfuſus ad evitandum animi deliqvium, ſocietatem ſeu commenſales ad minimum per aliqvod temporis ſpatium, & donec dicta poma iterum auferrentur, relinqvere neceſſe habebat.

Obſervatio.

§. 23.

Pomorum citriorum.

Qvandoqve etiam Pomorum citriorum faſtidium obſervari ſolet, e. g. Civis Hafnienſis narravit, ſe, cùm adhuc juvenis Noribergæ viveret, in Colicam incidiſſe, qvoties malorum citriorum

triorum odorem percepiſſet; poſtea verò impunè ſine colicis cruciatibus, pomis citriis optime uti, ſecundum relationem Johannis Ludovici Hannemanni *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſerv. 72. pag. 176.*

§. 24.

Ex ſolô fragorum odore animi deliqvium incidebat Noſocomii Præfectus Eslingæ; & virgo qvædam Auſtriaca ex eſu fragrorum epileptica fiebat, atqve exinde qvotannis eô tempore, qvo fraga efflorescunt, Paroxysmo obnoxia cadere ſolebat. vid. Joh. Udalric. Rumler. *Obſ. 69. p. m. 40.* in Georg. Hieroym. Velſch. *Conſultat. & Obſerv. medicin.* Item Vir ille doctiſſimus, poma admodum abhorrens, cujus modò ex Garmannô mentionem fecimus, pariter â fragis tantum percepit faſtidium, ut ſine animi perturbatione eorundem neqve aſpectum neqve odorem ferre poſſet. A fragis comeſtis varia inducta ſymptomata annotavit Johannes Benedictus Gründelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 214. pag. 436.* Elapſô, inqviens, Anno 1686. die 23. Junii, ad Arcem aliqvot milliaribus diſtantem vocatus inveni Magnatis cujusdam Miniſtrum Nephritide ſatis inveteratâ laborantem. Dum itaqve præſcriptis jam remediis pharmacevticis etiam de diætâ inſtituendâ me adſtantes conſulerent, & de fragis, utrum in hôc affectu concedenda eſſent, mentionem facerent; retulit Dominus patiens, ſe qvidem nullum horrorem habere â fragis, imò ea bonô adhuc cum appetitu poſſe ſumere; iis tamen in notabili qvantitate comeſtis, ſeqventia ſymptomata ſemper & immediate expertum fuiſſe: nimirum exoriuntur anxietates, anguſtiæ pectoris, leves calores, & univerſum Corpus rubedine valde intenſâ tingitur, ac ſi Eryſipelate univerſali laboraret; ſuperveniente tamen levi ſudore, & rubedo & calor, aliaqve ſymptomata ſponte evaneſcunt, ita ut poſt duas â comeſtione horas nec ullum appareat veſtigium; ſolummodo debilitate qvadam Corporis remanente. Si verò

Fragorum.

Q ea ſu-

ea ſumantur in paucâ qvantitate, puta unius cochlearis, cutis qvidem non rubeſcit, interim tamen anxietates & debilitates aliqvales ſe inſinuant, ita ut omnimode ſint vitanda. Alius qvoqve Vir Illuſtriſſimus dicto Gründelio notus fuit, qvi aliqvoties â fragis comeſtis in febres tertianas incidit, ut æqvè ab illis abſtinere coactus fuerit. Jenæ qvidam Studioſus ex eſu fragorum ſubitò corripiebatur tumore brachii cum maculis purpureis aliisqve exanthematibus, teſte Hermannô Grube *de Medicament. ſimplic. cognoſc. Sect. 6. Art. 1. p. 113.* Sic Viro cuidam, qvotiens in Conviviis, ſive inter menſæ delicias, fragis veſceretur, totiens rubentia exanthemata per univerſum corpus prorumpebant, ut ideò libentiùs gratô alioqvin fructu mallet abſtinere, qvàm fœdatam maculis cutem experiri, juxta verba Thomæ Bartholini *Hiſtor. anat. Cent. 3. Hiſt. 57. p. m. 112.* Andreæ Libavii commilito qvidam, qvoties fraga comederat, imprudens in cutaneum qvendam affectum ſubitò incidit, in qvô tumor, rubor, pruritusqve totius cutis apparebat, perinde ac ſi ſcabie ſiccâ laboraret, qvæ tamen cutis defœdatio paucis diebus rurſus evanuit. Primò ſenſit hanc affectionem, cùm donò miſſa fraga, vinô generoſô & ſaccharô conſperſa abſumſiſſet, putans venenum ſibi datum. Sed poſtea cùm idem pateretur ex fragis ſuâ manu lectis, idqve ſæpius, agnovit ἀδυναμίαν. Veriſimile eſt, faſtidiſſe fraga Matrem prægnantem & inhorruiſſe conſpectâ aliqvâ re abſurdâ aut abominabili in ipſis, uti ex Libavio refert Johannes Rudolphus Camerarius *Syllog. memorabil. medicin. Cent. 9. n. 97. p. m. 726.* Et Philippus Jacobus Sachs fœminam novit Uratislaviæ, Theologi maritam, qvæ comeſtis fragis maculis in facie rubris, ſtatim ſe prodentibus defœdabatur, tanqvam teſtibus diffidentis naturæ v. ejusdem *Gammarolog. Lib. 2. Sect. 1. cap. 4. p. 587.* Alius ideo fraga averſabatur, qvòd exiſtimaret, ſub iis latibula ſua habere bufones, uti ex Libaviô refert Martinus Schoockius *de Averſat. Caſei cap. 2. p. 224.*

§. 25. Mo-

§. 25.

Mororum eſum non ſemper innoxium eſſe, probat Jacobus Gaffarellus *Curioſitat. inaudit. cap. 5. p. m. 101. ſeq.* inqviens: Novi qvendam, cujus fronti, ex matris appetitu impreſſum erat morum. Is qvoties edebat mora, ſuram convulſione inſolitâ lædi animadvertebat. Ex odore aceti ex moris Rubi Idæi aut etiam ipſorum fructuum in Lipothymiam incidere ſolitus eſt Johannes Uldericus Rumlerus, uti de ſeipſô fatetur *Obſerv. 69. p. m. 40.* *Mororum.*

§. 26.

Omnium fructuum recentium horariorum, veluti pomorum, pyrorum, ceraſorum, prunorum, fragorum, uvarum & cæterorum, qvibus alioqvin infantes mirè delectantur, duo fratres, Felix & Thomas Plateri, ab ineunte ætate, ad octavum ille, hic ad ſeptimum ætatis annum usqve planè faſtidiebant; interim cibos, qvi adultis & ſenioribus magis conſveti ſunt & competunt, avidè comedebant, exceptô caſeô, â qvô uterqve abhorrebat. vid. Fel. Plater. *Obſ. med. Lib. I. p. 238. ſq.* *Fructuum horariorum.*

§. 27.

Miram Virginis cum baccis Cynosbati Antipathiam annotavit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 149. p. 292.* ſeqventibus verbis: Exercet in Cynosbatum inextingvibile odium virgo mihi bene nota, tam rarô Antipathiæ documentô, ut nec lædens, nec læſa de triumphô inſolentiùs gloriari poſſit. Mirum! qvò arctiùs coëunt exitiali furentes hoſtilitate, eò acriùs, eò conſtantiùs armis arma pulſant. Nec pugnâ, credo, niſi divellerentur, abſtinerent, anteqvam altera pars proſtata fatiſceret planiſſimè. Certè Cynosbatum ſuis baccis fœcundum in hortis non aſpicit amabiliùs, qvàm ſi eſſet caput Meduſæ, angvibus crinitum. At, eodem jungantur hoſpitio! & peribit Virgini Calor, baccis Color. Diverſabatur aliqvando hæc Virgo in Camerâ, ubi capſulam habebat Illuſtriſſima Comes, variis *Baccæ Cynosbati.*

repletam conditis, intra qvam hæc etiam â Comite juſſa & fictile Baccis Cynosbati conditis repletum aſſervare. Sed qvid fit? Virgo noctem inſomnem, animi interſtinctam deliqviis, ducens moleſtiſſimè, ſudat, friget, horret, usqve latum ungvem â morte abeſt. Interea æqvabilius, aut magis ad votum non aguntur res Baccarum! illæ enim intra obſeratum clauſtrum fermenteſcunt manifeſtè &, vel prælio paratæ, vel fugæ, chartaceum, qvô tectæ erant, rumpunt operculum, qvaſi extra hoſtilia ſe provoluturæ pomœria, imò aliò translatæ qvieverunt commodùm. En Magnetismum, non Amore, ſed odiô prægnantem! Ego puto, exhalantia utrinqve effluvia ſibi invicem feralè contrariantia, viſcera adverſarii actutum petere, plurimosqve ibidem concitare tumultûs.

§. 28.

Cinamomi. Qvidam ita hoſtili odiô Cinamomum averſantur, ut dapes aromate illô, alioqvin delicatiſſimô conditas ne deguſtent qvidem, eſurituri potius, qvàm attacturi, juxta verba Olai Borrichii. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 86. p. 206.* ubi addit, fuiſſe ex ipſius curæ permiſſis jam ægris, jam neutris, qvi cætera robuſtô temperamentô hauſtis qvindecim tantum granis radicis Jalappæ, cum tantillô Cremoris Tartari & Elæoſacchari Cinamomi qvinqvaginta vicibus ad ſellas conceſſerint Patroclinias. Et de ſeipſô teſtatur Johannes Petrus Albrecht, qvod cùm puer adhuc aliqvoties pulvere purgante ex radice Gialappæ, Diagrydio & Olei deſtillati Cinamomi guttulâ concinnatô uſus fuerit, ab illô tempore nunqvam, neqve medicamentis, neqve alimentis Cinamomô conditis absqve averſione, nauſeâ inſeqventiqve utplurimum alvô laxiori fruatur *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 169. p. 420.* Mulierem ab aſſumtâ Aqva Cinnamomi in animi deliqvium incidentem ſe noviſſe, ſcribit Valentinus Henricus Voglerus *Diæteticor. Comment. cap. 3. p. m. 15.* De Matrona

trona, qvæ nec Cinamomum, nec Caſſiam ligneam tolerare potuit, vid. Roſin. Lentil. *Jatromnem Part. 2. cap. 25. p. 557.*

§. 29.

Cibum Maci aromatiſatum nunqvam absqve inſeqvente Paſſione Colicâ capere poterat Paſtor qvidam, cujus meminit Johannes Petrus Albrecht *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 169. p. 419.* Ope Roſini Lentilii qvidam eſt uſus, qvi Myriſticam Nucem averſabatur, obſecrans, ne qvid illius Pharmacis miſcere vellet, *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 125.* Crocum & Helenium averſata eſt Uxor Lentilii, v. ipſius *l. a. & p. 602.* *Macium.* *Croci.*

§. 30.

Comitis Dorcettiæ Nepos qvidam graviter ægrotare ſolebat, ſi vel nutrix, dum tener hic lepidusqve infantulus illius lacte alebatur, Cappares comediſſet, cum qvibus nota erat ac celebris Illuſtriſſimi Comitis antipathia. v. Kenelm. Digb. *de Immortalit. anim. ration. Tr. I. cap. 38. p. 424.* Cappares qvoqve adeò abhorrebat Sereniſſimus Elector Saxoniæ Johannes Georgius III. beatæ memoriæ, ut ne qvidem libenter eorundem nomen, multò minus odorem ferre poſſet. *Capparum.*

§. 31.

De ſeipſô ſcribit Johannes Heurnius, qvod qvoties Piper vel Raphanum comederet, Colicis doloribus atrociſſimis fuerit cruciatus. Item Henricus ab Heer aliqvot eidem miſeriæ obnoxios in Spâ & Leodii ſe noviſſe dicit *Obſ. 29. p. m. 299.* Chryſermus Erophylus, ſi qvando Piper ediſſet, cardiacus erat etiam periculoſè, v. Marcell. Donat. *de Med. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 3. p. 627.* *Piperis.*

§. 32.

Ab Alliô commanducatô non aliter, qvàm ab epotô Venenô ſe cruciari ſolitum teſtatum reliqvit Jacobus Farolivienſis, uti ſcribit Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. I. cap. 24. p. m. 80.* Item nobiliſſima qvædam apud Hafnienſes familia Allium & *Allii.*

 Sinapi

Sinapi averſata fuit, juxta Thom. Bartholin. *Cent. 3. Hiſtor. 28. p. 65.* Scribit etiam Julius Alexandrinus, ſe ovendam noviſſe, qvi ita Allium averſabatur, ut nunqvam illud comederet, vid. Dan. Sennert. *Pract. Medic. Lib. 3 Part. I. Sect. 2. cap. 3. p. m. 99.* Noti etiam ſunt Theodoro Zwingero, qvibus inter cibos adverſa ſunt Cepa, Allia, Porrum &c. vid. ejusd. *Faſcic. Diſſertat. medic. Diſſert. I. p. 7. p. 13.* Novit etiam Johannes Jacobus Wepfferus, clanculum parum elixi Allii cibis cum aromatibus permixtum cuidam ſuggeſtum fuiſſe; qvamvis fœtorem Allii non animadverterit, nihilominus poſt frugale prandium hic ſummè angebatur, propè ſudore defluebat, imò mors inſtare videbatur, donec totum prandium evomuit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 68. p. 178.* Joſephus Lanzonus Monialem novit, qvæ hæmorrhagiam narium confeſtim patiebatur, ſi Allii odorem perſentiret. *M. N. C. Dec. III. An. 7 & 8. Obſ. 103. p. 171.*

§. 33.

Plantarum. Siſymbrii aqvatici. Varias qvoqve plantas culinarias & medicas nonnullis fuiſſe nauſeoſas ſeqventes teſtantur Obſervationes e. g. Siſymbrii aqvatici ſeu Creſſonis conſpectum ferre non poterat Julius Cæſar Scaliger, ſiqvidem ipſe *de Subtilit. Exercit. 153. p. m. 490.* ſcribit: ſe Creſſonibus duntaxat viſis horrore perfundi. Et *Exercit. 274. p. 789.* inqvit: Ego, qvi non ænea ſolum, ſed vera qvoqve fulmina contemnebam; qvi in duobus Obſidionibus, in qvarum alterâ etiam imperium habebam, ſolus omnium nullam edidi vocem, vel ineditæ teſtem, vel abhorrendi cibi exprobraticem; ad Creſſonis conſpectum tremo adeò, ut horrore quaſſatus abire cogar.

§. 34.

Braſſica. Braſſicam unum ex dicti Scaligeri liberis abominatum eſſe, idem Scaliger *l. a.* refert. Et braſſicam capitatam integram coctam coqva qvædam, qvæ in ſiniſtrô hypochondrio â matris impreſſione, braſſicam capitatam, unà cum foliorum

venulis

venulis exactè referebat, ſine animi deliqviô aſpicere non valebat, uti ſupra ex Obſervatione Georgii Sebaſtiani Jungii *M.N.C. Dec. I. An. I. Obſ. 135. p. 299.* allegavimus.

§. 35.

Siſeres coctos neqve videre, neqve comedere poterat homo qvidam qvadratus, nomine Burſche, ex Miſnia, ſingulis annis Vere & Autumnô connexarum trabium compages vel rates per Albim Magdeburgum advehens, juxta verba Caſparis Theophili Bierlingii *Theſaur. theor. pract. Obſ. 26. Schol.* §. *5. p. 351.* *Siſeram.*

§ 36.

Betam rubram non modò non comedere, ſed etiam aſpicere minime poterat ante aliqvot annos adhuc vivens ſatisqve notus Civis Dresdenſis, nomine Hörnig. Imò â ſolâ qvoqve Betæ denominatione vomitum ſubitaneum patiebatur; Unde, ſi qvis joci gratia, rothe Rüben, rothe Rüben, diceret, ipſe ſtatim, ubivis etiam loci & absque reſpectu perſonarum Vomitu non cohibendo reſpondebat. *Beta.*

§. 37.

Herbæ Rutæ odorem aſpectumqve ſtrenuus qvidam miles nullô pactô ferre poterat, ſed ſe in pedes dare ac fugere eâ propoſitâ cogebatur, qvem militem ſe noviſſe refert Marcellus Donatus *Hiſtor. mirab. med. Lib. 6. cap. 7. p. 625.* *Ruta.*

§. 38.

Ad ſalviæ intuitu levi aliqvô deliqviô corripiebatur puella Chriſtiano Franciſco Paullini nota. vid. ejus *Herba ſacr. ſeu Tract. de Salvia Sect. 2. cap. 3. pag. 250.* quô locô etiam viri religioſi meminit, qvi qvoties carnem vervecinam pinguiuſculam aſſamqve, cui Salvia addita, comedebat, toties egregie purgabatur, non ſecus ac ſi fortius qvoddam catharticum ſumſiſſet. *Salvia.*

§. 39.

Menthæ odorem, imò neqvidem ejusdem herbæ præſentiam *Mentha.*

tiam, ſine animi deliqviô ferre non potuit Proſocrus Johannis Ludovici Hannemanni. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 51. p. 121.* Idem etiam in Sacerdote qvodam ſe obſervaſſe, refert Joſephus Lanzonus *ib. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. pag. 171.* Antipathiam Menthæ Menthâ curatam annotavit Chriſtianus Gottlieb Reusnerus in Puellâ octo annorum, qvæ odorem Menthæ tolerare & perferre non potuit, ſed Lipothymiâ correpta fuit. Mater ejus certò conſcia Lipothymiam filiæ eſſe ab odore Menthæ, eodem temporis momentô manipulum Menthæ recipit, & non ſuperficialiter, ſed ad nauſeam usqve tam diu nares fricat, donec ad ſenſum priſtinum filia redierit; â qvô tempore poſtmodum odorem Menthæ bene perferre poterat ſexagenaria adhuc major *vid. Ephemerid. Academ. N. C. Cent. IX. & X. Obſ. 98. p. 435.* De Viro Meliſſam averſante vid. Roſin. Lentil. *Jatromnem. p. 557.*

§. 40.

Abſinthii. Abſinthium Civis qvidam Naumburgenſis planè averſabatur; hinc Pharmacopœus Salis Abſinthii fixi aliqvot grana propinabat, ſed abſumptis iis Civis varia Symptomata, deliquium & ſtomachi ſubverſionem patiebatur, obſervante Jaco- *Obſervatio* bo Barnero, *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 199. p. 294.* Id quod mihi etiam in Cachecticô quodam ad Hydropem inclinante obſervare licuit; ab aſſumptô enim Sale Abſinthii, aliis Medicamentis admixtô, anxietates præcordiorum, ſudorem frigidum, & Lipothymiam tamdiu ſentiebat, donec ſuperveniente Vomitu ab his Symptomatibus liberaretur. Quod ſi dicto ægrotanti alia ſalia fixa è Vegetabilibus parata propinabam, nihil indè incommodi patiebatur. Unde â me interrogatus, anne Abſinthium ferre poſſet? reſpondebat, ſe nunquam Abſinthium, aut exinde parata, ſine animi commotione aſſumere, vel ejusdem odorem tolerare poſſe. Qvæſtio inde oritur, annon in ejusmodi ſalibus fixis ex incineratione plantarum, con-

tra plurimorum Medico-Chymicorum opinionem, vis qvædam ſpecifica ſeu ejusdem Vegetabilis proprietas remaneat?

§ 41.

Tanaceti aſpectum ſufferre non potuit Comes de Barry-more, uti Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experimental. Exercit. 5. cap. 16. p. 320.* commemorat. *Tanaceti.*

§. 42.

Tormentillam plurimi, qvi Anno 1609. in Autumnô è Dyſenteria decumbebant, tantopere averſati ſunt, ut ipſam, qvocunqve modô uſurpatam, Vomitu qvamprimum rejicerent, qvod ex avtopſiâ refert Michael Dœringius *de Medicin. & medic. Part. 2. p. m. 242.* *Tormentillæ.*

§. 43.

Ocymi ſeu Baſilici hortenſis, maximè citrati, nec non Cyani moſchati albi graveolentem odorem ſine Cephalalgiâ aut confuſione Capitis ferre non potuit Georgius Francus de Franckenau, uti ipſe fatetur *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 3. p. 7.* *Baſilici.*

§. 44.

Exemplum militis cujusdam viginti ſex annorum, qvi Pœoniæ odorem aſpectumqve nullô pacto ferre poterat, &, niſi fugeret, Syncope ſudoribusqve frigidis corripiebatur, annotavit Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 40 p. 77.* *Pœoniæ.*

§. 45.

Florem Cheiri & Violas Martias Princeps Wilhelmus, Epiſcopus Baſileenſis, citra Lipothymiam vel ſaltem inſignem Capitis dolorem ferre non poterat, juxta Claud. Deodat. *Panth. hygiaſt. Lib. 1. cap. 11. pag. m. 109.* Generoſa quædam Matrona omnia ſvavem odorem ſpirantia perferebat, exceptis violis recentibus, juxta Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 3. Hiſt. 28. p. 65.* Ipſe ego nec Violarum nec Cheiri florum fragrantiam in propinqvô, aut in magnâ copiâ collectorum, absqve inſigni Cephalalgiâ tolerare poſſum. *Florum Cheiri Violæ.* *Obſervatio.*

R §. 46.

§. 46.

Roſa. Roſæ qvamplurimis moleſtæ eſſe ſolent, ſiqvidem Monachus qvidam ex Dominicanorum ordine, qvum Roſæ odorem perſentiebat, aut ex longinqvô eam videbat, illico in animi deliqvium & Syncopem incidebat, & mortuus humi proſtraſtratus jacebat, teſte Amatô Luſitanô *Curat. medicin. Cent. 2. Curat. 36. fol. m. 166.* qvi addit, dicto Monacho â Medicis conſultum fuiſſe, ut eo tempore, qvo Roſæ vigebant, domi maneret, nec extra prodiret, ut tantum malum fugeret & in vitæ diſcrimen non veniret. Hic cùm ægrotaret, â Syrupô roſaceô & conditis, in qvibus Roſa ingrediebatur, Medicorum conſiliô abſtinebat. Oliverium Caraffam, Cardinalem, non potuiſſe ſufferre odorem Roſæ, ex Adrianô Spigeliô refert Henricus Herlinus *de Analeptic. pag. m. 32.* Meminit etiam Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 153. no. 10. p. m. 489.* Cardinalis cujusdam a Roſarum odore abhorrentis. Qvi fortaſſe idem Oliverius fuit, ſiqvidem Johannes Pierius *Hieroglyph. Lib. 8. cap. 25. pag. m. 96.* ejusdem qvoqve mentionem facit, inqviens: Cùm Romæ eſſem, vidi Oliverium, magnæ celebritatis Cardinalem, qvi Roſarum tempore qvotannis ſecedere cogebatur, ſeſeqve intra ſuos, qvos in Qvirinali habebat, hortos claudere, cuſtodiis ad oſtia diſpoſitis, neqvis aut ſalutantium aut amicorum, officii gratiâ ingredientium, Roſam inferret. Item Romæ alius Nobilitate inſignis Vir, Petrus Melinus, ingeniô, eruditione & locô nobilis, Roſarum odore plurimùm offendebatur. Vide etiam Caſpar. Dornav. *Orat. Tom. I. orat. 8. de Scarab. Encom. p. m. 345.* De Muliere Pariſinâ, qvæ ab odore Roſarum, tanqvam â Venenô ſibi cavere, & per tempus, qvo florent, in ædibus latitare cogebatur, vid. Joh. Dan. Horſt. *Manuduct. ad Medicin. p. m. 122.* Chymicus Gallicus le Febure, â nimia Roſarum tractatione poſtea earundem odorem ferre non poterat, ſed Lipothymiam exinde incurrebat. vid. Joh. Bohn *de Of-*

fic.

ſic. Medic. duplic. Part. 2. cap. 6. p. 642. Ab aqvæ Roſarum uſu honeſta quædam fœmina, uterina ſymptomata alias incurrere ſolita, æſtate Anni 1610. tertianâ intermittente correpta lacti amygdalino, domi ſuæ parato aquæ Roſarum nonnihil ſuo arbitratu admiſceri juſſit: qvod cùm vix deguſtaſſet, conſuetis ſymptomatibus exerceri cœpit. vid. Mich. Dœring. *de Medicin. & Medicis Lib. 2. p. 242.* Hannibali Saſſo Roſæ odore ſangvinem de naribus erupiſſe; item alium hominem Roſas olfacientem Syncope correptum fuiſſe; Nobilem Romanum ſine periculô tertianâ laborantem, propinato Syrupo Roſarum ſolutivo, extinctum; idemqve etiam mulieri in Patavia contigiſſe, partim ex alienâ, partim propria Obſervatione recenſet Johannes Rhodius *Cent. 3. Obſ. 99. p. 177.* ubi plura exempla. Roſarum odore non modò Laurentium Epiſcopum, ſed etiam Franciſcum Venerium, Venetorum Ducem, & Nicolai, Comitis Salmenſis, filiam obiiſſe, ex Cramerô & Roſenbergiô refert Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. 2. cap. 4. p. 588.* Nota etiam inter Aulicos Anglos hiſtoria Heneageæ nobilis feminæ, (Eliſabethæ Reginæ â ſecretioribus cubiculis) in cujus dormientis genâ puſtulæ oriebantur, cum ei qvidam Roſam impoſuiſſent, experturi, an tanta illi eſſet cum flore iſto Antipathiâ, qvantam jactare ſolita erat. vid. Kenelm. Digbæi *Demonſtrat. Immortalit. Anim. rational. Tract. I. cap. 31. p. 435. ſeq.* Virgo qvædam in lectum foliis Roſarum conſperſum æſtivo æſtu levando dum conceſſerat, dormiſcere ſtatim incipit atqve ſic penitus obdormivit, uti ex relatione Doctoris Mengeringii refert Chriſtianus Langius *Miſcell. curioſ. med. n. 8 p. 35.* Fœmina quædam non ſolùm ab aſſumptione aqvæ roſarum, ſed etiam â ſolâ ejusdem nominatione animi vehemens deliqvium paſſa poſt Paroxyſmum Medico, Johanni Petro Albrecht, debili voce teſtabatur, ſe vel odorem vel ſaporem Roſarum nunqvam impune tuliſſe. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 169. p. 417.* Scribit etiam Leonardus Botallus *de Medic. &*

ægri muner. §. 25. Oper. p. m. 20. ſe noſcere homines, qvi prorſus Roſæ odorem, tanqvam capitalem inimicum, odio habeant, eò qvòd Capitis dolorem iis faciat, vel ſternutamenta moveat, vel naribus tam moleſtum pruritum inducat, ut bidui ſpatio ſe continere ab earum frictione non poſſint. Medicum qvendam Roſâ, qvam manu ſuâ geſtabat, ægræ ſuæ valde nocuiſſe, notavit Fridericus Schraderus *Diſp. de Idioſyncraſ. §. 6.* De muliere prægnante fragranti Roſarum odore hyſterica factâ, qvæ fœtum mortuum gelidum ante tempus excluſit, ipſâmet paulò poſt vitam cum morte commutante, obſervationem communicat Alphonſus Rhonius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 80. p. 158.* Scilicet opificis cujusdam Conjux ultimis duobus menſibus gravida, unà cum fœtu jugiter ſe movente, optimè valens, ex curioſitate vicinum defunctum variis ornamentis & floribus involutum conſpiciens, inter alia fragrantiſſimô Roſarum odore, nares valde penetrante, hyſterica paſſione ſtatim fuit correpta, atqve adeò attonita ſtetit, ut â domeſticis in propriam domum reportari neceſſe habuerit; tunc illicò ſudor frigidus per univerſum corpus largiter erupit, dolores parturientibus affines ſeſe repræſentarunt, ipſi partus præmaturus, ſed mortuus excluſus, qvi ad tactum (prout etiam mater per totum corpus) tam gelidus repertus fuit, ut nullus, ne dicam caloris, imò nec teporis, ſenſus in univerſô ejus Corpuſculo percipi potuerit, matre ſimiliter unicâ poſt partum elapſâ horâ è vivis diſcedente. A Roſis Juvenis abhorrebat, imò capitis dolore afficiebatur, dum Roſam olfaciebat, referente Joſepho Lanzonô *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.* Chymicus Gallicus Lemery duos homines novit, qvi cùm tempeſtate calidiſſimâ in locô, qvàm plurimis Roſis pallidis plenô per qvinqve vel ſex horas commorati eſſent, tantâ violentiâ duodecim continuis horis purgati ſunt, ut ultima inſtare crederent. vid. *Hiſtor. Academ. Scient. Pariſ. An. 1699. p. m. 79.*

Mer-

Mercator qvidam Grünbergenſis, Temperamenti melancholici, qvando Roſas, tempore roſeô, olfaciebat, oculorum pruritum patiebatur, ſuccedente eorundem inflammatione: lachrymæ involuntariæ rigabant genas, intercurrente Cephalalgiâ aliqvot dies durante, juxta Obſervationem Samuelis Ledelii *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 140. p. 309.* Qvi Autor etiam *l. a. An. 10. Obſ. 8. p. 27.* nobilis Matronæ meminit, qvæ albarum Roſarum odorem non tantùm admittebat, ſed & Capiti easdem imponebat, libentiſſimèqve naribus admovebat, rubras autem omnes ſummopere averſabatur, &, ni removerentur, animi deliqvia incurrebat. Ex odore Roſarum Donnum Henricum â Cardona, Cardinalem, in animi deliqvium deveniſſe, & Laurentium, Uratislavienſem Epiſcopum, extinctum fuiſſe, ex aliis refert Marcell. Donatus *de medic. Hiſtor. mir. Lib. 6. cap. 3. p. 624.* Medici Jacobi â Brun uxorem, ampli corporis & carnoſi, Roſarum tempore plures ſeptimanas Coryzâ laborâſſe, ex ipſius Brunii ore non ſemel ſe accepiſſe refert Johannes Nicolaus Binningerus *Obſ. med. Cent. II. Obſ. 86. p. 227.* De Coryzâ â Roſarum odore in ſeipſo obſervata ſeqventem obſervationem refert J. Conſtantinus de Rebecqve *Obſerv. 92. p. 150. ſeq.* qvem effectum, inqviens, in me ipſo edant Roſæ, referre utile fore duxi. A tredecim annis, qvô tempore florent roſæ, qvotannis Coryza corripior, in qvâ indeſinenter per nares & oculos effluit per multos dies humor multus tenuis & admodum acris, nares exulcerans & oculos pungens ac vellicans, unde lachrymæ, idqve per totum tempus, qvô roſæ ſe mihi olfaciendas præbent, durat, eoqve elapſô ſponte deſinit. Hoc autem primô annô non roſis, ſed calidiori æſtati acceptum ferebam, qvâ humores liqvarentur; ſed re diligentius perpenſâ reperi ſolum roſarum odorem hujus cauſam eſſe. Qvod hoc Anno 1685. verum comperi; cùm enim ob erucarum copiam paucas ſaltim roſas habuerimus, æſtas nihilominus calidiſſima eſſet multiqve ca-

tarrhis laborarent, ego tamen immunis eſſem, nec ulla hujus prænuntia ſolita animadverterem, cùm jâm ferè tempus harum præteriiſſet, ego non amplius de iis fluxionibus cogitans, roſas aliqvas manibus tenens, ſubitô aliqvid nares & inde oculos vellicare ſenſi, unde ſecutus per oculos, nares & os ingens humiditatum tenuium & ſummè acrium defluxus, inde harum partium, & ſimul auris, dentium & gingivarum dolor, per aliqvot dies durans, usqve qvô nullæ amplius roſæ ſe naribus meis offerrent. Idem in me aliqvando præſtiterunt & Violæ olfactæ, ſed rariùs & debiliùs. Hujus rei cauſam ſe non videre, pergit dictus Autor, nulla enim ipſi antipathia cum roſis, ipſiqve odor fuit gratiſſimus, earumqve decoctum in ſerô lactis freqventer uſurpavit, ſed ſolô odore ipſi Catarrhos concitârunt; qvapropter arbitratur, è Roſis aliqvid effluere, qvod nares ipſius delicatas admodum & valde ſenſiles pungat, & aculeis qvibusdam ſolutionem continui, etſi non ſenſibus obviam, excitet &c. Viro cuidam Illuſtri Tinctura Solis ſvaviſſima cum Spiritu Roſarum offertur, ille ſumptis ſaltem qvatuor guttis adeò male habere incipit, ut extra lectum agere vix poſſet; ſangvis ei ſummopere ebullit, & vertentibus viginti qvatuor horis qvadragies ſoluta alvus eſt, cum virium inſigni proſtratione ac faciei concidentia. Roſas nec ille ferre poterat, ac referebat, qvoties earum odorem ſaltem hauriret, toties ſe intenſô Capitis dolore affligi, referente Jacobo Barnero *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 199. p. 294.* Boroniſſa qvædam cùm adhuc virgo Auguſtæ Vindelicorum ægrotaret, & Clysma â duobus Medicis ordinatum, cujus ingrediens inter cætera Mel roſarum erat, injiceretur, exinde in lethalia incidit Symptomata, ut magnô labore vix ad ſe redire qviverit. vid. Auguſtin. Thoner. *Obſerv. med. Lib. I. de Febr. intermit. Obſ. 3. p. m. 73.* Et Horatius Angenius obſervavit nobilem qvendam Romanum, febri tertianâ minimè periculoſâ laborantem ab aſſumptô Sy-

rupô

rupô Roſarum ſolutivo, qvem naturaliter horrebat, plane extinctum fuiſſe, vid. Theod. Zwingeri *Faſcicul. Diſſert. med. p. 16.* qvi Autor etiam *p. 24.* ſeqventia addit: Novimus hic Baſileæ Pharmacopœum peritiſſimum, Jacobum Frey, qvi totô illô tempore, qvô florentes Roſæ in ſuâ officinâ ad varios uſûs præparantur, ex illarum odore continuâ fere coryzâ, non ſine crebrâ ſternutatione aut capitis etiam dolore, laborare ſolet. vid. etiam Laurent. Strauſſ. *Encom. Roſæ. p. 51.*

§. 47.

Solô Lilii conſpectu Virgo qvædam pulcherrima atqve nobiliſſima pene vecors fiebat, peritura, ſi naribus hauſerit, juxta Jul. Cæſar. Scaliger *de Subtilit. Exercit. 142. §. 2. p. 463.* Retulit etiam Theodoro Zwingero Medicus qvidam, ſe Antipathia contra Liliorum alborum flores teneri eorumqve odorem tolerare neſcire, imò, qvod mirum cui videatur, neqve caulem â cortice liberatum absqve nauſeâ videre poſſe, vid. Theod. Zwinger *l. a. p. 25.* Sic Mercatoris Argentoratenſis uxor Liliorum alborum odorem absqve animi deliqviô perferre non poterat, qvare totô illô tempore, qvô florebant, domi ſe continere cogebatur, teſte Georgio Franco *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 7. p. 7.* De Cive Ferrarienſi, cui cum Liliis Antipathiâ tanta erat, ut odorem etiam e longinqvo fugeret, ne in Vomitum & Lipothymiam incideret, vid. Joſeph. Lanz. *l. a. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 170.* Qvi etiam *p. 171.* Sacerdotis cujusdam meminit, qvi Calendulæ flores ſummopere averſatus fuit.

Lilia.

Flores Calendulæ,

§. 48.

Porrò Florum Sambuci non ſolum odorem perferre, ſed qvosvis etiam exinde paratos Cibos & Strobilos, Rhob item ex baccis confectum absqve nauſeâ & potius cum appetitu comedere poteſt Nobilis qvædam adhuc vivens femina, qvæ tamen ab Aqvæ florum Sambuci deſtillatæ uſu internô & externô ita abhorret, ut ſi hujus aqvæ tantillum potioni cuidam medi-

Flores ſambuci. Obſervatio.

cæ

cæ admixtum vel cereviſiæ infuſum ipſi ſanæ aut ægrotanti, etiam inſciæ, propinaretur, animi deliqvium patiatur, uti expertus ſum.

§. 49.

Aqvæ florum Aurantiorum. Aqvæ florum Aurantiorum odorem qvotiescunqve ſentiebat mulier qvædam, tantam averſionem habebat, ut deliqviô animi corriperetur, niſi amota fuiſſet aqva, cùm tamen dicta fœmina cæteris odoribus maximè delectaretur, teſte Dominicô Panarolo *Pentecoſt. II. Obſ. 38. p. 53.* Vir qvidam ex uſu Corticun Aurantiorum Colicam, ſeu intenſiſſimos Inteſtinorum cruciatûs patiebatur, teſte Johanne Petrô Albrechtô, *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 169. p. 419.*

§. 50.

Syrupus florum Perſicorum. Meminit etiam Theodorus Zwingerus *l. a. p. 15.* Conſulis cujusdam Uxoris, qvæ tantô Medicaminum faſtidiô prædita erat, ut, cùm aliqvando laxandi gratiâ Syrupus florum Perſicorum in Julepo degluticndus offerretur, tantô horrore correpta fuerit, ut etiam in ſpasmos univerſales inciderit, aliqvandiu durantes, donec obortô Vomitu iterum ceſſarent.

§. 51.

Purgantia. Aliorum qvoqve Medicamentorum purgantium præſentiam nonnulli minimè ferre poſſunt, ſiqvidem ex aſpectu Pharmaci cathartici liberalem purgationem annotavit Olaus Borrichius de primario qvodam Cive Hafnienſi, qvi ex febre tertianâ convaluerat, & domitô jam morbo Corpus ſolenni catharticô expiârat, jamqve ſibi plenè reſtitutus Borrichium rogabat, ut uxorem qvoqve leni purgante tentaret. Paret & Pilulas duntaxat qvinqve propinat. Dum illa delicatula in deglutiendo tricatur, maritus, niſi, inqvit, ſubitò hauſeris, qvod apponitur, jam mihi qvoqve nauſeam commovebis; abhorrebat enim maritus a pilulis, ſorbitioni addictior. Dictum, factum, vorat illa hamum, & maritus, qvi hauſerat nihil, ante uxorem

ſtrenuè

ſtrenuè purgatur, nec ternis dejectionibus iisqve luculentis contentus provocâſſe uxorem, etiam geminâ vomitione ſtomachum evacuat, hac parte uxore ſuperior, ut qvæ nihil per os rejecerit. vid. Thom. Barthol. *Act. Hafn. Vol. V. Obſerv. 49. p. 136. ſeq.* Et novit Johannes Jacobus Harderus, qvi ex ſolô Medicamenti cathartici aſpectu aliqvoties vomere neceſſe habuerunt, particulas ejusdem Medicamenti nec dum odorati. vid. Harder. *Apïar. Obſerv. 40. Schol. p. 183.* Conſulis Hildesheimenſis Uxor, qvoties medicamentô purgante opus haberet, aſſumptis ſaltem juſculi carnis vitulinæ aliqvot cochlearibus eum experiebatur effectum, qvi aliàs ab aloëticis, ſcammoniatis & aliis catharticis expectari ſolebat, ſecundum Obſervationem Johannis Petri Albrechti *M. N. C.º Dec. II. An. 8. Obſ. 169. p. 419.* Medicus qvidam Lipſienſis, nomine Pfeil, qvoties purgare corpus vellet, Pharmacopolia ingreſſus, qvando nimirum Electuaria electivè purgantia recens parabantur, & illa olfecit tantum: deinde domum reverſus intra eam ſe continuit; Non aliter autem atqve alius, qvi Pharmacô uſus, ſexies qvoqve vel ſepties excrevit, juxta verba Philippi Salmuthi *Cent. III. Obſ. 8. p. 115. ſq.* Et *Obſ. 14. p. 118. ſq.* refert idem: ex Virô fide dignô habeo, Dominæ præſcriptas fuiſſe Pilulas, eamqve â ſervâ petiiſſe, promiſſo pretiô, ut illas deglutiret; id qvod & ſerva fecit. Hera propè aſtans, viſis pilulis horreſcit, nauſeat, & ſatis purgatur. Aſſeruit etiam Joachimi Lebii Conjux, ſe toties, qvoties Parens Catapotia aſſumſiſſet, nauſeâ concitatâ pluribus qvoqve vicibus purgatam eſſe. Idem etiam, Salmutho vidente & ſatis admirante, Deſſæ contigit Nobili Virgini Annæ Riederianæ. Dum enim hæc ad Sororis Dorotheæ, ex poculô purgante bibentis, lectum propiùs accedens atqve adſtans odorem Medicamenti perciperet, ſufficienter inde purgabatur, ac feliciùs qvidem ac ipſa Soror, qvæ Medicamentum hauſerat. Sic fuit Lugduni Batavorum Vir qvidam

Marſenius dictus, qvi pro evacuatione humorum nunqvam ullum aſſumſit pharmacum, ſed vel ſolô ejus odore, vel tantummodo recordatione, dum Medicus formulam præſcriberet, alvum ſibi ipſe commovit, vid. Frid. Hoffmanni *Meth. medend. Lib. I. cap. 8. p. 74.* Studioſus Academiæ Hafnienſis triſti vultu & animô de violentis manibus ſibi inferendis conſilium iniit. Prius tamen de hôc Conſcientiæ caſu conſuluit Chriſtianum Oſterfeld, Medicinæ Profeſſorem, qvi nervoſis argumentis hominem in viam reducere allaborans promiſit, ſe arte medicâ ſuccos melancholicos, malarum cogitationum autores, eliminaturum. Interea infuſum Antimonii parat & contubernali illius tradit, ut ſummô mane exhauriatur. Viſô infuſô patiens dictum factum nauſeâ rogat, ut amoveatur medicamentum, ſtatimqve tanta humorum colluvies ἄνω & κάτω expurgatur, ut brevi poſt ſanus ſalvusqve Medico ſuo gratias hilari vultu & exporrectâ fronte ageret. vid. Thom. Bartholin. *Hiſt. med. Cent. 5. Hiſtor. 64. p. 134.* Miram Idioſyncraſiam ratione purgantium in fœminâ Lipſienſi annotavit Chriſtianus Michael Adolphi *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. V. Obſ. 87. p. 167.* Fœmina ſcilicet qvinqvaginta annorum eâ deprehendebatur Idioſyncraſiâ, ut nulla Purgantia, etiam minus fortia, poſſet perferre, ſed ex eorum exhibitione maxima ſemper & peſſima ſeqverentur ſymptomata, eaqve pertinaciſſima, v. g. ſumma virium proſtratio ad animi deliqvium usqve, langvor totius corporis diu affligens inappetentia, ſitis enormis, facies lurida, immaniſſima tormina, tumor lateris ſiniſtri, humani fere capitis magnitudinem æqvans, &c. Fuit, qvi ſolo aſpectu Medicamenti purgantis, qvoties opus erat, etſi ne odorem qvidem accepiſſet, ſufficienter expurgabatur, referente Martino Weinrichio *de ort. Monſtror. cap. 8. p. 65. b.* Viri magni Heidelbergæ filiolum, qvi ad aſpectum, dum alii purgantia ſumebant, nauſeabat & feliciter purgabatur, ſe noviſſe

ſcribit

ſcribit Georgius Francus *Satyr. med. 3. p. 59.* Sacerdos qvidam Nicolaus Neuſſerus, Medicamenta admodum abhorrens, poſtqvam ipſe Medicus ad poſtulatum purgantem potionem præſcripſiſſet, & Pharmacopœi famulus horâ præfinitâ attuliſſet, â mentione ejus, per domeſticos factâ, Medicamentô non viſô, adeò ſufficienter aliqvoties evacuatus eſt, ac ſi illud per os aſſumſiſſet, juxta relationem Simonis Schulzii *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 152. p. 274.* qvi ſimiliter novit puerum novennem, cui cùm obſtructiones alvinas patienti Enema ordinatum eſſet, auditô ſolum Enematis (cujus applicationem valde metuebat) nomine, ſponte alvus ſoluta eſt, illeqve ab Obſtructionibus liberatus fuit. Novit etiam Roſinus Lentilius Matronam nobiliſſimam qvinqvaginta ſex annorum, qvæ adhuc Virgo, qvoties Parenti poculum infuſi purgantis miniſtraret, ejus odore ſolô, immò, qvod magis mirum, cùm Marito pulverem purgantem, cujus tam ſenſibiles exhalationes, qvàm Infuſi, præcipue calentis, non ſunt, præbuiſſet, qvinqvies vel ſexies nunqvam non purgabatur. vid. Roſ. Lentil. *Miſcell. med. pract. Tom. I. p. 222.* ubi plura exempla ejusmodi ab odoratu purgantium adducit. Hauſtu Caſſiæ fiſtulæ familiam qvandam interiiſſe, ad Cardanum ſcribit Julius Cæſar Scaliger *de Subtilit. Exercit. 153. N. 10. p. 489.* A Mannæ uſu tormina, nauſeas, laſſitudines, ſudores involuntarios experta eſt Illuſtriſſima Mulier, qvæ â validioribus purgantibus nullam noxam ſentiebat. Qvin & ejusdem feminæ Nepos Mannæ uſu læſus fuit, uti ex Maranthâ refert Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. 2. Sect. I. cap. 4. p. 583.* Ex nobili ſtemmate orta fœmina non modo â propriô aliqvot Rhabarbari granorum uſu, qvæ ipſi etiam inſciæ exhibebantur, ſummas præcordiorum anxietates, abdominis tormina, Vomitûs & Lipothymias ſentire, ſed etiam ab eodem Medicamentô in ipſius præſentiâ aſſumtô eadem ſymptomata remiſſiori tamen gradu experiri ſolebat. Moniali cuidam, protenus, ceu ab

Caſſia. *Manna.* *Rhabarbarum.*

electivè trahente aliqvot vicibus alvus ſolvebatur, qvoties coram ipſâ de Rhabarbaro differebatur, v: Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ. 40. Sch. p. 183.* Marcellus Donatus *de Med. Hiſtor. mirab. Lib 6. cap. 3. p. 631.* hæc habet: mirum qvosdam ſanè, qvod nos non ſemel obſervavimus, ex ſolô Medicamenti odoratu magis purgari, qvam qvi per os aſſumſerint; qvod præſertim in Moniali qvadam Cœnobii Divi Johannis adnotatum, qvæ qvoties purgans Medicamentum olfeciſſet, toties per inferna purgabatur. Item Trincavellius Familiam nobiliſſimam Venetiis novit, ex qvâ orſi ægerrimè Clyſteres ferre poterant, ità ut in eâ fuerint, qvi acceptô Clyſtere in ſede, dum dejicerent per alvum, ſuum diem obierint. Diaphœnicon Electuarium purgans integra familia nobilis minimè ferre poterat; qvinimò ſi latenter exigua portio medicè permiſceretur alicui, ſtatim evomuit, qvod non ſemel ſeipſum vidiſſe refert Marcellus Donatus *l. a. p: 632.*

Clyſteres.

Dantur adhuc alia eorum exempla, qvi ſolô Catharticorum aſpectu vel odore hauſtô alvi ſolutionem experti ſunt. Inqvit enim Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. Cent. II. Obſ. 86. p. 227. ſeq.* Dum Montispeſſuli Anno 1951. Medicinæ operam darem, moroſus qvidam & decrepitus ſenex, temperamenti calidi, ſicci, atrabilarius, Pædagogus, alvi conſtipatione ordinariè laborat. Cùm autem plures dies illô affectu peſſimè haberet & febricitaret, potionem emollientem & ex ſenâ purgantem parandam ipſi in craſtinum ſumendam ordinavi. Hic nullô unqvam pharmacô per totum vitæ curſum purgatus, ex ſolô purgantis pharmaci odore pluries illô mane ſubductus, relictâ Medicinâ convaluit. Henricus ab Heer *Obſ. med. 29. p. m. 246.* de fœminâ qvadam, juſculi cujusdam potu ſe ordinariè abundè ſatis purgante, locutus, aſſerit, qvòd crurifragium paſſa ſolô ejusdem juſculi odore Cathartici locô alvum ſibi ſolverit. Antiſtita qvædam monacharum in Cœnobio Rauracis vicino purgantium odorem vix potuit ferre, multò minùs in corpus

per

per os aſſumere & tamen ſingulis vernis temporibus à Medicis, Pharmaci, purgantis formulam petiit, ſed ita ut Ingredientia vinum evacuans ſeorſim & annotarentur & darentur, qvæ ipſa conjunxit, ſacculo incluſit & vinô madefecit; de maceratis ſingulis diebus per ſeptimanam aut ulterius naribus odorem hauſit, ex qvô ter qvaterve, imò pluries in die purgata fuit. Uti ex Caſpari Bauhini relatione recenſet Philippus Hœchſtetterus *Obſ. med. Dec. IV. Caſ. 8. p. 441.* qvi hunc effectum ab imaginatione derivat. Plura Exempla eorum, qvi vel ſolô purgantium auditu, vel aſpectu, guſtu & odoratu purgati fuerunt, collegit Georgius Francus *Satyr. med. III. §. 3. 4. ſeqq. pag. 58. ſq.* Multas autem tales operationes per certa qvædam effluvia ſive atomos expurgantibus ad os vel nares appulſa excitari poſſe, dubium non eſt: In corpore enim humanô alterationes magnas per effluvia qvædam ſubtilia excitari poſſe, Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 13. §. 12. p. 304.* non ſolum ex ibi adductis exemplis, ſed ex aliis inſuper rebus qvàm plurimis, efficaciam Remediorum externè applicatorum adſtruentibus, conſtare aſſerit. Modum operationis ita explicat Lucas Schrœckius *Schol. in Obſ. 43. M. N. C. Dec. II. An. 1. p. 121.* qvosdam, inqviens, odore ſaltem Catharticorum hauſtô, ſufficienter fuiſſe purgatos, non miramur, qvalia exempla paſſim legimus. Id qvod inprimis fieri poſſe eſt veriſimile, dum in poroſam narium ſubſtantiam partim inſinuantes ſe particulæ catharticæ ipſi ſangvini commiſcentur, partim etiam in ipſum Ventriculum, dum ex naribus in palatum cum aëre penetrant, deſcendunt. Qvamvis hîc utplurimum Imaginationis ſingularem efficaciam concurrere fateri debeamus; prout ſanè cum odore illô hauſtô ferè ſemper magnam catharticorum nauſeam fuiſſe conjunctam, hiſtoriæ illæ abunde loqvuntur; ita, ut dubitare propemodum liceat, num majorem in iſtis omnibus exemplis per odoratum immiſſæ purgantium apoſrhoœæ, qvas

ſatis debiles eſſe aqvæ eorum deſtillatæ arguunt, corporis evacuationem, vel potiùs faſtidium & averſatio medicamenti commoverit &c. Sic Johannes Baptiſta du Hamel *Oper. Philoſoph. Tom. II. Lib. 2. cap. 3. p. 161.* ita ſcribit: Sunt qvi ſolô pharmaci odore, vel longâ contrectatione, vel ad umbilicum applicatione purgantur: Qvòd ſpiritus aut tenuia profluvia ſubeant venas, & agitatione ſuâ humores conturbent, ac ſecretioni præparent. Sic etiam radix Hellebori fonticulo admota alvum ſubducit & vomitum qvandoqve movet, qvòd ſangvis hac velut tabe infectus & circuitu ſuô in ventriculum illabens ad expulſionem illum exſtimulat. Et fortè odor medicamenti eâdem ratione purgat, qvòd ſenſorium commune & nervos in ipſâ origine ſic feriat, ut ſolent ex aſſumptô pharmacô affici, adeò ut ventriculi & Inteſtinorum fibræ ſpirituum ope conſimili modô contrahantur. Et Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 40. Schol. p. 183.* ita ratiocinatur: Novimus nos, qvi ex ſolô medicamenti cathartici aſpectu aliqvoties vomere neceſſe habent, particulas ejus nec dum odorati; cujus ſane rationem reddere difficile non eſt, ſi ad mentis qvod habet in ſpiritus imperium & abominationem, qvam Cathartica pridem ei pepererunt, attenderimus: in aliis fibrarum ſive œſophagi ſive Ventriculi ea eſt teneritudo vel certa textura, ut nec leviora ſpicula ferant, imò à re etiam gratiſſimâ graviter lædantur &c.

§. 52.

Saſſafras. Idioſyncraſiam verſus Lignum Saſſafras annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. 5. Obſ. 23. p. 158. ſeq.* & qvidem in Veſtali, cui cùm Medicus qvidam in jure alteratô hujusmodi lignum præſcripſiſſet, atqve ipſa inſtantiſſimè renueret, qvoniam ipſius odore lædebatur, tamen imperante Medicô, ut jus cum dictô Saſſafras jejunô Ventriculô caperet, Veſtalis paruit. Sed qvid inde? frigidô ſudore correpta tota livida repentè facta ferè morti proxima apparebat, cum freqventi animi deliqviô.

§. 53. Con-

§. 53.

Confectionem Alkermes exhibitam qvosdam viros ſtatim vomitu rejeciſſe, refert Thomas Bartholinus *Cent. III. Hiſt. 28. p. m. 65.* *Confectio Alkermes.*

§. 54.

Moſchi odorem non omnes mulieres ferre, res maximè nota eſt; nobis autem hôc locô Moſchi & odoratorum averſationem in Virgine, viginti præterpropter annorum, obſervatam adducere liceat: Huic ſcilicet Virgini, cùm aliqvando tempore hybernô ad fornacem ſederet, ex improviſô, joci causâ, ab vnô ex adſtantibus Balſamô Apoplecticô, cum Moſcho præparatô tempora illinebantur; qvô factô in deliqvium animi per tres horas continuas incidebat, nec ullis refocillari poterat Medicamentis, donec Balſamus exactè iterum abluebatur. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. curioſ. Obſ. 54. p. 98.* Idem Autor etiam *Theſaur. Theor. Pract. Obſ. 19. p. 240.* mortem ſubitaneam in gravidâ ex Moſchi odore recenſet. Anno ſcilicet 1668. Menſe Juliô Legatus Venetus Syndicum viſitaturus, eô abſente â præfati Syndici Conjugis humanitate & eloqventiâ excipiebatur; Illa verò ex nimiô Moſchi odore, qvem Legatus ſpirabat, ultimô geſtationis tempore, ſuffocata in terram cecidit; exſectus infans duabus horis poſt Baptiſmatis Sacramentum etiam hunc mundum deſeruit. Dicit etiam Leonardus Botallus *de Medic. & ægri muner. §. 25. Oper. p. 20.* ſe noſſe Mulieres, qvæ Moſchi odorem adeò averſantur, ut, ſi ex proximô hunc ſentiant, in animi deliqvium incidant, vel ad Vomitum provocentur, vel capite urgeantur. *Moſchus.*

§. 55.

Sic etiam Ambra & alia fragrantia nonnullis ingrata & adverſa eſſe ſolent, ſiqvidem juxta Johann. Bohn. *de Offic. Medic. dupl. Part. 1. cap. 4. p. 56.* pauciſſimæ fœminæ, puerperæ imprimis, fragrantium, Zibethi, Moſchi, Ambræ &c. odorem, ſine *Ambra.*

ſuper-

ſupervenientibus Lipothymiis, ſtrangulationibus hyſtericis aliisqve ſymptomatibus tolerant; Meminit etiam Philippus Jacobus Sachſius *Gammarolog. Lib. 2. cap. 4. p. 584.* duarum ſororum ſibi notarum, qvarum altera Ambrâ maximè delectabatur, qvam altera econtra penitus abhorrebat. Et Zacutus Luſitanus refert *Introduct. ad Prax. Præcept. II. Oper. Tom. II. fol. m. 6.* ex odore Chirothecarum Ambanô delibutarum, qvas Medicus oſtentationis causâ manibus afferebat, qvatuor puerperas Syncope correptas & poſt diem emortuas ſe vidiſſe.

§. 56.

Fragrantia viris noxia.

In ipſos etiam Viros Odorum ſæpius magnam eſſe efficaciam monſtrat Obſervatio ejusdem Zacuti, qvam *Prax. medic. admirab. Lib. 3. Obſ. 193. fol. m. 120.* de qvodam Piſcatore recenſet. Scilicet Luſitaniæ Rex Sebaſtianus iter faciens in qvodam oppidô maritimô tantâ pompâ, veneratione & magnificentiâ exceptus eſt, ut eum comitantibus Ducibus, Comitibus aliorumqve nobiliſſimorum virorum innumerâ turbâ, & plateis omnibus expurgatis & odoriferis frondibus inſtratis, januisqve aromatum ſuffimentis veluti ardentibus ad arcem munitiſſimam, ornatiſſimâ etiam fœminarum illuſtrium Phalangâ adventante, reſonantibus Tympanis, perſonantibus campanis, modulantibus tubis, ubiqve exultantium vocibus exauditis, deductus ſit. In hoc fervore, invaleſcente die, cum ingenti populorum multitudine ſeſe immerſit in mediam plateam Piſcator qvidam, qvi totâ vitâ in mari conſenuerat. Non immiſſerat pedem, qvando Vertigine præviâ ſideratorum more in terram corruit; qvi tranſeunte Rege ad vicinam domum eſt delatus, in qvâ â duobus Medicis pro apoplecticô tractatus celebratis omnibus auxiliis vix levatus eſt, ſed Cadaveris inſtar ſine ſenſu & motu jacentem cum ad ſepulturam deferre volebant. Regrediens Rex poſt triduum de ſalute Piſcatoris inqvirens & commiſeratione commotus juſſit, ut vocaretur

Thomas

Thomas a Veiga. Hic de Vitâ hominis primò percontatus & perſpectâ origine morbi, illum ex Aromatum odore inſvetô in repentinum hoc malum incidiſſe, ſibi perſvaſit; nec irritum fuit judicium; nam poſtqvam illum juxta littus apponi & algâ limôqve totum cooperire juſſit, perceptâ littoris marini aurâ & vapore inſpiratô, poſt qvatuor horas oculos aperire & adſtantes cognoſcere cepit, & ſic poſt diem pancraticè vixit. Huc pertinet etiam, qvod Philippus Salmuth *Obſerv. med. Cent. 3. Obſ. 71. p. 145.* his verbis refert: Carnifex Wittebergenſis curat qvædam in Pharmacopoliô comparari. Servus igitur ingrediens & ſvaviter illam cùm aromatum, tum ungventorum atqve aliorum pretioſorum fragrantiam naribus percipiens, linqvitur animo. Accurrunt protinus Miniſtri Pharmacopœi eumqve aqvis præſtantiſſimis, itemqve oleis & balſamis ſvaviſſimis inungunt, & iſtis nihil proficiunt, ſed malum adhuc augent, ut etiam interitus illi imminere videretur. Fit igitur, prout moris eſt, aliorum concurſus; inter eos ipſe qvoqve Carnifex (dum fortè fortuna frumentum coëmit) adeſt. Ohe! qvid agitis? inqvit, ac ſtatim illum ad Cloacam defert, ſicqve eum per conſveta ſibi reficit.

§. 57.

Vim emeticam a Caffè annotavit Robertus Boyle in homine procerô & robuſtô, qvi ipſius conſilium expetiit, utrum, ubi Vomitivô opus ſit, uſum Caffè, violenter ipſum commoventem, continuare debeat nec ne; qvare ſimul curioſitatem ſuam adjuturus Boyle, & apud ipſum, & apud Conjugem ejus, in operationem hanc Caffè non vulgarem exactiùs examen inſtituit, atqve percepit, qvod Cyathus ſeu Calix vitreus ordinarius decoctô Caphæ, pro more calido, & in aqvâ vulgari coctô repletus, duarum horarum ſpatiô Emeticam virtutem exerere incipiat, & ante meridiem octo, decem & nonnunqvam duodecim vomitus, tantâ violentiâ elicere ſoleat, ut Infuſione *Caffe*

Croci Metallorum, vel aliorum Emeticorum vulgarium, longè minùs ſe affectum ſentiat: qvæ ipſa fuit cauſa, qvare, utrum uſus hic Caffè, utut de operatione ejus certiſſimus, aliqvot jam annis ipſi adſvetus fuerit, continuandus, an verò cum aliis medicamentis commutandus ſit, inqviſiverit. Præcipuè verò hîc notandum venit, qvod vomitivum hoc, temporis tractu, præ aliis qvibuscunqve viro huic acceptu difficillimum fuerit factum, adeoqve, ut publicis in viis Caffè vendibilis ædes prætergreſſus malè ſeſe habuerit, cùm tamen ſimplex hoc eminentiſſimæ famæ Medicis adeò ab omni facultate emeticâ alienum videatur, ut eô potiùs, certis in affectibus, non ſine ratione, pro Confortativô ſtomachi utantur; & idem ipſe nobilis pauló poſt contra vapores Caput ſuum lædentes Caffè adhibens nullam prorſus in eâ qvalitatem vomitivam expertus fuit. vid. Robert. Bayle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 16.* §. 2. *pag. 321.*

§. 58.

Opiata. Opiatorum Antipathiæ hæreditariæ exemplum communicat Gothofredus Samuel Poliſius *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 46. p. 168. ſeq.* Scilicet Virgini cuidam nobili Catarrhô tenui, acri & ſeroſô detentæ tuſſiqve tam gravi afflictæ, ut erecta in lectô ſedere cogeretur, & Catarrhus ſuffocativus metueretur, circa veſperam exhibitæ Pilulæ catarrhales opiatæ inſtantis noctis reqviem adeò turbârunt, tantamqve anxietatem & anguſtias, vomitûs item moleſtiſſimos excitârunt, ut nobiliſſima Virgo de ſe actum putârit. Manè viſitanti Medico hæc Symptomata referebat, ſimul qværens, utrum heſternæ pilulæ opiati qvid in ſe continuerint? affirmanti regerebat, ſe ex Opiô parata Medicamenta ex naturali qvodam odiô & antipathiâ perferre non poſſe, ſibiqve recenti adhuc hærere memoriâ, ſimilia ſymptomata qvondam Heidelbergæ ſeſe uſu præſcripti opiati perpeſſam,

cauſam

cauſam rejiciens in hæreditariam diſpoſitionem â Parente ſuô, opiata ſimiliter adverſante, in ſe translatam.

§. 59.

Adoleſcentulo, tertianâ duplici correpto Emulſionem Peponum exhibuit Joſephus Lanzonus; aſt illicò ac appoſita ſaltem fuit, in tremorem ac Syncopen incidit; mater poſt duas horas iterum porrexit dictam potionem, iterumqve tremor & Syncope ſupervenêre. Domeſtici hoc Lanzono cùm narrâſſent, & idem expertus fuiſſet, prohibuit, ne in poſterum adoleſcens non tantùm Emulſionem non aſſumeret, verùm ne qvoqve aſpiceret. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.* *Emulſio Peponum.*

§ 60.

Ab Oleo Olivarum Arnſtadii Comes Generoſus tantopere abhorruit, ut omnia ex eô apparata edulia eodem, qvô ille, Conclavi adſervata ſubitò auferri oportuerit, niſi exitiali Syncope eundem periclitari ſuſtinerent, uti ex Horſtiô refert Bernhardus Langwedel *Defenſ. Hippocrat. p. m. 107. ſq.* *Oleum Olivarum.*

§. 61.

De Aceti averſione ſeqventem Obſervationem annotavit Gvilelmus Fabricius: Matrona pia atqve honeſta, vidua Joachimi Rohaut, Pharmacopœi Lauſannenſis, Acetum adeò averſabatur, ut ex ſolô ejus odore in Lipothymiam & Syncopen incideret; ideoqve ex ipſius culinâ planè proſcriptum erat. vid. Gregor. Horſt. *Oper. medic. Tom. III. f. m. 115.* Oenopola qvidam, qvoties Acetum menſæ impoſitum inſpiciebat, cohorreſcebat & ſudore frigidô perfundebatur; Verùm ſi Acetum non viſum hauriret, nihil inde damni percipiebat, teſte Olaô Borrichiô *Actor. Hafnienſ. Vol. IV. Obſ. 44. p. 147.* Ibidem etiam *Obſ. 28. p. 85.* Johannes Rhodius Matronam nobilem, qvæ ne qvidem Aceti odorem ferre potuit, exhibitis Oxymellis Unciis duabus interiiſſe, ex Dominico Sala refert. Ex odore Ace- *Acetum.*

ti ex moris Rubi Idæi in Lipothymiam incidiſſe Johannem U-dalricum Rumlerum, paulò antè ex Velſchiô adduximus.

§. 62.

Vinum. A Vinô nonnulli abhorrent, qvi abſtemii dicuntur, talis Demoſthenes fuiſſe dicitur, vid. Ludov. Cælii Rhodig. *Lection. antiqv. Lib. 28. cap. 36. fol. m. 1102.* Felix Platerus *Obſ. med. Lib. I. p. m. 239.* refert, ſe inter abſtemios vidiſſe, qvi dulcia, ut Malvaticum, vel recens adhuc Vinum, dum Muſtum dulce eſt, bibebant, & tunc primùm, cùm effervescendo vinoſum ſaporem acqvirit, id faſtidiebant. Scribit etiam Philippus Jacobus Sachs *Gammarolog. Lib. 2. Sect. I. cap. 4. §. 14. p. m. 596.* ſe noviſſe Invinium qvendam, à Vinô penitus abſtemium, qvod mater bibax geſtationis tempore vinum plenis buccis crebrô hauſiſſet. Fœmina qvædam tempore geſtationis in Uterô, neqve vinum, neqve cereviſiam bibebat, ſed ſaltem amygdalinum, vel cereviſiam ſecundariam. Filia poſt abſtinuit Vinô & Cereviſiâ, usqve ad tempus nuptiarum, qvin primi partûs, uſa qvoqve ſaltem lacte bubulo vel Covento, ſeu Cereviſiâ ſecundariâ. At in primô puerperiô primùm Cereviſiam recentiorem, tanqvam ſvaviorem, poſt Vinum qvoqve aſſumſit, incipiendo ab Abſinthite, vid. Philipp. Salmuth. *Cent. 2. Obſ. 38. p. 76.* Joſephus Lanzonus Ancillam novit, qvæ â nativitate â Vinô abſtinuit ita, ut ſolô Vini odore Vomitu afficeretur. *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.* Biblipolæ cuidam Erphordenſi, Michaeli Prembs nomine, Vini & Cereviſiæ faſtidium ex Uterô maternô fuit congenitum, eamqve ob cauſam vix ægrè Sacro-ſanctæ Evchariſtiæ Symbola, Vini ratione, percipere valuit: odorem autem usqve adeò non abhorruit, ut aliis potantibus aſſidens ſolô odore citiùs inebriaretur, licet præter aqvam ille ipſe nihil ingurgitaret, vid. David. Lipſ. *l. a. p. 12.* Joëli Langelotto nota fuit fœmina opulenta, qvæ Vinum, cereviſiam omniaqve delicatiora averſata, præter lac vaccinum pro

potu

potu nihil appetebat. *v. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 14. p. 24.* Vinum Rhenanum Saccharo imbutum qvoties Civis Hafnienſis, ſtrenuus Bacchi miles, potabat, faucium contractione & cruciatu affligebatur, qvoties purum, nullô modô offendebatur. vid. Ol. Borrich. *Act. Hafnienſ. Vol. IV. Obſ. 44. p. 147.* Cùm Mulier qvædam, qvæ totô vitæ ſuæ curriculô nunqvam Vinum, vel aqvam potaverat, Imperante Ladislao, Neapolitano Rege, vinum bibiſſet, magnum nocumentum illi ſubſeqvutum eſt, uti ex Johanne Joviano Pontano refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 3. p. 626.* Vino qvoqve abhorruit Virgo illa Helvetica, Apollonia Schrejeria, de qvâ infra pluribus. Theodoro Zwingero qvidam amiciſſimus, Jatro Philoſophus, non ſemel candidè faſſus eſt, ſe tantô Vini horrore pollere, ut vel ab unius guttæ Vini deguſtatione in Lipothymiam, aut alia ſymptomata gravia, delapſus ſit; Poterat tamen hic Vini odorem ferre, & ita Bacchi fratrum conſortiis hilaris intereſſe. vid. Theod. Zwinger. *Faſcic. Diſſert. med. ſel. Diſſert. I. p. 16.* Juxta Julium Alexandrinum qvidam Vinum reſpuunt, uvas voraciſſimè ingurgitant, iidem Creticum ac generoſiora & bene dulcia potare ſæpe poſſunt, deterioris notæ non poſſunt. vid. Martin. Schock. *de Averſat. Caſei cap. 1. p. 194.* Nonnullos abſtemios, qvi ex ſolo Vini odore in ſyncopen inciderint, ſe vidiſſe dicit Petrus Salius Diverſus *de Affectib. partic. p. m. 353.* Qvidam è conſangvineis Kenelmi Digbæi ſiti propemodum perierat, priusqvam nutrix, cui alendus tradebatur, Antipathiam ejus cum Cereviſiâ vinôqve obſervaret, qvæ deinde apparuit, cùm ei tenera imbecillaqve natura muta qvædam (nondnm enim loqvi didicerat) ſed efficacia ſigna edocuit, qvibus aqvam fortuitò conſpectam efflagitaret, qvæ largius avidiusqve hauſta diuturnæ demum, qvæ contabeſcebat, ægritudini medebatur. vid. Kenelm. Digb. *de Immortalit. Anim. rational. Tract. I. cap. 38. p. 436.* Bibliopegus qvidam Haynenſis Caſpar *Obſervatio.*

Wobſt, Vir ſeptuaginta aliqvot annorum à juventute adeò Vinum abhorrebat, ut nullis perſvaſionibus, nullôqve pretiô ad ejusdem guſtatum adigi poſſet. Cumqve ipſi tempore qvodam opponerem, annon in ſacrâ Synaxi Vinum aſſumeret, mihi reſpondebat, ſe tunc temporis eqvidem vix unicam Vini guttulam lingvâ guſtare, ſtatim tamen ab iſtô momentô incredilem exinde Cephalalgiam, Oculorum inflammationem & Agrypniam per aliqvot dies noctesqve ſummô qvaſi cum deliriô perpeti: Similem etiam Antipathiam eademqve ſymptomata â ſolô Nicotianæ odoratu idem ſentiebat. Vivit etiam hîc Dresdæ Vir qvidam non incelebris, & qvidem Natione Hungarus, talis abſtemius, ut non modò Vinum, ſed etiam Cereviſiam â Juventute penitus abhorreat, neqve ullo modô ad talia potulenta perſvaderi poſſet, ſolâ aqvâ, etiam in conviviis, qvibus qvandoqve intereſſe ſolet, contentus, ſimulqve pro more, in alterius ſanitatem bibens. Imò non modò erga Vinum & Cereviſiam tantâ Antipathiâ laborat dictus Hungarus, ſed etiam erga ipſum Tartarum, & ex eodem parata Medicamenta; ſiqvidem tempore qvodam â Tincturâ Tartari, â me præſcriptâ, peſſimè ſe habere incipiebat; qvod etiam poſtea â Spiritu & Cryſtallis Tartari, aliis medicamentis in parvâ doſi, admixtis experiebar. Porrò dictus Vir cum Conjuge ſua, ſecundi matrimonii, tres filias & unicum progenuit filium, ex qvibus illæ omnes neqve cereviſiam nec vinum averſantur, ſed utrumqve á teneris absqve nauſeâ bibunt; filius autem, tanqvam natu minimus, hocqve, qvo hæc ſcribo, tempore tertium annum agens, hucusqve neqve ad vini neqve cereviſiæ asſumptionem â Matre & ſororibus perſuaderi paſſus eſt, ſed poſt ablactationem ſolá aqvâ ſitim ſedavit. Intritas etiam ex cereviſiâ cum paucô vinô, vel ex aqvâ, tantillô vini & ſaccharô paratas, penitus averſatur, aut ſi qvocunqve modô ad aliqvot vini guttas aſſumendas decipiatur, ſtatim de variis ſymptomatibus,

bus, calore, Cephalalgia, laſſitudine, tremore conqveri cœpit. Siqve ipſius ſorores vinum & cereviſiam præ aquâ laudant, ille infans reſpondet: Wein iſt garſtig, Bier iſt garſtig, Waſſer gut. Tartarum in Medicamentis Reverendiſſimus qvidam vir ita reformidavit, ut, ſi fortè fortuna ex inſcitiâ medicamentis digeſtivis, purgantibus aliisqve commixta fuerit, peſſima illi excitaret Symptomata. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. Obſ. 14. p. 33.* De fonte vini faſtidium generante ſeqventia refert Caſpar Schottus *Anatom. Phyſico-Hydroſtat. Lib. 6. cap. 7. p. 397.* Clitorius in Arcadia fons vini faſtidium creare dicitur. Optarent aqvam hanc uxores vinoſorum maritorum, ut eos abſtemios redderent. At qvia fons ille longè abeſt, hoc utantur remedio, Portâ docente: Angvillas tres vel qvatuor vino immerſas ſinant, donec emoriantur; ebrioſo vinum hocce porrigant, nauſeabit vinum, & moderatiùs bibet. Ova etiam noctuarum elixata, & infanti in cibum data, abſtemium eum reddere dicuntur.

§. 63.

Non modo autem Vini & Cereviſiæ nauſeam annotârunt Autores, ſed etiam Polentæ, ex qvâ coqvitur Cereviſia; talem enim Idioſyncraſiam ſingularem exhibet Olaus Borrichius *Act. Hafnienſ. Vol. 4. Obſ. 44. p. 147.* inqviens: Zythopœus, cætera ſanus, qvoties tabulatum ſuum conſcendit Polentâ refertum, ſiqvidem tranſit qvietè, nihil adeò ſentit incommodi, ſed qvàm primùm vel ipſe vannô polentam verſat, vel ab aliô verſari conſpicit, totô vultu acerbiſſimos experitur dolores, â qvibus non niſi poſt plures dies liberari ſolet. *Polenta.*

§. 64.

Porrò etiam non ſolùm ab unô vel alterô, ſed â pluribus cibis ſimul nonnulli abhorrent atqve interdum unicô ſaltem, vel paucis alimentis vitam ſuſtentare ſolent, v. g. ruſticus ille, cujus ſupra ex Bruyerino mentionem fecimus, nec panem, nec *Multi Cibi.*

carnes,

carnes, nec piſces unqvam deguſtabat, ſed ſolis ovis veſcebatur. Item puella ſedecim annorum neqve panem, neqve alios cibos præter ſerum lactis aſſumſerat, teſte eodem Autore. Inqvit etiam Petrus Foreſtus *Obſ. medic. Lib. 4. Obſ. 5. Schol. f. m. 116.* Nos audivimus de Ruſtico, qvi nullo alio cibo, nec potu utebatur, qvàm ſolô lacte vaccinô, qvi & optimâ fruebatur ſanitate. De gravidâ, qvæ ſpatiô ſex hebdomadum ab omni ferè cibô ac potu abhorruit, uſu tamen Clyſterum ex juſculô carnis caponum, gallinarum & ſimilium, in qvibus vitella ovorum diſſoluta erant, paratorum cum fœtu conſervata fuit. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Obſ. Chir. Cent. IV. Obſ. 30. fol. 311.* Henricus ab Heer *Obſ. 29. p. 247.* mentionem facit Canonici cujusdam qvadragenariô majoris, qvi nihil comedit, niſi pultes, qvibus in Cunis veſcebatur; piſces omnes carnesqve execrabatur, nec qvicqvam bibebat, niſi aqvam putealem vel fontanam. Sic Antonius Poſtellus, Gallus, nihil qvod coctum ſive elixum, aſſum aut frixum eſſet, comedebat, contentus ſolô pane, fructibus & lacte. Pane autem non purô, ſed furfuraceô, qvali alii canem alere ſolent, tantùm veſcebatur, ex purâ farinâ piſtum faſtidiebat. Fructibus æſtatis tempore & hyemis iisdem ſiccatis, pomis, pyris, ceraſis, nucibus &c. utebatur. Lacte qvoqve frigidô tantùm veſcebatur, nihil enim, qvod calefactum erat, attingebat, bene habitus interim coloreqve vivido, juxta Felicis Plateri teſtimonium *Obſ. med. Lib. I. p. m. 238.* In urbe Balſara, eoqve diſtrictu, ad usqve fluvium Indor, patentem ferè ad ſexcenta milliaria, ad oram Arabiæ Incolas nec pane nec Oryzâ, ſed ſolis Dactylis victitare, piſcibus item ad ſolem arefactis & conditis, teſtatur Johannes Baptiſta Tavernier *Itinerar. Perſic. Lib. 2. cap. 8. fol. m. 93. v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 138.* In Thuringia vixit Vir proceræ ſtaturæ, habitu planè athleticô, qvi per omne Vitæ tempus nunqvam carnem, nunqvam piſces, nunqvam lac, nunqvam butyrum, nunquam caſeum,

caſeum, nunqvam ova, nunqvam mel, nec ex his confecta & præparata, imò nunqvam panem deguſtavit, ſed ſolis arborum fructibus, leguminibus, rapis, uvis, paſſulis & id genus aliis ex almâ matre tellure prognatis vixit & valetudinem optimè tutatus eſt, ita ut ferme ſexagenarius tandem rebus exemptus ſit humanis. vid. David Lipſ. *Antipath. ſingul. p. m. 11.* Bernardus Bonius non veſcebatur uvâ, non ficu, non pyrô, non pomô, non malô cotoneô, non Granatô, non Perſicô, non prunis etiam acidis, & omnia dulcia odio habebat, & mel, ſaccharum, & ex eis compoſita ipſi præſentiſſima erant venena. Item ex omnibus fructibus comedebat nuces, amygdalas & nucleos pineos, &c. uti ex Amato Luſitano refert Johannes Schenckius *Obſ. medic. Lib. 7. fol. 917.*

§. 65.

Reperiuntur etiam, imprimis inter feminas omnem Medicamentorum uſum internum maximè abhorrentes, ut adeò Medicis qvandoqve fraude uti neceſſe ſit, qvalem obſervationem recenſet Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 160. p. 203. ſeq.* Uxor, inqviens, Mercatoris qvartanâ laborabat moleſtiſſimâ, corpus totum atrociſſimè affligente; remedia reſpuebat, ita ut nec ad ſalia, nec eſſentias, nec tincturas, nec ſpiritus per guttas ſumendos, vel dolô etiam, qvod ſæpius fieri oportere Praxis docet, perſuaderi poſſet. Tandem antiqvartanarium meum exhibere dolô tento, ipſa cauta nimis & attenta eluſit conſilium meum: qværo, an conſervam Roſarum aſſumere poſſit? habere me nimirum & ſaporis grati, & morbo, qvô cum conflictabatur, accommodatiſſimam, ex cujus uſu febris ſine dubiô ceſſatura ſit? annuit tandem perſuaſionibus, & an vomitûs, an dejectiones illa ſit motura, & an certò certius febris etiam peritura ſit, perqvirit. Ceſſabit, inqvam ego, Dei ope, infallibiliter febris: Mitto circa veſperam febrifugi doſin cum Roſarum conſervâ permixtam, ſimul-

Omnia medicamenta interna.

qve, ut manè vice unâ deglutiret, ſignificari curo. Ægra impreſſionem Vomitûs dejectionumqve habens, maximam autem in medicamentum & ejus operationem ponens ſpem, ſollicita tamen, numne poſterô die ſapor ingratus ſit futurus, circa noctis horam fabæ majoris qvantitatem deguſtat tantùm; inde nauſeabunda ſtatim qvater vel qvinqvies cum maximâ violentiâ vomit, ſimulqve ſexies alvum exonerat cum febris ſublatione &c. Et *An. 8. Obſ. 49. p. 125. ſeq.* idem Schmidius hanc refert obſervationem de venuſtâ qvadam viduâ, qvæ ſponſa atrociſſimos patiebatur dolores colicos, ut miſerè hinc inde qvatere corpus præ dolorum vehementiâ cogeretur. Interim externis calidis irritô ſucceſſu adhibitis Medicum advocatum his verbis excipiebat: Intolerabiles patior Ventris circa Ingvina & latus dextrum dolores, qvos ſi tollere ſine remediorum uſu poſſes, gratiſſimus mihi eſſes hoſpes: nam majores potiùs pati dolores, imò mortem ipſam, paratiſſima ſum, qvàm remediis uti, qvæ penitus natura mea averſatur. Non autem ad Medicamenta tantummodò, ſed Enemata qvoqve perſvaderi minimè poterat. Ideò ut Cerevifiam calidam, cum ſemine cumini & Sacchari tantillo ad minimum bibat, Medicus illam rogabat; qvod ſe facturam annuebat. Diſcedens Medicus miniſtrantibus imperabat cognatis, ut pulverem ab ſe præſcriptum Cereviſiæ inſpergant, ut vice unâ cum Cereviſiâ, cujus ſapor ſemine Cumini jam corruptus erat, ebiberetur. Fiebant cautè omnia; ebibebat neſcia pulverem & ſepties exinde cum exploſione ventorum plurium dejiciebat, atqve naturam officium feciſſe Medico â prandiô accedenti referebat. Tertiô a dolô die rediens Medicus qværebat, qvomodo ſe haberet? pancraticè reſpondebat. Ope tamen, cognatorum aliqvis incautus regerebat, Medici; nam fefellit te Medicus & cum Cereviſiâ tibi pulverem exhibuit. Tum patiens ad mentionem pulveris ſtatim vomere & tormina priora ſentire incipiebat, qvæ dolô

etiam,

etiam, ſed longè majori tollenda erant. Item Fœmina qvædam qvadraginta circiter annorum, tenera aliàs & ſucci plena, omnia Medicamenta ex Regnô animali & vegetabili petita minimè poterat perferre; ex qvô enim ea aſſumſerat, nauſeâ, conatu vomendi, ipſo vomitu, animi deliqviô, palpitatione cordis, artuum tremore afficiebatur. Remedia verò ex Regnô minerali parata omnia ferebat optimè, qvando ægrotabat; ægrotabat autem ſæpius ex ſtrangulatione faucium, vomitu cruentô, infrigidatione & ſtupore ſubitaneô omnium membrorum &c. juxta Obſervationem Chriſtiani Michaelis Adolphi *Ephemerid. Academ. N.C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 37. p. 83.*

§. 66.

Dantur adhuc aliæ Antipathiæ ſpecies, qvæ licet propriè ad ſcopum noſtrum, de aſſumendis alimentis eorumqve nauſeâ, non pertineant; qvia tamen in hactenus recenſitis exemplis non ſolùm guſtûs, ſed etiam viſûs & olfactûs Antipathiæ mentio facta ſit, ſeqventia etiam hôc locô adducere liceat. Exempli gratia, Felis præſentiam tam notam, qvam inſciam, plurimis ſudores & animi anxietates provocâſſe, ſæpe ſe vidiſſe ſcribit Thomas Bartholinus *Cent. 3. Hiſt. 28. p. m. 64.* ubi addit: Credit ſuperſtitioſum vulgus, illos ſolos â fele abhorrere, qvorum cunas felis fortè ante Baptiſmum tranſilivit. Et *Cent. 6. Hiſt. 58. p. 294.* mentionem facit nobilis Dani, cui feles tam inſenſæ erant, ut non viſas qvoqve averſaretur. Fortè ad cœnam opiparè inſtructam ab amicô vocatur, & inter alia fercula in clauſa paropſide felis includitur. Nauſeabat illi dictum factum Stomachus & ſudore diffluens felem alicubi deliteſcere divinavit. Apertâ inde paropſide viſoqve felis capite, tam excanduit, ut inflictâ hoſpiti alapâ (erat enim incredibili robore corporis, ut ferrum velut plumbum flecteret) morte jocum compenſaverit. Alius Nobilis cùm in juventute Antipathiâ feles ferre non poſſet, in ſenectute adeò familiares habuit, ut ſine

Aliæ Antipathiæ ſpecies.

Felium.

U 2 illis

illis dormire non poſſet; adeò magnam temperamentorum mutationem ætas infert. Joſephus Qvercetanus *Diætet. polyhiſtoric. Sect. 1. cap. 8. p. m. 82.* meminit, ſe Anglum qvendam Nobilem in mediô prandiô corpus modò huc, modò illuc agitare ac torqvere, modò palleſcere, modò ſudores emittere, vidiſſe, ita ut ab omnibus crederetur accumbentibus gravi aliqvô malô conflictari: niſi ab aliqvô ex Convivis, apud qvem ille Anglus agebat, narratum fuiſſet, neceſſariò in cubiculô felem adeſſe, cujus præſentiam ſimul atqve nobilis ille Anglus vel oculis vel ſenſu tantùm perciperet, his animi motibus & perturbationibus angeretur. Principem qvandam fœminam, ob matris cum ipſâ gravidæ impreſſionem, à felibus maximè abhorruiſſe, refert Henricus Smetius *Miſcellan. Lib. 2. cap. 34. p. 101.* Eximias qvidam Vir riſum moturus amicis in celebri Conviviô, cui & ipſe interfuit, ælurum pingvem, leporis locô, artocreati incluſeret; cùm illum omnes avidiſſimè ederent, negantes ſe meliorem unqvam comediſſe leporem; adſidentium qvidam, impoſitô ſuo orbi fruſtô, nondum â ſe manibus vel ore libatô, ſubitò, priusqvam pedem locô movere poſſet, & orbem ſuum & vicinas patinas convomuit; moventibus ſe omnibus, ipſe ſui impos lecto illatus, cùm ad ſe rediiſſet, dixit, credere ſe cattum pro lepore illatum. Cùm id Domino domûs diceretur, ipſô in riſum ſolutô & fatente, rediit ad menſam ablatô artocreate, æger novoque cibo vinoque recreatus nulli convivarum hilaritate ceſſit. vid. Henric ab Heers *Obſ. 29. p. 248.* Illuſtriſſimus Dominus de Schomberg felis non ſolùm aſpectum, ſed etiam latentis odorem, absqve Lipothymiis ferre neqvivit, juxta Petr. Borell. *Cent. 4. Obſ. 61. p. 320.* Cùm qvidam hyemis tempore in Hypocauſtum cœnaturus intrâſſet, quò plurium amicorum ſodalitas convenerat; mulier qvædam hujus viri naturæ conſcia, ne is, viſô felis catulô, qvem educaverat, iratus diſcederet, illum in arculâ qvadam eodem in

cœna-

cœnaculô concluſerat. Sed qvamvis nec vidiſſet ille, nec audiſſet catulum, cùm paucô poſt tempore, aërem felis halitu infectum inſpirâſſet, irritatâ ſtatim eâ temperamenti qvalitate felium inimicâ, emiſſô ſudore, pallidâ admodum facie, omnibus ſanè adjuvantibus, tremebundus conclamare cœpit: hic aliqvô in angulô latet felis. vid. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioſcorid. Lib. 6. cap. 25. fol. m. 997.* Civis & Mercator qvidam Thorunenſis, Martinus Hammerus, non ſolùm vivas, ſed etiam pictas feles admodum metuebat, eisque viſis frigidô ſudore perfuſus magnâ Cordis anguſtiâ corripiebatur, referente Simone Schultziô *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 46. p. 267. ſq.* Infans qvidam per totam vitam â fele abhorruit ob terrorem matri gravidæ ex ſubitô felis in eam inſultu obortum, juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. I. fol. m. 84.* De Vice-Colonello, qvi Catorum etiam arcis vel ſcriniis incluſorum præſentiam ſine effuſione ſudoris frigidi & periculô Syncopes non ferebat, vid. Joh. Lud. Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 50. p. 82.* Imò ejusmodi Antipathiæ felium & hominum exempla qvotidie occurrunt, ut hi ad illarum conſpectum vel ſolam animadverſionem exhorreſcant & fere exanimentur. Inter alia novi ante qvadraginta ferè annos, tunc temporis Studioſum, poſtea verò Doctorem Juris, qvi, qvoties felis, ipſô inſciô, in hypocauſtô latitabat, non modò ſudorem frigidum, anxietates & Lypothymias ſentiebat, ſed vehementiſſimas etiam Convulſiones & Epilepſiam incidebat. *Obſervatio.*

§. 67.

Murium Antipathia multis qvoqve, præſertim feminis, familiaris eſſe ſolet, reperiuntur tamen etiam Viri, qvi ipſorum præſentiam ferre non poſſunt. Meminit enim Joſephus Qvercetanus *Diætet. polyhiſt. Sect. 1. cap. 8. p. 82.* magni cujusdam Principis, cujus ſumma erat animi fortitudo & adverſus hoſtes *Mures.*

 in

in procinctu invicta ferocia: hic tamen facilè aſpectu aut ſenſu alicujus muris in cubiculô degentis perterrebatur, ut ſeipſum vix continere poſſet. Sic Johannes Caracciolus, Johannæ Reginæ Neapolitanæ procus, naturali horrore Mures maximè averſabatur; itaqve cùm Regina ipſius amori inſidias ſtrueret, in conclavi, regio cubiculo proximô, cùm adeſſet, ex compoſitô ancillarum una Murem veſtium plicis inſinuavit, qvem cùm ille excutere tentaret, dein fugere, & omnes portas, præter eam, qvæ ad Reginam ducebat, clauſas vidiſſet, turbatus in Reginæ cubiculum intrans, in caſſes incidit, vid. Philipp. Jac. Sachſ. *Gammarolog. Lib. 2. cap. 4. p. 590.* Perſarum Magi mures intolerabili proſeqvebantur odio: qvare eos interficiebant; qvod Arabes atqve Æthiopes qvoqve feciſſe, traditur hiſtoriis, juxta Joh. Bruyerin. *de Re cibar. Lib. 1. cap. 24. p. m. 80.* vid. etiam Petr. Borell. *Cent. 4. Obſ. 61. p. 320.*

§. 68.

Glires. Idem etiam de Gliribus experimur, ſiqvidem Robertus Boyle Nobilem novit, virum Corpore fortiſſimum, animô imperterritum, longâ peritiâ ad ſuprema militiæ munera evectum: qvi tamen virtute ſuâ nihil obſtante ultra modum Glires, exhorreſcens eorum vel aſpectum ſufferre neſciebat. Nobilis iſte qvartanâ pertinaci diutiſſimè laborans absqve ullius remedii ſucceſſu felice, varias peragratus terras tandem ex accidente & ſubitò alicubi Glirem prægrandem offendit in angulô loci cujusdam latentem: qvi cùm cæteroqvin nobilis præſentiam effugere non poſſet, furioſo inſultu, absqve morſu qvidem, Nobilem adorſus tantô eundem terrore percuſſit, ut ſtatim inde â febre diuturnâ liberatus fuerit. vid Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 10. §. 17. p. 282.*

§. 69.

Ranæ. De Ranæ Antipathia ſeqventem obſervationem legimus in Henrici ab Heers *Obſ. 29. p. m. 245.* Matrona ſcilicet viſâ Ranâ

nâ vel coaxatu ejus auditô, animô linqvebatur, diuqve pro exanimi jacebat, dum vinô generoſô ad ſe rediret; itaqve paludoſa loca ut Acheruntem vitabat. Tandem ab empyricâ qvadam edocta nidorem pennarum Upupæ accenſarum ranas momentô fugare earumqve coaxatum compeſcere, nunqvam rus concedebat, qvin ancillam iis inſtructiſſimam comitem haberet: qvibus fumantibus malô ſe non corripi adſeverabat. Illône fumô, an Imaginatione correcta fuerit levata, judicent prudentes. Militem alioqvin ſanum nauſeâ cum Vertigine correptum ſolâ ranarum præſentiâ obſervavit Joſephus Lanzonus *vid. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 103. p. 171.*

§. 70.

Araneam citra ingentem ſangvinis commotionem aſpicere neqvibat Robertus Boyle, qvamvis nullum unqvam damnum ab hoc creaturarum genere acceperit, neqve viperas, bufones aut animalia qvæcunqve venenata abhorrebat, uti ipſe fatetur *de Utilit. Philoſ. experiment. Exercit. V. cap. 6. p. 320.* Miram Araneæ Antipathiam annotavit etiam Simon Schultzius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 146. p. 267.* de Pharmacopœi Thorunenſis uxore, qvæ ædes qvascunqve ingreſſa, ubi aranea, licet non viſa, lateret, ſtatim præſentiam ejus & locum indicavit, in eisqve, anteqvam removeretur, ſine Lipothymiâ perſiſtere haud potuit. Cujus filia ejusdem nominis, Mercatoris Thorunenſis conjux, araneas ſimiliter valde averſabatur, viſas tamen; ſed qvas non videbat, ferre potuit. Puella qvædam Gothana toties, qvoties araneam videret, gravi corripiebatur Syncope. Cauſam indaganti dixit Mater, ſe vidiſſe olim per qvietem araneum ſuper ventrem ejus prorepentem, ex qvô terrore, filiæ hæc labes aſperſa. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 4. App. p. 209.* *Aranea.*

§. 71.

A Veſpis adeò abhorrebat Anglica fœmina, Maria Brook, Taxfordenſis, ut durante ſtatione volantium examinum illarum *Veſpæ.*

rum

rum per ædes, cogeretur ſe continere in exiguô arctqève clauſô Conclavi, nec auderet inde prodire pranſum vel cœnatum, niſi vellet iisdem malis affici, qvibus afficiuntur Caſeo, qvi extremam contra illum innatam habent Antipathiam, vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglic.1667.Menſ. Novembr. p. 446.*

§. 72.

Hericei. Hericei terreſtris animalculi aſpectum ita averſatus eſt Hippolitus Lanzonus, Nobilis Mantuanus, ut niſi diffugerit, Syncope ſudoribusqve correptus fuerit, juxta Marcell. Donat. *Medic. Hiſt. mir. Lib. 6. cop. 3. p. 625.*

§. 73.

Gallus. Gallum Gallinaceum Germanicus qvidam aſpicere non potuit, uti ſcribit Johannes Bruyerinus *de Re cibar. Lib. I. cap. 24. p. m. 80.*

§. 74.

Homines. Nonnunqvam etiam inter ipſos homines naturalis obſervatur Antipathia ſive diſcordia, ita ut homo hominem absqve ulla datâ cauſâ odiô inexplicabili proſeqvatur, vel ad minimum ad ejusdem ſincerum amorem perſvaderi vel cogi neqveat. Refert enim Martinus Weinrichius, fuiſſe ex familiâ generoſâ qvempiam, qvi ad conſpectum vetulæ fuerit exanimatus, & aliqvando è conviviô mortuus elatus. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Caſ. 26. Schol. §. 5. p. 349. ſeq.* Antipathiæ mulierum ex Herberſteinii deſcriptione Moſcoviæ meminit idem Bierlingius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 207. p. 369.* Antipathiæ erga virgines formoſas exemplum annotavit Joel Langelottus, *ibidem An. 6. & 7. Obſ. 14. p. 24.* Nunqvam, inqviens, ſatis mirari potui, fuiſſe virum, qvi ab omni ſexu fœmineô abhorruerit adeò, ut ne aſpectum ejus ſine inſigni animi corporisqve commotione ferre potuerit, qvalem tamen ſibi viſum eſſe, Chiliarcha Beckmannus, Comes mihi qvondam in itinere Anglicanô gratiſſimus, teſtabatur. Is invitatus a Præfectô

ctô militari Fortalitii N. N. & filiabus ejus formæ morumqve elegantiâ eximiis aſſidere juſſus, cùm humaniſſimè ſe præberet, nulloqve non facetiarum genere cum iis certaret, converſus ad hunc Beckmannum Præfectus: qvid, inqvit, cùm video, te adeò virginum delectari conſvetudine; qvid ſi tibi hominem oſtendam non plebejum, ſed nobiliſſimâ ſatum gente, eumqve ſtrenuum militem, qvi ne aſpectum ferre mulierem poteſt. Ergo Capitaneum illum vocari juſſerat mandata daturus. Acceſſit, & in Conclave admiſſus ad aſpectum formoſiſſimarum Virginum adeò commoveri viſus eſt, ut ſtatim exalbeſceret, fronteqve ſudorum rivi deſcenderent; jamqve animô defecturus erat, niſi miſſionem dediſſet Præfectus. Hoc tum temporis recentiſſimè ſibi viſum, ceu incredibile & raris dignum annalibus, mihi retulit Beckmannus, Vir antiqva virtute & fide, ſed planè diverſus â ſuprà dictô Nobili, ſexûs nempe feminei perpetuus Cultor. Rationem, ſeu qvid cauſæ ſubſit, qvòd Capitaneus in adductâ Obſervatione ſexum muliebrem odio habuerit, vix divinare licet, niſi forte dicamus, matrem gravidam, multa tempore geſtationis uterinæ, incommoda paſſam ſibi freqventer ſuccenſuiſſe, qvod femina genita fuerit, adeòqve ſexûs ſuimetipſius averſationem filio implantaverit, juxta ſententiam Roſini Lentilii *M. N.C. Dec. III. An. 7 & 8. App. p. 125.* Et Johannes Dolæus *Encyclop. medic. Lib. 2. cap. 7. p. 362.* Studioſum ſe noviſſe ſcribit, qvi ex Virginis præſentiâ animi deliqvium paſſus ſit. Singularis contingentiæ vel Averſationis â ſeqviori ſexu exemplum recenſet Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 9 & 10. Obſ. 59. p. 149.* Scilicet Vir Nobiliſſimus & Clariſſimus, Magiſtratui Gedanenſi annis qvadraginta qvinqve â ſecretis, qvi annô ætatis ſuæ cælebs in cœleſtem migravit patriam, inter alias præclaras laudes, probæ nimirum vitæ & Eruditionis eximiæ, & hanc poſt ſe reliqvit, qvòd miram vitæ caſtimoniam coluerit; â primâ qvippe ſtatim juventute â converſatione

X

ſatione mulierum abſtinuit, imò omnes occaſiones vitavit, & datas pro animô ſuperavit; neqve impotentiam in eô arguere licuit, cùm boni ſemper & vegeti fuerit Corporis, & de hoc gloriatus ſæpius fuerit, qvòd ad ſeram usqve ſenectutem morbi causâ nullis opus habuerit remediis, unde de aptitudine nulla fuit dubitatio unqvam, ſed averſatio â ſeqviori ſexu erat inſuperabilis, præſertim ſi vel virginem aliqvam viderit laſcivientem, vel famulam in ædibus ſuis domeſtica munia exercentem, & æſtivô tempore paulò liberiùs exponentem conſpiceret, cùm præterire illam fortè contingeret, averſâ facie & oculis, ne videant vanitatem, in terram demiſſis, exſpuens, & phui, phui exclamans ſubitò in Muſæum ſe ſuum contulit. &c.

§. 75.

Liberi. In proprios etiam liberos Antipathiam vim ſuam exercere, & qvidem tum ratione Patris, qvàm Matris, magis adhuc eſt mirandum, cujus tamen in utramqve partem extant exempla. Ejusmodi enim odii exemplum memorabile Patris filium, ex Conjuge legitimè natum, haud aliô modô averſantis, qvàm qvô nonnulli feles reformidare, nec ullô aſpectu, vel aliô ſenſu ferre ſolent, legimus in Johannis Beguini *Tyrocin. Chymic. Lib. 3. cap. 1. Edit. Gluckrad. p. m. 446.* Cùm enim Pater juberetur recens natum filium amplecti, abhorruit, nec poſtea ejus præſentiam in eodem contuberniô absqve Lipothymiâ tolerare potuit. Factum itaqve eſt ab amicis, ut, cùm puer decennis cum aliis pueris, unô eodemqve habitu veſtitis, inſciô patre, in Conviviô miniſtrâſſet, neqve dum â patre agnitus fuiſſet, priſtinam tamen affectionem Pater, præter omnem ſpem, paſſus fuerit, Lipothymiâ cum algore ſudoreqve invadente: juſſus ergo filius diſcedere, perpetuô poſtea divortiô â Patre eſt ſejunctus. Hoc exemplum ex Georgii Mylii, Theologi Jenenſis relatione adducit etiam Johannes Jonſtonus *Thaumatograph. de Admirand. Homin. Art. 10. p. 476. ſeq.* ubi etiam hujus Antipathiæ

pathiæ cauſam hanc reddit: vel mater inſigni picâ laborans adverſô patri cibô delectata eſt; vel eidem ex conſternatione rei Patri abominabilis eundem impreſſit affectum. &c. Sic Bartholdi Haſenkohls Conjux, Sabina Catharina, A. 1218. â Milite conſtuprata in ſummos conſcientiæ angores & perpetuam animi ægritudinem incidit; cùmqve puellum peperiſſet, ab ipſô nativitatis die eum neqvaqvam perferre potuit, ſed â ſolô ejus aſpectu Lipothymiâ correpta fuit, uti ex Meinharto a Luchtringen refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lagograph. curioſ. Sect. 2. cap. 3. p. m. 136.* & *Tract. de Talp. Sect. 1. cap. 3. p. 122.* Refert etiam Caſpar Theophilus Bierlingius *Theſaur. theor. pract. Obſ. 26. Schol. §. 5. p. 350.* & qvidem ex Libaviô, exſtitiſſe aliqvem, qvi tantâ averſatione distractus â ſuô filiô, ut ad conſpectum ejus Lipothymiam paſſus multò minùs eum tangere potuerit; ubi addit, fuiſſe etiam, qvi parentes qvam novercali atrociori odiô a teneris ſtatim proſecuti eſſent.

§. 76.

Exempla qvoqve Antipathiæ tum ratione viſûs, tum auditûs, hinc inde reperiuntur. Ratione viſûs ſcribit Joſephus Qvercetanus *Diætet. polyhiſtor. Sect. 1. cap. 8. p. 83.* ſe noviſſe ſtrenuos & bellicoſos milites & Duces, qvi ad aſpectum Phlebotomiæ animô deficiebant, licet illi in præliô enſes hoſtium cruore audacter inficerent, nec ullâ mortis formidine tenerentur. Sic etiam ſecabatur cuidam vena; adſtabat ipſius agnatus, aſpiciebat, non tamen ipſi ſectioni plenè intereſſe audebat; paulò poſt animô malè habebat & acetum poſtulabat. Hinc ſudor faciei, mox oculorum diſtorſio & epilepticus inſultus, qvadrantem fere horæ durans ſeqvebantur. vid. Phil. Salmuth. *Cent. 2. Obſ. 73. p. 94.* Lanius qvidam Heſerling Longo-Salzâ Thuringus mucronem cultri abhorrebat, atqve ſi ſuem jugulare volebat, cultrum acie præditum linteolo involvebat clauſiſqve oculis illi jugulum incidebat; reliqvi cultri, qvibus

Alia exempla ratione viſûs.

Mucronis cultri.

poſtea interiora præparabat, mucronibus carebant, referente Caſpare Theophilô Bierlingiô *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 207. p. 309.* Nobilis quidam Baro ægerrimè ferebat, ſi aciem cultri in menſâ ſurſum verſam videret, teſte Thomâ Bartholinô *Cent. 3. Hiſt. 28. p. 64.* Vir generoſus, qvi nec gladios, nec haſtas metuebat, conſpectô acûs acumine protinus animi deliqvium patiebatur. vid. Frid. Schrader. *Diſput. de Idioſyncraſ. Reſpond. Dieter. Valentin.* **Kramer**, *Helmſtad. 1696. hab. §. 6.* Notum etiam eſt ex Hiſtoricis, Jacobum, Angliæ Regem ſtrictum enſem tolerare nequiviſſe, ut ideo quoque Equites non, niſi averſô â gladiô vultu, creare valeret; unde Proverbium reliquit:

Rex erat Eliſabeth, nunc eſt Regina Jacobus.

Per totos ſcilicet vitæ dies dictus Jacobus, Britanniarum Rex, ſtrictum enſem eo usque averſatus, ut ejusdem aſpectu tantùm non obſtupeſceret adeò, ut, licet aliâ quôvis occaſione nulli animi magnitudine ceſſerit, in hôc tamen ſeipſum vincere non potuit. Cujus Antipathiæ cauſa absque dubiô ab hujus Regis Matris terrore & impreſſione derivanda erit, ſiquidem in ipſius, tunc temporis gravidæ, Conclavi atque præſentiâ nonnulli Scoti quendam Italum, primarium Reginæ Miniſtrum, enſe perforatum, ad ipſius pedes projiciebant; imò parum aberat, qvin dicti Scoti ipſam Reginam, hujus miniſtri liberandi gratiâ ſe interponentem, ſimul læſiſſent, uti ex Buchananô refert Kenelmus Digby *vid. ejusd. Tract. Germ. de Sympath. p. 94.* & Phil. Jacob Sachſ. *Gammarol. Lib. 2. cap. 4. p. 592. & 595.* ubi etiam Prætoris Uratislavienſis meminit, qvi Vas ardentibus prunis pro calefaciendis cibis in menſa tolerare non poterat. Erat fœmina qvædam in hortô, in qvô cùm rubicundiſſima conſpiceret Ceraſa, accurrit ea decerptura. Sed ecce! lepuſculus è frutice ſurgens viam interturbat. Somnô diſcuſſô, tantô corripiebatur terrore, ut omnes artûs tremerent, hinc prolapſa in febrim. Peperit poſtea filiolum, qvi viſô tantum lepore vivô ſeu mortuô, etiam picto,

Prunarum.

Leporis.

ctô, ſtatim fiebat epilepticus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Append. p. 209.* Damocles ad præruptum locum accedere non poterat, neqve trans pontem, neqve minimi ſcrobis altitudinem transgredi, ſed per ipſum ſcrobem. vid. Mart. Weinrich. *de Monſtr. cap. 8. p. 65.* Agricola Gladſaxienſis viſô vel Cane, vel eqvô tranſeunte, vel movente ſe oſtio, horrendô fletu & clamore ſtentoreô intonuit. vid. Ol. Borrichius. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 86. p. 207.* ubi etiam ſeqventia refert: Maria monetaria, poſtqvam cruciarium ignotum ſibi vidiſſet vectabulo humili alligatum in ludibrium circumferri per plateas, qvoties id genus vehiculi conſpexit, obortô ſtatim mixtis ſingultibus fletu amariſſimô fata & fortunas ſuas deplorabat, haud aliter, ac ſi ipſa mox in numellas & compedes eſſet abducenda; cauſamqve â Medicô interrogata nullam valuit expromere, niſi extorqveri ſibi violenter hos animi motûs &c. Ancillæ Tribuni Civilis, cùm ſideratum Dominæ brachium *ſtillatitiâ* pingvedine humanâ ex Pharmacopoliô allatâ aliqvandiu ſponte & ludibunda perunxiſſent, tandem, neſcio qvô temerè effutiente advertentes, ſe manibus tractare adipem humano corpori exemptum, in triſtia ſymptomata & vomitiones crebras inciderunt, qvoties ad perungendum invitarentur. Qvin maluere demum ſervitio exire, qvàm faſtiditô illô ungvine manus polluere. Virgo qvædam nobilis, cùm pennas nullô motu animi graviori concuſſa ferret, plumam in aëre volitantem & ſibi vicinam ita formidabat, ut acerbiſſimè ejulare non deſineret, donec ab adſtantibus removeretur. Vir qvidam ſuperioris Auſtriæ pollicem alterutrius manûs vel â naturâ, vel ab errore externô, truncum habuit, unde illi cognomen datum, **der Stutzhanß**. Is vicini aſſidentis digitum in manu mediâ incurvatum, **die Feige**, qvamvis ſub pileô vel menſâ, ipſi oſtenſus fuerit, etiam inſcius tam moleſtè tulit, ut ſternutare coactus, ſangvine etiam per nares erumpente, prius non ceſſârit, qvam manus illa, miſerum ex- *Digiti incurvati.*

 agitans,

agitans, digitum è mediô amoverit, memorante Wolfgango Hœferô *Hercul. med. Lib. 1. cap. 7. p. 62.* Ancilla qvædam, cui nomen Chriſtina Röſelin, ſtatim ac colorem rubrum conſpiciebat, graviſſimo animi deliqviô afficiebatur, ac in terram prona concidebat, omnibus ſenſibus orbata, obſervante Johanne Daniele Geyero *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 234. p. 458.* Miniſter qvidam Cæſareus, Donaverdæ vivens, qvoties in templum aut Curiam itare aut curru vehi, imò qvoties ſcalas adſcendere cupiebat, illico motibus epilepticis infeſtabatur, dum obvium ſibi conſpicaretur hominem, qvisqvis deniqve fuerit ille. Dum obvelatâ facie, prætereuntem videbat neminem, cœtum ſacrum & conſularem viſitabat, nil tale paſſus, teſte Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 149. p. 326. ſeq.*

Coloris rubri.

§. 77.

Auditus.

Ratione auditûs variæ adhuc occurrunt Idioſyncraſiæ v. g. auditô Tonitru plurimi homines utriusqve ſexûs nimium perturbantur animô atqve mirum in modum percelluntur. Exemplo ſit Imperator Caligula, qvem ſcribunt fuiſſe naturâ pertimidum, usqve adeò, ut vel mediocri tonitru auditô formidine qvateretur & ſubterraneas latebras, amenti ſimilis, percontaretur. v. Joſeph. Qvercet. *l. a. p. 83.* Virginem nobilem ad tonitrua præ terrore ſudantem inqve animi deliqvium labentem, ex eô qvod mater tunc prægnans anguillam comediſſet, qvæ capta fuerat cœlô nimbis, turbine & tonitru maximè turbatô ad ſuperficiem aqvæ ſupernatans, novit Chriſtianus Franciſcus Paullini, *vid. ejusd. Tr. de Angvill. p. 9.* Femina qvædam Anglicana qvandocunqve tonitru percipiebat, etſi è longinqvô, corporis morbo afficiebatur, debilitabatur, ſtomachi infirmitate laborabat, pronaqve erat in vomitum. In ipsô momentô, ſeu verô acceſſu, incidebat in perfectam choleram, & perſeverabat in Vomitu & profluviô ventris, qvoad tempeſtas durabat, idqve modo violentiore, qvàm ſolet procurari medicamentis, in hunc finem

nem præſcribi ſolitis. Et ita ſe habuit femina illa â Pueritiâ vid. Henric. Oldenburg. *Act: Philoſoph. Anglicor. 1667. p. 446.* De fœminâ, qvæ ſolô coaxatu ranæ auditô animô linqvebatur, vid. Henric. ab Heer *Obſ. 29. p. m. 245. Et p. 253.* refert idem Autor, ſe Namurcum ad puellam nobilem eſſe vocatum, qvæ qvoties Campanæ ſonum audiebat, aut vocem aliqvam canoram, vel loqventium vel canentium, animo linqvebatur, ut â mortuâ nihil differret. Miram Antipathiam ad Muſicam ſæpius recenſuit Julius Gvilelmus Mannagetta, ſcilicet ſe noviſſe Illuſtrem qvendam Dominum, qvi ad Lyræ, Inſtrumenti illius Muſici plebeji, ſonum ſtatim urinam emittere coactus fuerit, qvoties Lyram audivit ſonare, nec ulla etiam vi retinere potuiſſet. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 134. p. 298.* Similem jocoſam Sympathiam Reguli Vaſconis eqvitis narrat Julius Cæſar Scaliger *de Subtilitat. Exercit. 344. p. 1029.* Ille ſcilicet, dum viveret, auditô Phormingis ſonô urinam illico facere cogebatur; unde è turmâ qvidam, qvem levis ac civilis joci causâ offenſiunculâ aſperſiſſet, ridiculam illi paravit ultionem. Pone diſcumbentem adduxit cœcum qvendam cum phorminge, cujus, ut ſolebat, ſonô permotus ibi ſub menſam inter clariſſimorum convivarum pedes, qvin mejeret, continere ſeſe non potuit. Pergit etiam ibidem Scaliger, qvòd cultellorum attritu aviculæ in cancellatis caveolis ad cantillandum excitentur, ob acutam ſoni contentionem. Idem attritus atqve etiam limæ ſtridor & ſericarum veſtium ſibilus qvaſi qvidam, pluribus incutit horrorem. Scribit etiam Fridericus Schraderus *Diſp. de Idioſyncraſ. §. 7.* Qvid qvæſo notius, qvàm qvosdam gallorum cantum, qvosdam certarum rerum ſtridorem, qvosdam ferramentorum tinnitum cane pejus & angue execrari? cujus generis & famoſum illum Cæſareum Ducem Wallenſteinium extitiſſe, veroſimile eſt. Qvemadmodum ſingularis qvondam affectio erat Nicanoris, qvi ad convivium deductus tibiarum cantum de no-

cte

cte ſine magnâ animi commotione non ſuſtinuit, qvem tamen interdiu optimè perferebat. vid. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 6. cap. 3. p. 628.* vid. etiam Martin. Weinrich. *de Monſtr. cap. 8. p. 65.* Qvendam Roberti Boylæi famulum, qvando cultros acuit, ob ingratum illum in aëre ſtridorem, cruentatum fuiſſe gingivis atqve ſangvinem inde profudiſſe, refert Thomas Bartholinus *Epiſtol. medicin. Cent. 4. Epiſt. 92. p. 523.* De Antipathiâ ſingulari Juvenis nomen proprium averſantis ſeqventem Obſervationem communicat Georgius Hannæus *Actor. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 15. p. 60.* Oberrabat, inquiens, apud nos aliqvando Juvenis quidam, Olaus dictus, è Cimbriâ oriundus, cujus res ad peram & pallium, qvod dicitur, jam redierant. Hic proprium ſuum nomen tantô perſequebatur odiô, ut â quovis, qui illum noverat, peteret, ſuo parceret nomini, nec ipſum nominatim compellaret. Ultrò paruere, qui mores hominis didicerant. Ubi autem in alios incidebat, qui vel per imprudentiam vel ludos faciendi gratiâ Olaum inclamabant; primâ quidem vice compellatus perhorreſcere cœpit; iteratâ caput concutere ac varia indignantis & faſtidientis ſigna proferre; quodſi autem moleſtiùs inſtarent, in obvia quævis ſuô capite ſæviens, imò nec muris nec lapidibus parcens, corruebat actutum, ceu Epilepſiâ vel Apoplexiâ correptus. Cœtera ſanus. Sed quæ cauſa hujus Antipathiæ? Quodſi ſtatuamus, hoc odium ipſi ex Matris gravidæ imaginatione, nomen hoc nato olim imponendum nullatenus admittentis, implantatum eſſe. &c. Singularis etiam Antipathia â Johanne Schmidio *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 47. p. 122. ſeq.* recenſetur: Johannes Bechmannus, Studioſus Theologiæ, â primâ infantiâ ſcopis pavimentum verri nullâ audire poterat ratione, altos trahebat Spiritûs, ſuffocationis metuens periculum. Cùm preces inter ex improviſô in ædibus pavimentum vel ſcopis, vel ferulâ tantùm leviori verreretur, ſudore pro-

fluente

fluente largiſſimô anxius, pallidus, feneſtram aperiebat, & cum altiſſimis rhonchis aërem hauriebat: ex qvâ non rarò proſiliebat, ſi ancillam ſcopis ſe proſeqvi animadverteret. In plateis publicis, ſi præter opinionem ferulâ terra verreretur, qvaſi amens effugiebat, imò in locô publicô Diſputationibus aſſidens, ſi vexæ gratiâ in longinqvô, ita tamen ut ſtrepitus ad aures ejus pervenire poſſet, terra levi ferulâ fricaretur, aufugere vel primâ arreptâ feneſtrâ aërem apricum haurire opus habebat, ut non fictam, non ſimulatam averſionem hanc fuiſſe, certum ſatis eſſet &c. Lipothymiam ex commotione aëris ſeu venti annotavit Philippus Salmuth *Cent. 3. Obſ. 7. p. 115.* & qvidem in Nobiliſſimô Virô; ſcilicet qvoties, hôc Paralyſi laborante, Cubiculi feneſtræ vi ventorum, qvi tum vehementiores erant, violentius concuterentur, toties illum Lipothymia qvaſi apprehendebat. De puerô duodecenni, qvi, qvoties grunnitum porcorum audiebat, epilepticus fiebat, vid. Chriſt. Franc. Paullini *de Theriac. cœl. Sect. 2. P. 1. c. 11. p. 113.* Puerperæ Epilepſiam funeſtam ex Sonô campanarum obſervavit Johannes Petrus Albrechtus *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 27. p. 63. ſeq.* cùm ſcilicet in vicinô templô vix triginta paſſuum intervallô â cubiculô, in qvô puerpera decumbebat, diſtante, ad Feſtum ſeqventis diei populo intimandum omnes ſubitò pulſarentur Campanæ, horum ingenti ſtrepitu & ſonô non parùm commota dicta Puerpera acerbiſſimas totius corporis incurrit Convulſiones, ſpumâqve copioſâ ex ore prorumpente tam dirum patiebatur morbi comitialis paroxysmum, ut viribus labefactatis malum ingraveſceret, ipſaqve ægrota ſeqventi die admodum campanis iterum concrepantibus delirans & valde anxia, etiamſi aures ſibi obturari curâſſet, ter qvaterve terribiliter convelleretur, proſtratôqve ſic omni virium robore, paulò pôſt obdormiret. De perſonâ, qvæ, qvoties Campanæ ſeu Horologii ſonum audiret, narium hæmorrhagiâ corripiebatur, v.

Stephan. Blancard. *Collect. med.-phyſic. Cent. 6. Obſ. 74. pag. 304.* Laurentii Scholtzii, Medici canis miſerè gemebat cum ululatu, qvaſi qvi cruciatûs ſentiunt & graviter vapulant, ſi qvando in Teſtudine nervi fidesqve intendebantur tantùm, ad concentum: Ac idem, cùm numeroſè ſonarent, non tacebat tantùm, ſed geſtiebat etiam; qvod eidem ad campanarum pulſûs accidebat. v. Mart. Weinrich. *de Monſtr. cap. 8. p. 65. 66.* de Epilepſia a ſonô Campanæ ſeqventem Hiſtoriam refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 149. p. 326.* In Imperiali Svevorum Heilbronnâ vixit olim egregia Virgo mercatoris filia, qvæ ab Epilepſiâ plus centies humi proſtrata & identidem ad duorum pedum altitudinem ſublata, pòſt rurſùm proſtrata fuit, non ſecus, ac ſi vel Carpionem vel Lucium piſcem, in pavimento, uti ſolent, altè ſatis ſubſultantem conſpicarêre. Hanc autem nunqvam Convulſiones exercuerunt, niſi dum aut Campanæ traherentur, aut horas proclamarent, ubicunqve demum locorum tum temporis verſata fuerit. Puella decem annos agens, gracilis, ſed bene valens adeô erat timida, ut auditâ voce ex improviſô prolatâ ſtatim procideret in terram, ibiqve ſemimortua & ferè ſine ullâ reſpiratione per horæ qvadrantem clauſis oculis jaceret & immobilis: hinc ſine ullâ ceſſione ſurgebat, absqve ullô impedimentô ambulabat, & conſveta ſubibat exercitia; at iterum, ſiqvis clamorem aut ſonum ederet, vel pedibus terram percutiendo aut manibus ſimul percuſſis, ne dum prope eandem puellam, ſed etiam è longinqvô, dummodo ad ipſius aures ſonitus perveniret, rurſùs ſtatim decumbebat, ut ſuprà: ſic perduravit duos annos, inde febre correpta mortua eſt, ſecundum obſervationem Pyrrhi Mariæ Gabriellii. *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 40. p. 107.* Fœminam, qvæ, qvoties audiviſſet ſtridulum qvendam ſibilantemqve ſonum, confeſtim horrore ac deinde per ſemihoram atrociſſimis dentium doloribus correpta fuit, ſe obſervaſſe refert Theodorus Zwingerus *Faſcicul. Diſſert. med. Diſſ. 1. p. 9.*

§. 78.

§. 78.

Singularem inter maritum ejusqve Uxorem Idioſyncraſiam annotavit Petrus Rommelius *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 215. p. 403.* Civis nimirum Ulmenſis honeſti uxor, qvoties accidit, ut maritus negotiorum expediundorum gratia, amicum viſitaret, præterqve propoſitum, (qvia bibo non erat) ad bibendum invitatus vel perſvaſus, nolens volens, ſe inebriaret, & ob crapulam evomeret; tunc uxor domi, rei & vomitionis hujus prorſus neſcia, primò nauſeam ſentiebat, poſtea verò ob ſingularem Ventriculi cum mariti Ventriculô, neſcio an dicam Sym- vel Anti-pathiam, itidem vomebat, & non minùs qvàm maritus ipſe affligebatur, licet planè neſciret, ubi maritus eſſet, utrum biberet, nec ne. Hoc pro ſignô pathognomonicô certiſſimô habebat, ſi illa præter rationem ad vomendum inſtigabatur, maritum, etiam extra urbem profectum & alibi morantem, crapulâ & vomitu moleſtari; qvod etiam examen ſubſeqvens & temporis collatio, verum fuiſſe, ſæpiſſimè comprobavit.

Idioſyncraſia inter virum & uxorem.

§. 79.

Cùm ſupra §. 40. occaſione Abſinthii adduxerim, nonnullos Medico-Chymicos ſalibus fixis, ex plantarum & animalium incineratione paratis, nullam propriam ſeu ſpecificam iſtius plantæ virtutem abſcribere, alios verò talem ipſorum qvalitatem ſpecificam defendere, qvosdam hôc locô utriusqve ſententiæ defenſores adhuc annectere liceat. Occaſione ſcilicet Deſtillationis ſangvinis Robertus Boyle *de Utilit. Philoſ. experim. Exercit. V. Additam.* §. *7. p. 379.* ſcribit: Subſtantia terreſtris poſt liqvoris abſtractionem remanens, ſiqvidem ſangvis bene præparatus fuerit, qvantitatem Salis fixi tam parvam præbet, ut niſi Caput mortuum exceſſivè copioſum fuerit, Alkali extractionis laborem vix mereatur; Præterea qvamvis qvantitas obtineri poſſit haud contemnenda, tamen, qvicqvid alii prætendant,

Salia fixa an eandem habeant facultatem?

negant quidam.

dant,

dant, valde dubitarem, utrum prædita ſit virtute qvadam extraordinariâ, cùm ignis violentia communiter ſal fixum omni qvalitate Concretorum ſpecificâ privare ſoleat? qvinimo in primô ſerpentium ſale ipſô non alias, qvàm vulgares ſalis alkaliſati proprietates diſcernere potui. Et §. *11. p.393. ſeq.* de Sale fixô Cornu Cervi iterum dubitat, utrum hoc ſal virtutem aliqvam ſpecificam contineat? Inqvit etiam Johannes Conradus Barckhauſen *Pharmacop. ſynoptic. Sect. 3. p.139.* ſalia compoſita ſunt, qvæ ex diverſis ſpeciebus ſimul combuſtis elixiviantur, ſicut a Mynſichtô variæ in ſcenam producuntur Salium compoſitorum ſpecies, ut ipſius Sal apoplecticum, cordiale &c. At qvandoqve & bonus dormitat Homerus, qvod & ceſpitante fortunâ contigit Mynſichto, utiqve ſibimet ipſi neſcio, ejusmodi ſalium deprædicatas pollicitasqve vires, haud in pretioſâ conglomeratâqve aromatum & ſimilium compoſitione conſiſtere, ex taliſmodi nempe, qvæ integra oleô & ſale volatili abundant & qvorum ingredientia, aut in ſubſtantiâ, aut in liqvorem deſtillatum ſumpta, largiter hiſce morbis & ſymptomatibus opitulantur & medentur; qvum autem illa combuſta, particulis volatilibus ſcilicet ſpoliata, neutiqvam adhuc hanc detinere facultatem, qvalem poſſederunt ante combuſtionem, ſed ope torturæ ignis in novum Ens transmigrare, acqvirereqve hinc aliam formam aliamqve qvalitatem, & hoc eſt, qvod Pyrotechnia per totum diem nos edocet, demonſtrat: ſal enim ex cineribus cujusque vegetabilis præparatum, toto (ut ajunt) cœlô differt ratione virium, à ſubjectô, omnes partes adhuc integrè poſſidente; Nam cujusvis ſalis incineritii vis in hoc utplurimum conſiſtit, quòd id, ſi illud modò dextrè præparatum, omne acidum ſibi occurrens infringat, &c. Fatetur etiam Johannes Kunkelius *Animadverſ. de ſalib. fix. cap. I. p. 1. ſeq.* diu ſe in iſtâ opinione verſatum eſſe, neminem, qui ſale Abſinthii, Cardui benedicti, Centaurii minoris & ſimilium deſtitueretur,

pulverem

pulverem aut diaphoreticum, aut contra febrem, ſi illud ſal in compoſitionibus a Medicis præſcriptum fuiſſet, poſſe præparare, magnumque admitti peccatum, ſi unum ſal alterius locô uſurparetur; veluti ſi ſal cinamomi quis præſcriberet, ipſe verò ſal Abſinthii ejus loco adhiberet, aut ſi ſal Tartari adhibendum eſſet, ipſe verò ſal aliquod probè purificatum è cineribus communibus vel clavellatis adhiberet, tumque peccatum à ſe committi, nec Chymici ſe officiô functum, fuiſſe opinatum. Sed niſi in pretiô peccatum admittatur, nullum hic peccatum perpetrari pluribus demonſtrat idem Autor. Porrò de quæſtione, an Salia fixa occultâ vel ſpecificâ agant qualitate, videatur etiam Gabriel. Clauder. *Method. Balſamand. cap. 7. p. 209. Invent. Cinnabar. cap. 7. p. 209. item Invent. Cinnabar. cap. 4. p. 20. ſeq.*

§. 80.

Huic tamen ſententiæ alii contradicunt; Inqvit enim Roſinus Lentilius *Actor. Hafn. Vol. V. no. 123. p. 318. ſq.* ea eſſe omninò uniformia Noctilucæ propalator Kunckelius affirmat, ita ut e. g. Salis abſinthii Virtus antifebrilis non minùs Geniſtæ aut artemiſiæ ſali, vel cuilibet competat: ſumma omnium ſalium elixiviatorum tum in Chymiâ, tum in Medicinâ energiam eſſe prorſus eandem. Verum enim verò, cùm per experientiam conſtet, virtutem ſpecificam & ſeminalem uniuſcujusque rei latere in ſuô ſale & penitus ipſi implicari adeò, ut non niſi pereunte ſalis formâ, pereat ipſa. Ille profectò ſalium delectus non omninò de nihilô videtur habendus: ſic ſal Centaurii minoris philoſophicè paratus in Cineribus herbæ latitans, per reſuſcitationem Chymicis notam repræſentat ſolam Centaurii minoris umbram; Geniſtæ Sal repræſentat Geniſtam, Urticæ Urticam; qvod ſanè ſpecificam virtutem in ſale ſuô adhuc dum latitare manifeſtiſſimè probat. Ut taceam Kunckelii ſententiam qvàm maximè refutare varias ſalium figuras, qvas in cryſtalliſatione conſtanter retinent: hinc etiam diverſa atomorum ſalinarum modifi- *Allii negant.*

catio manifeſtè arguitur, &c. Idem Roſinus Lentilius etiam *Jatromnemat. cap. 5. p. 20.* inqvit: Salia herbarum fixa, ſecundum Kunckelium & alios plures, eſſe unius ejusdemqve omnia virtutis, ſic ut parum referat, utrum ſal Geniſtæ locô ſalis Abſinthii, aut ſal Ononidis locô ſalis Cardui benedicti, &c. exhibeatur, tamdiu non credam, qvamdiu mihi non fuerit exhibitum ſal vegetabile adeò ſimplex, homogeneum & elementare, qvod nullâ ratione ampliùs mixtum dici qveat, qvale ad minimum in officinâ pharmacevticâ nusqvam oſtendi poteſt. &c. Salia fixa plurium ſimplicium vegetabilium ritè tractata ex diverſis ſubjectis multum inter ſe differunt, tam acrimonia qvàm modis aliis, etiamſi æqvaliter ſint calcinata; adeò, ut uſus eorum promiſcuus in medicinâ minus tutus ſit, cùm exempli gratia ſalis tartari ſcrupulus ſemis tam potens ſit, ac ſcrupulus unus Abſinthii, juxta Nehem. Grew. *vid. Act. Eruditor. Lipſ. An. 1682. Februar. p. 36.* Affirmativam ſententiam defendit etiam Johannes Bohnius *Colleg. de Mater. med. MSC.* negatur, inqviens, communiter ſalia fixa inter ſe differre, ſed virtutem ſimplicis manere in ſuo ſale per incinerationem paratô, non deſunt argumenta, qvæ contrarium potiùs ſuadent. Inter alia notatu dignum eſt, qvod retulit mihi amicus, ſe curâſſe ægrum laborantem imbecillitate Stomachi, & abhorrentem per naturam ab omnibus abſinthiacis, ut ad merum eorum odorem Lipothymiâ ferè corriperetur. Præſcripſiſſe itaqve ipſi ſal Abſinthii certâ ſpe, ut nec odore nec ſapore illud perciperet; Sed contrarium eveniſſe, qvotiescumqve enim pharmacum hoc ſumſerit æger, nauſeâ inde correptum vomituqve, ac omnia iſta ſymptomata, qvæ ad ipſius Abſinthii præſentiam ipſi contigerant, hîc paſſum fuiſſe. Ut adeò exinde concludere liceat, qvamvis externis ſenſibus non patuerit ampliùs Virtus Abſinthii, latuiſſe tamen certiſſime in Sale, qvod ex effectu conſtabat.

CAPUT IV.

CAPUT IV.
De
Aſitia & Adipſia,
ſive
de diuturnâ á Cibô & Potu Abſtinentiâ.

§. 1.

POſt certorum tantummodo qvorundam Ciborum & potuum Nauſeam & Antipathiam in præſenti Capite ad Aſitiam & Adipſiam, ſive diuturnam omnium eſculentorum & potulentorum abſtinentiam, qvæ nimiæ Appetentiæ ſive Voracitati & Bibacitati è Diametrô eſt contraria, progredimur. Per Aſitiam enim & Adipſiam illum intelligimus affectum, qvô laborantes vel per longum temporis ſpatium, vel etiam plenariè, non qvidem ex Nauſeâ, uti in antecedente Capite, ſed ex aliis cauſis, modò â Cibô, modò â potu, modò ab utroqve ſimul abſtinent. *Aſitia.*

§. 2.

Deſcendit autem Vocabulum Aſitia ab Alpha privativô & græcô Nomine σῖτος, qvô frumentum, panis, cibus &c. ſignificatur, ut ita ἀσιτία Inediam, Eſuriem, Jejunium & Abſtinentiam à Cibô, & ἄσιτος illum, qvi cibum non aſſumit, ſed jejunus & impaſtus permanet, ſignificet; Qvamvis etiam Aſitia â nonnullis per alimentorum faſtidium explicetur, atqve cum Anorexiâ & Nauſeâ pro Synonymô habeatur, vid. Joh. Gorræi *Definit. med. fol. m. 45.* Steph. Blancard. *Lexic. med. p. m. 61.* qvia verò ſecundum experientiam & Johann. Antonid. van der Linden *Select. med. Exercit. 13. p. m. 504.* multi cibum non faſtidiunt, nobis hôc locô Aſitiam in ſignificatione Pathologicâ pro Inappetentiâ, & ἄσιτον non pro nauſeabundô, ſed tali înappe- *Derivatio.*

appetente, qvi ob peculiares rationes, per aliqvot tempus, ſine ciborum aſſumptione vivit, ſumere liceat.

§. 3.

Appetitûs imminuti Cauſæ. Dantur enim imminuti Appetitûs varii gradûs & cauſæ, v. g. Dyſorexia, Anorexia, certorum ciborum averſatio, qvarum cauſa formalis eſt illius Vellicationis Ventriculi ejusqve Orificii ſuperioris, in qvâ fames & appetitus conſiſtit, gradualis defectus, qvi modò ab inertiâ vel defectu humoris digeſtivi, modò â torpore nervoſæ Ventriculi tunicæ dependet. Illud fit, ſi dicti humoris particulæ ſalino-volatiles & vellicantes obtunduntur & enervantur, & qvidem ab alimentis & humoribus viſcidioribus, pingvibus aut aqvoſis; Exiſtimat enim Nicander Joſſius *de Fame & Siti cap. 7. p. m. 207.* pingvia cuncta tenacem qvandam habere ſubſtantiam ac propè invincibilem & incorruptibilem, ob ſuæ naturæ modum, itaqve virtuti ipſi alteranti & concoqventi onus moleſtum eſſe videntur. &c. Videmus etiam, ſi ſevum vel aliud pingve illinatur palato & faucibus, præſertim verò eqvis, ſatietas fit, & famis extingvitur deſiderium; hinc generaliter, ſecundum Theodori Craanen *Tract. de Homin. cap. 121. p. m 649.* hoc verum eſt, qvòd in chronicis & viſcoſis morbis Inediæ qveunt eſſe longiores, qvàm in acutis & ardentibus; Et homines, qvibus eſt temperies viſcoſa & craſſa, diutius Inediam ſubſtinent, qvàm qvibus eſt acrior & volatilior. Item ab Oleis lubricantibus & pingvibus largiùs aſſumptis ceſſat appetitus. Hoc autem, ſeu torpor tunicæ Ventriculi nervoſæ, à diverſis conformationis & unitatis morbis, v. g. tumoribus, vulneribus, ulceribus & aliis nervorum octavi paris Pathematis dependet. Sæpius enim ſpirituum animalium torpor â ſulphureis & Narcoticis inducitur. Opiata enim immodicè & intempeſtivè aſſumpta Spiritûs dictos intra fibras Ventriculi nervoſas undulantes ſtupefaciunt & qvaſi mortificant, hinc ægros dolore gravativô Ventriculi moleſtant, prout

â Tho-

â Thoma Williſio *de Anim. Brutor. Part. 2. cap. 3. p. m. 162. ſeq. & Pharmacevt. ration. Part. 1. Sect. 7. cap. 2. p. m. 169.* declaratur.

§. 4.

Huc pertinet etiam Nicotiana, ſiqvidem milites ad Appetitûs urgentiam debellandam & obtundendam fumô tabaci utuntur, qvod tempore annonæ caritatis ſæpe etiam alii facere coguntur; & ordinariè juxta Georg. Wolffg. Wedelii *Patholog. dogmat. med. Sect. 3. cap. 2. p. m. 455.* omnes Tabacibibuli appetitum habent abolitum vel minorem. Nautas etiam qvandoqve per ſeptimanam unam aut alteram ſolô Tabaci uſu vitas ſuſtinuiſſe, refert Theodorus Craan *l. a.* & juxta Johannem Viridetum *de Coction. Prim. part. 1. cap. 9. p. m. 94.* maſticatione & fumigatione Tabaci, præcipuè dum continuatur, aliqvando tantus fit ſalivæ affluxus, ut in glandulis Ventriculi partim deficiat, ſicqve appetitus langveſcat. Secundum Nicolaum Monardem *Simplic. medicam. Hiſtor. cap. 14.* Tabaci uſus eſt apud Indos famis ſitisqve ſedandæ gratiâ, hoc modo: Conchylia qvædam Cochlearum fluviatilium urunt, deinde atterunt Calcis modô; hujus & foliorum Tabaci æqvas partes ſumunt manduntqve, donec ex utrisqve maſſa qvædam fiat, qvam in pilulas piſô majores formant atqve in umbrâ ſiccatas in uſum reponunt. Facturi iter per deſerta, ubi neqve cibum, neqve potum inventuros ſe putant, harum pilularum ſecum delatarum unam inter labrum inferius & dentes reponentes, ejus liqvorem aſſiduè ſorbent; qvâ abſumptâ, aliam reponunt, atqve item aliam, donec peregrinationem triduanam interdum, aut qvatriduanam abſolvant: iſtâqve ratione totô illô tempore neqve famem ſibi moleſtam eſſe neqve ſitim aſſerunt. v. Carol. Cluſiii *Exoticor. fol. m. 309.* item Ægid. Everart. *de Herb. Panacea ſeu Tabac. p. m. 19.* Auguſtin. Thoner. *Obſerv. medicin. Lib. 2. p. m. 104.* Cornel. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſter.*

Nicotiana.

Obſ. 15. Schol. p. m. 163. ubi inqvit: Monſtravit experientia, multos nautas viatoresqve naufragium paſſos vel aliis tempeſtatibus obrutos, deficiente cibô & potu, Tabacô ſolô aliqvandiu vitam ſuſtentâſſe. Monachus qvidam Canadæ incolas famis, qvâ ſæpius affliguntur, tempore per hebdomadas aliqvot ſolius Tabaci aqvæqve uſu ſeſe ſuſtentare poſſe tradit. Et Floridæ Incolas ſtatis anni temporibus ſolius Herbæ Nicotianæ fumô paſci, referunt Autores: qvem per cornua huic uſui comparata in os recipiunt, ubi famem ſitimqve ſedari confirmant, phlegmaticorum humorum incredibili copiâ in os collectâ, vid. Gregor. Horſt. *Oper. medic. Tom. 3. Problemat. Dec. 3. Qvæſt. 7. fol. m. 43.* Multas adhuc alias Anorexiæ cauſas Autores Medici in Pathologiis annotarunt, qvas hic recenſere ſuperſedemus.

§. 5.

Aſitiæ Cauſæ. In Aſitiâ autem noſtrâ ſeu Inediâ & diuturnâ â cibô abſtinentiâ absqve dubiô allegatæ hactenus Anorexiæ cauſæ majoris gradûs præſupponendæ vel aliæ indagandæ erunt, qvod tamen ob caſuum horum raritatem non adeò facilè fieri poteſt, interim ex ſeqventibus obſervationibus varias cauſas eruere licebit. Dæmonum etiam præſtigiis atqve magicis artibus effici poſſe, ut qvis multarum dierum, vel hebdomadum, menſium aut etiam annorum Inediam, citra vitæ notabilem jacturam, ferre qveat, plurimi ſunt perſuaſi; in ejusmodi tamen cauſarum inveſtigatione non ſemper ad magica incantamenta Veneficorum, ſtrygarumqve faſcinamenta recurrendum eſſe, ſcribit Claudius Deodatus *Panth. hygiaſt. hippocrat. hermet. Lib. 1. cap. 20 pag. m. 240.* cùm hi Caſûs non rarenter ad majorem DEI gloriam contingant.

§. 6.

An homo ſine cibo vivere poſſit? De ipſâ autem Inediâ dicit Hippocrates, vel Autor Libelli de Carnibus, qvi inter Hippocratis Opera recenſetur, *Oper. Sect. III. fol. m. 35.* hominem ſine alimentis ultra ſeptem dies vivere

vere non poſſe; qvod rationi etiam maximè conſonum videtur, cùm ad Corporis nutritionem vitæqve tum propagationem, tum conſervationem, ſumma alimentorum neceſſitas ſit; Contrarium tamen ſeqventes, nonnullorum per aliqvot ſeptimanas, & qvandoqve longum ſatis temporis ſpatium, ab omni penitus Cibô abſtinentium, obſervationes teſtantur, qvamvis interdum impoſturam ſubeſſe, non ſit negandum; Interdum etiam tales Inediæ diuturnæ, cauſæ cuidam ſupernaturali, ſive divinæ ſive dæmoniacæ, adſcribi ſolent. *v. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. p. 100.*

§. 7.

Inediæ exempla ſacra.

Seqventia Inediæ exempla in ſacrô Codice annotata legimus: Moſes ſervus & Legatus Dei in monte Sinai, dum tabulæ Legis divinæ conſcribuntur, qvadraginta noctes panem non edit, & aqvam non bibit. *v. Exod. cap. 34. verſ. 28.* Elias Thesbites, divinus Vates, ab Angelô cibatus ivit in virtute hujus cibi qvadraginta dies & qvadraginta noctes, usqve ad montem Dei Chorebum ſeu Oreb dictum. *1. Reg. cap. 19. v. 8.* Totidem etiam dies noctesqve jejunavit ipſe Salvator noſter, in carne â Satanâ tentandus, *Matth. 4. v. 2. Luc. 4. v. 2.* Cives in Jabes Gileadis, poſtqvam Saulis & filiorum ipſius corpora ſepeliverant, jejunaverant ſeptem diebus. *1. Samuel. 31 v. 13.* Cornelius, Centurio Cæſarienſis, qvatuor dies fuit jejunans, *Actor. 10. v. 30.* Saulus converſus, illuminatus, ſed viſu adhuc privatus, Damaſci erat Dies tres non videns, neqve comedens. *Actor. 9. v. 9.* Idem Saulus, poſtea Paulus, Apoſtolus, & aliæ ducentæ ſeptuaginta ſex perſonæ Naufragium paſſæ qvatuordecim dies jejunæ permanſerant. *ibid. Cap. 27. v. 33.* Tempore Holopherni erat populus jejunans dies plures in totâ Judæâ & Hieruſalem. *Lib. Judith. cap. 4. v. 13.* juxta editionem Sebaſtiani Schmidii. Et Eſthera cum Judæis neqve comedebant neqve bibebant tres dies noctu & interdiu, *Lib. Eſther. cap. 4. v. 16.*

§. 8.

Exempla profana. Poſt ſacra etiam profana Inediæ exempla variasqve ejusdem cauſas, ſine ordine tamen recenſebimus; Juvenis qvidam Halæ Saxonum, temperamentô melancholicô præditus, cùm Bona ſua ſalina, ad comparandas res ad militarem artem neceſſarias, vendenda proponeret, nec tamen id efficere certas ob leges poſſet, in tantam incidit Melancholiam, ut ſpatiô qvatuordecim dierum nihil, nec edere, nec bibere vellet. Hisce elapſis coactus magnis precibus parum juſculi aſſumſit, ſicqve iterum per qvatuordecim dies absqve cibô & potu remanſit. v. Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. curioſ. Obſ. 43. p. m. 79.* ubi etiam aliûs Melancholici, ſeptem hebdamadas ſine cibô viventis meminit. Puer qvidam paganus ſex annorum cum Patre bubulcô armenta veſperi domum reducturus videt vaccam à grege in proximam ſylvam abeuntem, qvam preſſô pede perſeqvitur, ſed ipſe â viâ aberrans in ſylvâ tamdiu obambulat, patrem continenter inclamando, donec nocturnis tenebris obrueretur, ac in dumetô qvodam denſiſſimis ſpinis horridô contra luporum ibidem ſæpe graſſantium invaſionem (ut ajebat) ſe muniturus, ſuppoſitô Capiti pileô & attritô ſaccô dorſo placidè obdormiret: Expergefactus alterô die iterum per omnem ſylvam ſtrenuè oberrat, Patrem anxiè qværendô ac ſæpius inclamandô, idqve tertiô die qvoqve, licet fruſtra: qvartô demum die, ad levandam, qvâ maximè premebatur, ſitim, ex ſylvâ in ſata læta & rorulenta ſe recipit, ibiqve obambulans ex ſtrepitu & colliſione culmorum â qvodam agricolâ deprehenſus. At ex metu longiùs iterum in ſylvam ſe proripiens captus eſt, ac â loci Parochô curatiùs examinatus reſpondit, ſe qvatriduum illud nec comediſſe nec bibiſſe, ſitiviſſe autem plurimum, referente Johanne Michaële Fehr *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 2. p. 2.* Puella qvædam Auſtriaca, cui eſurienti & petenti panem mater, ipſa qvoqve fame, tempore magnæ chariſtiæ, macerata & ad

iram

iram commota, famem decennem imprecata erat, tantô tempore absqve omni cibô vixiſſe dicitur. vid. Philipp. Camerar. *Oper. Horar. ſuccisſiv. Cent. III. Cap. 36. p. m. 126.* Baſileæ qvendam Anabaptiſtam novendecim dies absqve cibô & potu vixiſſe refert Gottfried Arnold Kirchen- und Ketzer-Hiſtor. *Part. II. Lib. 16. cap. 21. fol. m. 267.* Baneanes, Philoſophorum vel potiùs Negotiatorum genus apud Indos, plurimùm jejunant, noctu pauciſſima edentes; nonnulli inter hos ſuperſtitioſiores viginti interdum diebus omni cibo abſtinent, v. Carol. Cluſ. *Annot. in Garc. ab Hort. Lib. 1. cap. 3. fol. m. 154.* Multa diutius ſine cibo viventium exempla collegit etiam Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirabil. Lib. IV. cap. 12. p. 360. ſeqq.* item Martin del-Rio *Diſqviſit. magic. Lib. II. Qvæſt. 21. pag. 219. ſeq.* Sanctus Medicus Otricolanus ſub Antonio Imperatore ſe Chriſtianum eſſe intrepidè cùm fateretur, in Carcerem conjectus & ligatus duodecim dierum Inediam & varia tormentorum genera per miraculum toleravit, Capite poſtmodum truncatus vid. Tob. Whitaker. *de Sangvin. Uvæ. p. m. 111. 116.* Puella undecim annorum Sileſiaca per novem menſes ne hilum qvidem, per ſex autem menſes ſubſeqvutos rariſſimè qvidem, neqve in eâ qvantitate, qvæ ad vitam ſuſtentandam ſufficere potuiſſet, aſſumſit. Per totum hoc tempus immota planè ac mortua qvaſi in lectô procubuit. Cauſam in Arſenicum conjiciebant, in fornace cum lignis ex errore cancrematum, pro gliribus enecandis ibi poſitum, nam & aliæ puellæ, qvæ in eodem conclavi erant, idem ferè fatum, qvamvis non adeò diturnum & grave, ſunt expertæ, juxta Obſervationem Chriſt. Mich. Adolphi *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 34. p. 81. ſeq.* Seqvens Inediæ exemplum recenſet Isbrandus de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 7. fol. m. 25.* fuimus, inqviens, aliqvando qvadraginta peregrinantes, ſimul ex Galliâ reduces, cùmqve in mari ventus planè deficeret, hinc præter noſtram ſpem & expectationem diu-

 tius

tius nobis in itinere hærendum eſſet, omnibus eduliis cum aqvâ dulci & qvocunqve potu penitus abſumptis, tandem ad tertium usqve diem nobis omnibus jejunandum erat, ita ut ne micam qvidem panis, nec guttam potûs haberemus: ſed cùm per ſesqvi diem vel paulò ulteriùs jejunaſſemus, nemo noſtrûm famen perſentiebat amplius, ita ut tertius dies nobis non eſſet moleſtus, niſi ſolâ corporis debilitatione &c. Leonardus Piſtorienſis ſenſim ſe eò traduxit, ut ſemel tantùm in hebdomade cibum ſumeret, juxta Hieronym. Cardan. *de Subtilitat. Lib. 2. fol. m. 357.* ubi etiam qvendam Juvenem Scotum, ſub Clemente VII. in cuſtodiâ ſpontè aliqvando ad vigeſimum, aliqvando trigeſimum diem, absqve Cibô perſeverâſſe refert. Melancholicus qvidam per multas hebdomadas ſolâ aqvâ vitam ſuſtentavit, ſecundum Sibold. Tib. Hemſterhuis *Meſſ. aur. p. m. 240.* Juvenis qvidam viginti circiter annorum ex morbô graviſſimô atqve diuturnô, ſolô Dei & naturæ beneficiô, citra ullum medicamentorum uſum ita relevatus fuit, ut hinc inde deambulare poſſet, attamen â cibô & potu per dies aliqvot ita abhorruit, ut vix odorem ipſius ſufferre, multò minus qvicqvam guſtare poſſet. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Cent. 2. Obſ. 44. f. m. 117.* Inediæ plurimorum dierum exempla recenſet etiam Johannes Rhodius *Cent. 2. Obſ. 54. p. m. 80.* Scilicet Johannem Dominicum Salam Cibi abſtinentiam ad undecimum diem ſine detrimentô notâſſe: Mulierem qvoqve dies viginti ſine alimentô ſuperſtitem vidiſſe Horatium Angenium; & Hieronymi Cardani Patrem â nonô ante obitum die prorſus Cibo abſtinuiſſe &c. Virgo qvædam viginti qvinqve annorum, ex deſperatione ob fratres prodigos, viginti duos dies integros, ſine Cibô & potu, omninò permanſit, teſte Dominicô Panarolo *Pentecoſt. 5. Obſ. 20. p. m. 157.* Virgo qvædam ſacerdotalis, cui nomen Columbæ, pluribus menſibus Inediam ſuſtinuit, hæc in miraculum Patribus Romæ venerat, unde experimentum pluribus cuſtodientibus

tibus dedit. Item Venetiis qvidam qvadraginta ſex diebus continuis jejunus fuit, uti legimus apud Alexandrum Benedictum *de Re. medic. Lib. 11. cap. 10. fol. m. 204.* Vir qvidam ſexagenarius puteum qvadraginta pedes altum fodiens, egeſtâ terrâ deſuper irruente, ad profunditatem triginta qvinqve pedum oppreſſus eſt, vivus tamen permanens, ſiqvidem imminenti periculo, qvod fortè præſens habuit, tabulatum oppoſuit, qvô ſeptem dies noctesqve ſine cibô & ſomnô vixit, ſolâ Urinâ epotâ ſtomachum roborans, donec acceleratâ effoſſione ſanus & jocabundus iterum fune evectus fuit. v. Johann. Schenck. *Obſervat. medic. Lib. II. fol. m. 322.* In Incendiô, qvod Annô 1684. Menſe Junio Hamburgi exarſit, poſt octiduum repertus eſt in fumariô puer, qvi ad prænominatum tempus absqve Cibô & Potu incolumis perſeverârat, uti ex Novellis publicis Hamburgô aſportatis refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 101.* Septem Britanni, in Inſulâ Chriſtophorianâ, itineri unius ſolummodò noctis ſe accinxerant, ultra qvam etiam non extenderant commeatum. At interveniens tempeſtas abripuit imparatos longiùs in mare, qvàm ut potuerint reverti ad portum deſtinatum, ante diem decimum qvintum. Qvô tempore pepercere qvidem tam impenſè cibo, uni nocti duntaxat deſtinato, ut ſuffecerit ipſis in diem qvintum: verùm eô utiqve tranſactô, luctandum fuit reliqvos undecim dies, cum omnimodâ Inediâ. qvæ eò ipſis fuit gravior, qvò ardentiùs id temporis æſtuarit Sol, & vehementius exſucca ipſorum guttura exarefecerit exhalans incaleſcentis Maris ſalſedo, juxta Nicol. Tulp. *Obſerv. med. Lib. I. cap. 43. p. m. 84. ſeq.* Anno 1620. veniebat in Spa Illuſtriſſimus Anglus Melancholicus, qvi primos dies decem ſine ullô vel minimô cibô potuqve tranſigebat, in cubili morans, nullius colloqvium, neqvidem uxoris, qvam habebat & juvenculam & formoſiſſiam admittens, (uni famulo impune erat ipſi loqvi) lucem fugiens; proximis

autem

autem decem diebus ante lucem ſurgens cum multis eqvis venatum excurrebat; inde laſſus rediens vorabat, qvod tribus ſufficeret &c. vid. Henr. ab Heer *Obſerv. 27. p. m. 234.* Norribergæ vixit Virgo qvædam, ſtaturâ corporis gracilis, attamen Oſſium compage robuſta ac iracunda, â juventute aſſveta ob conceptum odium ac diſſidium ſæpiſſime aliqvot dies impranſa & ſine omni potu citra virium lapſum permanere. Imò qvodam tempore & in ætate nubili, ob ejusmodi cauſam, Inediam atqve ſitim per dies qvindecim, ſub ædium ſupremô tectô locô ſqvalidô & tenebricoſô latitans cunctorumqve conſortium ac alloqvium fugiens, tam pertinaciter ſuſtinuerat, absqve omni deguſtatione cujuslibet Cibi & aqvæ alteriusve liqvoris, ut familiares, illam morbos ſibi graviſſimos aſcituram, metuerent. Sed illa ſextâ decimâ die ſub nocte, cum cæteri dormirent, prodiens incepit panis bucellam, aqvâ fontanâ imbutam tantum lambere, moxqve rurſus in ſuas latebras receſſit. Die decimâ ſeptimâ iterum noctu bucellam panis aqvâ imprægnatam modò rodebat; & dehinc alios cibos in minimâ portione ſumebat, juxta Joh. Helwig *Obſ. 73. p. m. 233. ſeq.* hæc Obſervatio eſt eadem, qvam verbis germanicis refert Chriſtophorus Hellwig *Caſ. & Obſerv. Med. Part. I. cap. 9. p. m. 53. ſeq.* Don Antonius Carthuſianus Ruthenenſis per duos menſes ægrotavit & absqve cibô ullô remanſit; omnia enim reſpuebat oblata ad nutritionem, & ſi cogeretur, ut vi aliqvid deglutiret, illud rurſus evomebat. vid. Petr. Borell. *Cent. 3. Obſ. 35. p. m. 224.* Refert etiam Michael Aloyſius Sinapius *Paradox. med. Part. 3. Aphor. 4. p. m. 50.* ſe vidiſſe Polonos milites unô vel alterô granô piperis deglutitô & hauſtâ cereviſiâ ſemel triduo ſumptô, famem bene toleraſſe; ubi etiam addit, nonnullos famis hujus tolerantiæ cauſam faſciis, qvibus Poloni ſe per medium fortiter cingunt et viſcera conſtringunt, adſcribere. Scythas etiam, ſi qvibus de cauſis inedia longius toleranda ſit,

Ventrem

ventrem latioribus faſciis cohibere, qvò fames illos paucô aut nullô relictô inani ſpatiô minùs attingat, refert ex Citeſio Paulus Lentulus *de prodigioſ. Apollon. Schrejer. Ined. p. 182.* Cujusmodi exempli ipſe ex meâ juventute memini de milite qvodam gregariô, An. 1663. poſt bellum Turcicum ex Hungariâ reduce, qvi adeò qvidem erat vorax, ut qvantum ſex vel octo perſonis ordinariè ſufficiebat, ipſe ſolus, pro unô prandiô, devorare poſſet; hinc etiam Capitaneo ſuo, ſponſione de ipſius Voracitate cum aliô Centurione factâ, Eqvum pulchrum, ſibi autem præter aliqvot fercula opima, pro Conviviô ſex perſonarum parata, ſimul Ducatum acqvireret. Qvibus ferculis deglutitis atqve Cyathô vini ſuperbibitô lætabundus domum veniens hoſpitem ſuum, ſutorem, cum ſociis ſeu ſervis ſuis menſæ, cui pro ſatiandâ totâ familiâ aliqvot Lucanicæ cum braſſicâ muriatâ impoſitæ erant, aſſidentem offendebat, denuòqve factâ ſponſione totum ferculum, cum butyrô & caſeô, tot perſonarum fami ſedandæ deſtinatum atqve ſufficiens, inſuper ingerebat. Hanc autem devorationem dictus miles laborem nominabat; hinc vulgò devorator der Arbeiter & contractè der Arbter nominabatur. Idem tamen etiam in penuriâ ſeu ciborum defectu & in caſtris, ſecundum Officialium & commilitonum ſuorum teſtimonium, ad tres, qvinqve & plures dies, imò ultra octiduum famem perferre atqve inediâ vincere poterat; nunqvam etiam ipſi ſtipendium militare pro ſufficienti repletione aut ſedandô appetitu ſufficiebat, qvare, ut eò meliùs, conſumptâ pecuniâ, famem toleraret, qvotidie abdomen in regione Ventriculi latô cingulô coriaceô conſtrictum gerebat, qvod tempore penuriæ indies magis magisqve conſtringebat; deinde iterum pro aſſumptâ ciborum qvantitate relaxabat aut penitus tollebat. *Obſervatio.*

§. 9.

De puellâ, qvæ totis qvindecim diebus & noctibus nec cibi *Alia exempla.*

nec potionis qvicqvam adſumſit, vid. ſupra allegatus Henricus ab Heer *Obſ. 8. p. 92.* Et juxta Dominici Salæ Tractatum *de Aliment. Sect. 2. cap. 31. p. m. 32.* ſingularis & veriſſima eſt hiſtoria Comitis Vgoloni, qvi carcere detentus ſine ullo Cibô vixit totâ die ſeptimâ & media octavâ; ipſius filii, Gadus natu major usqve ad qvartam, tres alii mortui ſunt inter qvintam & ſextam. Exemplum Aſitiæ diuturnæ de Nobili qvadam Virgine Ziegleriâ, ad triginta & unam ſeptimanas ne micâ qvidem ullâ veſcente, refert Georgius Francus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 234. p. 567.* Puellam qvandam totô ferè annô nihil manducâſſe, niſi qvòd minis interdum, vel precibus compelli potuerit, ut parum biberit, idqve rariſſimè, non ſolùm ipſa puella, ſed & ii, qvi cuſtodiam ejus, in cuſtodiâ detentæ, geſſerunt, oculati teſtes memorârunt. Qvam Inediam etiam ipſa facilè indicavit per totum corpus tremula, macie & pallore confecta, de ægritudine Capitis ac Ventris dies noctesqve conqveſta. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 139. p. m. 293.* Puer tredecim annorum Melancholiâ hæreditariâ ſpleneticâ laborans inter alia ſymptomata ſenſit Appetitum planè proſtratum ob Sympathiam animæ & corporis, nec non fortem phantaſiam: putabat enim delictum capitale eſſe, cibô & potu reficere naturam, neqve vel micâ panis ſe dignum æſtimabat. v. Godofr. Schulz. *Diſſert. de Tinctur. Bezoart. Michael. cap. 5. §. 23. p. m. 114.* Exemplum Melancholici plurium ſeptimanarum abſtinentiâ ſeſe macerantis ex Fridericô Loſſiô allegat Johannes Helwigius *Obſ. med. Obſ. 73. Schol. p. 234.* Incantatam qvandam puellam Eiſenbergæ per aliqvot menſes parum vel nihil comediſſe, refert Georgius Wolfgangus Wedelius *Pathalog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 2. p. m. 465.* In cœnobiô Montis Cœlii Monialem qvandam ſuffocatione Uteri laborantem ad decimum diem ſolâ panis bucellâ vitam traduxiſſe, ſcribit Antonius Benivenius *de abdit. morb. & ſanat. cauſ. cap. 108. p. m. 283. ſeq.* Hanc Obſervatio-

vationem communicat Henricus Sampſonius *M.N.C. Dec.I. An.3. Obſ. 173. p.328.* Fœmina qvædam ab ictu, ſibi in dorſum â molendariô inflictô, lecto diu affixa eſt, unde parùm convaluit; ſed poſt paucos dies iterum recidivam paſſa ſentit in gulâ deglutiendi difficultatem & unà proſtratum appetitum, adeò ut à Feſtis natalitiis Menſis Decembris An. 1667. abſtinere deſierit ab omni cibô ſolidô, uti & pedetentim ab omnibus liqvidis, niſi qvòd rariſſimè paucæ guttæ juris prunorum coctorum, vel Aqvæ ſaccharatæ, vel ſuccus unius Uvæ paſſæ, inſtellentur cum plumâ in Os. Tredecim Menſes elapſi ſunt ab omnimodâ hac abſtinentiâ inchoatâ. Nihil evacuat per Urinam, alvum vel os: labra ſicca cum plumâ prædictâ madefiunt. Volæ manûs ſæpè madidæ reperiuntur, vultus ſatis floridus, vox ſonora. Abdomen ad ipſam ſpinam concidit, qvæ manu palpatur, non obſtantibus muſculis & inteſtinis, jam aridis, mediantibus. Cavitas eſt inſignis â cartilagine enſiformi ad umbilicum. Pars trunci ſuperior valdè emaciatur, ſed inferior longè magis: cutis pruriginoſâ fœditate exaſperatur, qvare aliqvando lacte abluitur. Raro dormit; ſorores ajunt, illam qvinqve ſeptimanas egiſſe inſomnes. Curioſi multi undiqve confluunt ad illam viſendam, Medici, Chirurgi, aliiqve, qvi integras noctes per vices huic negotio invigilârunt, ut, ſi forſan fraus aliqva ab ipſâ vel amicis facta fuerit, detegeretur. Nullus hic eſt Religionis prætextus, nullus Enthuſiaſmus, nec ulla fraus detegenda. Anno 1626. ad Benedictum Sylvaticum Brixiâ perſcriptum, Virginem religioſam decem dies ſine ſenſu ac motu & ſine alimentô ſuperſtitem fuiſſe, tandemqve ad ſe rediiſſe, vid. Joh. Rhod. *Obſerv. med. Cent.2. Obſerv. 55. p.m.81.* Fœminam qvandam in Germaniâ vixiſſe, qvæ ſine cibô qvandoqve dies triginta tranſegerit; item regnante Fridericô II. Imperatore, Coloniæ fuiſſe virum melancholicum, qvi clauſus arctô in locô & cuſtoditus ſalvis ſigillis, ſine cibô ſeptem hebdo-

madas vixit, qvotidie aut alternis diebus ſemel hauſtum aqvæ frigidæ bibens, & præterea nihil aſſumens, ex Alberto Magnô refert Daniel Sennertus *Practic. medicin. Tom. III. Lib. 3. Part. 1. Sect. 2. cap. 2. p. m. 77.* ubi etiam ex aliis Autoribus allegat, Auguſtini temporibus qvendam qvadraginta diebus ſine cibô vixiſſe; & Timonis aviam ſive amitam, ſive nutricem, qvotannis, Urſarum more, bimeſtre tempus in Ciliciæ ſpeluncâ ſine alimentô ſemianimem delituiſſe. v. etiam Henrici Smetii *Miſcell. Medic. Lib. 10. p. m. 554. ſeqq. & p. 551. ſq.* ubi vietoris ruſticani filiam per decem annos totos ab omni cibô & potu abſtinuiſſe per Atteſtatum medicum probat. In Belgiô accidiſſe refertur, qvendam melancholicum, Iſaac Hendrieſſe Stiphont, Harlemi Anno 1685. â die ſextô Decembris ad diem decimum qvintum Januarii jejunâſſe qvadraginta diebus & noctibus, ſolô Tabaci fumô uſum, & aqvâ frigidâ ad eluendum os. Qvod tamen aliqvid monſtri alere ac confictum potiùs nec ſine fucô fuiſſe, ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *Patholog. l. a. p. 464.* Puellam qvandam Rhodienſem, in pagô ab Oppido Lauterburg unius diei itinere diſtante, per triennium cibo, & potu abſtinuiſſe demumqve in Domino obdormiviſſe, refert Paulus Lentulus *Hiſtor. admir. de prodigioſ. Apollon. Schrejer. Ined. p. m. 88.* Puellæ ſeu Filiæ Coloni cujusdam in pagô Helſelaer poſt febrem qvartanam conſvetus minuebatur appetitus, ut lecto inhærens per menſem continuum qvævis reſpueret alimenta vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. rarior. Cent. 2. Obſ. 15. p. m. 134. ſeq.* Annotavit etiam Daniel Eremita in deſcriptione Helvetiæ, ubi de Strumis agit, ſe vidiſſe in Bernatibus mulierem ad decem annos citra omnem cibi potûsqve humani uſum vixiſſe, torqventibus ſe fruſtra Medicis & cauſam qværentibus, cùm ſupra infirmitatis humanæ terminos ſit. v. Dan. Eremit. *Opuſcul. p. m. 402.*

§. 10. Mar-

§. 10.

Margareta Lauwera, monſtroſô qvodam morbô & præprimis Calculorum vomitu laborans, â die decimâ qvartâ Februarii usqve ad ſextam decimam Junii, elapſos qvatuor Menſes nec edit, nec bibit, ſed qvamprimùm ſolum cochlear brodii propinaretur, ſtatim vomitu cruentô exſpuit lapillorum majorem, qvàm antea, copiam, ut cruciatûs contra ipſius voluntatem irritando omni offerendô cibô potuqve abſtinerent hoc tempore Medici. Manſit itaqve ægra totum qvadrimeſtre abſtemia, non edens, non bibens, non ſumens remedii qvicqvam, qvàm qvintô ſextôve die Cochlear exiguum Olei amygdalarum dulcium ſpiritu Nitri imprægnatum, qvod optimum ſolvens in hoc affectu repertum erat. vid. Act. Eruditor. Lipſienſ. *An. 1682. Menſ. Novembr. p. 340.* Refert etiam Johannes Matthæus Heſſus, *Qvæſtion. medic. Qvæſt. 5. p. m. 26.* ex aliis Autoribus qvædam Inediæ exempla; ſcilicet qvendam Almericum qvatuor menſibus integris neqve bibiſſe, neqve comediſſe. Et Margaretam Rhodiam ab omni cibo & potu ultra ſedecim Menſes abſtinuiſſe: Porro Simonem Portium, Medicum libellum edidiſſe de qvadam virgine Germaniæ, qvæ duobus annis ſine cibô & potu vixit. Præterea in territoriô Tullenſi puellam duodecim annorum primum â pane, deinde ab omnibus aliis cibis & potu abſtinuiſſe, & per triennium jejunaſſe, de qvâ infra plura. Valerius Aurelianus Imperator Medicum ad ſe, cùm ægrotaret, nunqvam vocavit, ſed ipſe Inediâ ſe præcipuè curavit. vid. Chriſt. Matthiæ *Theatr. hiſtor. p. m. 637.* A Martinô Delrio ſeqvens hiſtoria *Diſqviſit. Magic. Lib. 6. cap. 2. Sect. 3. p. m. 1033.* recenſetur: Aſpere VI. Coſ. Carthagini conſtituto, hoc Signum Diabolicum monſtroſumqve, qvod illic accidit, qvis illius patriæ civis ignorat? Qvædam Juvencula, Araba natione, ancillæ Dei habitum geſtans, cùm in balneô lavans ſimulacrum qvoddam Veneris impudicè aſpiceret & ſeipſam, eiqve ſe conſimilans,

adhuc alia Inediæ exempla.

ſimilans, domicilio ſe diabolo præbuit. Statim ille Leo, qvi rugiens circuit, qvem qværebat, invenit. Meatus igitur gutturis ejus occupans nullum cibum nullumqve potum trajiciens per ſeptuaginta ferme dies totidemqve noctes, jejunium ſibi diabolus ex capto poſſeſſoqve vaſe exhibuit. Hoc tamen puella fatebatur, avem qvandam noctis mediô apparere, qvæ ſibi ore, neſcio qvid, infunderet.

§. II.

Henrici ab Haſſeld.

Veri Jejunii hiſtoriam ſeqventem narrat Johannes Wierus *de Jejun. commentit. Oper. pag. m. 761.* his verbis: Henricus ab Haſfeld, eximiæ pietatis vir, tunc inculpati cælibatûs, tam erga pauperes profuſus, ut cùm in dividendis pannis ſuam exerceret mercaturam, multò libentiùs pannum integrum aperuerit ſecueritqve gratis, ut nudi pauperes veſtirentur, qvàm ut cum fœnore aliis divenderet. Qvum autem Religio Romana commutaretur tranſiretqve in Saxoniám, & Norwegiæ Incolas Crapulæ nimium mancipatos cerneret hic Henricus, nec ſuæ functioni hîc reſpondere eccleſiarùm miniſtros intelligeret, â qvibus in concionibus palam audiebatur, jejuniô imitandum Moſen & Heliam, videlicet qvadraginta dierum abſtinentiâ: At Deum nunc tam diutini jejunii tolerantiam in hominibus minimè operari. Hic Henricus, uti omnis vitæ diſſolutioris & potiſſimùm Crapulæ juratus hoſtis, ſe Concionatoribus, qvaſi Deo honorem derogantibus & potentiam ejusdem extenuantibus, nimis oppoſuit, reipſa teſtatum volens, omnipotentiam ejus neqvaqvam imminutam aut conciſam, ſed parem nunc & in ævum, qvemadmodum ab initiô, perdurare. In nomine itaqve Domini ad ejusdem gloriam, gratiâ ipſius fretus, jejunium tentat: in qvô ubi triduum perſtitiſſet, tantum non fame opprimitur. Qvare panis triticei buccam & liqvoris hauſtum ubi ſumſiſſet, utroqve in ipſo Oeſophagô ſive gulâ ſenſibiliter permanente dies inde qvadraginta & totidem noctes absqve ullius

lius Cibi & potûs uſu perſeveravit. Exactô autem hoc tempore, illam panis & potûs antea aſſumpti portionem crudam rurſus per Os rejecit. Cæterum ex tam diutinâ abſtinentiâ mirè fuerunt vires labefactatæ, ut lacte refocillari corpus oportuerit. Detectô hoc miraculô ab illius Provinciæ Gubernatore regiô accitus, num tot dies ſine ullius alimenti ſubſidiô vixiſſet, rogatur: Huic veritatem confeſſo adhuc non credens, rem novo experimento confirmari mavult Gubernator. Qvapropter Henricum cubiculo incluſum dies qvadraginta aſſervari jubet vigilanter absqve ullô victu: qvi conſtanter hoc tulit ſine noxâ, læſione virium minore, qvàm antea. Nihil hic ſibi aut propriis tribuebat viribus: ſed qvicqvid id eſſet, ſoli Deo acceptum ferebat, cujus hoc erat opus, potentia & honor. Ob hanc raram & plusqvam humanam abſtinentiam atqve etiam vitæ innocentiam Numen Norwegicum a multis nuncupabatur. Nulli erat addictus ſectæ. Negociorum verò ſuorum cauſa profectus Bruxellam in Brabantiam, ob hæreſeos ſuſpicionem, ex debitoris ſui accuſatione, captus in carcere denuò continenter vivit jejunatqve. Inde lata mortis ſententiâ, ut ſcilicet combureretur vivus (Confeſſione tamen populo, præter morem, non prælectâ) hic intrepidè ſine ullâ faciei immutatione ſupplicii locum petit: Ubi catenâ alligatus palo, faſcibus circum circa horribili aſpectu incenſis, putabatur circum palum velut in theatrô ad extremum halitum diſcurſurus. Sed qvid fit? In genua provolutus, oculis in cœlum levatis, ferventer ſuas ad Deum fundit preces; hinc ſurgens, in ipſas progreditur forti animô ſine ullius tremoris indiciô flammas, in eisdemqve ſe demittit tam ſedatè, ut ab ipſo moveri membrum vel articulum, dum flammis crudeliſſime devoratur, viderit nemo. Ex oſſibus reliqviæ inventæ nullæ & ſupplicii locus â multis religioſe habitus. Schoriô Brabantiæ Præſide id contigit circa annum milleſimum qvadrageſimum qvintum.

qvintum. Hæc Wierus *l. a.* ubi adhuc bina annectit exempla, alterum de Canonicô qvodam Leodienſi, qvi totidem dierum continuum jejunium experiri conatus, ubi ad decimum ſeptimum perveniſſet diem, tantam omnium virium ſenſit jacturam, ut niſi incunctanter reſtaurante victu fuiſſet ſubventum, haud dubiè interiiſſet; alterum verò de puellâ qvadam Nicolaâ nomine, Bucholdiæ in Monaſterienſi Provinciâ degente, qvæ octodecim ſeptimanis nil aliud guſtavit, qvam pauca poma toſta, ptiſanæ verò cremorem bibit.

§. 12.

Epiſcopus. Spirenſis. Epiſcopus etiam qvidam Spirenſis, Rudolphus â Francken-ſtein, bis per qvadraginta dies jejunavit atqve in ſecundô jejuniô, qvod ad qvadrageſimum octavum usqve diem perduxerat, viribus tandem omnibus exhauſtis, Lauterburgi vitam cum morte commutavit. Item Puer qvidam in Oppidô Adelburgô, annos circiter qvatuordecim natus, aliqvandiu graviſſimô morbô detentus in Epilepſiam incidit, hacqve ceſſante Ecſtaticus evaſit atqve ad ſeptimanas circiter duodecim nihil plane cibi aut potûs admiſit; qvantumvis lauta omne genus edulia illi atqve opipara, qvæ cujusvis vel maximè ſopitam ὄρεξιν excitare facilè, & ad edendum excitare potuiſſent, apponerentur; uti prolixè refert Paulus Lentulus *Hiſtor. admirand. de prodigioſa Apollon. Schreicræ Inedia p. m. 83. ſeq. usqve ad 97.*

§. 13.

Apollonia Schreiera. Non immeritò autem prodigioſa vocatur allegatæ Apolloniæ Schreieræ Inedia, de qvâ dictus Lentulus integrum Tractatum, noſtrô tempore rarum admodum, edidit, multis aliis diuturnæ Inediæ exemplis annexis. Vixit autem dicta Virgo in agrô Bernenſi, & qvidem in pagô ſeu viculô, nomine Galz, aliis Gars, annorum circiter decem & octo, mediocris ſtaturæ, valetudinaria per aliqvot, & juxta alios, per qvinqve annos ſine cibo & potu vivens, & qvidem circa Annum 1602. de qva

l. a.

l. a. plura reperire licet. Virginis hujus etiam meminit Joſephus Qvercetanus *Diætet. Polyhiſtor. Sect. 2. cap. 4. p. m. 173.* & qvidem ſeqventibus verbis: Vidi puellam octodecim annos aut circiter natam, temperamentô melancholicô, qvæ citra cibum & potum ſupra triennium vixerat. Illa ſenſim primò panis, deinde ciborum aliorum omnium appetitum, vel fructuum etiam, amiſerat. Ad aliqvod tempus juſculis nutrita paulatim etiam uſum illorum remiſit. Tandem aliqvot Cochlearia Vini aqvâ diluti, ei oblata ſunt, donec & uſum illius prorſus etiam reſpuens, non ferente potum ſtomachô, ex dolore & cruciatu, qvem illis perferebat; ita ut ad extremum ἄσιτος, citra ullius rei ingeſtionem, hac Inediâ aliqvot dies duraverit, dein & hebdomadas ac tandem integrum annum, qvô citra ullius alimenti uſum, qvàm aëris, vivebat valetudine integrâ. Senatus Bernenſis, acceptâ inauditâ famâ, juſſit Bernam & matrem & filiam adduci: qvas in Xemodochiô Urbis collocari & ibi obſervari â cuſtodibus voluit, num mater filiæ aliqvid clam porrigeret, ne qvid fraudis ſubeſſet. Cui rei cùm per aliqvot dies accuratè invigilatum eſſet, cognitum tandem verè fuit & certiſſimè, iliam citra ullam alimenti ingeſtionem vivere &c. Item Gregorius Horſtius *Inſtitut. medic. Diſput. 3. Oper. Tom. I. fol. m. 141.* refert, hanc Virginem per qvinqvennium completum absqve cibô & potu vixiſſe; imò ſeipſum in peregrinatione ſuâ cum Paulô Lentulo de omnibus hujus puellæ circumſtantiis egiſſe; Attamen prædictam Schrejeram demùm ſanitati fuiſſe reſtitutam, atqve robuſtam & ſanam ſecundum naturæ legem & conſvetudinem aliorum iterum comediſſe, vinô tamen abhorruiſſe, refert, idem Horſtius *Oper. Tom. II Lib. 2. Obſ. 29. fol. m. 97.* Et *Lib. 2. Obſ. 1. fol. 519.* addit, prædictam Apolloniam ultra decennium non ſolùm â Cibo potuqve penitus abſtinuiſſe, ſed ſimul etiam ad qvemcunqve motum totius vel partium Corporis perficiendum inhabilem fuiſſe, nihilomi-

nus poſtmodum Corporis qvidem vires recollegiſſe, non tamen ſine gravi mentis jacturâ, cum ſuccreſcentibus viribus Corporis, mentis operationes depravatas acceperit, ita ut ἀνοίᾳ vel μωρώσει qvadam affecta fuerit, qvæ per totum Inediæ tempus piè prudenterqve vixit. Qvod confirmat etiam Gvilhelmus Fabricius, Hildanus, *Obſerv. Chirurg. Cent. 4. Obſ. 4. fol. m. 288.* Apollonia Schrejera, inqviens, poſt longam Inediam iterum edere & bibere incepit primâ die anni milleſimi ſexcenteſimi undecimi. Ab initiô parcè ſumebat cibum, & nihil ferè præter juſcula, & utplurimum hordeacea: verùm non diu poſt, cùm eſſet facta inſipiens, omnia etiam lintea, lodices imò & cultros devorare tentavit. Panem in Vinô maceratum ei obtulimus, qvem avidè devorabat: vinum tamen bibere noluit, dicens, hoc ſibi nocere, & capitis dolorem excitare. Invenimus illam in viridariô, ubi cum pueris puerilia tractabat, & coram nobis vociferabatur, canebat & ſaltabat. Actiones omnes naturales aderant: dormiebat enim, inſomnia habebat ſvavia. Excrementa qvotidie, & menſtrua ſingulis menſibus copioſè excernebat. Venter, qvi antea ſupra modum depreſſus erat, nunc ſecundum naturam ſe habebat, reliqvaqve membra omnia carnoſa erant. vid. etiam Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 11. Obſ. 1. fol. m. 519.* Claud. Deodat. *Panth. hygiaſt. Lib. 1. cap. 20. p. m. 238.* Joh. Jac. Dœbelii **Bericht von Eſther Johannen Paulin zehnjähriger Faſten** *p. 116. ſeq.*

§. 14.

Puella Spirenſis. Deinde etiam ob Inediam diuturnam nota eſt alia puella, & qvidem Spirenſis, Margaretha Seyfridia, in Villâ qvadam Roed, Spirâ non ampliùs duobus milliaribus diſtante, nata, qvæ decem annos nata poſt capitis dolores ventrisqve tormina, qvicqvid erat Cibi, tandem aſpernabatur, donec eô omnino rejectô, potu tantùm ſeſe per aliqvot hebdomadas ſuſtentârit; qvô etiam deniqve abſtinens citra cibi potûsve uſum totum, ut crede-

credebatur; ſatis valida tranſegerit triennium. Hujus diuturni omnis alimoniæ faſtidii admiratione commotus Romanorum Rex Ferdinandus, cùm Anno 1542. ad Comitia, â Carolô Imperatore Spiræ indicta, adveniſſet, veritusqve ne qvid fraudis ſubeſſet, puellulam, nullius ſibi fraudis conſciam, Spiram accerſitam novis indutam veſtibus, Medico ſuo & alteri cuidam ſuorum à Cubiculis, Viris ſpectatæ fidei nocturnô diurnôqve tempore in eorum ædibus obſervandam dedit. Verùm cùm nihil fraudis in eâ deprehenderetur, cuncta qvoqve dictis correſponderent, Rex pro ſuâ genuinâ clementiâ & liberalitate, puellæ miſertus eam virgineô mundô decoratam parentibus reddidit. Hanc puellam â feſto Michaëlis 1530. usqve ad annum 1540. nihil Cibi ſumpſiſſe, poſteà nec per tres annos cibo, potu, excrementisve uſam, teſtatur edito propriô ejus rei libellulo Gerardus Bucolidianus, Phyſicus Cæſareus, teſtis oculatus, ſub commiſſâ ſibi curâ. vid. Petr. Gregor. *Syntax. Art. mirabil. Tom. I. Lib.35. cap.10. p. m. 399.* Hanc puellam vidit etiam Johannes Langius duodecim annos natam, juſtô corporis, pro ætate, habitu, comâ flaveſcente, fuſcam, oculis cæſiis, facie non illiberali &c. v. ejusdem *Epiſtol. medicin. Lib.2. Epiſt. 27. p.m. 604. ſeq.* ubi etiam refert, qvod hæc puella, cùm hanc Inediam ultra biennium ſuſtinuiſſet, nihil excrementorum nec per alvum, nec per veſicam excreverit. Qvid de hac puellâ Spirenſi Gerardus Bucoldianus ad Illuſtriſſimum Principem, Cornelium à Bergis, Epiſcopum Leodienſem perſcripſerit. vid. Paul. Lentul. *Tractat. de prodigioſ. Apollon. Schreier. Ined. p.m. 26. ſeqq.* Franc. de Torreblanci *de Magia. Lib. 2. cap. 21. p. 222.* Auguſt. Thuan. **Hiſtorien** *Lib. 123. fol. m. 1519.* Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 11. Obſ. 1. fol. m. 517.* Hanc tamen Inediam pro ſuſpectâ habet Johannes Wierus *de Jejun. Commentit. Oper. p. m. 764.*

§. 15.

De aliâ prodigioſâ Puellæ Colonienſis Inediâ ſeqventia refert *Puella Colonienſis.*

fert Gvilelmus Fabricius, Hildanus, *Obſerv. Chirurg. Cent. 2. Obſ. 49. f. m. 116.* Anno 1595. Puella qvatuordecim circiter annos nata è Ducatu Juliacenſi Coloniam adducta fuit, ubi in diverſoriô, cui eqvus albus pro inſigni eſt, in latâ plateâ, ut ſingulare qvidpiam conſpiciendum, exhibita fuit. Illam autem ſine omni cibô & potu per annos tres vixiſſe ajebant parentes, idqve teſtimoniis avthenticis & fide dignis confirmabant. Diligenter ego (Fabricius) illam perluſtravi & ſingula obſervavi. Facie erat triſti & melancholicâ, totô Corpore carnoſa ſatis, præter ventrem, qvi ad ſpinam dorſi planè depreſſus vergebat. Hepar & reliqva viſcera, ventrem manu tractando, qvaſi in ſcirrhos concreta eſſent, percipiebantur; excrementa nulla ejiciebat; â Cibo adeò abhorrebat, ut cùm qvidam ex illis, qvi ad eam viſendam advenerant, Sacchari parum clam in os miſiſſet, illa protinus in Syncopem incideret. Sed qvòd maximè mirandum eſt, ambulabat illa, imò cum aliis puellis ludebat, ſaltabat & negotia puerilia perficiebat, eratque corpus ſuô colore naturali præditum. Reſpirandi, loqvendi, vociferandi nulla erat difficultas. De origine hujus Inediæ rogati parentes referebant, illam ante annos ſeptem ex morbô graviſſimô relevatam paulatim cibi faſtidiô correptam fuiſſe, ita ut aliqvando trium aut qvatuor dierum ſpatiô nihil cibi guſtârit, deinde ſumptô parum lactis recens emulcti, denuò per dies ſex & ſeptem â cibô & potu abſtinuiſſe. Cùmqve in eâ miſeriâ qvatuor annos integros vixiſſet, â cibô & potu omninò poſtea abhoruiſſe & tribus exinde annis neqve cibum neqve potum guſtâſſe.

§. 16.

Puella Mœrſienſis. Aliud adhuc diuturni jejunii exemplum & qvidem in puellâ vel Virgine Morſienſi â ſe obſervatum recenſet idem Autor *l. a. Cent. 5. Obſ. 33. f. m. 413. ſeqq.* qvi eandem abſtemiam Anno 1612. die 23. Julii Mœrſiæ ipſe vidit. Agebat autem tunc temporis dicta, nomine Eva von gen End, aliàs Eva Flegen,

gen, ex parentibus honeſtis & mediocris fortunæ in pagô Repel nata, trigeſimum ſeptimum ætatis annum, vixeratqve in decimum ſextum usqve annum, ſine ullô Cibô & potu. Ab Incunabilis autem ipſa valetudinaria & perpetuò doloribus capitis obnoxia fuit. Annô verò vigeſimô primô ætatis poſt morbum graviſſimum paulatim ab omni cibô & potu abhorrere cæpit, ita ut tandem intra unius anni ſpatium eſculenta & potulenta omnia reſpueret, nec qvicqvam ampliùs aſſumeret. Ab initio & in annum usqve qvintum Inediæ ſuæ ſingulô tertiô die, circa Solis exortum ſe ſplendidô qvodam lumine circumdari, eoqve ſe mirificè exhilarari, ſubſtantiâ qvin etiam qvâdam mellitâ ipſius os linguamqve irrorari, & inde vires ſuas reſocillari, imò plerumqve ipſius Os humore qvodam dulciſſimô rigari ajebat. Plures circumſtantias vid. *l. a.* vid. etiam Joh. Jac. Dœbel. **Bericht von Eſther Joh. Paulin zehenjährigen Faſten,** *p. 117.*

§. 17.

Porrò huc pertinet puella ſeu Virgo Palatina, vel Heidelbergenſis nonnullis dicta, qvæ, cùm per ſeptennium nullâ ſit uſa cibô vel potu, interea tamen totô illô tempore admirandô Omnipotentis Dei favore atqve opere vitam traduxiſſe refertur. In Oppido ſcilicet **Schmidtweiler**, Electoralis Palatinatûs Ditionis Lautreæ, Virgo qvædam nubilis â nuptiis domum rediens primum calidos cibos, deinde omnes faſtidire cœpit, & in ſeptimum annum neqve comedit neqve bibit qvicqvam; corpus verò adeò fuit attenuatum, ut ſceletum potiùs, qvàm humanum & carnoſum corpus videretur. Cùm hæc res Magiſtratui eſſet ſuſpecta & clanculum aliqvid devorare putaretur; Cuſtodes fuerunt adhibiti, à qvibus dies ac noctes obſervaretur; nec tamen dolus aliqvis animadverſus fuit, uti refert Johannes Matthæus Heſſus, *Qvæſt. med. & jucund. Qvæſt. 5. p. m. 26. ſeq.* & ex hoc Gregor. Horſtius *Oper. Tom. II. Lib. II. Obſ. 1. fol. m. 519.* *Puella Palatina*

 Hanc

Hanc Virginem ab Anno 1578. per annos decem ab omni cibô & potu abſtinuiſſe, neqve ullum excrementi genus interea poſuiſſe; tandem tamen Annò 1588. aliqvid denuò guſtare incepiſſe, tradit Henricus Smetius *Miſcellan. med. Lib. 8. p. m. 395. Lib. 10. p. 551.* qvi Smetius cum aliis ex Principis mandatô hanc Virginem Catharinam Binderin, vel potius Cunradi Vietoris ſeu doliarii ruſticani filiam viſitavit & examinavit, hancqve Hiſtoriolam ibidem pluribus circumſtantiis deſcribit. Prolixiùs etiam eandem Obſervationem reperimus in Pauli Lentuli Tract. *alleg. a p. 49. usqve ad 74. item p. 148.* v. etiam Jac. Auguſt. Thuan. *Hiſtor. Lib. 123. fol. m. 519.*

§. 18.

Puella Commerciaca.

In Territorio Tullenſi, juxta Villam Commerciacum puellam qvandam annorum ferè duodecim ab omni Cibô per decem menſes abſtinuiſſe, commemorat Johannes Wolffius *Lect. memorabil. Centenar. 9. fol. m. 170.* Hoc jejunium ab anno 822. usqve ad annum 825 circa initium Novembris, tempore Lotharii V. Imperatoris, duraſſe, refert Petrus Gregorius *Syntax. Art. mir. Tom. I. Lib. 35. c. 10. p. 399.* Et Paulus Lentulus *l. a. p. 103.* refert, puellam hanc poſt ſacram Communionem, qvam in Paſchate de manu Sacerdotis acceperat, ſine omni victûs deſideriô plenum biennium, usqve in tertium annum dimidium, compleviſſe, nulla penitus Corporis alimenta percipientem; item peractô jejuniô cibum iterum ſumſiſſe, ac, certorum hominum more manducando, vivere cœpiſſe.

§. 19.

Puella Conſolentanea.

De Abſtinente Conſolentaneâ peculiarem librum edidit Franciſcus Citeſius, ex qvô ſeqventia verba refert Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 7. cap. 1. p. m. 648.* Puella eſt nata qvatuordecim annos, aut circiter, Johanna Balam nomine; patre Johanne Balam, fabrô ferrario, matre Laurentiâ Chambella, ſtaturâ pro ætate juſtâ, moribus ſubruſticis, Con-

folento

ſolento Urbe orta, qvæ cùm undecimô ſuæ ætatis annô febre continuâ An. 1599. eſſet correpta, tum graviſſimis aliis ſymptomatis, tum aſſiduô imprimis vomitu per viginti dies conflictata eſt. Febre qvoqvô modô remittente obmutuit, & totos viginti qvatuor dies ſine voce deinceps hæſit. Redditâ poſtea voce, qvanqvam delirii plena, omnium infra Caput partium motus & ſenſus torpere & hebeſcere cœpit, adeò ut ipſe qvoqve Oeſophagus reſolutus vim ſuam cathelcticam amiſerit, neqve perſvaderi puella potuerit, ut cibum ſumere velit, ne qvidem pellecta familiaribus huic ætati condimentorum & fructuum fugacium illecebris, &c. Totum hunc Franciſci Citeſii Tractatum de abſtinente Confolentanea Paulus Lentululus *l. a. â p. 152. usqve ad finem* refert, ubi plura exempla reperiuntur. vid. etiam Jacob. Auguſt. Thuan. *Hiſtor. Lib. 123. fol. m. 1520.* it. Hiob Ludolffs Schau-Bühne der Welt-Geſchichte *Tom. I. cap. 15. fol. m. 54.* Gregor. Horſt. *l. a. f. m. 518.* & Dan. Sennert. *Pract. Medicin. Lib. III. Part. II. Sect. 2. cap. 2. p. 79.*

§. 20.

Referri huc etiam debet Eremita qvidam, nomine Frater Nicolaus, vulgò Bruder Clauß. An. 1417. in Helvetiâ natus, cujus, An. 1487. defuncti, Epitaphium hoc eſt: Frater Nicolaus de Rupe, relictâ Conjuge & liberis in Eremum ſeceſſit, ſerviit Deo ſine corporali Cibô annis decem & novem ac menſibus ſex: obiit feſtô die S. Benedicti An. Dom. 1478. Hujus Vitam & Doctrinam de Abnegatione deſcriptam reperimus *in Philoſoph. myſtic. p. 100. ſq.* & ex hac in Gottfr. Arnoldi Leben der Gläubigen *p. 13. ſq.* Hic Frater Nicolaus uxore, ex qvâ decem liberos genuerat, relictâ, in Underwaldinâ ſilvâ cellulam tres paſſus longam, ſesqvipaſſum latam, ad menſuram corporis ſui altam, ædificaverat; in eâ vivebat ferè aëre tantùm; juxta Joh. Guiliel. Rhetwizi Orationem contra Germaniam in Thom. Lanſii *Conſult. p. 897.* Et Johannes Jonſtonus *Thaumatograph.*

Frater Nicolaus.

tograph. natural. Claſs. x. Cap. 2. Artic. 7. p. m. 249. inqvit, qvod hic Nicolaus, Helvetius Underwaldenſis An. 1460. poſt ſuſceptos ex Conjuge qvinqve liberos, ſolitariam vitam amplexus per annos qvindecim nec cibum, nec potum guſtaverit. Qvo loco dictus Autor etiam alia Inediæ ſtupenda exempla recenſet.

§. 21.

Virgo Svecica. De Jejunio decenni Virginis cujusdam triginta annorum, in Sveciæ pagô Norre Oby natæ, An. qvô hæc ſcribo, 1723. Halæ edebatur Tractatus Germanicus, ſub Titulo, Joh. Jac. Dœbelii **Bericht von Eſther Johannen Paulin zehenjährigen Faſten**, in qvô recenſetur, dictam perſonam, Johannis Petri filiam, cui Nomen Eſther Johanna, ob varia ſymptomata & diuturnas Lipothymias adeò fuiſſe debilitatam, ut pedibus inſiſtere minimè poſſet, ſed per aliqvot annos lecto affixa ſine auxiliô in eôdem locô eâdemqve poſiturâ permanere cogeretur. Præterea etiam dictam Eſtherem, per decem annos nihil penitus comediſſe, & per octo annos nihil bibiſſe, adeòqve per hoc temporis ſpatium nihil liqvidi vel ſolidi ori immiſiſſe, & Sacrâ Synaxi uſuram panem tantùm buccatim vel minutim, & vinum guttatim, & qvidem non niſi ſummâ cum difficultate metuqve ſuffocationis, aſſumſiſſe, ibidem refertur. Inſuper præter freqventes Lipothymias & omnium ſenſuum privationem, Ventriculus vacuus & parvus ſpinæ dorſi erat annexus, pedes verſus anum contracti penitusqve emaciati; thorax autem, brachia & caput ſtatum naturalem retinebant. Circa principium ipſa fuerat devota, qvæ tamen devotio, poſt inopinatam impprægnationem frigebat, ipſaqve ambulare incipiebat. In hujus autem fœminæ inqviſitione Prætor Provincialis S. Hallenberg ne minimum qvidem, ratione Inediæ, fraudis indicium detegere potuit. Dicto Tractatui annectitur Johannis Jacobi Dœbelii hujus Inediæ Hiſtoria atqve Diſcurſus academicus

demicus de ipſius cauſis, an nimirum Magiæ, vel miraculis vel naturalibus cauſis adſcribi debeat, ex latinô in lingvam Germanicam verſus; item alia adhuc Relatio de Virginis Haderlebienſis Inediâ, unius & dimidii anni, ibidem annexa reperitur, in qvà varia ejusmodi exempla allegantur & referuntur, & inter alia de Chiliaſtâ qvodam Guſtavô von Bernhard, qvi tamen ſex ſeptimanarum Inediâ abſolutâ poſtridie poſt pauci cibi potusqve uſum obiit. Hanc Relationem Johannes Georgius Hermannus Johanni Kanoldo communicavit, qvi eandem derer Breßlauiſchen Samlungen *IX.* Verſuch *p. 366.* inſeruit, qvæ evolvantur.

§. 22.

Pueri Brunſvicenſis, per qvadriennium ſine omni cibô & potu viventis, hiſtoriam annotavit Gregorius Horſtius *l. a.* Decubuit ſcilicet puer hic morbô chronicô, ſatis diu, ita ut parentes hinc & inde medicam opem implorarent; tandem puero huic empiricus qvidam circumforaneus potionem exhibuit & ab eô tempore puer iſte nihil edit bibitve. Poſtqvam autem qvadriennium impleverat Inediâ ſuâ, die ferè eodem, ad Appetitum naturalem rediit & priſtinæ ſanitati fuit reſtitutus. *Puer Brunſvicenſis.*

§. 23.

Puellæ Halberſtadienſis, qvæ annos decem ſine cibô, non tamen ſine potu vixit, ſeqventibus verbis meminit Daniel Sennertus *Pract. Medic. Lib. III. Part. I. Sect. I. cap. 2. p. m. 82.* Nata Halberſtadii Annô 1601. die 21. Novembris, Patre Matthiâ Bornemannô, Annô 1614. Menſe Novembri in morbum incidit, qvô qvatuordecim dies graviter laboravit, morbi tempore nihil cibi ſumpſit, atqve etiam, ubi ſana rurſum evaſit, cibum averſata eſt, ita ut de die vix plus, qvàm nummô emeretur, ederet. Accidit poſtea, ut ad nuptias invitaretur, ubi cùm ab æqvalibus ad largius edendum cogeretur, cibumqve paulò largiùs ſumeret, iterum per octiduum ægrotare cœpit, *Puella Halberſtadienſis.*

ut de vitâ ejus deſperaretur. Hinc ad finem usqve vitæ nihil cibi aſſumpſit, ſed potûs locô cereviſiam, ſingulis diebus fere ſextarium. Si verò ipſâ inſciâ etiam panis in cereviſiam injiceretur, eam non bibit. &c.

§. 24.

Gvilelmi Foxleji. Figulus qvidam Londinenſis, Gvilelmus Foxlejus nomine, nullâ infirmitate præcedente in ſomnum incidit tam arctum, ut per totos qvatuordecim dies noctesqve qvindecim expergefieri nullâ ratione potuerit, donec tandem die decimô qvintô ſponte ſomno ſolutus eſt adeò ſanus & rectè valens, nocte ut unâ, neqve ampliùs ſe obdormiviſſe firmiter crederet, donec ex muri cujusdam ſtructurâ, dies plurimos effluxiſſe, perſpiceret. Eundem autem poſtea ſupra qvadraginta annos vixiſſe, ex Annalibus Anglicis refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Centur. poſter. Obſ. 15. Schol. pag. m. 152.*

§. 25.

Iſaaci Stiphont. Recentioribus Inediæ Exemplis adhuc addi poteſt, qvod ex libello Gallicô, qvalis ſingulis menſibus prodit, Reipublicæ literariæ Acta vocant, de qvodam Iſaaco Stiphont refert idem Cornelius Stalpart van der Wiel. *l. a. p. 149.* Hic ſcilicet Stiphont, cujus jam ſuprà mentionem fecimus, mentis parum compos, cellulæqve, in qvales id hominum genus intruditur, Harlemi incluſus, tandem furore percitus verum ſe Meſſiam ejusqve ad exemplum qvadraginta dies ac totidem noctes ſeſe jejunare velle, dixit. Jejunium itaqve ſextô Decembris Anni 1684. inchoatum qvintô decimô Februarii 1685. finivit. Tabaci uſu ſeſe pro more non abſtinuit, aqvamqve, ſed magis ad lavandum os, qvàm riganda viſcera, ſumſit. Cibô autem potuqve per omne illud tempus non fuit uſus: ſed nec aqvæ nutriturum liqvorem viniqve ſpiritum commiſceri voluit. Hoc enim cùm fieri animadverteret (cautè namqve qvævis circumſpiciebat) protinus illam non ſine horrore rejiciebat, nec ullis,

ille

ne vel ſictorum qvidem angelorum, minis promiſſisve, ut ederet, adigi poterat. Nihil etiam omninò, utut ejus in veſtibus cellulâqve vel accuratiùs fuerit qvæſitum, qvô ſe aleret, apparuit. Sed nec qvisqvam, qvi ei noctu alimenti qvidpiam afferret, repertus fuit, ita ut, qvin minimè ficta fuerit abſtinentia, excrementis qvoqve ſenſim minutis provenire ceſſantibus, dubitare non liceat. Totô tamen illô tempore vigoris priſtini vix qvicqvam amiſerat, elapſis qvadraginta diebus pro conſvetudine veſci incipiens. vid. etiam Journal des Sçavans *Tom. 13. p. m. 214. ſeq.*

§. 26.

Puella illa Norwegica, ex cujus oculis, dolô malô, piſa ac frumenta excreſcere, pervulgatum erat; totô ferè annô nihil manducavit, niſi qvòd minis interdum vel precibus compelli potuerit, ut parum biberit, idqve rariſſimè, ut illi, qvi ejus cuſtodiam geſſerunt, oculati teſtes ſunt atteſtati. vid. Caſp. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 139. p. m. 292.* Vidua qvædam ſenſim ſine prægreſſâ aliqvâ cauſâ externâ cibum minus appetere incipiebat, de nullô præterea conqverens faſtidiô, de nullô tædiô, niſi qvòd nil comedere, nil qvoqve bibere poſſet; tandem indies augebatur ἀνορεξίᾳ per ſeptendecim ſeptimanas perdurans, in qvibus perparum, imò penè nihil biberat, multò minus autem, imò Polonicum groſſum valens, comederat. vid. Joh. Schmid. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 54. p. 139. ſeq.* Item *Obſ. 186. p. 432. ſeq.* Gottofredus Schulzius aliam Obſervationem ſeqventibus verbis communicat: Georgius Grochatzky, Polonus natione, miles, Anno 1677. autumnali tempore fugitivus factus eſt. Poſt paucos dies â perſeqventibus ipſum militibus in cauponâ cereviſiariâ pagi cujusdam, encænia celebrantibus ruſticis immixtus ſaltans ovansqve offenditur & ex improviſô comprehenditur. Qvod tam ſubitum infortunium tantopere animum ejus conſternavit, ut poſt editum primô inſultu in- *Puella Norvvegica.*

gentem clamorem, prorſus obſtupuerit & ſtatim ſine omni tergiverſatione ſe abduci paſſus ſit. Glogoviam delatus Officialibus exhibitus eſt, examiniqve ſubjectus: verùm nullâ ratione ab ipſô impetrare potuerunt, ut vel verbum ſaltem ederet: imô ſtatuæ ad inſtar immotus, non eſt viſus qvicqvam eorum, qvæ dicebantur aut agebantur, intelligere. Carceri dehinc incluſus nec cibum, nec potum aſſumſit, ſomnô aut qvieti nunqvam ſe dedit, nec alvi aut veſicæ excrementa ulla reddidit. Dempti deniqve ipſi ſunt compedes & è carcere extruſus, qvò vellet, liberè abire juſſus eſt, at ille nec pedem ultrò proferre, nec, qvid cum eô agatur, percipere. Atqve ſic ſine cibô, potu, ſomnô, Ventriſqve evacuatione ullâ, dies viginti qvinqve exegit, tandemqve mortuus concidit. Inediam novem dierum in muliere obſervavit Joſephus Lanzonus, qvippe qvæ ſævis paroxyſmis hyſtericis tentata ſpatiô dierum novem ſine ſenſu ac motu & ſine ullô alimentô & ferè mortua videbatur, ſolô Olei ſuccini odore ad ſe tandem rediens. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 51. p. 83.*

§. 27.

Alia Exempla. Plura Inediæ exempla congeſſit etiam Simon Majolus *Dier. canicular. Colloqv. 4. fol. m. 50. ſeq.* Caſp. à Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 58. p. m. 722. ſq. 732. ſeqq.* Claud. Deodat. *Panth. hygiaſt. Lib. 1. cap. 20. p. 237.* Franc. Torreblanc. *de Magia Lib. 2. cap. 21. p. m. 222. ſeq.* Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 12. p. m. 360.* Johann. Schenck. *Obſ. med. Lib 3. fol. m. 321. ſeq.* & Dan. Sennert. *Pract. Lib. 3. Part. 1. Sect. 2. cap. 2. p. m. 76. ſq.* Joh. Jonſton. *Thaumatograph. natur. Claſſ. 10. cap. 2. Art. 2. p. m. 441. & Art. 7. p. 448. ſeq.* Bernh. Swalwe *Qverel. & Opprobr. Ventriculi p. m. 76.* Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medicin. Cent. 19. §. 77. ſeq. p. m. 1572.* Qvercetan. rediviv. *Tom. II. cap. 3. p. m. 9. ſeqq.* Paul. Zacch. *Qvæſt. med. leg. Lib. IV. Tit. 1. Qvæſt. 7. f. 341. ſeqq.*

§. 28.

§. 28.

Talis Inedia diuturna etiam Catalepticis atqve Ecſtaticis familiaris eſſe ſolet, uti non modò ex hactenus recenſitis ſed aliis etiam exemplis patet: ſiqvidem Johannes Coboldus, Medicus Altenburgenſis, *Epiſtol. I.* ad Joſephum Blannerum ſcribit, cujusdam ἀϱ[illegible]οπώλȣ famulum ab herô ſuô duris pugnis percuſſum atqve contuſum in graviſſimum morbum adeoqve in Epilepſiam incidiſſe, qvæ ita miſerè hominem concuſſerit atqve afflixerit, ut ſpectatu horrendum fuerit. Ipſi etiam in duodecimum usqve diem adempta fuit loqvela, qvæ tamen præter omnium ſpem reddebatur. Poſtea epileptici Paroxysmi ampliùs ipſum non infeſtabant; verum ſub paroxysmi tempus, cum ſpectatorum ſtupore, in ἐκςάσιν qvaſi labebatur, in qvâ aliàs per tres aut qvatuor horas, aliàs per pauciores, omni ſenſu & corporis motu captus, oculis clauſis, jacebat. Ex illâ verò ἐκςάσει mox in cantum ſolvebatur, & ſacras qvasdam cantiunculas, cùm tamen planè eſſet ἀναλφάβητος, ſvaviter & jucundâ voce canebat: ſubitò ruptâ cantilenâ, admiranda qvædam loqvebatur de defunctis, qvos in cœleſti regnô æternâ nunc beatitudine frui inqviebat, eosqve nominabat, mox iterum ſuam cantilenam, ubi deſierat, continuabat. Abeunte Paroxysmô ſeu ἐκςάσει, qvaſi de profundô ſomnô expergefactus gemens ad ſe redibat, & interrogantibus, qvomodo in paroxysmo affectus fuerit, reſpondebat, ſe non in eo locô vel lectulô ſuô, qvô nunc eſſet, fuiſſe, ſed in cœlô, apud cæleſtem Patrem, ab angelis eò abductum, illicqve in viridi & amœniſſimô campô ſummâ lætitiâ ſuffuſum ſpectâſſe, qvæ effari non poſſit dictuqve ſint impoſſibilia, poſtea ab iisdem Angelis in hunc ſuum locum reductum fuiſſe. vid. Paul. Lentul. *Hiſtor. admir. de Prodigioſ. Apollon. Schrejeræ Inedia p. m. 90. ſeq. qvi p. 25.* refert: Vatis hujus ecſtatici oracula, poſtqvam in alias ædes translatus eſt, conticuiſſe;

In Catalepticis.

ticuiſſe; atqve dehinc convaleſcere denuòqve cibô & potu, â qvô ab initio ecſtaſeos abſtinuerat, uti incepiſſe.

§. 29.

In femina. Seqventem obſervationem refert Fridericus Hoffmannus *de Affect. Catalept. rariſſ. p. m. 5. ſq.* Perſona ſeqvioris ſexûs vix excedens annum vigeſimum qvartum, conditionis vilioris, aliqvando in templô attentiùs hauriens ſacrum Verbum de verâ contritione ac intimiore Cordis inverſione, de peccatorum abominandâ ac deteſtandâ coràm Deo juſtisſimô indole, ſummô mentis angore afficiebatur, inqve dies & horas meditationibus iſtis anxiis ſacris macerata mœſtiſſimô ſemper incedebat vultu, elapſis qvatuordecim circiter diebus accidit, ipſam auditâ in templô concione omni penitus ſenſu ac motu privari; dum inſtar immobilis ſtatuæ oculis apertis & Cœlo affixis poſt finitum cultum divinum in templô reperitur, omnem excitationem eludens: Poſt horæ fermè ſpatium ſuâ ſponte emiſſis aliqvot ſuſpiriis ad ſe rediit ſenſumqve ac motum recepit. Examinata reſpondebat, ſe nihil ſenſiſſe vel audiviſſe, bene ſe habere, & qvaſi altiſſimô ſomnô ſepultam jucundiſſimas habuiſſe ſpeculationes ac contemplationes ſui Salvatoris. Hunc acceſſum plus centum vicibus intra qvadraginta dierum ſpatium perſona experta eſt, interdum mitiorem & breviorem, interdum longiorem & graviorem, ſemper tamen talem, ut omnis tentata excitatio per fortiſſimos volatiles ſpiritûs oculis ac naribus admotos, per frictiones, punctiones, fruſtranea ac eluſa fuerit. Ipſô in Paroxyſmô pulſus naturali fuit ſimilis, & reſpiratio ſalva ac integra, præter qvod circa declinationem nonnunqvam fortiſſimas thoracis ac abdominis concuſſiones ac elevationes cum palpitante Cordis motu habuerit, qvæ tamen ſimul ac ſenſus & motus rediit, ſtatim exſpirârunt; ægrâ de nullô dolore vel moleſtiâ ampliùs conqverente: Vires etiam poſt paroxyſmum ita ſæpiſſimè conſtabant, ut conſveta ſua munia

munia ſubire potuerit; totum Corpus calore & colore naturali erat perfuſum, excreta omnia bene ſe habebant, nec menſes officii ſui obliviſcebantur, cùm tamen per qvatuordecim fermè dies omni ferè cibô ac potu abſtinuerit. Qvotiescunqve enim exoratâ aliqvid accipiebat, ſumma præcordiorum anxietate cum metu ſuffocationis conjunctâ ipſa infeſtabatur, ſomni erat parciſſimi: Et, qvod maximè erat notatu dignum, paroxyſmi hi ferè ſemper invadebant poſt auditam Pſalmodiam, poſt prolata verba ex divinô Codice, potiſſimum, qvæ ardentiſſimum Chriſti amorem exprimebant. Huic affectui qvæſitum fuit remedium, verùm omnia incaſſum tentata fuerunt, aliàs generoſſima, nec ſangvinis alterationes, detractiones, topica aliaqve excitantia qvicqvam profuere, donec ipſe affectus ſenſim atqve ſenſim mitior factus tandem exſpiraverit. Henricus ab Heer *Obſ. med. 3. p. m. 38. ſq.* Capucinum qvendam, qvem pridie ambulantem viderat, ſtatuæ marmoreæ, qvàm homini, ſimiliorem obſervaſſe ſcribit; Ille enim unô genu terræ innitebatur, alterum ceu flexurus curvabat: Brachiorum ſiniſtrum pendebat ad genu, dextrum in aërem elevatum diductis digitis, viam prætereuntibus, ut olim Mercurii ſtatuæ, oſtentare videbatur; utrumqve omni gelatô marmore frigidius; patebant oculi, ſed irretorti, & qvicqvid ſudoriô illo perſtringerem, inconnivi. Os hiabat cum reſpiratione ſatis liberâ. &c. Hic totô bienniô liberrimus â congelatione tandem ex pravâ Diætâ denuò catochomenos factus eſt, & ſæpe in alterum & tertium durantibus diem Catochiis laboravit, ſimulqve absqve ullô cibô vixit. *In Capucino.*

§. 30.

Pro Catalepticâ habuit Ehrenfridus Hagendorn *Hiſt. medic. phyſic. Cent. I. Obſ. 35. p. m. 62.* puellàm illam, qvæ per ſeptendium in rure pro deperditâ, ſineqve ſenſu & reſpiratione & absqve dubiô etiam ſine cibô inventa fuit, cujus meminit Daniel *In Puella.*

Ludo-

Ludovici *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 68. p. m. 113.* ſcilicet puella qvædam præterpropter octennis, (cui pro more durus pater, qvia injuſta noverca) pugnis priùs probè dedolata mittebatur ad merendam patri bubulco deferendam. Eſuriens panem adoritur, pauloqve poſt ſemeſum videns verbera denuò verita proximum nemuſculum ingreditur & prona concidens inter lacrymas atqve ſuſpiria, facie muſcô undiqve merſâ obdormiſcit. Deſiderata, qvæſita, tandem pro deperditâ eſt habita, usqve ad diem ſeptimum; qvô qvidam ejusdem pagi pueri eò venêre, pedicas aviculis autumnali tum tempore paraturi. Vident ex arbuſtô qvodam dependens ſubrepentis puellæ peplum, noſcuntqve: paulò ulteriùs progreſſi ipſam inveniunt pronam cum panis ad latus fruſtô, mortuamqve rati parentibus nunciant: accurrunt iſti, & in pagi proximam domum deportant. Artûs omnes adhuc molles flexileſqve, reſpiratio verò ad ſenſum nulla, facies glutinoſâ pituitâ, muſcô deciduisqve foliis intermixta totaliter obducta, os nareſqve undiqve mucô craſſisſimô oppleta. Corpus nihilominus frictionibus & fornacis ope poſtliminiô calefieri, velamen illud mucoſisſimum, calida removeri & viſcidum in ore naribusqve coagulum eximi curavit Daniel Ludovici, forte fortuna ibidem præſens: hinc ſpiritûs Vini cochlear, qvia aliud ad manum non erat, infudit, qvi deſcendere videbatur; repetitionem ejus ſuſpirium ſeqvebatur; poſt tertium cochlear aperiebat oculos, per horas tamen aliqvot adhuc inſtar attonitæ jacens, donec recollectis paulò magis viribus, ſupra memorata & qvòd lacrymis ſuperdormierit, ampliùs nil nôrat. Per aliqvot dies Patritius qvidam Lemgovianus, ſeptuagenarius, ratione, memoriâ & ſenſu communi deſtituebatur. vid. Henr. Smetii *Miſcellam. med. Lib. 10. p. m. 527.* Et Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 1. cap. 26. fol. m. 19.* ſcribit: cùm Cydone eſſemus in Cornelia domô, puella, qvæ octavum nondum compleverat, annum, in febri ar-

dentiſſi-

dentiſſimâ ſomno primùm, deinde intentis oculis catocho vel Catalepſi correpta eſt, diebus ſeptem continuis nihil hauriendo, præter jus pulli, in qvô portulaca decocta fuerat: jacuit pallida, muta ſine ſenſu & motu, graviter reſpirans. In eâ ſupremâ filiæ deſperatione, mater ex melle glandem in alvum ſubdidit, qvâ ſine ſordibus duos & qvadraginta vermes in globi modum extulit, & filia ſtatim ad vitam rediit. Secundum Obſervationem Olai Borrichii Cereviſiarii uxor diu ex pulmone laborans in febrim incidit qvotidianæ ſimilem, in qvâ immenſam pituitæ molem ore profudit, qvam priusqvam evomuiſſet totam, per biduum in habitum ſtatuæ Mercurialis diriguit, motu omni, præterqvam oris, privata. Convaluit nihilominus. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. 52. p. m. 85. ſeq.*

§. 31.

Dantur eqvidem adhuc alia Catalepſeos exempla, qvia tamen talis affectûs interdum ad aliqvot tantùm horas duravit, ad Inediam referri non poſſunt. Evolvi interim poterunt Joh. Schenck *Obſ. medic. Lib. 1. fol. m. 66. ſq.* Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirab. Lib. 2. cap. 7. p. m. 181.* Caſp. Theophil. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Caſ. 15. p. m. 181. ſeqq.* Joh. Fernel. *Pathol. Lib. 5. cap. 2. Oper. Tom. 2. p. m. 70.* Franciſc. Hildesheim. *Spicileg. 4. p. m. 422.* Henric. ab Heer *Obſerv. med. 3. p. m. 38. ſq.* Auguſt. Thoner. *Obſ. med. Lib. 2. p. m. 97.* Joh. Mich. Fehr *de Abſinth. p. m. 59.* Id. *de Scorzon. p. 161.* Phil. Hœchſtetter. *Obſerv. Dec. 4. Obſ. 1. p. m. 264. Schol. 278. 343. ſq. 431.* Nicol. Tulp. *Obſ. med. L. 1. cap. 22. p. m. 46.* Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſt. med. phyſ. Cent. 1. Hiſt. 35. p. m. 61.* Theoph. Bonet. Sepulchret. *fol. m. 147. ſeq. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 1. p. 1. ſq. An. 3. Obſ. 177. p. 346. Dec. II. An. 5. App. p. 19. Dec. III. An. 2. Obſ. 135. p. 196. An. 3. Obſ. 88. p. 133. ſq. An. 7. & 8. Obſ. 122. p. 197. ſqq. An. 9. & 10. Obſ. 238. p. 422. Append. p. 165. ſq.* Joh. Caſpar. Weſtphal. *Patholog. Dæmoniac. p. m. 1. ſq.* Canem periodicè catalepticum annotavit Michael Fridericus *Catalepſeos exempla.*

Lochnerus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 69. p. 202.* vid. etiam Joh. Dolæi *Enciclopæd. medic. Lib. 1. cap. 7. p. m. 96.* Amat. Luſitan. *Curat. medicin. Cent. 2. Curat. 14. fol. m. 141.* Rembert. Dodon. *Obſ. medicin. Cap. 4. p. m. 9. ſeqq. it. cap. 5. & 6. p. 13. ſeqq.* Petr. Foreſt. *Obſ. medic. Lib. 10. Obſ. 41. p. m. 367.* Roderic. a Fonſec. *Conſult. medic. Tom. II. Conſult. 92. p. m. 534.* Fel. Plater *Obſerv. Lib. 1. p. m. 26. & 33.* Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Tom. I. Lib. 1. Sect. 13. cap. 2. ſq. f. 102. ſq. it. Sepulchret. Lib. 1. Sect. 4. fol. 146. ſeq.* Anton. Mariæ Venuſt. *Conſil. medicin. Part. 1. Conſ. 16. p. m. 50.* Zacut. Luſitan. *de medic. princip. Hiſtor. Lib. 1. Hiſtor. 41. fol. m. 80. ſeq. Hiſtor. 42. fol. 81.* Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 37. p. m. 22.*

§. 32.

Ecſtaſis. Ecſtaſeos exemplum jam ſuprà adduximus, pluraqve apud Autores leguntur v. g. Seqventem Obſervationem refert Johannes Wolffius *Lection. memorabil. Tom. II. fol. m. 992. ſq.* Recitat, inqviens, Jacobus Ratz in libellô de infernô hujusmodi hiſtoriam: Novi qvendam virum Ingelheimii, is aliqvando per tres continuos dies jacebat exanimus: & qvia adhuc arteriæ ſiniſtræ exiguum habebant calorem & motum imbellicem, qvanqvam corpus totum frigore emortuum erat, in feretrô relinqvebatur, nec humi mandabatur? Die verò tertiô rediit ad ſe, & juſculum ſibi afferri petiit, & abhinc qvotidie majores acqviſivit vires, & incrementa ſanitatis. Poſtmodum incepit narrare horribiles viſiones, qvas omnes ſtupebant auditores & ipſemet horrebat dicta totusqve tremebat, gelidusqve per membra diriguit ſangvis: inter alia autem narrabat etiam, ſe in Infernum introſpexiſſe, & referebat nomina qvorundam Magnatum, qvos magnis agitari cruciatibus perhibebat: addebat etiam; inferni ſolum eſſe ſtratum plattis Monachorum & ſacrificulorum, vice lapidum, adeò multos ex illô grege eſſe in Infernô. Tunc interrogavit eum qvidam Vir nobilis: annon

vidiſti

vidiſti qvodpiam ſolium, deſtinatum & paratum mihi? reſpondit ille, non, Domine nobilis, non habebis ullum in infernô ſedile; ſed podicem tuum cogêris nudum collocare ſuper carbones, niſi reſipueris & vitam emendaveris. Cumqve hæc & alia referret hominibus, Eccleſiaſtici Moguntini eum ad ſe vocabant, & ſeriò injungebant ei altum & perpetuum ſilentium, aliàs enim ſe illi indignis modis os obturaturos eſſe. Nunqvam verò ille deinceps poterat exhilarare, nec indulgere genio ſeu gaudiis mundi volebat, aliqvot tamen adhuc vixit annos. Nobilis puella ardente febre correpta fuit, qvam mœrores antecesſerant: Nihil eorum omiſſum, qvæ ſimili in caſu peragi ſolent; at incaſſum omnia; febris enim ingraveſcebat accedebat delirium, imò animus in furorem â ſeptimâ morbi die abripiebatur, adeò ut brachia & tibias vinculis coercere neceſſe fuerit, ac rem poſtmodum fortunæ vel naturæ committere: Etſi arctè conſtricta, totâ nocte tamen, qvæ ſextam & ſeptimam intercedebat, ſummâ inqvietudine agitata fuit. Vix autem dies illuceſcere cœpit, cùm calor totô corpore illicò deferbuit, motu & ſenſu abolitis adeò, ut aſſidentibus, mortuam eſſe ratis, de funere tantùm cogitatio obverſaretur. Panno ex more conſuta fuit, accerſuntur Sacerdotes, & Libitinæ jam deſtinata erat, cùm emiſsô ex imô pectore ſuſpiriô vitæ ſuperſtitis indicia edidit. Illicô removentur, qvæcunqve reſpirationi liberæ impedimento erant; guttæ aliqvot ſpiritus vini in nares inſtillantur, manûs concutiuntur, igni admovetur, ac tantum his præſidiis efficitur, ut ſpiritûs animales, qvi omnes in cerebrum confluxerant, ad cœteras corporis partes revocarentur, ac vita amiſſa rediret. Reſtituta non gratias agit officiorum in revocandâ vitâ præſtitorum, ſed qverelas fudit, qvod erepta ſibi fuerit incomprehenſa & ineffabilis animi tranqvillitas, voluptas gratiſſima ac felicitas, qvâ mortales frui neqveant, niſi ad ſtatum illum deducti fuerint: Qvicqvid gaudii

 nomine

nomine venit, leviſſimam tantùm Ideam exhibere ejus, qvô gaviſa fuerat. Addidit, â ſe perceptos qvidem auribus parentum lugubres gemitûs, ac qvicqvid illi circa funus & exeqvias meditarentur, menti obverſatum eſſe, neqvicqvam verò illorum vel minimam partem excuſſiſſe tranqvillitatis, qvâ potita fuerat; animum qvippe deliciis illis tam profundè immerſum fuiſſe, ut mundi & mundanarum rerum omninò obliviſceretur, nedum de conſervando corpore cogitatio incideret. v. Nicolai de Blegny *Zodiac. Medico-Gallic. An. 2. Menſ. Januar. Obſ. 1. p. m. 1. ſeq.* Puella filia cujusdam Lanionis, Civis urbis Buxtehudæ, vehementi morbô decumbens incidit in ejusmodi ſymptoma, ut jacuerit, per integrum triduum mortuæ ſimillima, ut nihil qvoqve vitale ampliùs ineſſe videretur; præter qvòd exiguo aliqvô calere adhuc calore videretur. Exactô triduô clamore excitare potuerunt; excitata ad ſe reverſa ſuccenſuit, qvòd non in eodem ſtatu reliqvíſſent, ineffabilia eſſe gaudia, qvæ interea temporis proceſſiſſent, annotante Johanne Ludovico Hannemanno *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 76. p. 180.* Domina de Pile Manſi Aſilii in Vaſconia morbum paſſa eſt, perqve totum ejus curriculum Hiſpanè optime locuta eſt, licet illius lingvæ antea & poſtea ignara fuerit, & præterea Ecſtaſin tantam paſſa eſt, ut pro mortuâ haberetur; cùmqve remediis revocata fuiſſet, adverſus âdſtantes indignata non mediocriter fuit, qvòd â locô mirô & delitioſô revocata ab iis fuiſſet. Dixit autem inter multa, ſe vidiſſe ſenem, qvi dixit ei, fratrem ejus in bellô mortuum eſſe, patremqve in cubiculô remotô pſalmum certum legere, cujus verba retulit; hæcqve omnia vera fuerunt, juxta Petr. Borell. *Hiſtor. & Obſerv. medic. Cent. 2. Obſ. 54. p. 153. ſeq.* Johannes Georgius Volckamerus ancillæ ſuæ, jàm tum in agone conſtitutæ, cum capite in ſiniſtrum latus reclinatô, oculis qvaſi jam vitreis, mox lumen ſuum amiſſuris, & ſpumâ dextris labiis inhærente, cùm ægerrimam propè a-

nimam

nimam traheret, mundatô cùm linteis ore illius, diductis labiis Aqvam Langianam cùm qvinqve guttis auri ſoluti infudit, unde exactô ferè horæ qvadrante, erectô repentè corpore iſta conqveri ſeriò cœpit, ſe ex amœniſſimis campis Elyſiis ad nos fuiſſe retractam *v. M. N. C. l. a. Schol. p. 182.* Ecſtaſi ſimilem morbum Ambroſius Stegmannus communicat *M. N. C. Dec. III. An. I. Obſ. 17. p. 37.* inqviens: Ruſtici cujusdam puer ſeptem annorum laborabat mirabili affectu, qvem Medici qvidam, qvorum conſiliis utebatur, Epilepſiam levem, qvidam convulſionem indolentem, qvidam Lethargum, ſed ego & alii Ecſtaſin dicebamus. Puer enim hic aliàs optimè ſanus, qvoties ad iram commovebatur, ſenſibus ſuis privatus, in eodem ſtatu, qvô erat, manebat & ſomnô qvaſi ſepultus ſtabat vel jacebat; nulla autem alia ſymptomata illi obveniebant, qvæ in recenſitis affectibus aliàs communiter apparere ſolent. Cum igitur in Ecſtaſi hac deprehenderetur & nomine ſuô clarè vocaretur, ex ſomnô profundô qvaſi expergefactus ad ſe redibat & optimè ſanus de nullô dolore qverebatur; ſed edebat, ludebat & alia conſveta efficiebat. Hujus affectûs inſultum interdum per horæ qvadrantem bis vel ter patiebatur. &c. Miræ qvoqve Ecſtaſeos exemplum ſeqventibus verbis ad Sigismundum Schnizerum perſcripſit Andreas Libavius, de puerô qvodam ruſticô circiter tredecim annorum, qvi ſeſe frigore intenſiſſimô abdiderat ſub ſtabulum qvoddam, ubi ad neſcio qvæ loca montis Veneris, in qvo videret omnia perqvam lautè exornata, & homines bibentes qvidem, ſed mox à potu fumum patente ore reddentes. Ei tunc frigus utrumqve pedem ita læſerat, ut alter ferè ad dimidium cruris ſphacelô perierit, alter penè usqve ad talos, licet nonnihil de pediô adhuc ſit ſervatum. Deliberabatur de prominentibus oſſibus præcidendis. Mortuus ſit, an vivat, ignoro. Illud mirum, qvod id ſoleret vel diebus Venereis pati, vel Lunæ phaſibus,

 pleni-

plenilunió & interlunió maximè? Orare juſſus non poterat. Taciturnus, σκύθρωπος, auſteram faciem habebat, crura ſibi combuſta; dum in monte Veneris per prunas inceſſerit, dixit, qvæ erant frigore enecta. Pater ejus homo ſimplex videtur mihi non parum eſſe melancholicus. Perſeverat puer in ſuis latibulis aliqvandò octiduum, aliqvando qvatriduum, plus, minus: Veriſimile eſt, eum aliqvando ſibi reſtitui, cùm deprehenſus ſit poma ſecum tuliſſe. Aliqvando exire hypocauſtô prohibitus concidit poſt fornacem ibiqve jacuit tanqvam ſenſu orbatus. Non poſſe aliter, dixit, qvod cogeretur â qvodam Nigrô. v. Joh. Hornung. *Ciſt. medic. Epiſt. 31. p. m. 81. ſeq.* Evolvatur Francifc. Torreblanc. *de Magia Lib. 2. cap. 20. p. m. 220. ſeq.* & Caſp. à Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 81. p. m. 1066.* ubi voluntariæ Ecſtaſeos exempla & alia adducit.

§. 33.

Exempla adipſorum. Hactenus exempla eorum, qvi a Cibô, & qvidem vel tantum, vel etiam â Cibô & potu ſimul, extraordinariè abſtinuerunt, reſtant adhuc alia illorum, qvi per certum tempus vel etiam per totam vitam parum aut nihil biberunt; tales abſtinentes a Græcis ἄδιψοι, & ipſa abſtinentia ἀδιψία, (ab Alpha privativo & Nomina δίψα ſitis) vocantur. Scilicet mulieres per aliqvot hebdomadas innocuè a poculis abſtinentes ſe obſervaſſe dicit Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 1. cap. 8. p. m. 65.* Virgo qvædam octo dies ſine potu tranſegit, etiam æſtate & ſub caniculæ ardoribus, in viâ longâ nunqvam bibit, ſed ſilices in Ore parvulos tenuit, qvi ei pro potu fuerunt, motu enim eorum illam ſedare conſvevit, juxta Petr. Borell. *Cent. 2. Obſ. 68. p. m. 168.* qvi *Cent. 4. Obſ. 11. p. 287.* bina alia exempla adducit, alterum de Abbate Conchenſi, qvi cùm Podagrâ diu detentus potum ſibi nocuum eſſe percepiſſet, paulatim adeò ab eô abſtinuit, ut ſex annos absqve ullô potu tranſegerit ſicqve curatus fuerit, alterum de Vaiſſerio Toloſanô, qvi etiam

annum

annum integrum ſine ullô potu remanſit. De puellâ vinum, cereviſiam, Hydromel & aqvam omnem faſtidiente, vid. Henr. ab Heer *Obſ. 8. p. m. 92.* Andron Argienſis, ſecundum Ariſtotelem per omnem vitam nunqvam ſitivit aut bibit, uſus interim multis cibis, ſale confectis & exſiccatis. Et juxta Cœlium qvidam Neapoli, ex Tomacellorum genere, totius Vitæ curriculum absqve potu abſolvit. vid. Gothofred. Mœb. *Fundam. medic. Phyſiolog. cap. 5. p. m. 52. ſeq.* & Joſeph. Qvercet. *Dietat. polyhiſt. Sect. 2. cap. 4. p. m. 181.* Obſervavit etiam Ludovicus Mercatus Illuſtrem qvandam fœminam potum averſatam fuiſſe; aliam verò nullô modô potuiſſe potum admittere, qvia protines vomitu & aliis accidentibus excandeſceret, licet potum porrigi expeteret, ita ut ſexaginta diebus ſine potu vixerit. v. Dan. Sennert. *Medic. practic. Lib. 4. Part. 2. Sect. 3. cap. 12. p. m. 277.* Mulier qvædam ætatis triginta qvatuor annorum ſumptô vini hauſtu per qvatuor & ſemiannum, licet natura ad ſitim pellendam inſtiterit mordicus, ne guttam aqvæ, vini, mulſi, cereviſiæ, bibere amplius potuit, ſed & nec fructûs ſucculentos, aut cibos aqvâ coctos, vel qvidpiam ſimile potulentum ſumere valuit; imò ſi extremè ſitibunda vel parum ſimilæ aqvâ, vinô aut juſculô intinctum deguſtare vellet, ne guttulam hujusmodi liqvorum deglutire potuit, qvin potiùs vomitu, tuſſi capitisqve doloribus in tantum divexabatur, ut complurium ſeptimanarum ſpatiô decumbere neceſſe haberet; interim tamen qvotidie viginti vel triginta uncias Urinæ emiſit, nec menſium ſuppreſſione laboravit &c. juxta Obſervationem Jahannis Baptiſtæ de Wenckh *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 30. p. 51. ſeq.* vid. etiam *Act. Erudit. Lipſ. An. 1717. Menſ. Jul. p. 308.* Johannem Carolum Schadium per aliqvot Menſes ab omni omnino potu abſtinuiſſe, refert Georgius Hieronymus Velſchius *Obſ. med. Epiſag. 37. p. m. 23. ſeq.* Juvenis viginti & unum annos natus, fructibus impenſè delectatus,

potum

potum nunqvam eſt expertus; imò ne juſcula qvidem admiſit etiamſi aromatica & ſalſa comederit. v. Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 56. p. m. 82.* ubi plura exempla adduxit. Eqves Romanus, Julius Viator, in pupillaribus annis aqvæ ſubter cutem fuſæ morbo prohibitus humore a Medicis, naturam fecit conſvetudine atqve in ſenectâ omni potu abſtinuit, juxta Plin. *Natur. Hiſtor. Lib. 7. cap. 18. fol. m. 111.* Puer qvidam ἄδιψος, cujus matri gravidæ & cupienti potus qvodam tempore fuerat denegatus, â lactatione triennium ab omni potu abſtinuit, ſolis pomis recentibus ſitim ſedans vid. Joh. Mich. Fehr *Hier. picr. ſeu Tract. de Abſinth. p. m. 99.* Idem Autor etiam *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 2. p. 2: ſeq.* pueri cujusdam pagani ſex annorum meminit, qvi cum patre bubulcô armenta veſperi domum reducturus videt vaccam â grege in proximam ſylvam abeuntem, qvam preſſo pede perſeqvitur, ſed ipſe â viâ aberrans in ſylvâ ad qvartum usqve diem oberrat; intra qvod tempus nec comediſſe, nec bibiſſe fatebatur, ſitiviſſe autem plurimum, eâqve de cauſa in omnibus foveis ac uliginibus aqvam qvæſitâſſe, qvam unicè ac præ cibô afflictim tum expetebat. Hominis, qvi nullô unqvam tempore biberit vinum aut aqvam, ex Jovianô Pontanô meminit Simon Majolus *Dier. canicular. Tom. I. Colloq. 5. fol. m. 50.* ubi addit, qvod cùm aliqvando dictus vir Ladislai Neapolitani Regis hortatu, ſeu mavis mandatô, tantillum bibiſſet, ægrè id tulerit noxiusqve illi potus fuerit, vid. etiam Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 58. p. m. 723.* ubi addit, in Civitate Placentiâ qvendam Fratrem Jeſuitam fuiſſe, qvi nec aqvam, nec vinum unqvam potaverit, & Petrum Lotichium juvenis cujusdam mentionem facere, qvi certâ qvadam & admirandâ antipanthiâ nec vinum, nec ceveviſiam, nedum aqvam inſuper guſtaverat unqvam; qvod inter rara eò magis habendum, qvod patre erat proſeminatus, inſigni aliàs, ut ajebant, & famoſô helluone; ut mirari eò amplius ſubeat, unde rara iſta, & inuſitata potûs abſtinentia hominem invaſerit.

§. 34.

§. 34.

Comitiſſa de Falaix dum juvencula hydrope tumeret,ſvaſu cujusdam Medici (qvippe à cunctis deſperata habebatur) abſtinuit ferè per ſolidum annum â potu, ſolidiore cibô & juſculis contenta, & evaſit ſana v. Joh. Bapt. van Helmont. *Ignot. Hydrops §. 33. fol. m. 319.* Aliud exemplum Hydropis, potûs abſtinentiâ per ſex menſes curati, recenſet Dominicus Panarolus *Pentecoſt. 4. Obſ. 38. p. m. 134.* Cùm ruſticus, inqviens, triginta qvinqve circiter annorum, in Hydropem eumqvè importunum & ferè inſanabilem incidiſſet rogaſſetqve aliqvod remedium, tunc potûs cujuscunqve abſtinentiam indicavi, ſaltem per tres vel qvatuor Menſes, & ſic humorem in Ventre contentum paulatim â Naturâ diſſipaturum. Hilariter reſpondit, ſi hoc juvat, ſanus ſum, qvandoqvidem in meâ eſt poteſtate, promiſitqve etiam tempore transactô, nullô modô ſine licentiâ bibiturum. Elapſô ſemeſtri hujus rei oblitus, video hominem ſanatum, licentiam bibendi, ſi mihi videretur, expoſcentem, qvam dedi: ſed curioſitate motus interrogavi, qvomodo feciſſet tamdiu ſine potu? reſpondit, arduum fuiſſe primis qvindecim diebus, ità ut difficillimè reſiſtere poſſet. Transactis verò dictis diebus & diminutâ aqvâ ſitis non ita torqvebat, & qvò magis indies aqva minuebatur, ſitis deficiebat. Sic Lazarus Riverius *Obſervat. à Simeone Jacoz communicat. Obſ. 21. p. m. 323.* duo exempla refert: Scilicet Mulier triginta annorum Hydrope anaſarcâ laborans, conſiliô alterius mulieris & pharmacopæi ſenioris, abſtinuit ab omni potulentâ materiâ per annum fere integrum, & ſic tandem convaluit absqve aliô remediô. Item ruſticus ipſius vicinus eôdem morbô laborans eodem etiam modô curatus eſt intra qvatuor menſes. Seqventem Obſervationem Abel Roſcius ad Gvilhelmum Fabricium, Hildanum, perſcripſit: Nobilis qvidam Pedemontanus in hydropem illum, qvi Aſcites vocatur, incidit, & propterea Me-

In Hydropicis.

dicum Doctorem ad ſe vocavit. Qvi cum dictum nobilem Aſcite jam confirmatô laborantem cerneret & ab omni remediorum genere abhorrentem, eum hôc ſolô conſiliô curavit atqve perfectè ſanavit. Nimirum ei dixit: ſi vis ſanari, nobiliſſime Domine, & ſi perfectè ab hoc ingenti ventris tumore liber evadere, hoc eſt, ſi vivere velis, neceſſe eſt, ut ſiti, qvâ cruciaris, mori deliberes. Hoc ſi feceris, brevi tempore ſpero te ſanitati reſtitutum iri. Hôc auditô Conſiliô Nobilis ſtatim ſibi ab omni potu temperavit, ita ut per menſem integrum nihil prorſus liqvidi hauſerit, & ſanus evaſit. vid. Gvilhelm. Fabric. Hild. *Obſ. chirurg. Cent. 4. Obſ. 41. p. m. 74.* Item Vir qvidam robuſtus, mediæ ætatis, poſtqvam febre qvartanâ epidemicè contractâ, & ab initiô malè tractatâ ſupra annum laboraſſet, ac interim malâ victûs ratione uſus fuiſſet, in Hydropem Anaſarcam incidit, qvæ deinceps, cùm pro ſiti, qvæ immanis erat, reſtingvendâ potui liberaliter indulgeret, brevi in immenſum accrevit; adeò ut membris omnibus â capite ad calcem, ipſoqve inſuper abdomine intumefactis, ſe in lectô de latere in latus, ſine miniſtrantium ope devolvere neqviret. Hunc primò inviſens & de curatione deſperans Thomas Willis illico Prognoſticon hoc dixit, eum ſcilicet, ni potu abſtineret, brevi interiturum. Ad qvod reſpondens ille, profitebatur, ſe, modò ſalvari poſſit, hebdomadæ ſpatiô non omnino bibiturum. Et qvidem dictum factum, admodum licet ſiticuloſus per ſex aut ſeptem dies vix qvidqvam liqvidi, niſi qvod medicamentum fuit, ore ingerebat, atqve per id tempus, cùm interim hydragoga, cathartica & diuretica, qvin & alia qvælibet præſcripta ſedulò aſſumeret, multô meliùs habuit: & poſtea methodô aliqvamdiu adhibitâ ad ſanitatem integram reſtituebatur, referente Thomâ Williſiô *Pharmac. ration. Part. 2. Sect. 2. cap. 5. p. m. 166.* Scribit etiam Johannes Tackius *Triplic. Phaſ. ſophic. Phaſ. 2. Chryſogon. anim. & mineral. p. m. 129.* ſe hydropico

dropico deſperato conſilium dediſſe aliqvando, ut per aliqvot dies abſtinere vellet â potu, & convaluiſſe. De ruſticô, qvi per annum nihil bibens ab aqvâ intercute liberabatur, Antonius Benivenius *de abdit. morbor. cauſ. cap. 13. p. m. 157.* ſeqventem refert Obſervationem: Ruſtico, qvem aqva inter cutem malè habebat, opem noſtram expoſtulanti, ſanari illum, cùm jam morbus inveterâſſet, minimè poſſe reſpondi. Inſtanti tamen, ut aliqvod ſaltem conſilium ei præberemus, ſubridens inqvam, amice, ſi curari deſideras, opus eſt, non ultra bibas, qvàm ut vitam ſuſtineas. Diſceſſit: & annô peractô iterum interrogat, an ipſum noverim. Nego me hominem noſſe. At ille, tuâ ope curatus, inqvit, ad te revertor, ſcire cupiens, an adhuc mihi liceat aliqvid bibere: cùm hactenus per illum nihil biberim. Admiratus interrogo, qvare & cujus conſilio? Cui ille, inqvit, tuô, & rem omnem ab initiô narrat. Juſſi igitur paulatim vino asſveſcere, ſed merô potius, qvàm lymphato, & eô ipſô auſterô ac tenuiſſimô. Diſceſſit, & curioſâ potione uſus ad priſtinum reverſus ſtatum eſt. Deniqve huc pertinent etiam hydrophobi, qvi per aliqvot dies, qvandoqve etiam per longius temporis ſpatium ab aqvâ & omnibus potulentis ex ſummâ averſione abſtinent, de qvibus videatur Sialologia noſtra.

§. 35.

Qvoad animalia adipſa, in Inſulis Caribum animalia maximam partem, ut porci, parum aut planè nihil bibunt. Eqvi non plus etiam bibunt in Gvanaboa; & in qvibusdam Inſulæ locis vaccæ ſex menſes ſine potu vivunt. Capræ non niſi ſemel per ſeptimanam bibunt, & feles Zibethi non niſi per menſem ſemel. v. Frid. Nitzſchii *Ephemerid. Eruditor. An. 67. p. m. 804.* Aqvilas feces habere liqvidiſſimas, ſed ne gry qvidem bibere, ſcribit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 1. Schol. p. 4.* qvod idem exemplo aqvilæ *Obſ. 15. Sch. p. 65.* confirmat. *Animalia adipſa.*

§. 36.

Plura aſitiæ & adipſiæ exempla.

De variis diuturnæ a cibô & potu abſtinentiæ cauſis, præter Autores hactenus allegatos, evolvi adhuc poſſunt Auguſt. Thoner. *Obſ. med. Lib. 3. p. m. 143. ſeq.* Joh. Helwig. *Obſ. 73. Schol. p. 234.* Johann. Nicol. Pechlin. *de Aër. & Aliment. defect. cap. 12. p. m. 164 ſeq. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 35. p. m. 54. ſeqq. & An. 9. & 10. Obſ. 54. Schol. pag. 141. ſeq.* Joſeph. Qvercet. *l. a. p. 169.* El. Camerar. *Diſſert. phyſico-medic. 2. p. m. 17. ſeq.* Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Caſ. 15. Schol.* §. *7. p. m. 186.* Johann. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 1. fol. m. 67.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. fol. m. 146. ſeq.* Marcell. Donat: *de med. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 12. p. m. 360. ſeqq.* Gregor. Horſt. *Oper. med. Tom. II. Lib. 11. fol. m. 517. 520.*

§. 37.

Inedia ſuſpecta.

Non immeritò tamen, uti jam ſupra monuimus, nonnulla diuturnæ, imprimis prodigioſæ Inediæ, exempla multis Autoribus ſuſpecta eſſe ſolent, cùm præſertim qvorundam, qvi ſub variâ intentione, vel etiam ſub divini cultûs atqve ſanctitatis ſpecie multum lucri æſtimationisqve exinde ſibi conciliare ſtuduerunt, fraudes deniqve deprehenſæ atqve detectæ fuerint, qvale exemplum recenſet Philippus Camerarius *Horar. ſucciſiv. Tom. III. cap. 36. p. m. 127.* de hypocritâ qvodam inſigni, ingenioſâ impoſturâ miraculoſum Moyſis in monte Sinai & Servatoris noſtri in desertô Jejunium qvadraginta dierum affectante, ut ſibi Sancti nomen acqvireret. Cùm enim Rex Alphonſus in Ænariâ Inſulâ eſſet, renunciatum ei eſt: Antonium qvendam Eremitam, poſt mortem nobilitatum Hypocritam, inter ſummos cruciatûs animam exhalâſſe, jactando plurima in Chriſtum & Virginem ejus Matrem convicia & blaſphemias. Hic ille fuit Antonius, qvi qvadraginta dies & noctes perpetuò jejunare ferebatur, & Italiam, Siciliam & Hiſpaniam compleverat nomine Sanctitatis & Abſtinentiæ: pluribus locis cellâ præcluſus & â cuſto-

â cuſtodibus obſervatus nihil edens aut bibens, qvoniam in prævisâ ac prætentatâ cellâ, in qvâ nihil, qvod obſervare liceret, ineſſe videretur, cæterum Angelos ei qvotidie famulari ſolitos opinabantur. At ipſi intus in Cellâ erant Candelæ craſſiores exterius qvidem ceratæ, ſed in qvibusdam fiſtulæ cannarum includebantur farinâ infartæ, qvæ & contritis phaſianorum ac caponum carnibus, Saccharô & aromatibus immixtis condiebantur. Ajunt & Cingulum geſtaſſe fiſtulatum plenum nectare, qvod Hippocraticum vocant. His epulis clanculum veſcebatur Vir habitus ſanctus, & mortalium omnium, qvi unqvam fuerunt aut eſſent, vulgi opinione ſanctiſſimus. Rex audiens, iſtum vermiculis, acerbiſſimô genere mortis, abſumptum, dixiſſe fertur: propterea Deum in hypocritas tantopere ſævire, qvod, dum homines decipiunt, interponunt Deum ipſum, tanqvam ſceleris mediatorem. Hæc Camerarius.

§. 38.

Aliud ejusdem farinæ exemplum ſeqventibus verbis & ſatis prolixè communicat Georgius Hieronymus Velſchius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 35. pag. 54. ſeqq.* de Annâ Lamenittiâ, puellâ Auguſtanâ nubili, octodecim circiter annorum, qvæ ut ſanctitatis ſpeciem ſibi conciliaret, tam mirâ arte Inediam confinxit, ut ſedecim annis integris ſine omni cibô vitam egiſſe apud omnes indubium haberetur. Hæc ſingulis ſeptimanis ad S. Synaxin accedebat, vulgoqve perſvadebat, non eâ ſibi, qvâ reliqvis, magnitudine ſacram Hoſtiam â ſacerdote præberi, ſed longè minorem, qvæ digiti minimi apicem vix æqvaret, ſigillatim in ſui gratiam præparatam, qvia majorem, qvin revomeret, retinere non poſſet. Imaginem præterea crucifixi in ædibus ſuis habebat artificioſè conſtructam, ut multis ſpectantibus ſangvinem ſudaret, qvod ipſa poſtmodum confeſſa eſt. Cùm proceſſione publicâ Templa adiret, crucis figuram in Calanticâ ſangvine depingebat, tanqvam hæ qvodam qvaſi prodigiô *Aliud Exemplum.*

digiô inſciæ impluiſſent, ex qvibus deinde multa vaticinari atqve adſtantes ad pœnitentiam, etiam cum lacrymis, exhortari ſolebat. Tantâ jam undiqve apud omnes Religionis famâ fruebatur, ut Cæſar ipſe Optimus Maximus, Maximilianus I. tum temporis Auguſtæ commoratus, ipſam adire & præclaris muneribus donare ſit dignatus, qvem alii deinde Magnates, ut fieri ſolet, ſeqvebantur. Sed Chunegunda, Soror Cæſaris, Ducis qvondam Bavariæ Conjux, deinde vidua & Monaci ſacrarum Virginum Præſul, ut erat ſupra ſexum magnanima, docta & ſapientiſſima, pietati ſuæ omninò convenire exiſtimans, hac de re certiora explorare, poſtqvam graviſſimis rationibus inducta percrebeſcentibus vulgi rumoribus diffidere cœpit, multis blanditiis ad ſe puellam evocavit, & ut carpentô qvàm molliſſimè transveheretur, tandem obtinuit. Advenientem benevolè excepit & in Cubiculum præparatum manu deduxit, de omnibus ſciſcitata, qvicqvid peteret, gratioſè ſubminiſtrari juſſit: ſed unam ex ſacris Virginibus ſuis, cæteris prudentiorem, tanqvam miniſtram adjunxit, qvæ nunqvam ab illâ recederet; ancillam verò, qvam ipſi adduxerat, ſæpe ſpecioſô prætextu avocavit: Interea per feneſtram occultam, qvid ſola ageret, cum ſuis obſervavit. Mox enim ſuſpicio enata erat, cibum illam capere, qvod duos ſaccos integros placentis variisqve paſtis ovatis, pomis item pirisqve plenos ſecum attuliſſet. Nec enim ancilla his opus habebat, qvæ expreſſô Præſulis mandatô in Cœnobiô pariter, & per iter, propemodum ſuperfluô apparatu lautiſſimè tractabatur. Hos ſaccos ſub lectô recondiderat puella, & nullô, cùm putaret, arbitrô præſente fructibus laganisqve affatim ſe explebat. Qvatuordecim erant Virgines ſacræ, qvæ id ſæpius cum Duce ſuâ viderunt, qvæ ideò productis teſtibus humaniſſimè illam increpuit, impietatem deinde ſeriâ magis oratione exprobrans periculum animæ oſtendit, ſi pergeret mendacii auctorem ſpiritum pertinacibus impoſturis in viſcera ſua

advoca-

advocare. Mox tamen iterum ſilentium promiſit, qvô omnia ſepulta velit, ſi modò, fucum ſe hactenuus hominibus feciſſe, candidè fateretur, atqve deinceps perpetuo deſiſteret. Tum illa, qvid reſponderet, anxia, inter ſacrum & ſaxum deprehenſa, novam ex tempore verſutiam pectore agitavit, & tanqvam gaudiô in lacrymas effuſa ſanctitatis ſuæ opinionem in Corporis adfectum improvidè transferens, credere ſe dixit, non aliam ob cauſam hoc accidiſſe, qvàm qvòd ſacræ Præſulis & Virginum ſuarum precibus ſe qvaſi innovatam & â priori diſpoſitione liberatam ſentiat. Sæpius enim olim â ſe tentatum cibis veſci, qvos tamen ſemper removere ſtatim coacta fuerit. At qvem nunc illa adſumptum vidiſſet, omninò retinuiſſe, qvod præteritis annis ſedecim integris nunqvam evenerit: adſumſiſſe autem, qvia Dux ipſa, ut faceret, illam tantopere rogâſſet. Regeſſit Præſul: placere ſibi, qvòd ingenuè cibum ſumpſiſſe fateretur, qvia nec diffiteri poterat, ſed diſplicere, qvòd tam frivolè & abſonè cætera omnia commenta eſſet. Qvorſum enim, inqvit, in mei gratiam tam occultè id faceres, cùm in ſororum omnium conſpectu, ſi maximè tentandum tibi demum fuerat, edere potuiſſes, & noſtros qvidem cibos, qvorum tibi copiam, qvantam voluiſſes, obtulimus, non tam in fraudis tuæ argumentum clam apportatos, & ſub culcitris aut grabbato reconditos. Tum ſubridens, jam ſatis, ait, convicta es, manuqve arreptam, qvia id tempus jam erat, ad menſam deduxit, & nunc qvoqve in ſui gratiam cœnare juſſit. Qvod dum cohortantibus cæteris, alacriter faceret, ſubinde tamen in facie notas ſibi deprehendere viſa eſt, qvæ mentem illius triſtitiâ & pudore aliqvô, aut certe iracundiâ qvadam perturbatam indicarent. Ne igitur vel mortem ſibi ipſa conſciſceret, vel aliud qvid ſacrô locô indignum perpatraret, liberrimè qvidem, ſed diligentiſſimè in conſortiô ſuarum virginum cuſtodiri voluit, literasqve ad Fratrem ſuum, Cæſarem Romanum, dedit,

qvibus

qvibus rem omnem, ut acta erat, ſignificavit. Mox illis lectis S. Cæſarea Majeſtas Auguſtam reduci juſſit, Præfectisqve & Senatui traditam, cùm omnia, nullô examinis rigore, confeſſa eſſet, nec qvidqvam negare poſſet, exiliô mulctari imperavit, eâ tamen moderatione, ut unius diei itinere â patriâ ſuâ & locis omnibus, qvæ ſua Majeſtas accederet, æternùm abeſſet. Sic illa Campiduum primò profecta monaſterium ingreſſa, mox tamen Vitæ minùs religioſæ crimine ejecta eſt. Ideoqve mutato conſilio Kaufbiræ viro nupſit, Johanni Schnizero. Qvem cùm deinde ἀπραξίας accuſâſſet, contradicente maritô, & alia infanda objiciente, perpetuâ diſcordiâ infauſtum conjugium experta multos adulteros admiſit, aliisqve ſceleribus ſe polluit, ut A. 1518. propterea Capitis damnata, vitæ ſuæ ſtultiſſimè peractæ infeliciſſimum finem fecerit, undis ſuffocata. Imò Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 15. Schol. p. 153. ſq.* ſuſpectis Inediæ exemplis annumerat ſuperiùs allegatas qvasdam perſonas, v.g. Margaretam Spirenſem, Virginem Mœrſenſem, nomine Evam Flegen, illius enim fraudem longô eqvidem tempore detegi neqviviſſe, donec tandem ingenioſè pallæ fimbriæ incluſa apparuerint liba; hanc verò Evam, qvæ triginta annos continuos tot deceperat homines, tandem in carcerem fuiſſe detruſam, ibidem refert. Dictus Autor etiam locô allegatô *p. 157.* ſeqvens exemplum commemorat: Olim filia qvædam Veneta ſub magnæ ſanctimoniæ ſpecie (habeba enim duos ſemper ad manus libros) diu Cellæ manebat incluſa absqve alimentis; ſed iſtorum librorum alter qvidem erat vetus ſacer codex, alter autem eundem planè in modum externè conformatus internè verò concavus erat, qvâ in Cavitate Mazæ panis (noſtratibus ſeu Belgice Maſſæ-peyn) continebatur qvantitas eâqve corpus nutriebat. Erat autem Maza panis tempore Hippocratis & Galeni nutritia pulticula, ſive maſſa, componebaturqve ex farina hordei toſtâ oleoqve & melle; hodie verò

eodem

eodem nomine delicatiùs ex amygdalis ſaccharoqve componitur. Plura ejusmodi exempla recenſet Johannes Wierus *Tract. de Jejuniis commentitiis Oper. p. m. 748. ſqq. 763. ſq.*

§. 39.

Ejusmodi fraudibus absqve dubiô inſervire poſſet Planta, de qvâ Petrus Andreas Matthiolus *Epiſtol. nuncupator. ad Dioſcoridem.* ſcribit: Scythas ſcythicam herbam circa Bœotiam naſcentem adinveniſſe, guſtatu qvidem perdulcem, & cujus magna commendatio, qvod in ore eam habentes famem ſitimqve non ſentiant. Idem præſtare dicitur apud eosdem Hippice dicta, qvod eqvis qvoqve eundem effectum præbeat: traduntqve, his herbis Scythas etiam in duodenos dies durare in fame & ſiti. Item Indos herbæ Coca ore geſtatæ beneficiô famem repellerere narrant. vid. Martin Delrio *Disqviſit. magic. Lib. 2. Qv. 21. p. m. 219.* item Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. 2. Obſ. 15. Schol. p. m. 164. ſeq.* *Inedia à planta.*

§. 40.

Attamen diuturnam Inediam non ſemper eſſe fucatam, bina me docuerunt exempla. Anno ſcilicet 1694. homo qvidam triginta aliqvot annorum, nomine Johannes Schlegel, qvi in ſuburbiô noſtrô jamjam per aliqvot dies inſtar muti & ſenſibus privati utplurimum eodem in locô qvaſi meditabundus fuerat repertus, die 20. Julii in Noſocomium ductus curæ meæ committebatur. Cùm itaqve ipſum inviſerem, eundem in hypocauſtô ſtantem plicatis manibus atqve pileum ſub brachiô ſiniſtrô tenentem reperiebam. Nullum is verbum loqvebatur, neqve etiam ad ciborum vel potulentorum aſſumptionem nec perſvaſionibus, nec minis adigi poterat. Hinc Inſtrumentô, qvod Chirurgi vulgò Spatulam vocant, os ipſi aperiri panisqve buccam intrudi curabam; qvod tamen ipſe non modò pro viribus impedire nitebatur; ſed panem qvoqve intruſum deglutire nolebat, eumqve ex ore extractum in locum, qvô antea *Inedia Schlegelii.* *Obſervatio.*

jacuerat, modeſtè ſatis & cum oculorum elevatione, iterum ponebat; Neqve etiam potulentorum guttulam aſſumere volebat, ſed clauſo firmiter ore eadem reſpuebat. Extrema ipſius, manûs ſcilicet atqve pedes, glaciem frigiditate ſuperabant, nullum tamen in ipſô membrum erat rigidum, ſed omnia flexibilia; totô interim corpore perpetuò tremebat. Pulſus in nullâ corporis parte, niſi circa tempora, ſentiebatur vel explorari poterat, ſemperqve dictus Schlegelius fixis occulis terram intuebatur, niſi qvando qvis ipſum alloqvebatur; tunc enim qvaſi indignabundus in ipſum oculos vertebat, & qvicqvid agebatur, accuratè obſervabat; ſiqve inter ſermones Nominis Jeſu mentio fiebat, capite nutabat, nullum tamen verbum proferens, nec ſonum edens. Præterea nec ridebat nec plorabat, ſive neqve lætitiæ neqve triſtitiæ ſignum præ ſe ferebat, atqve in tali ſtatu per qvinqve dies noctesqve de locô pedem non movebat, niſi qvòd ſemel tantùm, die ſcilicet qvartâ, exonerandæ veſicæ cauſâ, foras exiret, ſtatim tamen ad eundem locum rediret, ſicqve in eâdem figurâ unum adhuc diem permaneret. Si qvando ipſius caput, manûs, pedes vel aliam corporis partem attingere tentabam, repugnabat eqvidem, minimè tamen timidus videbatur. Demum juſſu meô & qvaſi coactus lecto ſe committebat, magis tamen ſedendô, brachioqve innitendo qvàm jacendô dies noctesqve inſomnes ducebat. Poſtqvam autem per aliqvod temporis ſpatium in lectô permanſerat, extremorum frigus ceſſabat pulſusqve, licet tardiſſimus, redibat, ita ut partim in extremitatibus ſeu carpô, partim ſub mammâ ſiniſtrâ ſentiretur. Die 27. Auguſti dicto Viro, in lectô jacenti, aliqvot Ciborum buccæ vi atqve detentis bracchiis in os immittebantur, qvas deglutiebat, poſteròqve tempore interdum, & qvidem utplurimùm noctu, de cibô, ipſi ordinariè appoſitô, paululum comedebat, denuoqve aliqvot dies iterum jejunabat; donec tandem, poſtqvam die 21. Septembris magnam ſatis eſculentorum ac potulentorum qvantitatem ſpon-

te

te aſſumſerat, ſeqventi die manè in lectô mortuus reperiretur.

§. 41.

Alterum infucatæ inediæ exemplum Anno 1699. præbebat Virgo Siebenlehnenſis, triginta circiter annorum, nomine Maria Streicherin, ad qvam ultra duos jamjam dies dormientem viſendam, nomine Senatûs â Prætore tunc temporis Dresdenſi, Dn. Schæfferô, ratione Phyſicatûs die 4. Aprilis reqvirebar, qvia ſcilicet dicta perſona, ſe tertiâ die, eâdem, qvâ obdormiverat, horâ, evigilaturam eſſe, ante ſomnum prædixerat. Qvapropter dimidiâ poſt primam horâ eandem viſitabam atqve in lectô non æqvè ſedentem, qvàm potiùs declivem, & capite culcitris ferè incubantem offendebam; qvæ tamen culcitræ absqve ulteriore pectoris & capitis declinatione ſubtrahi poterant. Jacebat autem dicta Maria inſtar dormientis, qvandoqve tamen ſubridens qvaſiqve ſomnians nutabat placidèqve & absqve anheloſitate reſpirabat. Facies ipſius naturaliter erat calida, gratâqve rubedine tincta; manûs decuſſatim extra lectum ſibi ſuperimpoſitæ eqvidem erant frigidæ, minimè tamen rigidæ, in qvibus pulſus æqvalis & naturalis reperiebatur. Facies, brachia, manûs & digiti absqve ullâ ſenſationis notâ tangi, comprimi atqve elevari, caputqve in omnes partes absqve renitentiâ flecti poterant. Inſtante ferè horâ ſecundâ liberiùs ſemel reſpirabat, manumqve dextram ſiniſtræ ſuperjacentem elevabat, non tamen, niſi auditâ horâ ſecundâ, uti prædixerat, verè evigilabat; eodem momentô freqventiùs reſpirare, manuqve dextrâ lectum aliqvoties ſubridens pulſare incipiebat. Deinde, inſtar perſonæ maximè devotæ, manibus complicatis atqve in altum elevatis, clauſis tamen adhuc oculis, voceqve perceptibili ita loqvi incipiebat: O chariſſime Jeſu! ô dulciſſime Jeſu! ubi es? visne ſpiritum meum iterum in tenebras detrudere? visne ſpiritum meum in corpus ter-

Mariæ Streicheriæ.

terreſtre remittere? nunqvam te relinqvam! ah veni, veni in Cor meum cum divinâ tuâ benedictione, &c. Atqve ejusmodi ſuſpiriis ferè per horæ qvadrantem continuatis, apprehenſô linteô oculos extergebat, iisqve apertis cœlum aſpiciendô linguâqve, ac ſi gratiſſimum qvid guſtâſſet, ſæpius lambendô, preces continuabat variosqve de cruce, Dei qvegratiâ, ardentibus precibus in occultô efflagitandâ, ſermones non inutiles proferebat.

§. 42.

Dormit iterum tres dies.

Die 20. Aprilis dicta Maria Streicheria Dominum Prætorem ante nominatum, item Confeſſionarium ſuum M. Johannem Chriſtianum Schwarzium, Diaconum tunc temporis ad D. Annæ, & me, ante meridiem horâ decimâ convocabat nobisqve referebat: Deum ſibi denuò manifeſtâſſe, qvòd iterum tres integros dies ſit dormitura; mihi autem in ſpecie omnem libertatem qvocunqve modô ipſam excitandi, (de qvâ antea cum ipſâ locutus fueram,) libenter concedebat. Qvid fit? horâ ſecundâ ejusdem diei adhuc ſonante, ipſius verba adimplebantur; ſiqvidem cum aliis perſonis adhuc loqvens placidè obdormiebat, atqve in eodem, qvô ante aliqvot ſeptimanas, ſitu eodemqve modô per tres dies & noctes, usqve ad vigeſimum tertium dicti menſis diem, qvietè permanebat; intra qvod temporis ſpatium nullô modô, neqve acclamationibus, neqve agitationibus ſeu motionibus, vellicationibus, puncturis, inuſtionibus, medicamentis nec ſvaveolentibus, nec fœtidis, ſpiritibus item ſummè volatilibus, ipſius naribus admotis, ad oculorum aperturam atqve evigilationem excitari poterat. Tempore enim qvodam vitrum duabus Unciis Salis ſummè volatilis, ex volucrium rapacium Ungulis (qvæ qvotannis hic loci â Venatoribus in magnâ qvantitate collectæ concremari ſolent) recens â me parati atqve penetrantiſſimi repletum, per horæ ferè qvadrantem ipſius naribus applicabam, â qvô tamen fortiſſimô odore ne minimum qvidem Capitis motum vel oculo-

rum

rum nictitationum, vel pulſum celeriorem, bene tamen lacrymas, ex ipſius oculis, qvanqvam ſine ullô ſenſationis ſignô, largiter effluentes, obſervare mihi licebat; Ipſa autem Maria, durante hôc tempore ſemper liberè & lente reſpirabat. Aliô tempore Pharmacopæus qvidam duas libras Spiritus Salis ammoniaci cum Calce vivâ parati, ipſius naribus per longum temporis ſpatium, eodem effectu, adhibuit. Ipſô autem prædictæ horæ momentô, in præſentiâ multarum varii ordinis & utriusqve ſexûs perſonarum, item dicti Domini Prætoris atqve Paſtoris ad D. Annæ, Magiſtri Benjamini Martini, poſt crebriorem reſpirationem evigilans de infinitis deliciis, qvibus ipſius ſpiritus cum aliis beatorum ſpiritibus in Deô, (qvem ipſa in Lumine clariſſimô vidiſſe referebat) frui dignata fuiſſet, qvàm multa prædicabat. Aſt Dominus Paſtor, dictæ Eccleſiæ, M. Martini ipſius devotionem interrumpens, ſtatim ipſam alloqvebatur, qværens, qvid novi ex alterô mundô apportaret? & annon ipſius vocem in ſomnô audiviſſet, atqve ad ipſius poſtulatum aliqvod ſignum dediſſet? Ad qvod ipſa, ſe neqve ipſius vocem in ſomnô percepiſſe, neqve ipſum vidiſſe, attamen juſſu divinô, elevatione digiti indicis dextræ manûs, ſignum exhibuiſſe, pro qvo tamen ſcopô neſcire ſe reſpondebat. Tunc dictus Dominus Paſtor publicè coram tot præſentibus, de hac, ſibi aliàs ſuſpectâ, perſonâ teſtabatur, ſe dormientem Mariam die antecedente inviſiſſe ipſiqve in Nomine Jeſu Chriſti ter acclamâſſe, ut, ſi hæc res ex Deô eſſet, ipſiusqve honorem promoveret, pro ipſius, Paſtoris, aliorumqve hominum opinione confirmandâ, ſignum qvoddam ederet, qvô factum, ut dicta Maria poſt tertiam repetitam acclamationem (Maria! Maria! Maria! ich ſage euch im Nahmen JEſu Chriſti &c.) primùm dextræ manûs digitum ſeu Indicem in altum elevârit, idqve, tempore ſui abitûs, poſt denuò repetitam ternam acclamationem, adhuc ſemel fecerit.

§. 43.

Loqvitur de animâ & ſpiritu.

Cum die 23. Aprilis eandem Virginem inviſerem, iterum in præſentiâ ſui Confeſſionarii varia de ineffabili gaudio, qvòd ipſius ſpiritus cum aliis jamdudum defunctorum ſpiritibus percepiſſet, proferebat, qvâ occaſione â Confeſſionariô interrogabatur vel potiùs corrigebatur, cur ſemper diceret, ſuum ſpiritum apud Deum fuiſſe, nunqvam autem animæ mentionem faceret, cùm tamen animæ potiùs ſit adſcribendum, vel anima & ſpiritus ſint unum idemqve? Ad qvod ipſa promptiſſimè reſpondebat, qvòd, ſi ipſius anima apud Denm fuiſſet, tunc Corpus interea neceſſariò qvaſi mortuum jacuiſſet; impoſſibile enim eſſe, qvod ſuum corpus absqve animâ vitam & reſpirationem habuerit, hinc animam ſuam in corpore vivo, ſpiritum verò apud Deum fuiſſe, ſe firmiter credere addebat.

§. 44.

Dormit octo dies.

Tandem Menſe Auguſtô Virgo noſtra eâdem horâ ſecundâ certi diei, juxta prædictionem, in ſomnum, ſic dictum, prolapſa per integros octo dies & noctes eôdem modô & ſitu, qvô antea, in lectô ſcilicet qvaſi ſedens, liberè reſpirans atqve ne dipitum qvidem nec caput movens, qvietè permanebat. Cùm autem diuturna hæc Aſitia & Adipſia ſeu â cibo & potu omnimoda abſtinentia cuilibet ſuſpecta eſſet, juſſu Summi Magiſtratûs excubiæ militares circa Streicheriam exponebantur, ita ut ne ulli qvidem perſonæ aditus ad eam concederetur; ſiqvidem per totum hoc temporis ſpatium duo milites armati, & qvidem alter in ipſius Camerâ ad lectum, alter verò ante portam, ſerâ, inſuper cerâ obſignatâ, occluſam, per vices permanebant. Anteqvam etiam dicta Maria hac vice horâ ordinariâ obdormiret, omnes anguli non ſolùm Cameræ, ſed ipſius etiam lecti, ſtraminis & ſtragulorum accuratè viſitabantur, annon aliqvid alimenti vel potulenti abſconditi reperiatur, ſed fruſtra; ſiqvidem per totum hoc temporis ſpatium in dictâ

per-

perſonâ, non modò nullus motus partis alicujus, præter reſpirationem, ſed etiam nulla naturalis excretio, neqve per os, neqve per alvum & veſicam obſervabatur. Imò non ſolùm durante hoc ſomni ſic dicti tempore, ſed inſuper etiam poſtmodum per aliqvot qvandoqve ſeptimanas ne buccam qvidem panis ori immittebat, ut adeò non immerito pro exemplô diuturnæ inediæ adduci poſſit.

§. 45.

An Ecſtaſtica fuerit.

Utrum verò recenſitus Caſus ad affectûs ſoporoſos, ſecundum nonnullos, tunc temporis ita ſentientes, Medicos, an verò, juxta alios, ad veram Catalepſin, vel potius ad Ecſtaſin, referendus ſit, ex meâ tunc temporis exhibitâ Relatione & Judiciô, hoc locô repetere nolo, binis tantum modò verbis referens, dictam perſonam neqve antea neqve poſtmodum ad ſomnum fuiſſe proclivem, multosqve dies & noctes inſomnes tranſegiſſe; Præterea ipſa horam prædixit ſomni ſic dicti & evigilationis, qvod non obſervatur in ſubjectis ſoporoſis, qvæ etiam Medicamentis volatilibus aliisqve modis aliqvaliter excitari poſſunt; qvæ tamen in noſtrô ſubjectô absqve effectu applicabantur. Deinde licet etiam qvoad Catalepſin in noſtrâ Streicheriâ omnis ſenſûs ac motûs voluntarii privationem concedam, minimè tamen in eâ aderat rigiditas, ut inſtar ſtatuæ congelatæ permanſiſſet, ſed omnes Corporis partes & ipſum caput pro lubitu moveri poterant, neqve etiam oculi erant aperti, uti in Catalepticis; qvam tamen rigiditatem ſeu immobilitatem, & Oculorum aperturam alii Autores in Catalepſi reqvirunt, vid. Steph. Blancard. *Lex. Med. p. m. 111.* Joh. Dolæi *Encyclop. med. Lib. 1. cap. 8. p. m. 96.* Laurent. Strauſſ. *Palæſtr. med. Part. 1. Gymn. 6. p. m. 105.* & Joh. Juncker. *Conſpect. Medic. theor. pract. Tab. 95. p. m. 609.* Hinc meâ qvidem ſententiâ talis caſus ad Ecſtaſin, qvæ aliô nomine ἀναγωγὴ vocatur, atqve in abſtractione mentis â corpore ad contemplanda cæleſtia conſiſtit,

ſiſtit, referri poterit. Qvodſi enim poſſibile eſt, ut nimia animi intentio, vel fixa ejus ac profunda meditatio & cogitatio, varios morbos e. g. melancholiam, delirium, vel ipſam Catalepſin &c. uti ex Autoribus probari poſſet, interdum excitet, cur non etiam in animô ſacris intentô, ſummèqve devotô ac meditabundô, inqve ipſô Dei amore qvaſi colliqveſcente, oriri poterit, ut homo ea, qvæ extrinſecùs obtingunt & ſenſus feriunt, v. g. hîc loci, fortes acclamationes, puncturas, ſpiritûs & ſalia volatilia, naribus admota, vel ſegniùs vel planè non percipiat? uti in Martyribus ſæpius fuit obſervatum, qvi etiam tormentorum dolores non ſenſiſſe videbantur, guſtu æternæ dulcedinis abrepti, & mente ipſorum circa cæleſtium contemplationem defixâ. Noſtram autem Mariam Streicheriam ſæpiſſime preces ſuas ſummâ cum devotione peregiſſe, præter ipſius Confeſſionarium aliæ qvoqve perſonæ teſtabantur. Sed hanc Materiam Theoſophis relinqvimus.

§. 46.

Aſitia, aſtutia curata.

Exemplum Aſitiæ ſeu Inediæ diuturnæ aſtutiâ curatæ refert Johannes Heurnius *Prax. medicin. Lib. 3. cap. 28. p. m. 356.* Qvidam, inqviens, Animam ſe affirmabat, ideoqve omnem cibum reformidabat, qvòd animas edere negabat. Tandem â fideli Medicô paratâ menſâ, mediâ-nocte, â nudis farinâqve oblitis hominibus, cubili illatâ, ſummô ſilentiô accubuere. Rogat ille, qvid agerent? obmurmurans qvidam reſpondet, eſitare. Mox ille, qvæ gens? animæ; at animæ edones non ſunt? reſpondet alter, noſtrô & non humanô more edimus. Hic exiliens lectô, & ego anima, inqvit, fruar unà veſtris epulis: aſſedit, comedit & a morbô evaſit.

§. 47.

Diu dormientes.

Multa adhuc diuturnæ & ab omni cibô abſtinentiæ exempla, qvò etiam longô tempore dormientes jungi poſſent, referenda reſtarent, de qvibus tamen ſupra allegati Autores evolvantur,

vantur. Epimenidis Cretenſis, qvi qvadraginta ſeptem, vel juxta alios ſexaginta ſeptem annos qvieviſſe ſcribitur, item ſeptem dormientium, qvi integrum ſeculum dormiviſſe dicuntur, mentio fit apud Franciſc. Torreblanc. *de Magia. Lib. 2. cap. 21. ſeq. p. m. 222. ſqq.* Caſp. à Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 58. p. 730.* Rariora qvædam ſomni diuturni atqve monſtroſi exempla allegat & recitat Georgius Francus de Frankenau *Satyr. med. 18. p. m. 367. ſeqq.*

§. 48.

An Brutæ ſine alimentis vivant? Chamæleon.

Non autem ſolus homo, ſed alia qvoqve animalia bruta per tempus ſine alimentis vivere ſcribuntur, v. g. Chamæleon & Struthio, vid. Claud. Deodat. *Panth. hygiaſtic. Lib. 1. cap. 20. p. m. 236.* Georg. Horn. *Hiſtor. natural. Lib. 2. cap. 19. p. 140. ſeq.* item Cochleæ, Angves, Serpentes, Viperæ, Ranæ, Muſcæ, Apes, Cicadæ, Hirudines, Glires, Mures montani, Teſtudines terreſtres, Bombyces, v. Paul. Lentul. *Hiſt. admir. de prodigioſ. Apollon. Schreier. Ined. p. m. 176. ſq. 179. ſq. &* Caſp. a Reyes *Camp. Elyſ. Qvæſt. 58. §. 9. p. m. 726. ſeq.* qvi etiam *§. 10. p. 727.* Avium ſine cibô diu viventium exempla adducit. Viperas ſolô aëris qvaſi nutrimentô diu vivere, non tamen creſcere, concedit etiam Georgius Wolffgangus Wedelius *Phyſiolog. Sect. 3. cap. 3. p. m. 98. 99. & Patholog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 2. p. m. 464.* In aëre, inqviens, occultum vitæ cibum eſſe ex Coſmopolitâ probat Digbæus, exemplô viperarum parvarum, modò excluſarum, in cucurbitâ aſſervatarum, tectâ papyrô perforatâ, unde creverunt ſex, octo & decem menſibus, nullo aliô qvàm aëris cibô. Experimentum ipſi fecimus aliqvando cum viperulis talibus, qvæ ad tres vel qvatuor menſes vivebant. Sed recens excluſa iſta animalcula ichore alimentoſo adhuc pollent, præſertim ſi ex vivâ matre, ut fit, eximantur. Viperas verò, ſi nutrimentô deſtituantur, creſcere â ſolô aëre, abſurdum eſt, & experimentis contrarium. Diu vivunt Viperæ, vitrô aſſervatæ, qvod ſæpius

obſervavimus, ſed non creſcunt, non augeſcunt, verùm emaciantur & moriuntur tandem. Accedit, qvod ingeſta alimenta ab ipſis ſæpe pro aliqvot hebdomadibus ſufficiant, non enim ſtatus & voluntarius ipſis cibus eſt, ut homini, unde non rarò duos tresve mures in Ventriculô eorum deprehendimus. &c. Cauſam, cur viperæ & alia ejusmodi animalia vitam per tempus ſine nutrimentô agere poſſint, alii Autores viſcoſitati ſeu glutinoſitati adſcribunt, hinc Elias Camerarius *Diſſert. epiſtol. 2. p. 17.* ita ſcribit: vi gelatinæ & lentoris naturalis humorum viperæ parum per transſpirationem perdunt, vitamqve etiam ſine nutrimentô per aliqvot protrahere menſes valent, qvod propriô mihi qvatuor abhinc & qvod excedit luſtris, conſtitit æqvè ac alienis experimentis; obſervavit idem magnâ in ſtudiô experimentali laude clarus Franciſcus Redi in aliis inſectis, Lacertâ Americanâ, Scorpionibus, &c. cùm alia animalia ſuccô haud adeò glutinoſô prædita citiùs longè moriantur, ac obſervante qvidem Franciſcô Redi, aves duodecim, tredecim ac vix plures, ſine alimentô, dies ſupervivunt, cùm nimium per exhalationem deperdant; Aqvilæ ad viginti dies jejunium ſuſtinuêre; canes ad viginti qvatuor, imò triginta dies perdurant. Felis Zibethica decem dies, Zacella viginti, Taxus menſem integrum, teſtudines terreſtres octodecim menſes, viperæ decem, ac Lacerta Africana octo menſes ſupervixêre. Idem naturale gluten aërem ſibi intertextum ita ſolet irretire ac moderari, ut defectum externi aëris tam diu ferant viperæ, ac ſuſtineant vacuum Antliæ pnevmaticæ; cùm enim minutiſſima etiam animalcula in vacuô illô moriantur, viperam tamen enecare nunqvam potui, idem notante Boyleo. Hæc Camerarius. vid. etiam Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. 1. Art. 4. p. 16.*

§. 49.

Pingvia appetitum retardant. Porrò pingvia non tantùm appetitum retardare, ſed etiam obeſa corpora famem diutius tolerare poſſe, qvàm macilenta, exemplo

exemplô Canis probat Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Centur. poſter. Obſ. 15. Schol. p. m. 162.* Qvidam ſcilicet verbi divini miniſter, Teckmannus nomine, aliqvando villam ſuam adiit ibidemqve canem valde obeſum & robuſtum cubiculo qvodam neſcius incluſit: ubi ille permanebat ad trigeſimum primum diem, revertente tunc demum Herô. Apertâ ergô januâ, blandiente caudâ Hero obviam ivit debilis admodum & macilentus, ſiqvidem per tantum temporis nihil omninò (niſi forſan murem unum alterumqve captum) comederat biberatqve. Dictus Autor etiam locô allegatô ex Franciſco Mendoza aliud & rarius exemplum de Gallina refert, qvippe qvæ alicubi incluſa per octoginta dies continuos absqve cibô & potu vixiſſe reperta ſit. De Gallô Indicô totos ſeptendecim dies, & de aliô tali Gallô totas tres ſeptimanas ſine alimentô viventibus *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 150. p. 586.* *Inedia Canis.* *Gallinæ.*

§. 50.

Qvantum autem Chamæleontem attinet, ejus nutrimentum muſcas lingvâ ex aëre captas nonnulli credunt; hinc ſcribit Marcellus Malpighius, Chamæleontis lingvam præditam eſſe & adſtrictam longô tubô, qvi illi emittendæ inſervit ad muſcas capiendas, qvibus nutritur & non purô aëre: cùm Obſervatores plurimas muſcas in ejus Stomachô & Inteſtinis invenerint obſervarintqve; Chamæleontem Ægyptiacum, qvem diſſecuit dictus Malpighius, nonnullos lapides piſi craſſitiei, qvos non deglutierit, ſed in ſuis Inteſtinis generârit, evacuiſſe; in unô qvorum diſtillatô acetô diſſolutô Muſcæ caput incluſum invenerunt. v. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglican. 1669. Menſ. Jul. p. m. 832.* Imò Chamæleontem caſeô, herbis & aliis veſci, ſcribit Georgius Hornius *Hiſtor. natur. Lib. 2. cap. 13. p. m. 114. ſq.* Plura de Chamæleonte vid. Melch. Sebiz *de Aliment. Facult. Lib. V. p. 1259. 1261.* Jul. Cæſ. Scalig. *de Subtilit. Exercit. 229. p. 683. ſq.* *Chamæleon.*

§. 51.

Ai. Reperitur adhuc aliud animal in Braſiliâ, nomine Ai, ſive ignavus, Pigrities, Luſitanis Prigniza dictum, qvia animal eſt ignaviſſimum & ad inceſſum planè ineptum, qvod aliqvibus aëre victitare creditur, pariter uti Chamæleon. Huic tamen ſententiæ contradicit Georgius Marggravius *Hiſtor. Rer. natural. Braſil. Lib. 6. cap. 1. fol. m. 221. ſeq.* ubi non modò hoc animal in arboribus lentiſſimè rependo progredi, ibi habitare, foliis arborum veſci & nunqvam bibere ſcribit, ſed etiam in femellæ, qvam vivam, & fœtum omnibus modis perfectum in ſe habentem, ſecuit, Ventriculô planè viridem materiam foliorum arboris comeſtorum inveniſſe addit. Crocodilum terreſtrem aqvæ adeò eſſe impatientem, ut ſiqvis in os injiciat, ſtatim moriatur, juxta Franciſc. Calceolar. *Muſæum Sect. 6. fol. m. 655.*

§. 52.

Alia animalia. Deinde dantur adhuc alia animalia, qvæ per totam hyemem in antris absqve alimentis vitam tranſigere ſcribuntur, v. g. Glires, Taxi, Marmotæ, Crocodili, urſi, mures montani, teſtudines, ſerpentes, hirundines, turtures, ranæ, cicadæ, muſcæ, culices, pluraqve alia. Scilicet lacertæ, cochleæ domiportæ adverſus hyberni frigoris injuriam albô qvodam operculô durô, gypſiqve ſpeciem referente ac teſtæ obtenſô munitæ, bombyces mediâ æſtate ad minimum per qvatuordecim dies non tantùm absqve alimentis viventes, ſed inſuper magnam ſubſtantiæ portionem filis ſericis nendis impendentes, de qvibus paulò antè egimus & prolixius videri poteſt Corn. Stalpart. van der Wiel *Obſervat. Cent. poſt. Obſ. 15. Shol. p. 167. ſqq.* Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 1. p. 152. ſeq.* Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 58. n. 9. 10. ſqq. p. 726. ſqq. Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Obſ. 34. p. 81.*

§. 53. In-

§. 53.

Inediâ vel potiùs fame ſæpiſſime, imprimis tempore annonæ caritatis, plurimos perire homines, variæ tam veterum, qvàm recentiorum teſtantur hiſtoriæ, hoc locô non adducendæ; qvandoqve etiam nonnulli ex inimicorum vindictâ vel etiam pœnâ mortem ſufferre condemnantur, qvale exemplum de Jujurthâ, qvi poſt ſeptiduanam Inediam Carceri incluſus fame periit, vid. Joh. Ludov. Gottfrid. *Chron. Part. 3. fol. 237.* qvô mortis genere â Tiberiô qvoqve puniebatur Agrippina & Druſus, qvi famem ad nonum usqve diem pertulit, juxt. *l. a. Part. 4. fol. 313.* Apud Romanos olim mulieres abſtemiæ eſſe debebant, unde, ſi vinum bibere contigiſſet, â Judice non minùs mulctabantur, qvàm ſi grande probrum aut adulterium patrâſſent, hinc Fabius Prætor in Annalibus ſuis commemorat, matronam, qvod loculos, in qvibus erant claves vinariæ cellæ reſignaviſſet, â ſuis Inediâ mori coactam. vid. Jaſon. â Pratis *de Uter. Lib. 2. cap. 3. p. 200. ſeq.* *Fame mortui.*

§. 54.

Alii econtra vel tædiô Vitæ, vel metu inſtantis infortunii vel ſupplicii, vel aliis cauſis ſpontaneâ Inediâ ſeipſos vitâ privant. e.g. Cajus Silius Italicus Inediâ vitam finivit, & qvidem juxta Actor. Erudit. Lipſ. *An. 1717. Menſ. Febr. p. 55.* procul dubiô ex Stoicorum diſciplinâ ita inſtitutus, qvibus dignum ſapiente videbatur, ſponte ſuâ ex hac vitâ egredi, nec fatalem horam expectare. Sic Iſocrates octogeſimum ætatis annum jamjam ſupergreſſus, ne Calamitates, ex primâ Athenarum expugnatione ſibi notas, denuò experiretur, per Inediam qvatuor dierum mortem ſibi accelerâſſe legitur in Joh. Ludov. Gothofredi *Chronic. Part. 2. fol. 161.* Seqventem Obſervationem recenſet Felix Platerus *Qvæſtion. Phyſiolog. p. 58.* Qvidam, inqviens, inauditô & malô exemplô inventus eſt, ante paucos adhuc an- *Inediâ voluntariâ mortui.*

 nos

nos captivus in vinculis detentus, in hac urbe, qvi, ut morte voluntariâ ſupplicium gravius, qvod illi imminebat, anteverteret, genus mortis, qvod ipſe in eô locô & tempore facillimum eſſe cogitabat, elegit, cœpitqve ab omni cibô & potu, licet ſeriò â miniſtris reprehenſus ob id facinus & fruſtra admonitus in univerſum abſtinere famemqve is, qvod admirandum, citra omnem qverimoniam aut moleſtiam, qvatuordecim dierum ſpatiô patientiſſimè pertulit, qvô tempore primùm patientiâ, ſed ſeriùs, ductus, ita ut cùm cibum tum peteret, eum tamen reſpueret, citra gravius aliqvod ſymptoma, exſpiravit. Anno 1656. Menſe Novembri in Theatrô anatomicô, publicè ab Isbrandô de Diemerbroc diſſectus eſt vir, qvi ob Cordolium aliqvod vitæ pertæſus ſeipſum fame & ſiti extinxerat; qvippe corpore alioqvi ſanus exiſtens aliqvot ſeptimanis nihil omninò edere, ac ne guttam qvidem bibere voluerat. In hoc ſubjecto nullæ venæ meſeraicæ, intercoſtales, aliæqve minores conſpici poterant, propterea qvòd inanitæ eſſent, atqve ex ipſâ venâ cavâ vix trium cochlearium ſangvinis menſura effluxit & arteria magna omnino vacua inventa fuit. v. Isbr. de Diemerbr. *Anatom. Lib. II. cap. 12. fol. m. 299. &c.* Sunt, qvi religioſam qvandam virginem, nullô ſe ampliùs alimentô indigere imaginatam tradunt, qvod dictum ſibi crederet fore, ut aſſiduâ ſacri Codicis lectione nutriretur abundè. Cùm ergo per tres qvatuorve dies in Imaginatione iſtâ perſeveraret, nullisqve uteretur alimentis, fruſtra conſangvinei eam hujusmodi liberare errore annixi ſunt. Oblata enim qvævis averſata tantâ interdum rejiciebat in patinam iracundiâ, ut circumſtantium veſtes contaminaret juſculô. Poſtqvam itaqve per duodecim dies nihil omnino comediſſet, decimô tertio ad plures abiit. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel. *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 14. Schol. p. 149.* Ad Qvæſtionem, cur ſint, qvi fame pereant, ſi in vivô ſangvis nunqvam deficiat? reſpondet Sanctorius

ctorius Sanctorius *de Static. medicin. Sect. 3. Aphor. 17. p. m. 31.* qvia verſus Ventris vacuum ſangvis tendens relinqvit Cor. An vero in ejusmodi fame pereuntibus Sangvis in Abdominis cavitate reperiatur, probabile non videtur.

CAPUT V.
De
Oeſophago & Deglutitione.

§. 1.

His de alimentorum Appetitu auctô & imminutô præmiſſis Capitibus ad ipſam pergimus Chylificationem, qvæ qvidem, uti in Sialologiæ noſtræ Capite qvartô de Salivæ uſu naturali, inter alia monſtravimus, ſtatim in ore mediante Salivâ inchoatur, poſtmodum autem in Oeſophagô & Ventriculo continuatur, inqve Inteſtinis abſolvitur; qvapropter in hoc & ſeqventibus Capitibus de ulteriore Chyli elaboratione ejusqve Organis & fecum alvinarum ſeu ſcybalorum ſecretione, qvantum qvidem ad ſcopum noſtrum pertinet, pluribus agemus. *Connexio.*

§. 2.

Poſtqvam ſcilicet alimenta ſolidiora dentibus bene trita ſeu manſa ſalivâqve probè permiſta & humectata Deglutitione per Oeſophagum Ventriculo ſunt ingeſta, per tempus ibidem commorantur atqve mediante certô Ventriculi liqvore ſeu menſtruô in molliorem ſeu pultaceum liqvorem aliqvatenus albicantem, utplurimum Cremori ſimilem, & nonnullis Phyſiologis Chymi nomine venientem, permutantur, atqve exinde per ipſius Ventriculi motum & contractionem ad Inteſtina propelluntur, in qvibus affluente Bile & ſuccô Pancreaticô, Chylus â fecibus meliùs depuratur, dumnobiliores alimentorum particulæ, ſecundum non- *Chylificatio.* *Chymus.*

nonnullos Autores per Præcipitationem, vel ſecundum alios, per fermentationem, vel fortaſſe rectiùs per ſolam Transcolationem, â partibus crudioribus & excrementitiis ſeparatæ, ſub formâ Lactis & nomine Chyli, ex Inteſtinis vaſa chylifera ſeu lymphatica in Meſenteriô ingrediuntur; reliqvæ verò particulæ, nutritioni minùs aptæ, in Inteſtinis per tempus retinentur, dehinc lentô & periſtalticô Inteſtinorum, imprimis tenuium, motu opitulante, ad Inteſtinum rectum protruduntur, & deniqve, ubi tales feces (qvæ ordinariè in Inteſtinis ſic dictis tenuioribus fluxiles magis atqve molliores, Chylô ſcilicet adhuc dilutiores, in craſſioribus verò ſolidiores & compactiores, Chylo qvippe ſeu liqvore lacteô privatæ, deprehenduntur atqve in Inteſtinô rectô ob ani clauſuram per tempus morantur) Podicem ſive Ani Sphincterem, cujus fibræ ad interiora recurrunt, pondere ſuo & repletione vellicant atqve ad diſtenſionem ſeu aperturam & evacuationem ſtimulant; accedente, pro meliori excretione, Muſculorum Abdominis contractione, ad Voluntatis noſtræ imperium ſub nomine Stercoris, Scybalorum ſeu Excrementorum alvinorum, in ſtatu naturali excluduntur.

§. 3.

Maſticatio. Videmus itaqve ex antecedente Paragraphô, ad meliorem Chylificationem alimenta ſeu Cibos ante deglutitionem aliâ adhuc præparatione, nimirum Maſticatione, opus habere, de qvâ præter ea, qvæ in Sialologia noſtrâ *Cap. V.* adduximus, paucis monemus, per debitam Maſticationem Cibos ſolidiores in ore non modò â dentibus incidi, comminui atqve in pulverem qvaſi redigi, ſed etiam per largam Salivæ inter mandendum admixtionem eò melius diſſolvi, ſicqve ad meliorem digeſtionem præparari. Qvid proinde mirum, qvod Maſticatio ab Autoribus adeò commendetur. Inqvit enim Taurry *Anatom. nov. cap. 2. p. 27.* Non ad deglutitionem ſolùm confert Maſticatio, ſed potiſſimùm coctionem qvoqve adjuvat, tum qvia per illam alimenta

menta jam in particulas, licet craſſiores, diſſolvi cœpêre, tum qvia alimenta comminuta liqvori, qvi ſolvere illa debet, majorem ſuperficiem offerunt. Ob eandem rationem etiam gypſum, anteqvam aqvæ immittitur, ſolet confringi, ſiqvidem aqva illud poſt confractionem & comminutionem faciliùs penetrat. Et Johanni Jacobo Waldſchmiedio *Inſtitut. Medicin. rat. Lib. 1. cap. 3. p. m. 16. ſeq.* Maſticatio adeô neceſſaria eſt, ut, hac omiſſâ, alimenta vix in Ventriculô extraverti poſſint, nam decem boli bene maſticati, & ſalivali menſtruô humectati atqve ſoluti, feliciùs in Ventriculô coqvuntur, qvàm unus non maſticatus. Unde ortum eſt, qvòd voraces & qvi qvaſi in fugâ primam hanc ſolutionem peragunt, tot morbis ſunt obnoxii, cùm cibus vix ſemicontritus difficillimè ſubigatur in Ventriculô & in paſtam admodum viſcidam, plurium morborum matrem, abeat. Cibis in Ore maſticatis admixta ſaliva facilem deglutitionem ſuâ lubricitate efficit, qvâ ſine illâ ægrè & difficulter procederet, inqvit Joſephus Lanzonus *de Saliv. cap. 3. p. 40.* Secundum Joh. Frid. Ortlob. *Hiſtor. Part. Diſp. 4. §. 9. p. 28.* tota maſticationis ratio in eô conſiſtit, ut alimenta magis attrita & diviſa plus acqvirant ſuperficiei, adeòqve activitati ſolventis in Ventriculô meliùs pateant. Simili modô in Pharmacevticis videmus, concreta extrahenda pulveriſatione, limaturâ & ſimilibus Enchireſibus magis accommodari. Qvippe ſine eâ etiam deglutitio non modô difficilior evadit, ſed & Digeſtio in Ventriculô minùs commodè peragitur. Qvemadmodum autem in Chymicis fieri ſolet, ut qvoqve ad meliorem extractionem concreta aliqvandiu in menſtruô macerentur; ita etiam alteram præparationis partem Salivæ permixtio explet. Imò maſticatio non exacta pariter eſt vitioſa, vel comedendi modus non parum coctioni vitioſæ confert; hinc dicit Johannes Viridetus *de primâ Coctione Part. 2. cap. 7. p. 312.* qvi diu non maſticant, difficilè digerunt, qvoniam fruſta ſunt

craſſiora, ideoqve diſſolvens diutius eorum Diſſolutioni immorari debet, qvæ ſæpe, anteqvam fiat abſoluta diſſolutio, ad Inteſtina deturbantur. Hanc ciborum præparationem ejusqve uſum hôc modô deſcribit Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiol. med. Lib. 1. cap. 7. p. 131. ſeq.* non dentibus modò dividitur cibus, ac veluti in pulverem comminuitur, ſed etiam eadem operâ Salivæ, è pluribus ductibus, in os hiantibus, emergentis, aërisqve poros & intervalla cibi divellentium vi colliqveſcit, crebrâqve lingvæ & genarum, modò contractarum, modò in ſimilitudinem collium leniter iterum exſurgentium, coagitatione, ſurſum & deorſum in omnemqve partem volutatus in molliorem maſſam dehiſcit, & diſſimilibus exui partibus, ac ſuos odores nativos ſaporesqve amittere paulatim incipit. Qvæ qvidem præparatio, qvam vulgò Maſticationem vocamus, jure qvodam ſuô tanti habita fuit ab Arabibus, ut animam ſuam malè odiſſe dixerint, qvi eam oderit; qvòd inde cruditates, & morborum materia oriatur. Chylificationis principium hoc modô peragi, concipit Gulielmus Cockburn *Oeconom. Corp. animal. p. m. 17.* cibus primò dentium motu voluntariô ac maximè notô comminutus, ita ut crebriore & repetitâ horum trituratione in ſubtiliorem pollinem redactus fuerit; ac eodem tempore intimè cum ſalivâ ſubactus, nullô prorſus labore facilèqve in fluxilitatem exoptatam leniſſimô Ventriculi motu dividitur: maximi enim ponderis eſt alteratio, qvam â Salivæ commiſcelâ ſuſtinent ſolidiora, utpote qvæ primam eduliorum liqvefactionem ac diſſolutionem inchoat, & inſtar menſtrui cujusdam univerſalis mirificè ad alimentorum qvasvis particulas ſe habet. Et Georgius Philippus Nenterus *Phyſiol. med. cap. 4. p. 216.* inqvit: hæc ciborum præparatio, etſi operatio parvi momenti videatur, revera tamen magni eſt momenti; qvalis enim eſt maſticatio, talis qvoqve eſt chylificatio, & unus bolus minus maſticatus plus negotii faceſſit in Chylificatione,

ficatione, qvàm decem bene maſticati: unde etiam homines maximè voraces, die Heißhungerigen, qvoniam cibos vix maſticant, ſed inſtar ciconiarum integros deglutiunt, plerumqve ſunt macilenti, qvoniam in iisdem digeſtio & nutritio laudabilis nullô modô contingere poteſt. Cùm enim vera digeſtio & chylificatio in intimâ ciborum reſolutione conſiſtat, per ſe liqvet, Salivam in cibos non bene comminutos minimè penetrare, & hinc eosdem minimè reſolvere poſſe. Juxta Theodor. Craan. *de Homin. cap. 3. p. m. 7.* in maſticatione ciborum aſſumptorum occurrit conſiderabilis Salivæ permixtio; hac qvi carent, vix poſſunt Cibos deglutire; Saliva enim cibos aqvoſitate ſuâ diluit, & vias, qvas tranſire debent, lubricas reddit, pro faciliori deſcenſu alimentorum verſus ventriculum. A Petro Erneſto Linſing *Inſtitut. medicin. p. 74.* deſcribitur Maſticatio, qvòd ſit alimentorum in os ſumptorum mediantibus maxillæ inferioris, Lingvæ & labiorum motibus, & qvidem duriorum dentibus caninis, molliorum inciſoriis, hinc molarium aſperitate facta agitatio & comminutio, mediante qvâ maſticatione Saliva per motum Oris partium copioſè prolicitur, & alimentis in hoc actu commiſcetur, qvæ inde feliciùs diſſolvuntur, & ſic Chylificationi in Stomachô ſubeundæ apparantur.

§. 4.

Cùm proinde ad Maſticationem primariò Dentes cum Gingivâ & Maxillis, Lingva, Labia, buccæ & Oris cavitas, inſuper etiam Saliva concurrant, de his etiam non immeritò hoc locò agendum eſſet; qvia verò de Salivâ in Sialologiâ prolixius egimus, de Dentibus autem in Oſteologiâ tractabimus, ratione reliqvarum partium ad alios Autores benevolum Lectorem remittimus, & potiùs ad alimentorum ſic præparatorum, lingvæ beneficiô ad faucium anguſtias Gulæqve partem ſuperiorem ſeu Pharyngem devolutionem, indeqve per Oeſo- *Deglutitio.*

phagum ſeu Gulam in Ventriculum depreſſionem ſeu Deglutitionem pergimus.

§. 5.

Oeſophagus. Derivatur autem Oeſophagus, Græcè *οἰσοφάγος*, ſecundum Alberti Kyperi *Anthropogr. Lib. I. cap. 9. p. 103.* ab *οἴσω* ferò & *φάγημα*, alimentum, ab eô uſu, qvem præſtat, nimirum ut cibum ex ore in ventriculum ferat; de cujus tamen, uti etiam Ventriculi & Inteſtinorum, (qvæ omnia unicus tantùm ſunt Canalis rotundus, ab ore usqve ad trunci finem ſeu podicem continuatus, differentis tantùm amplitudinis atqve denominationis) ſtructurâ, Muſculis Tunicis & glandulis in ſtatu naturali prolixiùs in hoc Tractatu agere nolumus, qvosdam ſolummodo Autores de hac materiâ allegantes. Evolvi autem poſſunt Theodor. Craan. *Diſſert. de Homin. Cap. 7. p. 21. ſeq.* Dan. Tauvry *Anatom. nov. Cap. 1. p. 13. & Cap. 2. p. 16. ſeqq.* Philipp. Verheyen. *Anatom. Tr. III. cap. 10. p. 285. ſeqq. Tr. II. cap. 9. p. 69. & c. 10. p. 77. ſeq.* Joh. Frid. Ortlob. *Hiſtor. Pant. Diſſert. 4. §. 11. ſeqq. p. 30. ſq.* Joh. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Progymn. 9. p. m. 137.* Herm. Bœrhav. *Inſtit. med. p. 18.* Thom. Bartholin. *Anatom. reform. Lib. 2. cap. 12. p. 447.* Steph. Blancard. *Anat. Part. 2. cap. 19. p. 10. ſeq.* Bibliothec. Anatom. Dan. le Clerc. & Jac. Mangett. *Tom. I. f. 70. ſeq. 102. ſeq.* Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiolog. med. cap. 7. pag. 132.* Isbr. de Diemerbr. *Anat. Lib. 2. cap. 16. fol. 326.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 4. Obſ. 1. Schol. fol. 746.* Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. 1. art. 18. p. m. 87.* Mich. Albert. *Introd. in Univ. medic. cap 7. §. 71. p. 80.* Nathan. Highmor. *Diſqviſ. anat. Corp. hum. Lib. I. cap. 3. fol. 17. ſeq.* Jac. Sandris *de Ventric. & Emet. p. 264.* Joann van Horne *Microcoſm. §. 21. p. m. 38.* De Glandulis Oeſophagi conglomeratis Diſſertationem edidit Jacobus Vercellonius, vid. Laur. Heiſter. *Orat. de Increment. Anat. p. 61.*

§. 6.

Deglutitionis actus. Ad Deglutitionem, ſeu in os aſſumptorum & maſticatio-

ne

ne præparatorum Ciborum in Ventriculi cavitatem detruſionem non ſolùm Oeſophagus, ſed aliæ qvoqve partes actionem ſuam conferunt; primò enim os ſphinctere clauditur ejusqve cavitas per labiorum & buccarum muſculos, qvi genas dentibus & gingivis applicant, imprimis in edentulis coarctatur; deinde Lingva non modò volutatione & qvaſi collectione, ſed etiam ſuâ ad Palati anteriora, & ſucceſſivè ad ejusdem poſteriora, applicatione maſticatos Salivâqve bene madefactos Cibos ad faucium anguſtias & Pharyngem, ſeu Gulæ partem ſuperiorem, devolvit; ubi ſimul Uvula primò elevatur, ut cibis deglutiendis locum cedat, poſteaqve aſſumpta â motu retrogradô impediat. Inſuper Glottis ſeu rimula aſperæ arteriæ ab Epiglottide occluditur, ne cibi vel potulenta, in Oeſophagum propellenda, in aſperam arteriam prolabantur variaqve ſymptomata & ipſam ſuffocationem cauſentur. Dehinc Pharinx per certos muſculos ſe explicans ſeu aperiens â Lingvâ oblatos cibos excipit eosqve per Sphincterem ſeu certum Muſculum, Oeſophageum dictum, ſe iterum conſtringens ad Gulæ canalem ſeu Oeſophagum detrudit; qvi tamen Oeſophagus in hac Deglutitionis functione non merè paſſivè, ſed etiam activè ſe habet, ſiqvidem aſſumta non pondere ſuô & qvaſi ſpontè Ventriculum incidunt, ſed mediante tunicâ muſculoſâ ſive carneâ per motum qvaſi periſtalticum ſucceſſivè ad & per ſuperius Ventriculi Orificium, qvod Anatomicis etiam Stomachus vel Cardia dicitur & absqve Deglutitione clauſum eſt, in Ventriculi cavitatem propellitur. Secundum Theod. Cranen *Oeconom. anim. Part. 1. Qv. 12. p. 9.* fit Deglutitio imprimis ope lingvæ, quæ valde mobilis eſt, & cibos undiqvaqve propellit & verſus poſteriora transmittit. Hi igitur cibi aſperam arteriam ejusqve epiglottida claudunt, ne qvid illabatur in aſperam arteriam, & pergunt ad ſubſtratum Oeſophagum, cujus muſculi ope, œſophagæi dicti, ulterius propelluntur ver-

ſus ventriculum. Vel juxta verba Melch. Verdris *de Ventric. Action. p. 6.* cibi & potûs ore aſſumuntur, & illi qvidem dentibus manſi & commoliti, nec non Salivâ delibuti, motibus labiorum, buccarum, lingvæ gulæqve unà cum potibus deglutiuntur ac in Ventriculum deferuntur. Pro meliori etiam Deglutitione reperiuntur in Oeſophagô multum liqvorem ſtillantes glandulæ, de qvibus Philippus Verheyn *Anat. Tr. 3. cap. 10. p. m. 286.* ita ſcribit: circa qvintam Thoracis vertebram ipſi Oeſapho â parte poſteriori adnaſcuntur qvædam glandulæ, ſæpius binæ, magnitudine & figurâ Phaſeolum referentes, aliqvando plures, ſed minores & in unum corpus glanduloſum concretæ: qvarum uſus videtur Oeſophagum interiùs humectare pro faciliori ciborum tranſitu. De Glandulis Oeſophagi conglomeratis Tractatum edidit Jacobus Vercelloni, qvem recenſent Editores Actorum Lipſienſium *Supplement. Tom. VI. Sect. 6. p. 262. ſeq.* ſecundum qvem locum dictus Autor Chylificationis negotium in Corpore dilucitaturus primùm Glandulas Oeſophagi externas earumqve canaliculos excretorios patefacit deinde verum humorem digeſtivum ab iisdem deducit, Vermes deniqve ſubjungit, ultimam qvi Chylo manum imponere videantur. Non enim ſoli Deglutitioni, ſive alimentorum in Ventriculum propulſioni, ſed etiam digeſtioni atqve famis & ſitis ſenſationi gulam vacare, prolixiùs idem Autor commemorat,

§. 7.

Oeſophagi actio. De Gulæ actione, ſeu Oeſophagum non merè paſſivè ſed activè ſe habere, prolixè agit Hieronymus Fabricius ad Aqvapend. *Oper. Anatom. phyſiolog. fol. m. 101. ſeq.* & Thom. Willis *Pharmac. rational. Part. 1. Sect. 1. cap. 2. p. m. 3. ſeq.* item Albert. Kyper. *Anthropolog. Lib. 1. cap. 9. p. 103.* qvi inter alia exinde probat, qvòd, ſi qvid ingrati acceperimus, contractione fibrarum ab infra ſurſum illud vi expellatur. Gulæ actionem probat etiam

etiam Johannes Bohnius *l. a.* ſeqventibus rationibus: qvia Gula, ſibi relicta, haud ſemper adeò patula eſt, ſed propter mollitiem concidit, imò conſtringitur, unde alimenta ſolidiora ratione craſſitiei, glutinoſitatis &c. in eâdem hærerent, niſi aliqvid illa impellat. Præterea etſi pondere tantùm per Oeſophagum ferrentur deglutienda, bruta vix deglutirent: cùm in pronis his de terrâ cibum capientibus hic contra naturalem tendentiam aſcendere aut per Oeſophagum horizonti parallelum moveri neqveat. Accedit ipſe conatus voluntarius, qvem inter deglutiendum obſervamus, ita qvidem, ut ſemideglutita repellere nobis liceat. Et juxta verba Hermanni Bœrhaavii *Inſtitut. med. p. 20.* interna tunica Oeſophagi glutinoſa, villoſa, nervea, alba, tenuiſſimè fibroſa, glanduloſa, liqvorem ſalivâ pingviorem perpetuò fundens, maximè ubi contractis ſuis fibris exterioribus conſtricta, cibos amplectitur: verè muſculares, obliqvè decurrentes â ſummâ parte Oeſophagi in initia Ventriculi usqve fibræ ſecundæ tunicæ carnoſæ ſupernè â Sphinctere ad inferiora fiſtulam arctantes, bolum lubricâ viâ detrudunt ad orificium Ventriculi; cujus fibræ eodem momentô relaxatæ ipſi Ventriculo admittunt impelli; Interim continuatur guſtus; liqvor Oeſophagi glandularis ſimul exprimitur ex tunicâ interiori & admiſcetur: Imò Gulam non ſoli Deglutitioni, ſed & Digeſtioni, atqve famis & ſitis ſenſationibus vacare, verumqve humorem digeſtivum â Glandulis Oeſophagi deduci, docet Jacobus Vercellonus l. a.

§. 8.

Qvamvis autem talis Gulæ actio ad eſculentorum & potulentorum deglutitionem ſit neceſſaria, interim tamen liqvida ob particularum ſuarum flexibilitatem faciliùs deſcendere poſſe, præter experientiam qvotidianam confirmant nonnulli bibones, qvi absqve Oeſophagi actione & citra Deglutitionis ſenſum & immotô gutture bibunt; qvale exemplum vidiſſe refert Hiero- *Sine deglutitione bibentes.*

Hieronymus Cardanus *de Rerum Variet. Lib. 8. cap. 40. p. m. 508.* inqviens: dum puer eſſem, memini Germanum qvendam tribunum, qvi cum Gallis ſtipendia merebatur, ſolitum vinum haurire immotô gutture. De Nutrice, qvæ absqve Deglutitionis motu bibebat, & in qvâ potulenta deſcendebant, ac ſi in phialam transmitteret, v. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 311.* Ipſe etiam memini Muſici cujusdam inſtrumentalis, puſilli qvidem, ſed magnum os habentis hominis, vulgò der kleine Jochen mit dem groſſen Maule dicti, qvi non modò integrum Cereviſiâ vel Vinô repletum Vitrum ori aperto infundebat atqve ſine Deglutitionis ſignô per Oeſophagum in Ventriculum immitebat, ſed etiam applicatô prius circum Vitri vel urcei, (Cantharum qvove Cereviſiæ capientis,) orificium, oris ſphinctere, & plenô vaſe inverſô totum liqvorem ſine deglutitione in Ventriculum effundebat.

Obſervatio.

§. 9.

Liqvida facilius deglutiuntur, qvam ſolida.

Deinde etiam in variis Oeſophagi ſymptomatibus, exempli gratiâ, in Inflammatione, eroſione, intumeſcentiâ, & aliqvali occuluſione &c. item in ipſô ſtatu naturali liqvida præ ſolidis melius deglutiri poſſe, qvotidie experimur; in dictis ſcilicet & ejusmodi affectibus, qvando via ita anguſta redditur, ut vel planè nihil, vel tantillum ſolidi, bene tamen aliqvid liqvidi deſcendere qveat; qvale exemplum annotavit Johannes Schmidius in Senatore qvodam, levem patiente Apoplexiam, â qvâ remediis appropriatis curabatur, hoc tamen relictô ſymptomate, qvod anxiè miſerum torqvebat, ſolida ſcilicet omnia, panem, carnes, piſces, maſticabat & lingvâ in ore circumvolutabat, deglutire autem, imò nec multô potu diluta, detrudere non poterat. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 162. p. 206.* ubi ſimilem adhuc caſum addit de Virgine Cachexiâ ſcorbuticâ, Cephalalgiâ & *παρακϗσία* per longum tempus moleſtiſſimè laborante, qvæ ſolidos cibos non niſi cum potu ſummè dilutos

per

per vim qvaſi in Ventriculum detrudebat. Cauſam hujus læſæ deglutitionis hanc reddit dictus Autor: potulenta ponderoſa liqviditate, ſine Muſculorum ope in Ventriculum qvaſi defluunt, ſolida autem propter muſculorum actionem læſam per Oeſophagi compreſſionem ad Ventriculum deduci non poſſunt, cùm ob ſiccitatem lateribus adhæreant ſolida, per muſculorum autem actionem, qvippe qvæ læſa eſt, deprimi non poſſunt. Notum qvippe eſt ex Anatomicis, Oeſophagæum, ſeu Gulæ Sphincterem, ab utroqve ſcutiformis Cartilaginis latere qvi ortum trahit, & per gulæ partem poſteriorem transverſim expanditur, adſtrictô Oeſophagô cibum inhærentem deorſum compellere: habet muſculus hicce tria muſculorum paria, alia ad elevandum & dilatandum Oeſophagum comparata, ſibi miniſtrantia, qvorum actione læſâ, in ſubjectis noſtris deglutitio oriri non potuit, qvamvis ſolius Sphincteris læſionem ſymptomati huic ſufficientem dediſſe occaſionem exiſtimet. Anno 1717. curæ meæ ſe committebat qvædam femina, non *Obſervatio.* infimæ dignitatis, qvæ antea per longum temporis ſpatium, (ut certum tumorem glanduloſum in colli latere ſiniſtrô circa Laryngem, ad ovi dimidii magnitudinem jamjam auctum, deformitatis gratiâ auferri curaret) â variis Chirurgis & Circumforaneis auxilium petierat, & qvidem eô ſucceſſu, ut poſt varia impoſita Emplaſtra reſolventia & mercurialia, item Cataplasmata, dictus Tumor ſenſim decreſceret. Tandem eodem indies magis magisqve evaneſcente, & usqve ad fabæ vel piſi majoris magnitudinem diſparente, dicta perſona de difficili & impeditâ deglutitione conqveri incipiebat, qvæ etiam per novem ſeptimanas ita duravit, ut nil qvicqvam ſolidi, optimè tamen & absqve impedimentô potulenta aſſumere valeret; qvanqvam horum etiam deglutitio interdum, ſuperveniente ſcilicet affectu ſic dictô hyſterico-ſpasmodicô fauciumqve & ipſius laryngis conſtrictione, non ſemper fuerit libera.

 Dictæ

Dictæ Deglutitionis impedimentum huic feminæ ſemper in certô Oeſophagi locô, tres circiter digitos ab ejusdem initiô hærebat, & qvidem, ſecundum ipſius verba, inſtar globuli vel excreſcentiæ cujusdam, ulteriorem ciborum progreſſum impedientis; hinc etiam circa principium hujus Symptomatis, cùm maſticatum & mollem cibum ſemideglutitum ultra dictum globulum protrudere non poſſet, poſt ſyringationem eundem reddebat. Cauſam impeditæ hujus ciborum deglutitionis pro glandulæ alicujus in Oeſophagô, poſt exterioris tumoris in Collô glanduloſi detumeſcentiam, per Metaſtaſin factâ intumeſcentiâ ego judicabam. Tandem poſt varia medicamenta per alvum excernebantur aliqvot corpuſcula oblongo-rotunda ſeu ovalia, viridis coloris, atqve tam ratione coloris, qvam magnitudinis, inſtar minimorum cucumerum muriâ conditorum, qvæ tamen diſciſſa materiâ ſebaceâ qvaſi erant repleta. Utrum verò dicta fruſtula rejecta fuerint glandulæ Oſophagi, â materia ſcrophuloſâ retropulſâ auctæ atqve induratæ deglutitionem, ante ſui ſeparationem, impedientes, dubitare ideò nolo, qvia poſt paucos dies, cùm colli tumor ſucceſſivè detumeſceret, ipſaqve femina molliores probeqve dilutos cibos deglutire inciperet, tales glandulæ virides per alvum apparebant, neqve plures deinde deprehendebantur. Talia difficilis vel penitus impoſſibilis ſolidorum, facilis verò liqvidorum deglutitionis â febribus fauciumqve inflammationibus vel læſionibus ortæ exempla ſæpius in Praxi medicâ occurrunt.

§. 10.

Solida facilius deglutita, qvàm liqvida.

Rarioris econtra Obſervationis eſt illa deglutitionis læſio, qvâ æger cibum, qvamvis ſolidum vel durum absqve difficultate, potum verò non ſine ſuffocationis metu deglutire poteſt, cujusmodi caſum rariſſimum annotavit Gvilhelmus Fabricius, Hildanus, *Obſerv. Chirurg. Cent. 5. Obſ. 34. fol. m. 423.* ſcilicet Solodurenſi cuidam ſexagenario, Urſo Rouchti nomine, cùm

Ca-

Catarrhus ad ſiniſtrum latus delapſus eſſet, non tantùm Paralyſis iſtius lateris ſecuta eſt; verùm etiam deglutitio adeò depravata fuit, ut liqvida omnia, præſertim vinum non ſine ſuffocationis metu deglutire poſſet: reliqva verò, qvamvis ſolidiſſima, facillimè ad Ventriculum deſcendebant. Cùm itaqve liqvida ſorbere non poſſet & ſolidis non ſatis nutriretur, tàndem ad ſummam imbecillitatem lapſumqve virium pervenit breviqve naturæ debitum perſolvit. Similem caſum refert Gvilelmus Ballonius *Lib. 2. Conſ. 14.* de qvartanariô: Qvidam, inqviens, cùm qvartanâ diu laboraſſet & eâ qvaſi contabeſceret, colicis doloribus crudeliter divexatus, tandem collapſum propè abdomen eſt, & ita emarcuit, ut ſceleton eſſe dixiſſes: inter alia ſymptomata, qvæ contigêre, & qvæ Medicis negotio fuêre, difficultas qvædam potandi fuit. Mirum hoc, appetebat cibos & bene deglutiebat, ſed cùm bibebat, ſecundô aut tertiò hauſtu tanta difficultas & moleſta tuſſis contingebat, ut ad nares reſiliret potus. Cauſa cognitu difficilis, nil enim in faucibus tumens apparebat, nullus aderat dolor: Ego id referebam ad ligulæ qvandam contractionem & aſperæ arteriæ ſiccitatem, qvæ efficeret, ut non ſatis obſeqveretur hauriendo liqvori, ita ut in aſperam arteriam de potu aliqva pars deflueret, id qvod Tuſſim & moleſtiam afferebat. Alius Medicus ad Inflationem id referebat; decipiebatur meo judicio. Hæc Ballonii verba vid. in Theoph. Bonet. *Labyrinth. medic. extricat. Lib. 8. p. m. 353.* Poſt Cardialgiam in Senatore Poſonienſi Deglutitionem difficilem obſervavit Carolus Raygerus: ſcilicet dictus Vir facillimè eqvidem ſolida, liqvida verò neutiqvam deglutire, ſed aqvam cochleatim tantum abſorbere poterat, ſtatim ſuperveniente enormi qvadam Salivatione, qvæ deſcenſum liqvidorum inpediebat; qvamvis & fluxus hujus pituitæ lentæ ac viſcidæ ſemper duraret, ut contabeſcentia tanta, ut cutix vix oſſibus hæreret, tandemqve mors ſuperveniret. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5.*

Obſ. 10. p. 14. Puella qvatuordecim præter propter annorum febri corripiebatur ephemerâ, qvam inſeqvebatur ſingultus adeò vehemens, ut manûs & pedes ſimul concuterentur, & caput retrorſum magnâ vi convelleretur; ægrotula interea temporis expers febris bene comedebat ac placidè dormiebat; ſed liqvida non ſine difficultate deglutiebat, juxta Joh. Muys *Prax. med. Deçad. 12. Obſerv. 5. p. m. 404.* Johannem Bohnium, in Virô Lipſienſi non ignobili, ex ſcirrhô viſcerum, per integrum octiduum difficillimam, imò vix poſſibilem polulentorum deglutitionem ſuboriri in Lectione publicâ meminiſſe memini. Deinde etiam Hydrophobiâ laborantes nec aqvam, nec alia liqvida ferre, multò minùs potulenta deglutire, ſolida econtra alimenta ſine moleſtiâ Ventriculo ingerere poſſe, in Sialolog. noſtr. *Cap. VI. de Hydroph.* monſtravimus.

§. 11.

Ratio. Circa Symptomatis hujus rationem, cur ſcilicet nonnunqvam ſolida faciliùs, qvàm liqvida, deglutiantur, diſſentiunt Autores. Sicuti enim Gulielmus Ballonius locô ſuprâ allegatô ligulæ qvandam contractionem & aſperæ arteriæ ſiccitatem pro cauſâ agnoſcit; ita alii eandem in Epiglottide, Muſculis & Glandulis faucium qværunt. De qvâ materiâ nobis Andreæ Laurentii verba allegare liceat, qvi *Hiſt. anat. Lib. 9. Qvæſt. 26. f. 382.* ita ſcribit: Obſervavimus in multis, ſolida, licet corpulentiora, faciliùs deglutiri, liqvida verò & potulenta in nares repelli. Varias ego hujus Symptomatis cauſas agnoſco, eroſionem ſcilicet Epiglottidis, paralyſin ſeu reſolutionem muſculorum hyoidis, tumorem & inflammationem glandularum, qvæ & in faucibus & in Oeſophagô ſunt, carunculas molles & fungoſas, qvæ in interiore Oeſophagi parte ſæpe adnaſcuntur. Primùm ſi eroſa ſit Epiglottidis portiuncula, ſolidi qvidem alimenti pondere facilè deprimetur, atqve ita illis in Oeſophagum patebit aditus, ſed liqvida per rimam in aſperam arteriam, qvæ tota ob

ſolu-

ſolutam Epiglottidis continuitatem occludi non poteſt, deerrabunt, & fumidi vaporis ſurſum viam affectantis occurſu impulſi, in nares repellentur. Si hyoidis & Laryngis muſculi reſolutionem aut convulſionem patiantur, ſolida faciliùs, qvàm liqvida devorabuntur; qvia ſolida præ pondere & gravitate vim aliqvam muſculis inferunt, liqvida non item. Sunt ad latera faucium & Oeſophagi glandulæ qvædam, eas partes humore qvodam velut rore perfundentes, ne ſiccèſcant. Hæ ſi copioſiore humidô madeant, aut inflammatione obſideantur, liqvidis alimentis viam intercludent, qvia potulenta glandulas inebriantia eorum molem augebunt: ſolida verò & ſicca alimenta glandularum ſubſtantiam arctantia & comprimentia cavum aliqvod efformabunt. Solet aliqvando ab Ulcere malè curatô relinqvi caruncula in interiore faucium & Oeſophagi regione, qvæ fungi naturam imitâtur, ut ego in duobus obſervavi. Inflatur aſſumptis potulentis caruncula, totusqve obſtruitur ductus, itaqve in nares potus repellitur; ſolida carunculam comprimunt nec hærent in viâ. Secundum Michael Ettmüller. *Oper. Tom. I. fol. m. 89.* hoc vitium eſt in Larynge, ob Epiglottidem, vel Operculum, non perfectè Laryngis rimulam claudens, & convulſione ſeu Paralyſi laborans, qvod à ſolidis qvidem deprimitur; liqvida verò, dum in Laryngem penetrare inchoant, ex ſuffocationis aut doloris ſenſu cum impetu regurgitant, &, qva data porta, per os & nares profluunt. Paulus Barbette *Anatom. pract. Lib. 1. cap. 4. p. m. 15.* cauſam non tam in Epiglottidis eroſione, qvàm induratione qværit; Epiglottis, inqviens, adeò qvandoqve induratur, ut non ſolùm loqvelæ abolitionem inferat, verùm etiam non niſi fruſta magna deglutire ægrum poſſe efficiat. Potus & omnia, qvæ cochleari exhibentur, Trachæam intrant, rigidiore ab Epiglottide non ſatis clauſam. Adhæc verba Barbettiana ſeqventia commentatur Theophilus Bonetus *Sepulchret. ſeu Anat. pract. Lib. III. Sect. 4.*

Obſ. 6. fol. m. 748. contingit qvandoqve, ſolida facilè, liqvida vix deglutiri, cùm glandulæ extrinſecus appoſitæ intumeſcunt, qvòd ſolida comprimendo viam ſibi faciant, liqvidiora autem fungoſam glandium ſubſtantiam magis impleant: Item convulſis muſculis hyoideis, qvia tunc ſurſum erigitur larynx, unde remeat in os cibus liqvidus, ſolidus pondere delabitur, tremulô anxioqve motu. vid. etiam *Obſ. 24. Schol. f. 755.* Civis qvidam Solodurenſis cibum facilè, potum verò, præcipuè vinum, non ſine ſuffocationis metu deglutiebat; qvod ipſi accidit propter Catarrhum ad Laryngem, qvi Epiglottidem patentem reddebat. Propter pondus autem Cibi facilè deprimebatur, cùm contra liqvida ad aſperam arteriam deſcenderent, juxta Guil. Fabric. Hild. *Obſerv. Chir. Cent. VI. Obſerv. 8. Oper. fol. m. 505.* Alii potulenta arctiùs à Pharynge comprehendi debere, liqviditatem autem motum contractionis qvaſi effugere, ſicqve ad ſuperiora regurgitare; ſolida econtra arctè comprehendi, & ſic ſenſim in Ventriculum Muſculorum ope detrudi poſſe, exiſtimant, juxta ſententiam Johannis Schmidii *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 162. p. 106.* Seqventibus verbis Nathanael Highmorus *Diſqviſ. anat. Corp. hum. Lib. 1. cap. 3. fol. 18.* hujus mali cauſam aſſignat debilitati fibrarum tunicæ ſecundæ Oeſophagi, Ciborum detruſioni inſervientium. Qvæ debilitate eâ, qvæ ſtrictam fibrarum contractionem reqvirant, qvalia ſunt liqvida, apprehendere neqveant; ſed in ſuperiorem Oeſophagi partem ex ore delapſa, ibi inſiſtunt, qvia fibræ ejus debilitate ſe conſtringere tam arctè ad depreſſionem neqveant; qvin illarum impetum effugientia; vel ſurſum rurſus impelluntur, vel illic in ſummitate Oeſophagi permanentia & laryngem comprimentia ſuffocationem minitantur. Solida verò, ſi vel minimis fibrarum conatibus aggrediantur, illarum vim effugere neqveunt, nec tam ſtrictam Oeſophagi compreſſionem reqvirunt, qvia ſi pars aliqva motu depreſſivô fibrarum deprimatur,

cùm

cùm omnes partes ſint continuæ, facilè deſcendunt à debili & qvaſi inchoatô motu compreſſa. Et juxta Dan. Sennert. *Pract. medic. Lib. III. Part. 1. cap. 3. p. m. 17.* ſolida faciliùs, liqvida difficilius deglutiuntur propter Paralyſin partium detruſioni ciborum inſervientium. Majore enim facultatis motricis robore, & inſtrumentis fortioribus indigent liqvida ut comprehendantur & detrudantur, qvàm ſolida, qvæ faciliùs comprehenduntur.

§. 12.

Deniqve verò Johannes Bohnius *Circul. Anat. Phyſiol. Progymn. IX. p. 138. ſeq.* facilè largitur, interdum ab Epiglottide eroſâ & contabeſcente, tale qvid contingere poſſe, rariorem tamen cauſam hanc ſuſpicari licere addit, qvòd eroſionis & contabeſcentiæ ejusmodi ſigna ſæpius abſint, contingente nihilominus hoc Symptomate, ac interdum ex improviſô ſatis. Nec apparet, pergit Bohnius, qvâ ratione in convulſione muſculorum faucium deglutienda duriuſcula pondere ſuô ſpasmis iſtis reſiſtere qveant, utpote qvod horum potentiæ minùs proportionatum: multò minùs conſtat, qvalis illa vis ſit, qvam reſolutis muſculis illa imprimant, qvi robore potiùs contractariô indigent, qvale qvid à mole ejusmodi deglutiendorum haud proficiſcitur. Glandulas inflammatas aut qvocunqve modô tumidiores â potulentis allabentibus magis inebriari, ridiculum eſt, præprimis mox in momentaneô horum tranſitu, cùm ſpongiarum texturam & uſum dudum depoſuerint; imò in Caſibus his fluidis præ ſolidis facilior aditus conceditur. Neqve caruneulas fungoſas Oeſophagi præternaturales adeò facilè penetrabit & tumefaciet potus momentaneus, ut Laurentius qvidem ſibi imaginatur. Qvæ, præter Epiglottidem, partes Laryngis â pituita viſcidâ eousqve imbui poſſint, ut hujus rimulæ exactiorem clauſuram turbent, non video, cùm intumeſcentias qvasvis meatûs potiùs anguſtare & obturare, ex Inſtitutionibus etiam innoteſcat. Sicut autem Epiglottidem *Bohnii ſententia.*

ſiccio-

ſicciorem potiùs huic compreſſioni qvandoqve impedimento eſſe ſuperiùs conceſſi: ita deniqve, qvid muſculi Laryngis tabidi & exſucci huc conferant, non apparet. Mihi verò probabilius videtur, muſculorum potiùs ipſius Pharyngis reſolutorum hunc effectum eſſe. Nam nec ex ore qvidem moveri poſſunt potulenta in hoc Caſu, ita ut muſculis his laxatis neceſſariò & eousqve collabaſcat principium gulæ, ut illi dilatando non niſi ſolidior bolus, inſtar cunei, adæqvatus videatur. Et ſi principium hoc ſubintrârint fluida, profectò flacciditas & debilitas fibrarum ejus transverſarum ulteriorem illorum deſcenſum vix inhibebit, cùm pondus ac fluor potûs ad ſuperandas has conniventias ſatis potens videatur. Hæc Bohnius.

§. 13.

Deglutitio impetita.

A variis tamen aliis, & qvidem tam in ipſô Oeſophagô, qvàm extra eundem latentibus cauſis Deglutitio vel in tantum, vel in totum impediri ſolet. Sicuti enim Uvulam ad Deglutitionem cum aliis partibus concurrere jam ſuprà diximus, ita etiam ab ejusdem defectu, imprimis in infantibus difficilem deglutitionem annotarunt Autores, qvale exemplum refert Georgius Wolffgangus Wedelius de Infante, qvi lac bonæ notæ ex papillâ obvians ſugere non poterat, ſed cum moleſtiâ & anxietate non levi id per nares mox rejiciebat. Indicabatur culpa hærere in lingvâ, aſt frenulô forfice paulùm diſciſſô, qvoad extantiorem membranulam parum vel nihil juvabat, qvin lac ſubinde regurgitaret ſurſum. Examinatis faucibus Uvula aberat, unde inventa qvidem cauſa, curari tamen per πρόσθεσιν debitam non poterat: Svaſit hinc Wedelius profundiùs immergere papillam, ut lingvæ concurſu faciliùs poſſet deglutiri; qvod & factum eſt, ſucceſſivè naturâ adſvetâ remittente vitiô, puellâ feliciter increſcente, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 5. p. 12.* qvô locô aliud ſimile exemplum idem Autor recenſet de Infante

Ab uvulæ defectu.

qvinqve

qvinqve hebdomadarum, ſine uvulâ natô, qvi ſugere vel deglutire non poterat, lacte per nares utplurimum reſultante. vid. etiam *Act. Erudit. An. 1717. p. 408.* Deſſæ etiam natus fuit filius Columellâ & Tonſillis deſtitutus, unde & lac, qvod ſugebat, per nares ſtatim reddebat. Non diu ſuperſtes fuit, ſed vigeſimum primum ſaltem ætatis diem attigit, uti recenſet Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. 3. Obſ. 6. p. 115.*

§. 14.

Ab Epiglottidis eroſione & conſumtione Deglutitionem impediri, teſtatur Alardus Hermannus Cummenus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 112. p. 183.* ſeqventibus verbis: Legi in Manuſcriptô Marqvardi Slegelii, raræ curioſitatis & magnæ experientiæ viri, ipſum in Muſeô ſuô ſervare Sceleton cujusdam nobilis Meretricis Venetæ, ex Lue venereâ conſumptæ, Epiglottidem qvæ exeſam habuerat, atqve propterea ex cibô fortè fortuna in trachæam ſeu aſperam arteriam illapſô ſuffocata fuerat. Qvale etiam exemplum in Noſocomiô noſtrô, ante aliqvot annos, mihi ipſi in ſtrenui cujusdam, tam Martis, qvam Veneris caſtra ſeqventis, Militis ſectione obſervare licuit. Ille ſcilicet morbô Neapolitanô laborans, inter alia Symptomata, tam ante, qvàm poſt abſolutam Mercurialem ſalivationem, qvâ curâ aliàs ſatis vegetus âqve fœtido hoc morbô liberatus evaſerat, raucedine atqve difficili deglutitione laborabat, & qvotiescunqve ſive potulenta, ſive reliqva alimenta deglutire vellet, ſemper ſuffocationis metum incurrebat, donec tandem Atrophiâ conſumptus tempore qvodam nocturnô vitâ defunctus offenderetur. Id qvod reſciſcens ſtatim difficilis hujus deglutitionis cauſam perſcrutando ipſius Epiglottidem verſus ſiniſtrum latus, ad dimidiam ferè partem, non tam eroſam, qvàm plane corruptam vel conſumptam deprehendebam, ut adeò hoc operculum in Deglutitione Glottidem ſeu rimam aſperæ arteriæ minimè obtegere potuerit. Qvandoqve etiam Epiglottis adeò induratur, ut

ab Epiglottidis eroſione.

Obſervatio.

non niſi fruſta magna deglutire ægrum poſſe, efficiat. Potus & omnia, qvæ Cochleari exhibentur, Trachæam intrant rigidiore ab Epiglottide non ſatis clauſam, juxta Paul. Barbett. *Anatom. practic. Lib. 1. cap. 4. p. m. 15. ſq.*

§. 15.

ab Ulcere faucium. Ex Ulcere circa fauces appetitum vitioſum, citra qvem cibus deglutiri non poterat, annotavit Guilelmus Fabricius, Hildanus, *Obſ. chir. Cent. I. Obſ. 37. fol. 33.* Mulier ſcilicet qvadragenaria Ulcere malignô circa fauces ex pituitâ ſalſâ, è capite deſtillante, per annos aliqvot laboraverat: adeô ut amygdalæ, uvula, epiglottis & portio gulæ exeſæ eſſent. Vix loqvebatur, cibum & potum non niſi maximô cum dolore poterat deglutire. Hæc autem imprimis notatu digna, qvod qvamvis minimè gravida eſſet, interdum hæc vel illa, prægnantis inſtar, appeteret, nempe haleces, carnes & piſces ſalitos & infumatos, aliosqve concoctu difficiles cibos, uti & fructûs immaturos. Deinde (mirum magis) qvòd talia, qvantumvis dura, ſine dolore ullô deglutiret, ſi modò appeteret; Verùm appetitum & deglutitionem illam planè ſupernaturalem illi, ſummô Dei beneficiô accidiſſe, non dubitat Fabricius, alioqvi vitâ in tot annos protrahi & foveri non potuiſſet, qvum nullô modô hordeatum aut amygdalatum, vel carnium jus, aut tale qvippiam ſorbere poſſet, abhorrente ſtomachô, adeòqve ſæpiſſimè totum triduum â cibô & potu abſtineret, donec appetitus ille vitioſus denuò recurreret.

§. 16.

Oeſophagi obturatio. Deinde in ipſo Oeſophagô Deglutitionis læſio ſeu impedimentum reperitur, exempli gratiâ, funeſtam Oeſophagi ob-*â Cartilagine.* turationem atqve impeditam Deglutitionem â Cartilagine obſervavit Nicolaus Gvilelmus Beckers in Mercatore Hippolitanô, conſiſtentis ætatis, qvi ſesqviannô de Deglutitionis difficultate, mucronatâ ſub cartilagine, dolore gravativô indies augeſcente, langvore

langvore & totius corporis contabeſcentiâ, nullô in faucibus tumore vel dolore apparente, conqveſtus, at qvamplurimis tam internis, qvàm externis, incaſſum adhibitis remediis, corpore ob Deglutitionis impoſſibilitatem ſangvine & ſpiritibus deſtitutô, Marasmode violentâ exſpirare cogebatur. Cadavere diſſectô tribus ab ore Ventriculi digitis Oeſophagus â Cartilagine annuliformi, exiguô foramine præditâ, ab ipſô Oeſophagô enatâ, obturatus repertus fuit. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 67. p. 56.* Oeſophagi cartilaginei parumqve pervii meminit Henricus Sampſonius *l. a. An. 3. Obſ. 170. p. 326.* Fœmina ſcilicet diu difficultate deglutiendi præpedita Medicum adivit, qvi ipſi conſuluit ſtylum ex Oſſe balenæ confectum, longum flexilemqve in Ventriculum intrudere. Circa claviculas obſtaculum aliqvod invenit, qvod ſtylus nullô modô ſuperare potuit. Medicus illam pro deploratô habuit, poſt paucos menſes obiit fame enecta. In diſſectô Cadavere totus Oeſophagus à clavicularum regione ad ipſum Stomachum inventus pura puta Cartilago; neqve erat pervius, niſi Cavitate valde minutâ, vix ſetam porcinam admittente, eâqve labyrinthiâ, ſed integrâ ſubſtantiâ cartilagineâ ſolidus. Fœmina qvædam triginta annos nata Autumni imbriferâ tempeſtate Anginâ correpta eſt, qvæ neglecta omnem deglutiendi facultatem ademit; ita ut ne qvicqvam liqvidi aut ſolidi permeare potuerit, tumore circa jugulum manifeſtô. Potus omnis Cannulâ ore attractus per nares reſiliebat cum ægrotæ aliqvô ſolatio. Per ſex ſeptimanas Clyſteribus nutrientibus ſuſtentata eſt: Sanæ mentis jam vivendi finem proximum conjectans liberos lugebri veſte indui juſſit accerſitô Sartore, conſangvineisqve advocatis ultimum vale dixit atqve inter preces exſpiravit. In apertô Cadavere Gulæ Sphincter muſculus ſive Oeſophogæus in Cartilaginem Oedemati haud abſimilem ſubſtantiam degenerâſſe transverſimqve totum Oeſophagum occupâſſe, & ductus ſeu canalis,

 per

per qvem alimenta ad Ventriculum deferuntur, nullâ adſtrictione, ſed coalitione ita clauſus inventus eſt, ut non oculis nedum ſtylo ulli pervius fuerit. v. Theoph.Bonet.*Sepulchr.Lib.III. Sect. 4. Obſ. 20. fol. 752. ſq.*

§. 17.

à Carunculis & Tumoribus. Nonnunqvam Carunculas & Tumores in Oeſophagô ſuccreſcere atqve Deglutitionem vel lædere, vel penitus impedire, ſeqventes docent Autores: e. g. Johannes Ludovicus Hannemannus *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 47. p. 135.* de Fœminâ, cui in Gulâ oriebatur Caruncula, qvalis meatum urinarium obſtruere vel obſidere ſolet. Hœc Caruncula non ſolùm Gulam occludebat, ut omnis aditus cibo & potui in Ventriculum denegaretur, verùm & muſculos, qvalis Cephalopharyngæus, Sphænopharyngæus & Stylopharyngæus, in ſuô motu impediebat. Hôc morbô, reliqvis viſceribus bene conſtitutis, & qvaſi ſana extincta eſt. Item, Oeſophagi Ulcere ex Lue venereâ ſanatô, Caruncula ſuborta ſolidorum ac liqvidorum Deglutitionem cum dolore difficilem reddidit. Æger diu Vitam trahens tandem ad plures penetravit, juxta Joh. Rhodii *Obſerv. med. Cent. 2. Obſ. 46. p. 77.* Scribit etiam Philippus Verheyen *Anatom. Corp. hum. Tr. III. cap. 10. p. m. 286.* ſe ex Oeſophagi Glandularum tumore ac ſcirrhoſitate patientem præ inediâ miſerè obire vidiſſe, omni ſcilicet viâ cibo potuiqve ad Ventriculum præcluſâ. Apertô autem Cadavere, reperit dictus Verheyen latera Oeſophagi ob vehementem compreſſionem coaluiſſe, ipſumqve ejus tubulum ſub glandulis iſtis in ſolidum corpus abiiſſe. *Oeſophaei coalitus.* De ſpongiolis Oeſophago annatis nihil ſe audiviſſe, ſed tales abſceſſûs, qvi omnem deglutitionem impediverant, ſe obſervaſſe ſcribit Joachimus Camerarius ad Sigismundum Schmitzerum, talemqve abſceſſum, longô tamen temporis tractu, continuô uſu aqvæ Veronicæ cum vinô deſtillatæ, ruptum fuiſſe meminit; Extuberantias verò ejusmodi, vel ſpongiolas in malè affectô

Oeſo-

Oeſophagô etiam ſine Ulcere naſci poſſe omninò exiſtimat. vid. Joh. Hornung. *Ciſt. medic. Epiſt. 110. p. 255.* Plenarium & lethalem Oeſophagi â Steatomate ortum coalitum Anno 1677. in Virô qvodam, Theodorô Vinck, ex Inediâ defunctô obſervavit Stephanus Blancardus *Collect. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 54 p. m. 424. ſeqq.* Fœminam qvandam ab intempeſtivô refrigerantium ad Inflammationem uſu contractô Gulæ ſcirrhô aſſumpta ægerrimè deglutiiſſe, refert Johannes Rhodius *Obſ. medic. Cent. 2. Obſ. 47. p. 78.* Et *Obſerv. ſeq.* puero octenni, per febrem ardentem, Deglutitionem absqve Oeſophagi anguſtiâ, & qvidem tantâ, ut Gula, Cadavere apertô, aqvam non admitteret, abolitam obveniſſe annotavit. Præfectus qvidam Venatorum de dolore circa dextram Oeſophagi partem qverebatur, præ qvô ne micam qvidem panis madefactam ſorbendo hauſtam ferre potuit, inimò vix ipſum ſolumqve potum, niſi paulatim & per cochlearia ſingula ſumeret. Æger cauſam in fruſtum tendinis bovilli ſubduri devoratum referebat, Henricus autem Smetius, ipſius Medicus, tuberculum durum intra Oeſophum, eâ in regione ſuccreſcere occepiſſe, exiſtimat *Miſcellan. med. Lib. 10. p. m. 529.* Sic villicus adoleſcens ex freqventi & diu productâ ſubdialis frigidiqve aëris uſurâ, provocatô viſcidæ pituitæ deſtillatu, ſentiit ſibi primum neſcio qvid ad palati forulum adhæreſcere; qvod aliqvot pòſt diebus in tuberculi formam ſe prodidit, atqve ex majoribus indies incrementis ad eam magnitudinem tandem excrevit, ut totas hominis fauces opplens nedum firmioris alimenti traductum, ſed etiam potum inſpiratumqve præcluderet: renixu durô, colore carneô, variis aliqvot plicamentis in ambitu excurrentibus præruptum. vid. Marc. Aurel. Severin. *de recondit. Abſceſſ. natur. p. m. 191.* Plura ejusmodi & alia exempla collegit Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 4. fol. 748. ſqq.* Nobili cuidam Matronæ, nihil omninò deglutire valenti, etiam id, qvod deglu-

tire conabatur, mox Oeſophago ſiſtebatur, breviqve pòſt ab inferiore parte ſurſum ebullire incipiebat, unde in vehementem Tuſſim angoremqve magnô cum ſuffocationis periculô incidebat, ita ut qvidqvam aſſumere recuſaret. Hæc tamen deglutiendi impotentia per viginti qvatuor tantùm continuabatur horas, ſiqvidem venâ primâ vice ſectâ mox levamen ſentiebat. Poſt ſecundam autem Venæſectionem eamqve ſeqventem Clyſterem liqvorem qvendam per Oeſophagum tranſire obſervavit. Ab illô tempore Oeſophagus ſenſim ad priſtinum reducebatur ſtatum. Hujus impeditæ Deglutitionis cauſam non Paralyſi, multòqve minùs excreſcentiæ durove tumori, verùm Oeſophagi glandularum obſtructioni tumoriqve, carnoſarumqve interioris Oeſophagi tunicæ fibrarum contractioni ex acidi acerbi affluentiâ haud dubiè ortæ adſcribit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. 2. Obſ. 27. Schol. p. 282. ſeq.* Patavii nobilis Virgo, Deo ſacra, jam ſeptem ac decem annis vix aliqvot guttulas liqvoris demiſit; Oeſophagô nempe ab oſſiculô aviculæ olim ſauciò ſcirrhoſus tumor affluente materiâ fuit genitus, juxta relationem Johannis Rhodii *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 47. p. 78.* Difficili Deglutitione Satrapa qvidam Aulæ Bavaricæ generoſus octenniô vel decenniô laboravit, ita ut in fauces ſumptô cibô per Oeſophagum non aliter ventriculo credidit ac Capo, qvi turundis farcitur. Hujus mali cauſam alii tuberculum crudum a viſcidis humoribus ortum, alii ſpasmodicam faucium contractionem ſtatuerunt. vid. Philipp. Hœchſtetter. *Obſ. med. Dec. 5. Caſ. 2. Schol. p. 547. ſq.*

§. 18.

ab Anevriſmate. Rarum difficilis Deglutitionis exemplum in Hiſtoria Academ. Reg. Scient. Pariſienſ. *An. 1700. p. 278.* â Chirurgô qvodam obſervatum communicatur. Scilicet nonnemo inter venandum Capite â dextro latere magnâ violentiâ averſô difficillimè illud in ſitum naturalem reducere potuit, & ab eô momentô

ſemper

ſemper malè habuit, Deglutitione & Reſpiratione ejus impeditiſſimis. Mortuus demum eſt elapſis qvindecim Menſibus, inventaqve ejus aorta extraordinario modô dilatata, ſaccus anevriſmaticus magnus in ſubclaviâ dextrâ, Oeſophagus atqve Trachæa admodum ſacco iſto compreſſa, Claviculæ divaricatæ, & fruſtum oſſis in Sternô deficiens ſacco iſti anevriſmaticò incluſum. Qvod qvâ ratione eò penetrare potuerit, non facilè conceperis.

§. 19.

Ad hos Deglutitionem impedientes Tumores pertinet etiam Polypus Oeſophagi, vermiformis â nimiô Pulveris Hiſpanici ſternutatorii, vulgò Spaniol, uſu excitatus, de qvô ſeqventem Obſervationem legere licet *Actor. Erud. Lipſ. An. 1715. Menſ. Oct. p. 456. ſq.* Caupo qvidam, in pago Poſſewitz, prope Pirnam, Vir annum qvadrageſimum tertium agens, ac ſat notabili Corporis mole gaudens, mirumqve in modum pulveris ſternutatorii Hiſpanici deliciis effaſcinatus, An. 1714. circa tempus vernale, dolorem qvendam urentem â nimia dicti pulveris aliqvando facta per nares attractione, in medio Oeſophagi percepit, inopinatòqve non ita multò poſt deglutitionem nonnihil animadvertit impeditam. Qvamobrem tam apud Medicos, qvàm Medicaſtros, auxiliô fruſtra qvæſitô, Penicillum, vulgò die Magen-Bürſte, applicat ejusqve ope ſat notabilem eqvidem educit pituitoſæ materiæ copiam, nullô tamen inde ſubſeqvente levamine. Ad qvæſtionem, num ex applicatione peniculi ſenſerit dolorem? reſpondit: eum qvidem ſe non ſenſiſſe, interim tamen difficilem, imò in Ventriculi cavitatem ejus penetrationem, omninò impoſſibilem, ob qvoddam in gula obſtaculum perceptum, plenarium peniculi ingreſſum prohibens, fuiſſe. Paulò poſt, locô ſperati effectûs ſalubris, magis magisqve malum augeri animadvertit æger, adeò ut ſolida tandem alimenta haud ampliùs aſſumere valeret, ſed liqvidis tantum, v. g. lacte, jusculô

à Polypo Oeſophagi.

ſculô avenaceô tenui &c. famem ſedare corpusqve nutrire cogeretur. Imò, tantum demum hic affectus ſumſit incrementum, ut recenſita jam liqvida tenuia, liberè exinde deglutire haud valuerit, ſed mediante calamô ſtramineo iſta abſorbere neceſſe habuerit miſer. Qvàm primùm enim paulò liberiùs largiùsqve ea ſorbere voluit atqve deglutire, ſtatim ea cum ſonitu regurgitârunt, præſentaneam ægro ſuffocationem minata. Tandem æger liqvidorum etiam ne guttulam qvidem ampliùs aſſumere potuit, qvô evenit, ut poſt aliqvot dierum ſpatium fame ſitiqve incredibili emaciatus atqve fractus miſerè perierit. Apertô hujus Cadavere Oeſophagus nonnihil contortus & Pharyngem verſus ſolitô tenuior atqve acuminatior apparuit, & qvidem adeò, ut apertura ejus, aliàs ſatis ampla, vix piſum admittere viſa fuerit. Inciſô verò Oeſophagô ſeſe ſtitit excreſcentia qvædam carnea, qvæ in mediâ Oeſophagi parte eaqve poſticâ, qvâ ſpinæ dorſi adjacet, initium ſumens ad Pylorum usqve ferè ſeſe extendens longitudine ſpatium ſex digitorum transverſalium, craſſitie verò lumbricum inſignem æqvabat, cujus etiam faciem aliqvô modo mentiebatur. Subſtantiæ hujus excreſcentiæ, rectiùs Polypi, erat carnoſo fibrilloſa atqve mollis, Color verô ex albô rubicundus. Vid. etiam §. 25. Occaſione Penicilli (Magen⸗Bürſte) hactenus ſatis noti, cujus in hoc Paragraphô mentio eſt facta, paucis monendum, ejusmodi Inſtrumenti pro eluendô Ventriculô, & qvidem magis innoxii uſum jamdudum fuiſſe notum. Inqvit enim Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 26. p. 43.* Non ita pridem in viciniâ noſtrâ ingenioſus homo virgulam flexilem, mollem & oblongam, cui ſcopa ex linteis carptis alligabatur, in uſum traxit, qvàm pro lubitu per fauces in Ventriculum demittebat ad eluendum Ventriculum ejusqve ſordes, & ſine nauſea retrahebat. Si qvis imitari volet, cavere debet, ne vel virgula frangatur, vel ſcopæ faucibus inhæreant.

§. 20.

§. 20.

Interdum etiam Cauſa difficilis vel impeditæ Deglutitionis conſiſtit in Oeſophagi conſtrictione & plenariô coalitu, vid. §. 17. Jocoſam autem vel potiùs malitioſam Gulæ adſtrictionem â potu vini malvatici, in qvô Radix Conſolidæ majoris infuſa fuerat, annotavit Philippus Hœchſtetterus *Obſerv. medicin. Dec.3. Caſ. 5. p.234.* Scilicet Mercatoris cujusdam filii radicem Symphyti majoris per noctem in vinô malvaticô infuderant, manè, exemptâ radice, ruſtico, qvi â qvotidianis laboribus erat, vinum obtulerunt, ille ſumptô poculô hauſit aſſatim, at cùm paulò pòſt ſibi præcludi fauces ſentiret, & maximâ cum difficultate deglutiret, heriles filios de venenô exhibitô accuſavit, â qvô ſtrangularetur. Qvi, qvamvis ſcirent, venenum non eſſe radicem hanc, tamen jurgia Patris reſciſcentis metuentes, ſi ruſticus deteriùs haberet, undiqve poſcunt opem. Svaſu igitur cujusdam acetum in potu dant, ruſticus â ſtrangulatu, heriles filii â metu jurgii paterni, liberantur. *ab Oeſophagi adſtrictione;*

§. 21.

Gulam qvandoqve etiam à Variolis ita coaleſcere, ut deglutitio impediatur, teſtantur Medicorum Obſervationes, qvalem recenſet Johannes Henricus Brechfeld de Eberhardi Lamperti, Æditui Hildeſienſis, filiolâ, cui Anno 1668. Oeſophagus â Variolis ita coaleſcebat, ut denegatô Cibi potusqve per illum tranſitu, miſeræ puellæ fame miſerrimè non ſine maximô parentum luctu pereundum eſſet. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol.1. Obſ. 109. p. 199.* Item filiolo cuidam Anno 1688. Ferrariæ Oeſophagus â Variolis ita coaluit, ut denegatô cibi potûsqve per illum tranſitu, miſero puero fame & ſiti miſerrimè non ſine magnô parentum luctu pereundum fuerit, uti iisdem ferè Brechfeldii verbis teſtatur Joſephus Lanzonus *M. N. C. Dec. II. An.9. Obſ.45. p.80.* Et *Dec. III. An.7. & 8. Obſ.47. p.72.* *à Gulæ coalitu, à Variolis.*

p. 72. Gulæ coalitûs â Variolis lucanicâ ſublati meminit Petrus Rommelius ſeqventibus verbis: Non rarò accidit in Variolis, ut ab iſtarum copiâ fauces & pharinx præcludantur & obſtruantur, ut ægrotantes ægerrimè, interdum planè nihil, per illam fiſtulam transmittant, imò haud rarò ſuffocationis periculum ſubeant. Exempli locô ſit puer ſex vel ſeptem circiter annorum, Textoris filius, tam fœdè â Variolis copioſisſimis & tandem confluentibus deturpatus, ut magis turpificatum toto Praxeos noſtræ tempore vix viderimus; caput prægrande & tumidum duplô majus apparebat, facies prætumida; oculi arctiſſimè ob inſignem palpebrarum tumorem clauſi, ita ut ne minimum eorum veſtigium, ubi laterent, adparuerit; aures, nares, labia & os, in-et extrinſecus Variolis ſcatebant, univerſumqve corpus nihil aliud niſi puſtulæ, pus & ſanies, ut nullibi non fœdatæ cutis tantum ſpatium, qvod piſi vel lentis magnitudinem ſuperâſſet, invenire potuiſſes. Ob nares obſtructas osqve tumefactum & ferè clauſum anhelitum ægerrimè trahebat, nihil vel cibi, vel potûs per pharyngem, undiqvaqve variolis obſeſſam, tranſire, & vox rauca vix verbum intelligibile pronunciare poterat: in ſummâ, horridum ſpectaculum, monſtrum potius, qvàm hominem dixiſſes. Gula etiam ob ruptas puſtulas omninò qvaſi coaluerat, & qvia vires tam magnitudine & malignitate morbi, qvàm ob denegatum alimentorum ac medicamentorum tranſitum deficere incipiebant, res intra ſacrum & ſaxum jam conſtituta planeqve deſperata videbatur. Rebus ſic peſſimè ſtantibus, qvidam cognatorum, puero ægrotanti valde acceptus, miſelli miſertus, inter alia illum interrogat, num lucanica illi arrideat? Daniel, möchteſt du nicht eine Bratwurſt? ſciebat enim tale edulium ipſi volupe eſſe. Auditô nomine lucanicæ, puer qvaſi ex altô ſomnô expergefactus, qvi ad interrogata alia nihil hactenus reſponderat, ſtatim balbutiente qvidem & vix perceptibili,

magnum

magnum tamen lucanicâ veſcendi deſiderium teſtante voce reſpondit, Ja, ja. Opportunè ægrum tunc inviſens Medicus interrogatus, utrum lucanica eſſet concedenda? facillimè annuit, ſtatimqve, ut apportaretur, curavit, ſperans, qvia tam anxiè expeteret, fore ut deglutitione edulii tam deſiderati Gulæ coalitæ aliqvalis violentia inferretur, ſicqve fauces præcluſæ denuò aperirentur: nec ſpes fefellit. Statim enim ac lucanica adferebatur, portionem iſtius nihil cernenti ambabus arripienti porrigebamus, qvi flagrantiſſimô deſideriô non ſine violentiâ & dolore ori intrudebat vixqve tentatâ maſticatione, non ſine difficultate & dolore abliguriebat, ſimulqve pus & ſaniem ex puſtulis ruptis deglutiebat; ſicqve ſubſecuturo cibo & potui iter liberum denuò reſtituebat, vitæqve jam imminens periculum feliciter evitabat.

§. 22.

A Paralyſi ſeu reſolutione Gulæ ſæpiſſime Medicis practicis *à Paralyſi.* impedita Deglutitio occurrit. Scilicet poſt vomitum, vertiginem & ſpasmum cynicum reſolvebantur ſub autumni finem mulieri qvinqvagenariæ tam pertinaciter muſculi deglutitionis, ut gulâ propterea flacceſcente ne guttulam qvidem deinceps potuerint transmittere, licet nec dolor, nec tumor, nedum ulla ipſum urgeret anguſtia, teſte Nicolaô Tulpiô *Obſerv. medic. Lib. 1. cap. 42. p. m. 82.* Ex reſolutione muſculorum deglutitioni inſervientium, integris aliis facultatibus, qvendam repentè ægrotaſſe & periiſſe, non ſolùm ex Thomâ à Vega, ſed etiam ex propriâ experientiâ in Olitore qvodam refert Johannes Schenckius *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 315.* Ex Paralyſi muſculorum Pharyngis Contractioni inſervientium poſt levem Apoplexiam Deglutitionem diverſimodè læſam in Senatore qvodam obſervavit Johannes Schmidius, qvi ſolida ſcilicet omnia, panem, carnes, piſces maſticabat & lingvâ in ore circumvolutabat, deglutire autem, imò nec potu multô diluta

 detru-

detrudere non poterat, potulenta omnia liberrimè deſcendebant, uti ſupra *ex M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 162. p. 206.* adduximus. Ludimagiſtri cujusdam filia viginti annorum, poſtqvam aliqvandiu obſtructione menſium laboraverat, tandem in Cachexiam incidit, qvâ durante alvus ipſi adſtricta admodum fuit, deglutiendi tandem impotentiâ ſubſeqvente, unde ipſa inſtar Sceleti emaciata fuit. Hujus cauſam nonnulli ſtatuebant Medici, qvòd excreſcentiæ qvædam glandulæve in Oeſophagô induratæ eſſent. Cujus tamen phænomeni veritatem inqvirens Medicus flexile qvoddam os balenæ ſumſit, cujus extremitati ſpongiam applicuit, ſicqve ſenſim ad Ventriculum ferè usqve immiſit, nullô inventô obſtaculô; unde Paralyſin qvandam in dictâ parte exiſtere indicavit. vid. Cornel. Stalp. van der Wiel. *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 27. p. 278.* Paralyſin Gutturis ex potu frigidô in Pharmacopœô annotavit Johannes Helwigius *Obſ. 49. p. m. 177.* Hic ſcilicet Pharmacopæus temperamenti calidi, cum tempore æſtivô hauſtum Cereviſiæ triticeæ ex cellâ ſubterraneâ modò allatæ avidus bibiſſet, ſtatim raucedine moleſtatus, vocis langvore infeſtatus, gutturis anguſtiam & deglutitionis impotentiam ſentiit, ut vix unum aut alterum cochleare liqvoris aut juſculi aſſumere potuerit. Adhibitis qvidem multis & variis remediis, internis & externis, per novem ferè ſeptimanas, ſed omnibus incaſſum, ſuperveniente demum Catarrhô ſuffocativô in paucis horis naturæ debitum reddidit. Scribit etiam Thomas Williſius *Pharmacevt. ration. Part. 1. Sect. 1. cap. 2. p. m. 6.* ſe noviſſe qvosdam ob Paralyſin in Oeſophagi tunicâ carneâ excitatam, Deglutitionis magnâ difficultate laborâſſe, aliosqve ob fibras penitus reſolutas fame interiiſſe. Qvidam etiam laborabat febre diuturnâ cum ſummâ appetitûs proſtratione; reſtitutus autem nullum cibum, licet valde appeteret, deglutire poterat, ſed per digitos vi intrudere cogebatur. vid. Philippus

pus Salmuth. *Obſerv. medic. Centur. 3. Obſ. 16. p. m. 119.* Mulier vetula ſubitò loqvelam amiſit, adeò ut verba nulla proferre poſſet, accedebat in deglutiendo ſumma difficultas, ſic ut non niſi juſcula vel lac, eaqve minimâ qvantitate & guttatim, cum labore deglutiret, qvæ qvandoqve in aſperam arteriam prolapſa tuſſim movebant, ſicqve per aliqvot ſeptimanas fuit ſuſtentata. Nervorum ſextæ & ſeptimæ conjugationis vitiô hoc accidiſſe, veriſimile eſt Felici Platero *Obſerv. Lib. 1. p. m. 224.* Senator qvidem Bregenſis Apoplexiâ ſubitò corruit, rediens ad ſe omnes qvidem ſenſûs recuperavit, judicium erat accuratum, memoria integra, Paralyſis in brachiô non usqve adeò inſignis; At muſculi deglutitioni inſervientes reſoluti, adeò ut nihil ferè deglutire poſſet, imò ne guttam qvidem bibere, ſine metu ſuffocationis præſentiſſimæ, in qvô ſtatu permanſit, donec labaſcentibus de die in diem viribus extingveretur, referente Daniele Wincklero *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſerv. 40. p. 73.* Et *pag. ſeqv. in Scholiô* G. Chr. Winckkerus triſtiſſimum ejusmodi caſum in matre propriâ ſummô cum mœrore videre ſibi contigiſſe addit. Piſtor qvoqve & Civis Buxtehudanus in morbum febrilem incidit, qvem actutum muſculorum pharyngis & Sphincteris vel Oeſophagi tam vehemens Paralyſis comitabatur, ut nihil qvicqvam, ſive ſolidum, ſive liqvidum eſſet, deglutire poſſet; & hôc morbô fuit extinctus, juxta relationem Johannis Ludovici Hannemanni *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 48. p. 136.* Fæmina qvædam robuſta in febrem pulicarem contagioſam incidit cum lingvâ nigrâ, retorridâ & fuligini ſimili, qvam ſitis clamoſa calorqve intolerabilis comitabantur. Hæc undecimô die aphona facta difficultate deglutiendi corripitur, ita ut nec ſolita, nec liqvida ingerere poſſet. Dehinc pejus habebat & ſine pulſu exanimis veluti in horas moritura ſperabatur, facie prædita Hippocraticâ, decem dierum ſpatiô nullô cibô uſa, &c. vid. Zacut.

Luſit. *de Prax. med. admirand. Lib. I. Obſ. 100. fol. m. 23.* Annotavit etiam bina læſæ deglutitionis exempla Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. medico-phyſ. Cent. I. Hiſtor. 77. & 78. pag. 111. ſq.* alterum cum ſtupore Colli in uxore cujusdam Mercatoris Gorlicenſis, qvæ in puerperiô applicatis ab Obſtetrice pro mammillis ex inflammatione valde tumentibus aquis refrigerantibus & repellentibus, accedente ſimul faucium collutione cum aqvis perinde frigidis, tantô affecta eſt Colli fauciumqve ſtupore, ut ne guttulam qvidem, ſive medicaminum, ſive eſculentorum admittere poſſet, nullâ ope ſananda, usqve dum inter perpetua animi deliqvia, vitam cum morte commutare juberetur. Alterum exemplum eſt de Cive qvodam Gorlicenſi ex malô phthiſicô antehac per biennium Arthritide vagâ periodicè conflictatô. Huic die unô alterôqve ante obitum deglutitio tantum negotium faceſſit, ut ne guttulam qvidem cereviſiæ ſine ſuffocationis metu amplius deglutire valeret. Et qvamvis interdum qvædam lambitiva atqve lubricitantia guſtui accepta admitteret, non tamen ſine conamine ingenti, cum anxietate & ſudoris frigidi eruptione fiebat, donec inter Lipothymias in vivis eſſe deſineret. Ejusmodi ſpecies Paralyſeos absqve dubiô qvoqve in cauſâ fuit in Paſtore Goclingenſi, qvi de miris conqverebatur Olfactûs incommodis, adeô ut rem etiam fragrantiſſimam odoraturus deglutiendi difficultatem mox incurreret voxqve hæſitare ſtatim inciperet, ceu fruſtum deglutiendum illum impediret. vid. Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ. 40. pag. 181.* Referre huc etiam liceat ſpeciem læſæ deglutitionis, qvam Roſinus Lentilius recenſet. Scilicet Illuſtriſſimus qvidam Comes, ſexagenarius, jam aliqvoties paroxyſmis apoplecticis, licet levioribus, tentatus, raro vitrum, ſive vinum bibat, ſive acidulas, evacuare poteſt, ſed ſemper adhuc liqvoris portionem in vaſe relinqvere cogitur, id qve ob eandem deglutitionis difficultatem, olim, anteqvam ejus-

modi

modi inſultûs paſſus eſſet, ſimile qvid nunqvam ſentiens. Qvodſi qvis cuidam muſculorum Oeſophagi ſemiparalyſi, aut fibrarum alicui relaxationi acceptum ferat, forte non erraverit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. I. App. p. 129.* Deglutitionem à Paralyſi fibrarum impeditam in Virô ſexagenariô, catarrhis â multis annis obnoxiô, obſervavit etiam Chriſtianus de Helwich *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 59. p. 93. ſeq.*

§. 23.

Interdum hoc deglutitionis vitium in infimâ Oeſophagi parte circa Ventriculi orificium hæret. Vidit enim Johannes Fernelius mulierem gravidam, cui tuberculô durô eoqve ingenti ita os Ventriculi obturabatur, ut qvicqvid indebatur attractô Ventriculi ore, mox remearet atqve redderetur. Sic adſtantium omnium judiciô nihil cibi potusve bimeſtri tempore, vel conatu maximô, ea voravit. Tandem morbô, deſipientiâ febreqve confecta deceſſit, editô partu, qvem vitæ ſuperſtitem reliqvit. vid. Joh. Fernel. de *Morb. Part. Lib. 6. cap. 1. p. m. 125.* A ſiniſtri orificii occluſione vomitum ferè perpetuum annotavit Thomas Willis *de Anim. Brutor. Sect. 2. cap. 1. p. m. 24. ſeq.* Vir qvidam, inquiens, Oxonienſis robuſtus & aliàs ſanus, â longô tempore vomitu crebrô laborans comeſta qvæqve ſæpius, etſi non ſemper, mox rejicere ſolebat: tandem victis omnibus remediis morbus in eum ſtatum devenit, ut valde eſuriens comederet ille, donec Oeſophagus ad Gulam usqve impleretur, dein nihilô in Ventriculum illabente, ingeſta qvæqve cruda regereret. Cùm pharmacis minimè juvantibus, præ fame ſummè elangveſceret & propediem interire periclitaretur, inſtrumentum ei inſtar virgulæ, è pinnâ cetaneâ, cum ſpongiæ fibulâ apici ejus affixâ parabam; hoc ægrotans ſtatim â cibô & potu aſſumptis, gutturi unaqve Oeſophago immittens, alimenta, ſecus reſtagnatura in Ventriculum, orificiô ejus reſeratô, detrudebat; atqve hujus ope per ſedecim

ab Orificiô Ventriculi.

annos

annos & ultra pabulum qvotidie ſumſit. Procul dubiô in hôc caſu os ſtomachi, ſive â tumore, ſive â paralyſi ſemper occluſum, nihil, niſi violenter reſeraretur, in Ventriculum admiſit. Noribergæ Mulier qvædam longo decubuerat tempore, angebatur transglutiendi difficultate maximâ & tantô gulæ ardore, ut præ eo nec dormire, nec ſitim ſedare qviverit. Auctâ gulæ anguſtiâ, vix qvid liqvidi in Ventriculum immiſit: Ventriculus ad Vomitum excitatus egerebat interim cibum, interim phlegma viſcoſum ac craſſum, interim etiam pituitam cum bile craſſâ permixtam; ægra ſciſcitata, num juxta ingreſſum gulæ in Ventriculum vel Ventriculi orificium qvid, tanqvam clavi infixi, vel globulum perſentiſceret? reſpondit, ſe totô octenniô tale qvid in eâ regione percepiſſe atqve transglutiendi magnâ difficultate laboraſſe, ſimiliqve morbô & patrem & ſorores & alios ſuos amicos occubuiſſe affirmabat. Tandem nutrimento deſtituta atqve ad extremam perducta maciem extincta eſt. Mortuam aperuit Volcherus Coiter, & invenit ad Ventriculi orificium ſcirrhum pugni magnitudinem excedentem, ſubſtantiæ gulæ innatum, qvi craſſitie ac tumore ſuô anguſtârat atqve obturârat Oeſophagi finem. v. Volcher. Coiter. *Obſ. anat. chir. fol. m. 121.* Ejusmodi Obſervationes etiam reliqvit Felix Platerus *Obſ. Lib. 1. p. m. 222. ſq.* nimirum figulus per qvinqvennium, cibos ſolidiores vel liqvidiores aut potum deglutiturus, deglutitionis difficultate laboravit, dicta enim alimenta, niſi paulatim & parvâ qvantitate aſſumpta, in Ventriculum minimè deſcenderunt, ſed ſupra illum, circa cordis regionem, ut vocant, ſubſtiterunt, illicqve angorem & compreſſionis ſenſum pepererunt tamdiu, donec ſupinus dorſo incubuit, tunc enim cum ſonô qvodam ea, qvæ illic hærebant, in Ventriculum illapſa ſunt. Item ſcriniarius qvidam Vir robuſtus â menſibus aliqvot, qvotiescunqve carnem aut panem deglutire voluit, mox ſenſit in Ventriculi elatiore regione magnam compreſſionem, qvæ eum ad vomitu

aſſum-

aſſumpta iterum rejicienda adegit; ſi verò qvandoqve in ventriculum hæc illaberentur, ſtatim levamen ſenſit flatusque tunc per ructum eruperunt. Idem illi, ſi affatim biberet, accidit, ut & potus ſubſiſteret in Oeſophagô, donec per vomitum rurſus ejiceretur &c. Imò ſibi ipſi in ſuâ ſenectâ hoc accidiſſe dicit Platerus, carnem tenaciorem aut duriorem, vel minùs inciſam aut maſticatam deglutienti, ut illa in Oeſophagi ingreſſu in Ventriculum ſubſiſtens anguſtiam ſummam & compreſſionem eô in locô ipſi pepererit, item cuidam totô anni ſpatiô & ampliùs Lucernæ cibos paulò ſolidiores deglutienti in mediâ viâ hi ſubſiſtebant eumqve tamdiu angebant, donec ſuperbibendo eos deorſum propelleret. &c. De difficili Deglutitione ex inflammatione ſuperioris orificii Ventriculi, vid. Guil. Fabric. Hild. *Obſ. chirurg. Cent. VI. Obſ. 34. Oper. fol. m. 540.*

§. 24.

Dantur inſuper adhuc aliæ læſæ Deglutitionis cauſæ v. g. Salivatio vel Mercurii uſus illegitimus. Ab uſu enim Cinguli mercurialis in ſcabioſô qvodam Deglutitionem & Loqvelam interceptam, item reſpirationem impeditam faciemqve in immenſum auctam atqve lividitate perfuſam ad inſtar ſuſpenſi & illicò ſuffocandi hominis obſervavit Paulus Jalon. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 107. p. 204.* De Deglutitione â fumô Nicotianæ læſâ ſeqventem obſervationem communicat ejusqve cauſam materiæ flatulentæ adſcribit Eberhardus Gockelius: Vir qvidam ſpectatiſſimus cùm ante aliqvot annos fumô Nicotianæ per conſvetum tubulum ſeu fiſtulam, ut vocant, ori ac faucibus eundem atttahendô tempus falleret, ex iſto tempore aliqvale deglutitionis impedimentum ſine omni internâ Colli læſione, tuberculô, eroſione vel aliô aliqvo præternaturali ſignô vel indiciô ſenſit, ita ut, ſi materiam aliqvam eſculentam vel potulentam deglutire conabatur, non primô ſtatim conamine in Oeſophagum deſcenderit, ſed ſecundâ vel tertiâ vice illud

â Mercuriô.

â Nicotiana.

Mm cona-

conamen repetere coactus fuerit, usqve dum deglutitionis ſcopum attigerit. Qvod malum Patientem incertô qvidem & longô tempore comitabatur & affligebat, præſertim ſi ſibimetipſi dictum affectum cum timore altiùs imaginabatur, & de deglutiendi facultate ſollicitus erat, *vid. M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſerv. 79. p. 120.* Poſt Viperæ morſum & Veneni exſuctionem Lingvæ tumor exortus Deglutitionem impediens a Johanne Georgio Sommero communicatur *ibidem An. 3. Obſ. 157. p. 271.* ſcilicet Venator retia ſua in dumetis firmando offendit viperam, qvæ ipſi in medii digiti articulum primum in parte externâ duo vulnuſcula vel potiùs rimulas, oculis vix cognoſciles, dentibus inflixit. Venator ruri auxiliô deſtitutus medelam in momentô qværens minùs tutam arripit, dum venenum extracturus ſangvinem ore ex vulnuſculis ſugit, qvô factô actutum intumeſcit lingva, ac ſi pomum in ore teneret, ut loqvela & Deglutitio impediretur.

à Viperæ morſu.

§. 25.

à Polypo narium & faucium.

Sæpiſſimè etiam Polypi narium fauces & Oeſophagum occludunt atqve Deglutitionem impediunt, e. g. Pediſſeqvus qvidam ex ictu graviori reſpirandi contraxit difficultatem, adeò ut ſpiritum ducere grave ipſi valde; imò ſucceſſu temporis incrementum tale ſumpſit malum, ut ne qvidem cibum deglutire, niſi cum moleſtiâ ſummâ, valeret. Hunc ægrum viſitans Jobus a Meekren non ſolùm nares Polypô repletas obſervavit, ſed & fauces anguſtatas â Maſſâ carneâ gravi, durâ, cartilagineâ, circa uvulam deorſum ad Oeſophagum ſe extendente, muſculis Oeſophagæis incumbente, juxta Job. a Meekr. *Obſ. med. chir. cap. 12. p. 76. ſeq.* ubi curationem reperies. Ingens narium polypus, deglutitionem præpediens, etiam obſervatus eſt a Michaele Bernhardo Valentini in puerô, qvi tantâ narium excreſcentiâ, qvam polypum vocant, laborabat, ut deglutitionem tantùm non penitus impediret. Alterutrius inſimul malæ tumor exulce-

ulceratus aderat, tamqve altas radices egerat malum in palati confiniis, ut ægrum prognoſtico potius relinqvere, qvàm immedicabili malo manum adhibendo operam & oleum perdere maluerit Medicus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 82. p. 187.* Aliqvot ejusmodi exempla mihi ipſi obſervare licuit. Venator ſcilicet viginti aliqvot annorum per longum temporis ſpatium narium obſtructionem patiebatur, ita ut non niſi ore apertô reſpirare poſſet, concomitante naſi ingente dolore, poſtmodum verò ſenſim ſenſimqve, poſt Uvulam, carneam ſentiebat excreſcentiam, qvæ ipſi non modò difficillimam cauſabatur deglutitionem, omnemqve cibi aſſumptionem impediebat, ſed ſubitaneam qvoqve ſuffocationem minitabatur. Qvem tamen Polypum Chirurgus mediante ſatis craſſô, certaqve enchireſi contortô filô, qvamvis cum largâ digitorum ab ægrotante demorſorum cruentatione, applicatô, deqve die in diem magis magisqve conſtrictô exſtirpare tentabat, atqve poſt aliqvot dies hanc excreſcentiam polypoſam, ficum majorem referentem & unciam unam cum dimidiâ ponderoſam cum filô extrahebat. Poſtmodum autem dictus Venator, ante duos annos inter rixas verberibus, & inter alia naſo inflictis, peſſimè tractatum ſe fuiſſe recordabatur. Bina adhuc ſimilia exempla alterum in lanionis, alterum in pictoris filiô obſervavi, qvorum ille ſeptendecim annorum per eundem Chirurgum, licet difficillimè, ab ejusmodi pyriformi excreſcentiâ liberabatur, hic verò octodecim annorum, ob impoſſibilem ligaturæ applicationem, Inediâ penitus emaciatus naturæ tributum ſolvebat.

Obſervatio.

Alia.

§. 26.

Plures adhuc aliæ difficilis & impeditæ deglutitionis cauſæ in ore occurrunt, utpote inflammationes, anginæ, abſceſſûs, vulnera &c. de qvibus evolvantur hactenus allegati & alii Autores v. g: Joh. Schenck. *Obſ. Medicin. Lib. 3. fol. m. 315. ſeqq.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 4. fol. 745. ſeqq.* Matthiæ Moron.

Ab aliis cauſis.

Director. med. pract. p. m. 17. ſeq. & 117. ſeq. Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirab. Lib. 3. cap. 6. p. 249. ſeq.* Ehrenfr. Hagendorn. *Hiſtor. medic. phyſ. Cent. I. Hiſtor. 88. p. m. 128.* Corn. Stalp. van der Wiel *obſ. rar. Cent. prior. obſ. 25. p. 103. ſeq.* De deglutitione ab Anginâ impeditâ & per Veſicatorium ſupra ſuturam coronalem appoſitum ſanatâ ſeqventem Obſervationem recenſet Joſephus Vallisnerius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 76. p. 410. ſeq.* Mulier, inqviens, triginta annos nata, ſangvinea atqve robuſta, ſuppreſsô puerperiô ex abortu in Anginam incidit cum magnô materiæ pituitoſæ ad guttur affluxu. Advocatus venam pedis, præmiſsô Clyſtere ſecare juſſi, Gargarismata præſcripſi & partium externarum inunctiones, in qvibus tamen nulla inflammatio conſpiciebatur. Mox augeſcente deglutiendi ac reſpirandi difficultate ſub linguâ venæ ſectæ fuerunt, â qvibus ſtatim in omnimodam deglutiendi difficultatem incidit. Nova Gargarismata, inunctiones, emplaſtra, cucurbitulasqve ſcapulis ſcarificatas incaſſum præſcripſi, ſicqve per diem integrum ac noctem excruciata ſine potu & cibo vixit. Manè (omnibus jam deploratam lugentibus) Veſicatorium ſupra Commiſſuram Coronalem, abraſis capillis, appoſui, & per tres vel qvatuor horas reliqvi, tuncqve patiens aſſerebat, ſe perſentire ſenſim attractionem cerati primò ad gulam, deinde ad pectus, mox ad ſtomachum pervenire, qvo tempore ceratum auferre juſſi, hilariqve animô ſtatim comedere cœpit & evaſit.

§. 27.

â Cauſæ morali. Notabile qvoqve impeditæ Deglutitionis exemplum annotavit Roſinus Lentilius de Muliere; qvæ omnia tam eſculenta, qvàm potulenta promptiſſimè deglutire ſciebat, Hoſtiam tamen conſecratam nullô modô poterat, qvin adhibitâ magnâ vi faucibus ingeſtam vomitu rejicere conabatur; Qvod malum diu durârat, variaqve ſine fructu applicata erant remedia: nec

nec erat mulier aliis morbis obnoxia, non hyſterica, non ſpaſmis affligi ſolita, nil inſoliti circa menſium negotium unqvam patiens, &c. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. obſ. 61. p. 125. ſeq.* ubi cauſam moralem ſubeſſe Lentilius ſcribit.

§. 28.

Qvandoqve cauſa impeditæ Deglutitionis extra Gulæ ſubſtantiam & Cavitatem hæret, ſiqvidem inter Oeſophagum & aſperam arteriam nonnunqvam durus & exitialis qvidam tumor, modò foris conſpicuus, modò verò intus deliteſcens ſe inſinuat, qvorum uterqve gulam tam ſtrictè occludere poteſt, ut denegatô alimentis tranſitu hominem peſſundet & inediâ interficiat, qvod teſtatur Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. 1. c. 44. p. 88. ſeq.* Viduæ ſcilicet cujusdam Naupegi ſuccrevit paullatim ex deſtillatione humilis ac latus tumor inſidens firmiter lateri aſperæ arteriæ, paulùm ſupra jugulum. Hinc impediri evidenter Spiritus, & tandem tantopere deglutitiones, ut circa ſummum tumoris incrementùm vix qvicqvam ampliùs transmiſerit gula, niſi fortè exiguas lactis vaccini guttulas, qvarum ope neqvaqvam ubi reſtaurarentur debitè vires, majoris opis indigæ, emarcuit neceſſariò corpus & exceſſit ipſa non invita è vita. Diſſectô autem Cadavere & denudatâ convenienter Cute, oſtendebatur hic tumor ad inſtar Carcinomatis colore lividus & radicibus diffuſus per qvamcunqve colli partem; potiſſimùm verò circa gulam, premendô eam tam arctè, ut ex complicatis ipſius tunicis recreſcerent intus varia filamenta obturantia intricatâ ſuâ texturâ usqve eò perviam hanc fiſtulam, ut ne ferreum qvidem ſpecillum per eam licuerit transmittere. Nobilis cujusdam tracheæ arteriæ & gulæ tantum adipis indurati adhæſit, ut paucos dies ante obitum cibos aſſumere neqviverit, ſolô potu ſuſtentatus. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. III. Sect. 4. Obſ. 4. fol. m. 747.* ubi plures ejusmodi læſæ Deglutitionis obſervationes leguntur. A compreſſione

Deglutitio impedita a cauſis externis.

tumidi Lienis, conſtrictis Inteſtinis, deglutiendi facultatem ſolutam ſe Romæ vidiſſe refert Thomas Bartholinus *Epiſt. med. Cent. 4. Epiſt. 14. p. 54.* Gravedinis in Uxore qvadam egregiâ Organa ſermoni & Deglutitioni deſtinata adeò violenter conſtringentis, ut neqve verbum proferre, neqve qvicqvam deglutire patiens potuerit, atqve interitui ex fame proxima fuerit, meminit Robertus Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. Addit. p. 432.*

§. 29.

Varia in Oeſophagum illapſa.

Nonnunqvam etiam inter maſticandum & deglutiendum, vel aliâ qvoqve occaſione & ex improviſô, varia in Oeſophagum prolabuntur, vel faucium iſthmum ſive Oeſophagi principium obſtruunt, vel in faucibus & Oeſophagô infixa hærent, ibiqve dolorem, inflammationem vel etiam abſceſſum excitando Deglutitionem impediunt; interdum etiam, niſi maturè extrahantur, aut in Ventriculum detrudantur, ipſam mortem inducunt; ſive talia a nimis avidâ & incautâ ingurgitatione ibidem remanſerint, ſive caſu & infortuniô illapſa, ſive ſtudiô & per jocum deglutita fuerint.

§. 30.

Oſſicula.

Freqventiſſimè autem inter edendum Oſſicula in Gulam illapſa varia ſymptomata excitare obſervantur; Nobilis enim Virgo Patavina, Deo ſacrata, jam ſeptem ac decem annis, vix aliqvot guttulas liqvoris demittere potuit; Oeſophagô nempe, ab oſſiculô aviculæ olim ſauciô, ſcirrhoſus tumor affluente materiâ genitus fuerat, referente Johanne Rhodiô *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 47. p. m. 78.* Scriba qvidam cùm in artocreate pullos columbinos, confractis, ut ſolent, priùs ipſorum oſſibus, coctos comederet, oſſiculum ſimul ex parte deglutiiſſet, illic, ubi abruptum fuit, acutum Oeſophago infixum hæſit, unde tantus dolor ſubortus, ut miſerè cruciaretur, mox ſecutâ inflammatione & tumore, qvi etiam foris in collô apparebat

rebat; exactis verò aliqvot diebus poſt appoſitum Cataplasma maturans, maturari & in abſceſſum converti cœpit; qvô apertô unà cum pure oſſiculum qvoqve prodiit atqve exemptum eſt, juxta Felic. Plater. *Obſ. med. Lib. 2. p. m. 413.* Sic etiam Os acutum gutturi infixum tandem in fine duorum Menſium per Cutem exiiſſe, ex Arculanô refert Petrus Foreſtus *Obſ. med. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. fol. 167.* videatur autem ipſius Johannis Arculani *Pract. cap. 57. fol. m. 73.* Fœmina oſſiculum undiqve peracutum deglutivit; primô, ſecundo & tertio diebus provocatô vomitu neqve egerere neqve transglutire potuit. Medicus qvarto die invenit Collum intus & extus inflammatum, ita ut vix inſpirare aut exſpirare, vel etiam juſcula ſorbere poſſet. Urgebant dolor vehemens, febris, delirium & convulſiones. Tandem exortô abſceſſu per Os rejecit plurimum puris ſimulqve oſſiculum, ſicqve liberata & brevi curata fuit, vid. Guilhelm. Fabric. Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. 1. Obſ. 32. fol. m. 29.* Idem Autor etiam *Cent. 5. obſ. 35. fol. 421.* Obſervationem de Oſſiculô, Oeſophago infixô cum ſubſeqvente morte communicat. In juvene ſcilicet, cui inter cœnandum oſſiculum in gulâ remanſerat, nullô inſtrumentô extrahendum, octavâ morbi die Collum undiqve durum, tenſum & ſupra modum usqve ad ipſum pectus intumefactum inveniebatur, dolor erat maximus, reſpiratio difficilis, pulſus celer & debilis, nec guttulam qvidem juſculi deglutire potuit, & ſeqventi nonô morbi die obdormivit. Poſt obitum inciſô collô Oeſophagum cum vicinis ſuis partibus, eô præſertim in locô, ubi oſſiculum infixum fuerat, planè ſphacelatum, cum maximô fœtore, oſſiculum verò nusqvam, imò nec in ipſô Ventriculô invenit dictus Guilelmus Fabricius. De Conſule qvodam, qvi in aliqvô conviviô, ex improvidâ fruſtuli oſſiculi pulli aſſati deglutitione, omnibus remediis fruſtra tentatis, paucarum horarum ſpatiô vitam finiebat, vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur.*

ſaur. theor. pract. Caſ. 29. Schol. §. 1. p. 377. Bibliopegi filiolus trium annorum rectè valens derepentè inter prandium vehementer tuſſire & qvaſi ſtrangulari incepit, exclamans: Mater, oſſiculum deglutivi! Sollicita Mater nihil niſi carnes vitulinas minutim conciſas in orbe deprehendit. Interea vomere, multum phlegmatis per os & nares ejicere, raucam vocem contrahere inceſſanterqve tuſſire cæpit ille, deglutiendô tamen omnia, qvæ ipſi præbebantur. Remiſère tertiâ die Symptomata vehementiora, ſolâ remanente tuſſi & raucedine, ita ut deambulârit, comederit, libentiùs tamem mollia & liqvida, qvàm cibos & ſolidiora, qvotidie autem ſemel vel bis vomuerit. Circa decimum qvartum diem manè poſt juſculum ſumptum iterum vomuit ſat vehementer, & inter vomendum ejecit oſſiculum parvum, ex ſternô pectoris vitulini, & derepentè ille, diſcuſſâ omni raucedine, elatâ voce: ecce Mater oſſiculum! ſicqve ceſſantibus omnibus Symptomatibus poſtea rectè valuit, referente Carolô Raygerô *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 109. p. 279.* Rarum etiam caſum de ſubitaneâ qvadam fruſtuli oſſei deglutitione, nec non ejusdem rarâ exoneratione ex Antonii Nuckii communicatione recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſter. Obſ. 21. Schol. p. 245.* Hagæ, ſcilicet Miles qvidam, cùm domum aliqvando veniret eſuriens admodum, ſubitòqve juſculum qvoddam, in qvô fruſtum aliqvod oſſeum latitabat, ſumeret, hoc nimiâ feſtinatione cum juſculô in Oeſophagum irruit, ubi propter notabilem magnitudinem ſiſtebatur. Perturbatus autem ille digitum gulæ immiſit eâ cùm ſpe, ut vomitu os ejiceret, verùm necqvicqvam tentavit. Qvapropter multum hauſit olei, cùm, ut os evomeret, tum ut vias redderet glabras, ſed & hæc incaſſum fiebant: qvin etiam os propter Oeſophagi ex oleô glabritiem deſcendebat inſuper latitudine trium digitorum transverſorum, unde laborans, multum intumeſcente facie (ſiqvidem Os non

tantùm

tantùm majuſculum, ſed & anguloſum eſſet acutumqve) maximô correptus fuit angore atqve dolore, ita ut Chirurgi opem implorare cogeretur; ſed nihil hic adferre poterat auxilii, deficientibus ad os extrahendum inſtrumentis. Cùm ille itaqve usqve adeò anxius per integram fermè permanſiſſet horam, nec, niſi certam & ſubitaneam, modô ſuffocationis, expectaret mortem, ipſemet tandem, Chirurgô interim aliis inſtrumentis efformandis occupatô, filum qvoddam ferreum diffregit, atqve ita curvavit, ut concurrerent extremitates in mediô ſui curvæ flexæqve, ſuperiore in parte rotundo qvodam oblongoqve remanente foramine, ita ut commodè inſtrumentum illud in Oeſophagum profundiùs immitti, atqve hærens os arripere poſſet. Poſtqvam itaqve qvater qvinqviesve tentâſſet, tandem oſſis extremitatem ita arripuit atqve obvolvit, ut Chirurgus, niſi nimis fuiſſet meticuloſus, illud aptè extrahere potuiſſet. Æger itaqve ſummis in anguſtiis manus admovit operi, fruſtumqve oſſeum, poſtqvam ibidem per qvinqve horæ qvadrantes latuiſſet, feliciter, non tamen absqve laceratione qvadam vomituqve liqvoris bilioſi, nec ſine qvantitate ſangvinis erumpentis, tantâ cum violentiâ extraxit, ut maximô impetu in terram projecerit. Tunc autem qvivis oſſis magnitudinem inæqvalitatemqve admirabatur. Illud enim pendebat circumcirca ſesqvidrachmam, alteriusqve extremitatis craſſities duorum ſtraminum, alterius autem unius latitudinem æqvabat. Matrona qvædam, dum in prandiô coctæ gallinæ alam comedit, & hujus extremitatem in ore tenens mandit & exſugit, oſſiculum triangulare, in alæ extremitate conſtitutum ex improviſô deglutit. Sed nihil inde mali, nec oſſiculum illud, per aliqvot dies in ſcybalis qvæſitum, apparet. Poſt tres autem menſes tuberculum, furunculi inſtar, pruritum magis, qvàm dolorem acutum concitans, ſuper umbilicum ſenſit, qvô apertô oſſiculum illud incorruptum planè oculis intuentium ſe objicit, obſervante Chri-

ſtianô Fridericô Garmannô *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 185. p. 361.* A. 1686. die 1. Septembris honeſta vidua Ulmenſis, inter prandendum, oſſiculum acutum ſeu mucronatum carni vervecinæ adhærens ac braſſicæ capitatæ coctæ involutum, caſu & inopinatò deglutivit, qvod in principiô in faucibus transverſim cum ſuffocationis periculô hæſit, poſtea verò magnô Deglutitionis conamine per Oeſophagum deſcendit ibidemqve circa orificium Ventriculi infixum, punctim lædendo maximos dolores excitavit, donec idipſum Ventriculus, doloris impatiens, inferiori ſui parte contractâ, per vomitum, & qvidem tali ſucceſſu rejicere tentavit, ut oſſiculum qvidem ad ſuperiora adſcenderit, ſed rurſus in antiqvô faucium locô hæſerit, prioraqve ſymptomata excitaverit; qvod tamen poſtmodum Chirurgus certô inſtrumentô extraxit. vid. Eberh. Gockel *Gallicin. med. pract. Cent. I. Conſ. 30. p. 115. ſq.* Oſſiculum diu in gulâ detentum annotavit Johannes Jacobus Bajerus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 5. p. 13. ſq.* nimirum rhedarius in prandiô avidè aſſumens juſcultim, aliqvid ſolidi cum ipſô deſcendere idemqve in mediô qvaſi pectore affigi ſenſit, non ſine dolore, inter deglutiendum & tuſſiendum ſubinde auctô. Tulit hanc moleſtiam, de qvâ qvidem ſæpiùs apud amicos conqveſtus, & inhærens Oeſophago oſſiculum doloris cauſam accuſans, nec aſſenſum nec auxilium invenit, usqve dum tandem, elapſo annô & ultra, ſubitò exortâ qvadam exſcreandi aut velut vomendi neceſſitate, retentum tamdiu Oſſiculum unà cum modicâ ichoris putridi & fœtentis qvantitate, rejiceret, abſceſſus (eô nempe locô, qvô ſe oſſiculum infixerat) rupti documentô. Fuit autem uncialis ferè longitudinis, craſſitei & latitudinis multò minoris, in alterâ extremitate acuminatum, margine rigidum. In pagô paulò minùs milliari Nordlingâ diſtante ruſticus qvinqvaginta circiter annorum, qvum inter prandendum ſarcophagiæ avidiùs indulget, oſſiculum haurit, qvod parietibus Oeſophagi carceratum

hæret.

hæret. Balneator ruralis è viciniâ vocatus, baculum è ſarmentis craſſiuſculum ad inſtar digiti violentiùs in fauces adegit, eundem reciprocâ ope nunc intrudendô, nùnc retrahendô. Rudiſſima qvidem encheireſis oſſiculùm in Ventriculi capacius ſpatium detruſit, ſed Oeſophagô pœnam miſerè luente. Nam hujus interni parietes exulcerati puris ejusqve fœtidiſſimi multum profuderunt. Conſolidatione â Medicô incaſſum travmaticis, pulmentis, ſorbitionibus variis tentatâ, qvum ruſticus cibi ſolidi deglutire nil ampliùs poſſet, tumefactis deniqve & anguſtatis faucibus extenuatus totus ad plures migravit, ſecundum Roſini Lentilii relationem *vid. M. N. C. Dec. III. An. I. App. p. 129.*

§. 31.

Idem qvoqve de Oſſibus ſeu ſpinis piſcium experimur. Mulier enim Colonienſis inter edendum ſpinam piſcis devoravit, qvæ Oeſophagô adhæſit, indeqve ſtatim exortus eſt dolor maximus, ita ut difficile cibum & potum deglutire poſſet; tandem biennio poſt excitatô abſceſſu in externâ Colli parte ſpinam integram & incorruptam ſe extraxiſſe refert Guilhelmus Fabricius, Hild. *Obſ. chir. Cent. 1. Obſ. 33. fol. m. 29.* Difficultatem deglutiendi ex ſpinâ Cyprini deglutitâ ortam & poſt qvatuordecim menſes fatalem, nutrimentô deficiente, deſcribit Littre. *v. Act. Erudit. Lipſ. A. 1720. Menſ. Mart. p. 131.* Mulier Delphenſis vetula cùm ſpinam piſcis devorâſſet, hæc tonſillis inhærebat, ut penè ſuffocaretur; tandem tamen Cataplaſmate toti gutturi circumductô, raſcatione evulſam reddidit, juxta Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 15. Obſ. 27. fol. m. 165. ſeq.* Filia Comitis cujusdam ſpinam imprudenter deglutivit, qvæ gulæ inhærens periculum ſuffocationis affert. Pollicetur agyrta qvidam fortè præſens ſalutem, ac braſſicam rubram probè coctam multisqve aromatibus, Pipere præſertim conditam, Uteri regioni applicare & pudendo qvoqve profundiùs aliqvô modô immittere jubet. *Spinæ piſcium.*

Qvæ dum aliqvantulum ibi morantur, tuſſis ingens oboritur, cujus beneficiô deinde & ſpina ejicitur, teſte Philippô Salmuthô *Obſervat. medic. Cent. I. Obſerv. 69. p. 45.* Seqventem Obſervationem recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſt. Obſerv. 21. p. 242.* Anno 1684. circa finem Menſis Maji, Pentecoſtes Feſtô, Cornelius Henrici Scheveringæ paſſeres (piſces) comedens ſenſit Os qvoddam Oeſophago inhærens, qvod tamen poſt ingentem angorem in Ventriculum deſcendit, nec niſi prope finem Decembris ſeſe in Inteſtinô rectô, poſt ſeptem videlicet menſium moras, manifeſtavit. Intra qvod tempus nullos ſe paſſeres comediſſe retulit ille. Eô igitur loci poſt acutum & immenſum dolorem abſceſſus qvidam ortus fuit, qvo disruptô puris qvædam ex inteſtinô rectô prodiit qvantitas, nec ita diu poſt alius etiam ad ani latus animadverſus eſt tumor, qvô per Chirurgum apertô, paſſeris maxilla unà cum pure extracta eſt &c. Aliud exemplum de oſſe maxillæ paſſeris ſeu Rhombi piſcis deglutitô annotavit Jobus â Meekren *Obſ. med. chir. cap. 36. p. 157. ſeq.* Scilicet Jacobus Jooſten, Vir mediæ ætatis, dolore ſenſim auctô afficiebatur circa inteſtini recti extremum cum ſuppreſſione alvi & febri graviſſimâ & aliis ſymptomatibus. Pluribus fruſtra adhibitis, digito explorandi gratiâ in anum immiſſo ſubſtantia qvædam dura occurrebat; hæc extracta mandibula erat piſcis illius, qvem Belgæ vocant een Schol, bronchi ſub branchiis hærens; eundem ante octiduum ſe avidius piſces tales comedentem deglutiiſſe, anteactorum jam memor referebat æger, imò cum dolore ventriculi inteſtinorumqve geſtâſſe. Similis ferè caſus occurrit alii Medico Amſtelodamenſi, Arnoldo Tholinx, niſi qvòd hîc inteſtini recti circa plicaturam exulceratio accederet, & Chirurgus fruſtulatim, duas ſcilicet in partes forficis ope diviſum oſſiculum extrahere coactus fuerit.

Maxillæ.

§. 32. De

§. 32.

De Chelis Cancrorum deglutitis ſeqventem obſervationem refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Tr. de Salvia Sect. 2. Membr. 3. cap. unic. p. 191. ſeq.* Paupercula unà cum puellô, qvem Ulnis geſtabat, ſtipem oſtiatim petens reperit fortè in plateâ chelas cancrorum abjectas, qvas tollit & vagienti puſioni incauta porrigit, ſaltim ut demulceret. Ille ori admovet eas & tandem, præ fame fortè, matre non animadvertente, ingerit. Hærebant in palatô cuſpidibus altè infixis, ut jamjam actum eſſe clamitâſſes. Tuſô autem palmâ matris tergô infantis, & paululum terram verſus inclinatô capite, crebriores ſupervenêre ſternutationes, â qvibus chelæ tandem commotæ exqve faucibus rejectæ ſunt. *Chelæ Cancrorum.*

§. 33.

Boli etiam grandiores, præſertim â cibis durioribus fauces implent, & ita deglutitionem & reſpirationem impediunt, qvalia exempla obſervavit Petrus Foreſtus *l. a. Obſ. 28. f. 166.* & qvidem de Concubinâ cujusdam Nobilis, qvæ cùm in ultimô Menſe partûs gravida foret, & poma cruda immatura, qvæ â divô Johanne nomen habent, avidiùs ſine maſticatione deglutiviſſet, gulæ ita infarcta ſunt, ut nocte penè ſuffocata, voce qvoqve in totum ſuppreſſâ, anhelitu impedito, animam agere videretur. Mulier ruſtica annos ſupra qvinqvaginta nata avidiùs fruſtum carnis fumô induratæ devoraverat: qvod, cùm non probè maſticâſſet & ſubitò inglutiiſſet, Oeſophagum tranſire non potuit, gulæqve infarctum & fortiter hærens ſuffocationem penè inferebat: adeò ut neqve tuſſiendô, neqve verberandô dorſum, neqve exire, vel reſilire, aut deſcendere potuerit, viâ Oeſophagi etiam præcluſâ, per tres integros dies nihil edulii aut potûs ſumens, ex fame ſana exiſtens mortem expectabat. Item juvencula annos viginti octo nata particulam Carnis duram & nervoſam ſubitò deglutiverat, ab hac ta- *Boli grandes.*

men præfocatione curata fuit. Et miniſtri cujusdam filia viginti trium annorum, cùm inteſtina bovilla dura & tenacia avidè comediſſet, gulam obſtruxêre, ut per tres dies nihil deglutire potuerit, ab hoc tamen malô, cùm omnes adſtantes mortem timerent, uti præcedentes, à Foreſtô liberata fuit. Coloniæ Mercatori cuidam jentando fruſtum cutis pernæ aſſatæ, ac mica panis, ſale & pipere aſperſæ, infixa eſt gutturi: unde protinus dolor vehemens, convulſiones, rigor ac tandem ſuffocatio orta ſunt. Ibidem etiam mulier pertranſiens piſtoris officinam ac manu ducens puellum, laganum emit, qvod puellus in manum ſibi datum eundo comedebat: hujus fruſtum cùm adhæſiſſet gutturi, ſtatim ſuffocatus eſt puer, anteqvam mater ad ædes ſuas perveniret. vid. Guilelm. Fabric. Hild. *Obſerv. chir. Cent. 1. Obſ. 35. fol: 30.* Bernhardinus de Nigris in ſexageſimô ſeptimô ætatis annô conſtitutus, dum integrâ frueretur valetudine, nervoſæ carnis bolum improbè maſticatum ingluvioſè devoravit, ut aqvæ tenuiſſimiqve cujusqve potûs tranſitus omninò interciperetur, ac reſpiratio maximè læderetur, qvæ caro viſcida initium gulæ occupans nunqvam nec ferramentis attacta, nec cereis candelis impulſa, aliisqve multis ingeniis tentata inde amoveri potuit, donec ſeptimô transactô die corrupta in Ventriculum delapſa hominem ab anguſtiâ, ſed non à morte liberavit; ex dolore enim lociqve tractatione freqventi & vehementi pars inflammata, accedente ex longâ inediâ virium omnium proſtratione, decimâ qvartâ die vitam cum morte commutavit. vid. Marcell. Donat. *de medic. Hiſtor. mirab. Lib. 3. cap. 8. p. 259.* ubi alia ejusmodi exempla reperiuntur. Qvidam ruſticus famelicus pedem ſuillum elixum comedendo ejus fruſtulum ſatis magnum devoravit, in cujus mediô oſſiculum carne obtectum latitabat. Illud autem propter magnitudinem & glutinoſitatem Oeſophago adhæſit, eiqve agglutinatum eſt, ut neqve vomitu, neqve ſorbitione

tione ullâ excuti potuerit. Per biduum in eô ſtatu fuit, cum tantâ anguſtiâ, ut brevi moriturus videretur. Deniqve mediante certô inſtrumentô hoc fruſtum â Chirurgo extractum fuit. vid. Lazar. River. *obſ. Cent. 3. obſ. 71. p. m. 229.* Cum Neomagi qvidam arroganter in Paſchæ feriis deglutiret ovum gallinaceum integrum, qvod naturalem Oeſophagi expanſionem ſuperaret; illud in eò coarctatum reſidere neqvivit, unde qvoqve compreſſâ arteriâ mox ſuffocabatur, juxta Johann. Wier. *Oper. Lib. 4. de Malefic. cap. 2. p. m. 282.* Nauta qvidam poſt perpeſſum Naufragium in aſſere ad littus appulſus fameqve ferè conſumptus in diverſoriô nimis magnos carnis bolos adeò avidè devorabat ſeu ori immittebat, ut ipſi in Oeſophagô ſemideglutiti hærerent, atqve per ordinaria inſtrumenta in Ventriculum detrudi non poſſent; unde exorta inflammatio mortem minitabatur, niſi certô qvodam inſtrumento, in parte inferiori acutò, dicti carnis boli comminuti atqve in Ventriculi cavitatem detruſi fuiſſent. vid. Stephan. Blancard. *Collectan. phyſ. med. Cent. 3. obſ. 13. p. m. 326. ſq.*

§. 34.

Deglutitionem â cauſâ ignotâ impeditam annotavit Marcus Gerbezius in ancillâ, qvæ in cœnâ, in primô fagotritici deglumati cochleari, id ſibi accidiſſe referebat. Nulla autem aderat inflammatio, nulla febris, nullus tumor dolorve conſiderabilis, nulla reſpirii difficultas. Deglutire qvidem aſſumpta & ea ſine difficultate usqve ferè ad medietatem Oeſophagi adigegere, aſt minimè ulteriùs poterat, ſed ea rurſus pro lubitu rejiciebat, &c. *Vid. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 5. p. 6.* cujus tamen impeditæ deglutitionis cauſam triqvetro fagotritici granulo, vel tenui ejusdem pelliculæ aut levi palearum recremento non ſine ratione adſcribit Johannes Paulus Wurffbain in Scholiô ejusdem Obſervationis. *Fagotriticum.*

§. 35. La-

§. 35.

Lapillus.

Lapillum latiuſculum Informator qvidam Argentoratenſis ad lingvam balbutientem corrigendam ſupra lingvam ponebat, eumqve ſub lingvæ motu inopinatò deglutiebat: hinc anxius proximum adibat tonſorem, qvi lapidem â ſuperiori ad mediam Oeſophagi detrudebat partem. Poſterô verò die, Vomitoriô fruſtra propinatô, ab aliô Chirurgô Gallô admodum expertô, per inſtrumentum Oeſophagum dilatans; lapis ad Ventriculi cavitatem promovebatur, & poſt octiduum per alvum eliminabatur; cùm die ante ſecretionem patiens ingentem circa Coli valvulam perpeſſus fuerat dolorem; juxta Johannis Matthæi Mulleri relationem, *vid. Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Dec. V. & VI. Obſ. 53. p. 83.*

§. 36.

Nuclei ſ. Lapides fructuum.

Interdum etiam inter comedendum varii nuclei vel lapides vel oſſa dicta fructuum fauces obſtipant, vel in Oeſophagô per tempus permanent atqve deglutitionem impediunt; v. g. Sartoris cujusdam filiolus cum nucleis meſpilorum & putaminibus nucum luſurus aliqvot deglutiens derepente ſuffocatus eſt. Teſte Carolo Raygero *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 109. p. 269.*

Mali perſici.

Perſicum malum avidius devoranti nucleus ſeu lapillus Gulæ inhærens eandem obſtruxit, ſed cùm mox copioſiore potu unicô hauſtu uteretur, vi qvadam demiſſus eſt in Ventriculum; At poſtmodum in longanone circa anum hæſit, cum ingenti Ventris dolore; adeò ut tribus diebus alvum minimè deponere poſſet. Tandem impetu qvodam bombardæ inſtar, dum globuli emittuntur, per anum erupit ſimul cum excrementis v. Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 15. Obſ. 28. fol. m. 166.* In Tonſillis certos ſinus reperiri, in qvibus nonnunqvam varia deglutienda per tempus lateant, docet Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. 2. cap. 15. fol. m. 323.* ubi ſeqventes Obſervationes recenſet: qvantum, inqviens, interdum magni hujus ſinûs interioris apertura dehiſcat,

dehiſcat, vidi in ruſticâ qvadam, qvæ Anno 1659. Menſe Aprili, famelica comederat Pruna Damaſcena cocta, & propter in edendo feſtinationem, neſcio qvô caſu lapillus unius pruni majuſculi ingreſſus eſt aperturam dicti magni ſinûs, unde glandula mox intumuit, adeoqve preſſione ſuâ cibi potusqve viam præcluſit, ut ſeqventibus qvatuor diebus ægra nec cibi nec potûs qvicqvam deglutire potuerit; atqve hinc meum conſilium tunc implorare coacta fuit. Depreſsâ lingvâ glandulam admodum tumidam in dextrô latere, ſed minimè inflammatam ejusqve antedictam aperturam, præter ſolitum, valde dehiſcentem conſpexi, ſed Pruni lapillum non vidi. Mox pauxillum decocti hordei, cum Syrupô de Altheâ miſtum, mulieri ſorbendum dedi, & foris pollicem meum regioni glandulæ iſtius tumidæ impoſui eamqve fortiter preſſi, & juſſi, ut hunc mulier magnô impetu contentum ore liqvorem deglutire niteretur. Primâ vice reſiliit liqvor per nares, ſed ſecundâ vice, ob compreſſionem, qvæ foris per meum pollicem & intus per retractam verſus poſteriora lingvam, fiebat, lapillus è glandulâ exſiliit in Os, ægraqve illico rurſus cibos potûsqve deglutire potuit. Anno 1664. eidem mulieri rurſus pruni lapillus in eandem glandulam delapſus deglutitionem impedivit, ut ante, à qvô iterum eôdem modô liberata fuit. Similis ferè caſus Anno 1661. Menſe Decembri â me viſus fuit in Cive qvodam Ultrajectinô, cui fruſtulum cruſtæ duræ Caſei in antedicti ſinûs aperturam illapſum fluit, totamqve deglutitionem protinus impedivit. Verùm hujus curatio non tam promptè ſucceſſit, ut prioris, ſed aliqvot dierum moleſtiam nobis exhibuit, atqve incurvô roſtratô forcipe illud Caſei fruſtulum fuit extrahendum.

§. 37.

Alias etiam res inſolitas atqve ſæpe vix credibiles interdum cum, interdum ſine difficultate, ab aliis caſu & infor- *Varia p. n. deglutita.*

 tuniô,

tuniô, ab aliis præmeditatò deglutitas, Medicorum referunt Obſervationes. Acum enim ſartoriam deglutiebat qvidam Locumtenens; Chirurgus lardi fruſtum ſtylo alligabat, inqve gulam immittebat, iterumqve retrahebat, cum nonnullis reiterationibus acum autem elicere non poterat. Hinc Locumtenens ingeſtis aliqvot vini poculis ſeſe inebriavit nihilqve mali ulterius inde eſt paſſus, uti refert Caſparus Theoph. Bierlingius *Theſaur. theor. pr. Caſ. 29. p. 376.*

Acus ſartoria.

§. 38.

Acus & Acicula.

Acus & Aciculæ ſæpiſſime ab infantibus & mulieribus ex improviſô deglutiri ſolent, interdum per alvum, qvandoqve etiam per alias vias exitum qværentes. Aciculam â puerô ſex annorum devoratam poſt decimum octavum per Crus rubigine obſitum pullulare ſeu ejici vidit Rodericus â Caſtro *de Morb. Mulier. Lib. 4. cap. 26. p. m. 514.* Virgo qvædam in Gynæciô Ducis Juliacenſis, dum ſeſe adornaret, ab amaſiô retrò ſtante perterrita & ingemiſcens acus qvinqve, qvas in ore mordicus tenuerat, deglutivit & per urinam illæſa reddidit. vid. Johann. Lang. *Epiſtol. medicin. Lib. 2. Epiſt. 40. p. m. 676.* Ab acu in ſanitatem nobilis cujusdam Virginis deglutitâ Studioſus qvidam Regiomontanus ſubitâ qvandoqve & gravi corripiebatur Lipothymiâ, cui nonnunqvam etiam motûs conjungebantur convulſivi, teſte Georgiô Segerô *M. N. C. Dec. 1. An. 4. & 5. Obſ. 86. p. 77.* ubi etiam Monachi meminit, qvi cùm die Viridium in immutandô Altaris ornatu occupatus eſſet, duas acûs majores, qvas ore tùm continebat, nolens deglutivit & mox dolores qvosdam in Ventriculô ſenſit; qvarum tamen unam poſtmodum in fecibus obſervavit. Fœmina qvædam, Jacomina Willis, mulier nephriticis paſſionibus miſerè afflicta, inter alias qverelas Johanni Henrico Brechfeldio, Medico, oſtendit tumorem prope umbilicum, de pungitivô illius dolore valde conqveſta; qvem cùm ille attentô aſpiceret oculô, acuti qvid ex eô pro-

eô prominere animadvertit digitisqve dimidium acûs ex Chalybe confectæ, qvam ante tres annos integram ore detinuerat dentibusqve comminutam de improviſô deglutierat, extraxit. vid. Act. Hafn. *Vol. 1. Obſ. 12. p. m. 116.* Puella qvædam Marpurgenſis, ſutoris filia, aciculam æneam majorem longitudinis dimidii digiti deglutivit, nullô perceptô ferè dolore, præter qvòd deglutire vix potuerit, qvæ acicula externè infra cartilaginem enſiformem, iterum extracta eſt, referente Johanne Daniele Dorſtenio *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 59. p. 147.* Virgo qvædam, aurifabri filia, octodecim annorum, cum 1668. inter comedendum improvidè deglutiviſſet aciculam æneam, cuſpide primum κάτω tendente, accidit, ut illa in Oeſophagô manſerit, ibiqve hærens immanes dolores crearet, præcipuè cùm ſolida per eandem viam offerenda eſſent Ventriculo. Vocatus Chirurgus ſpongiolâ melli inunctâ, incurvo & ſubtili affixâ ferro, deturbare eandem, cùm reditus in Os eſſet impoſſibilis, conatus eſt, ſed fruſtra. Poſt annum & amplius ea detruſa eſt in Ventriculum per candelam ceream ſartorum, eam qvotidie bis terve leviter intrudendo, inunctam priùs Oleo amygdalarum dulcium, qvod ſine dolore fuit. v. Georg. Wolffgang. Wedel. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 141. p. m. 260.* Acum fortuitô deglutitam, qvæ ſuæ in ſtomachô hæſionis ſignum infallibile, dolorem procreavit continuum, qvinqvenniô demum elapſô, cum vomitu rejecit deglutitor, globulo fibroſo tamen circumdatam. Magnas qvoqve moleſtias ex acu deglutitâ ſenſit ancilla qvædam freqventiori avenæ decorticatæ lacte coctæ uſu tandum ſopitas, acu κάτω prodeunte. *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 70.* Devoraverat mulier qvædam æneam acum, & nullâ inde noxâ perceptâ integrum annum ſana permanſit; qvô peractô cæpit dolor ſatis acutus mulierem circa ventriculum urgere; ſicqve annis jam decem tali urgente dolore miſeram vitam trahebat, cùm acus illa terebratô Ventriculo è

parvô demiſſa foramine proſiliit. vid. Anton. Beniven. *de abdit. Morbor. cauſ. ſeu Obſerv. medic. cap. 20. pag. m. 199. ſeq.* Fœmina Venetiis acum deglutiens qvadrienniô nil paſſa eſt, tandem pungens in Cruris internâ parte dolor cum levi tumore obortus. Accitus Molinetus primô die diachylon ſimplex admovit, tertiô die apicem, cutem perforantem, Volſellâ extraxit. v. Henr. a Moinich. *Obſerv. 21. p. m. 76.* Lanionis cujusdam filia qvindecim annorum lintea conſuens acum ori intromiſit; ac eandem, cùm ad ſternutandum incitaretur, imprudenter deglutivit, ſecutis mox in gutture & faucibus punctione & dolore, nec acus, qvamvis ſtatim conqviſita, inveniri potuit. Transactis duobus diebus dolores & punctiones remitti cœperunt, ita ut puella operibus ſuis occupata nullum laborem ulterius ſentiret. Elapſô autem menſe natura acum non parvum & ferrugine obſitam per cervicis latus circa aurem dextram propulit, qvæ apparente cuſpide facilè volſellis extrahi potuit, tenui ac ita parvô relictô foramine, ut oculis vix conſpiceretur. vid. Caſp. a Reyes *Elyſ. jucund. Qvæſt. Camp. Qvæſt. 92. p. m. 1177.* Ancilla qvadam octodecim annos nata aciculam grandiuſculam forte deglutivit; Qvæ triduo nullum ſenſit dolorem; qvartô verò die primò in fundô Ventriculi, mox qvoqve circa Pylorum, exortus dolor & cruciatus adeò vehemens & acerbus, ut dies noctesqve exclamare & ululare coacta fuerit. Sextô die aderat Phreneſis cum ardentiſſimâ febre, lingvâ aridâ, vultu inflammatô, ipſaqve erat mente adeò capta adeòqve furioſa, ut neminem agnoſceret nec cibum & potum expoſceret. Convulſiones colli, brachiorum & crurum maximæ & horrendæ aderant. Aliqvando ſeſe ex unâ in alteram partem lecti tali impetu projiciebat, ut tres viri, qvantumvis robuſti, vix illam tenere poſſent. Exclamabat, ululabat & manibus ventrem, non aliter, qvàm ſi ipſum dilacerare voluiſſet, tractabat, & videbatur potiùs â dæmone obſeſſa, qvàm morbô laborare. Cùm aliqvando per

do per horam integram aut circiter ita vexata & convulſionibus horribilibus cum incredibili cruciatu, ex unà in alteram partem agitata & fatigata eſſet, conqvieſcebat pauliſper, & tanqvam ſemimortua jacebat: rurſus & repentè priora ſymptomata eam invadebant. Tandem in illô cruciatu aciculam decimô qvartô egeſſit, teſte Gvilelmô Fabricio, Hild. *Cent. I. Obſ. 34. p. m. 46.* vid. etiam *Cent. 6. Obſ. 34. Oper. fol. m. 540.* ubi aciculam in deglutitione circa radicem lingvæ infixam certôqve Inſtrumentô extractam fuiſſe refert. De acu gutturi inhærente Magnete extractâ ſeqventem Obſervationem refert Theodorinus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 44. p. m. 99. ſeq.* Dum aqvis Spadanis hauriendis ſanitatis cauſà indulget Hera, ancilla qvædam imprudens acum deglutierat, qvæ tali ratione infixa erat partibus internis gutturis, ut loqvelam ei redderet difficilem, illa ceterùm innoxia deſcendit ad tonſillas, atqve ibi novem omninò annis hæſit manifeſta, qvia tactu percipiebatur, nullâ tamen inflammatione infeſta; puella anxia nihilominus, ne tandem in malum atrocius erumperet locô non ſuô poſitum metallum, varios ſollicitat Chirurgos, manum adhiberent exſcindendæ acui: nemo audet majoris mali formidine. Jam vigeſimum tertium annum ætatis agebat; cùm ſupervenit homo, ex eô genere, qvi cùm nihil vel parum de Medicinâ calleant, medicamenta tamen aliqva nacti, qvæ, cùm adhibita morbos aliqvos ſanent, illi omnia omnibus audent promittere, & dum omnibus manum adhibent, tandem qvadam imbuuntur experimentali in multis ſcientiâ: is ergo, qvem dixi, homo huic noſtræ accedenti facilem promittit ab eâ ſive moleſtiâ, ſive anxietate, liberationem. Illa credit; hic incipit: & cultrô levi factâ inciſione turundulâ pellem nonnihil deducit, & magnetis (non pulverem, ut vulgò fit) ſed fruſtum vulneri apponit: res mira poſt nonum diem lapidi adhæret acus, & puella liberatur. Fœmina qvædam Duſſeldorpii infantem cura-

tura aciculas ore retentas duas, unam magnam, alteram minorem, arreptô infante, qvem inopinatò in ignem caſurum verebatur, fortè deglutiit. Hærebant autem primùm aliqvot horis in gulâ circiter palmam latam ſub larynge cum multo dolore & anguſtiis; ſorbitiunculâ propinatâ in Oeſophagi partes inferiores paululum ſupra ventriculi orificium deprimuntur. Poſtea non modò in Ventriculum deſcenderunt, ſed etiam cum fecibus fuerunt exoneratæ. vid. Johann. Wier. *Oper. Lib. 4. pag. m. 284. & Obſerv. Lib. 1. p. 944.* Aciculæ â Virgine deglutitæ & per urinam redditæ, meminit Johannes Schenckius *Obſ. Medic. Lib. 3. fol. m. 314.* Idem in Virô qvodam obſervavit Petrus Foreſtus *Lib. 15. Obſ. 27. Schol. fol. m. 166.* Puer qvidam qvatuor annorum invenit humi jacentem aciculam in qvodam cubiculô eamqve deglutivit, qvam per vias urinæ ſine ulla puelli noxâ ſecundâ die â deglutitione Natura dimiſit, juxta Joſephi Lanzoni Obſervationem *v. Ephemer. Natur. Curioſ. Cent. I. & II. Obſ. 43. pag. m. 111.* Imò acum crinalem, qvatuor digitorum longitudine, Virgo qvædam Veneta inter dentes dormitura continebat incautèqve per ſomnum deglutiebat, tandem verò poſt decem Menſes per vias urinarias excernebat, referente Alexandrô Benedictô *de Part. Corp. human. Lib. 2. cap. 9. Oper. fol. 585.* Et *Lib. 5. cap. 13. fol. 617.* de hoc caſu ita ſcribit: Acûs illius exemplum per urinam redditæ plurimos diſſectionis ignaros commovet, qvi eam per venas meſentericas â ſtomachô ad jecur, cor, per venam majorem ad renum anguſtias inde ad veſicam penetrâſſe, falſò arbitrantur, ora fibrarum in viventibus patentiora eſſe ad acum ſuſcipiendam putantes. Acus enim acie ſuâ paulatim multoqve tempore inteſtina penetravit; viam enim ſibi facit, qvò â naturâ propellitur, & ad veſicam, qvâ parte carnoſa eſt, inde per urinam reddita. Non tantum acum capitatam ſed etiam ſutoriam, materiâ lapideâ circumcirca oblinitam per urinas ejectam fuiſſe ex variis Autoribus confirmat

Julius

Julius Cæſar Claudinus *Reſponſ. medic. 40. p. m. 240. & pag. ſeq.* de viis, per qvas acus deglutita ad Veſicam pervenerit, prolixè agit, ſimul autem pueri Hebræi meminit, qvi acum deglutitam qvinqve annos in Corpore detinuit tandemqve eminxit. Ex Laurentii Schulzii Manuſcriptis refert Philippus Jacobus Sachs a Lewenheimb: Patavii viſam puellam, qvæ decem acûs devoraverit, & omnes per Vaſa urinaria excreverit: pariter ut alia Nobilis Veneta ex familiâ Grimmanorum, uni è Juſtinianis nupta, qvæ inter ſuendum cùm acum devoraſſet, illam per ſpatium unius anni in corpore latentem detinuit, donec poſt multa exhibita pharmaca acus per vulvam & non per anum reddita fuerit. *v. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 3. Schol. p. m. 4.* Aciculam â puellâ qvadam deglutita ex tumore in Ingvine poſt inflammationem ad ſuppurationem perducto, ærugine obductam cum pure copioſô prodiiſſe refert Fridericus Ruyſchius *obſ. 55. p. m. 71. ſeq.* De Aciculâ per ingven cum excrementis alvinis ex fiſtulâ inteſtinali prodeunte, vid. Joh. Muys *Prax. med. chir. Dec. 12. Obſ. 10. p. m. 417. ſeq.* Virgini cuidam Dublinenſi acus crinalis eburnea faucibus altiùs intruſa digitisqve elapſa in Stomachum deſcenderat, & paulò poſt in veſicam urinariam ex parte penetraverat, fruſtrà tentatâ illius extractione per forcipem in cervicem veſicæ immiſſam; tandem factâ ſectione in parte externâ muſculi recti abdominis in veſicam usqve, acus in parte obtuſâ, qvâ in Veſicâ hærebat, materia calculoſâ incruſtata, feliciter fuit educta vulnusqve conſolidavit, uti Michael Bernhardus Valentini ex Transact. Anglic. refert *Prax. Chirurg. Sect. 3. cap. 7. §. 5. p. m. 346.* Plura de aciculis deglutitis *v. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. p. 126.* De anſeris & anatis Ventriculo, in qvo latitârunt aciculæ. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 28. p. 63. ſq.* Qvibusdam tamen Acuum majorum, imprimis crinalium, deglutitio atqve per Veſicam excretio ſuſpecta eſt, unde inqvit Johannes Nicolaus Pechlinus *de Purgant. Med.*

Facultat.

Facultat. cap. 30. p. m. 406. Qvis, qvæſo, in hac luce anatomicâ, acum comatoriam qvatuor digitos longam deglutitam, & poſtqvam biennium corpori inhæſiſſet, cum urinis tandem redditam eſſe, calculoſo tofo obſitam, intelligat? Si qvid meum eſt hariolari, credo, fœminam improbiorem acu naturalia excitaſſe, qvæ laſcivis fortè manibus & ureteræ illapſis oſculo excidit, contrahentiumqve partium impetu â veſicâ abſorpta calculoſæ tandem accretioni occaſionem dedit: mulierem verò pudore ductam cum domeſticis, tum Medico diverſa retuliſſe honeſtoqve prætextu neqvitiam velaſſe, probabile eſt, qvod eò mihi perſvaſius, qvòd conſimilem hiſtoriam Patavii â Molineto acceperim.

§. 39.

Lignum. Absqve dubiô præter voluntatem lignum ad digiti longioris craſſitiem & longitudinem â Virô qvodam devoratum fuit, qvod per annum dictus vir in corpore retinuerat, poſteaqve ab eôdem in templô ſedente, torminibus Ventris correptô & in domum eunte alvumqve tunc excernente, per ſedem ejectum eſt, juxta verba Petri Foreſti *l. a. Obſ. 28. Schol. fol. 167.* De ſeptem fragmentis ligneis à Maleficô deglutitis & in Ventriculo repertis, vid. Act. Med. Berolin. *Dec. II. Vol. 4. n. 2. p. 79. ſq.*

§. 40.

Adamas. De Adamantis innoxia Deglutitione ſeqventem Obſervationem recenſet Johannes Henricus Hottingerus *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 97. p. 180. ſeq.* Juvenis viginti annos habens, artem Aurifabrorum addiſcendi cupidus die 12. Julii Anno 1700. Adamantem aurô cingere ac annulo includere in animô habebat. Aurum autem nondum ſatis adaptatum alveolumqve adhuc latiorem reddere ſtudens ori Adamantem lentis minoris magnitudine, aculeatum interea indidit, mentem magis ad aurum poliendum, qvàm dictum Adamantem intendit inopinatôqve illum deglutit. Poſt varia autem Medicamenta die decimô

ſextô

ſextô alvum ſolvit, fecibusqve permixtum Adamantem, ſicqve in ſtercore Theſaurum lætiſſimus deprehendit. Contrarium verò fatum ab Adamante impolitô devoratô experiebatur Mercatoris cujusdam ſervus ſatis obeſus & pingvis. Hic enim cùm malô dolô tres Adamantes impolitos devoraſſet, poſt magna tormina, dejectiones cruentas & purulentas, animam tabidus efflavit. vid. Zacut. Luſitan. *Prax. med. Admirand. Lib. II. Obſ. 18. Tom. III. fol. m. 45.*

§. 41.

Dyſuriâ & Stranguriâ detentus qvidam Laicus Capucinus, curandum ſe obtulit Johanni Baptiſtæ Scaramuccio, cumqve in pejus rueret ex iis, qvæ lixivioſas urinæ particulas edulcorare, ſalino-ſulphurearum portionum exaltationem compeſcere valerent, atqve ex eô, qvod renum gravitate ſimulqve ureteris dextri dolore paulò anteà fuerit detentus, incongruum conjicere haud fuit, patientem Veſicæ lithiaſi laborare; unde Chirurgus factâ exploratione per catheterem indubitatò lapidem adeſſe autumabat; & patiens ſectionem expetebat. Cùm autem Lithotomus Veſicæ latebras ſcrutaretur, non niſi materiam inſtar funiculi efformatam & circumvolutam deprehendebat. Examine factô, an unqvam patiens eum deglutiverit, tantum recordabatur, ſe qvondam Menſe Junii præteriti inſatiabili qvadam bibendi licentiâ tam avidè matutinis horis aqvam è puteô hauſtam ore hiante in ſiculâ perpotâſſe, ut aliqvid moleſtum cum æqva hauſiſſe, non ſine periculoſâ deglutiendi difficultate, viſum ei fuerit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 142. pag. 345. ſeq.* ubi de funiculi hujus è Ventriculo ad renes tranſitu pluribus agit. *Funiculi fruſtum.*

§. 42.

Civis & ſutor qvidam Colonienſis inter confabulandum ore continebat corii fruſtum, qvod, illô præ riſu hiante, gutturi ſe inſinuavit & infixit. Cumqve ſutor illud inopinanter ad me- *Corii fruſtum.*

dium gulæ deglutiret, parum abfuit, qvin ſuffocatus fuerit. Ipſum tamen reſtituiſſe ſcribit Gvilelmus Fabricius, Hildan. *Cent. I. Obſ.31. fol. m. 29. & Cent. 6. obſ.34. f.540.*

§. 43.

Penna anſerina. Ex improviſo etiam pennam anſerinam qvendam deglutiiſſe refert Nicolaus Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. I. Menſ. Febr. Obſ. 4. p. m. 47.* Phonaſco ſcilicet cuidam jam pridem impedimento erant phlegmata qvædam craſſa, qvotidie circa guttur collectâ, qvibus educendis aut deturbandis auxilio ipſi erat penna ſcriptoria intruſa, qvâ parte villoſa eſt: longiſſima illi ad uſum accommodatiſſima; qvam intruſam qvàm profundiſſimè inſerebat, adeò ut ſummis digitis extremo tubulo apprehenſam teneret: hæc illos aliqvando evadens Oeſophagum tota ſubiit, qvam educere, adhibitô qvanqvam omni molimine, nunqvam licuit. Hanc Chirurgus qvidam Inſtrumentô ad fundum Oeſophagi intruſô impellere conatus eſt, adeò ut pennam in Ventriculum præcipitem dederit, nedum eduxerit: in qvem illapſa qvinqve aut ſex menſium ſpatiô ægro multum injuriæ intulit, pungitivô enim dolore, qvâ parte tubuli extremum vergebat, urgebatur: nihilominus tamen ab exactô circiter bienniô moleſtia illa omnino deſiit, neqve per inferiora qvicqvam pennæ ſecretum fuiſſe animadverſum. &c. Virgo qvædam lectum ſuum inſternens caſu deglutitâ plumâ magnum dolorem perſenſit, huicqve tumor ad latus laryngis ſucceſſit, qvô apertô pluma illa ſtatim prodiit. *v. Hiſtor. Academ. reg. ſcient. Pariſ. An. 2. p. 279.*

§. 44.

Spica hordei. Ruſtici cujusdam puer præter voluntatem ſpicam hordei deglutierat, qvæ ex tumore circa hypochondrium ſiniſtrum ſubortô, poſt trium ſeptimanarum intervallum a Chirurgô adhuc recens & granis tumidis fuit extracta, uti ex Johannis Joſephi Curtialis Obſervationibus anatomicis referunt *Acta Erud. Lipſ.*

Lipſ. 1710. Menſ. Mart. p. 137. Ipſe autem Jean Joſeph Courtial hanc Obſervationem *dans les Obſervat. anatomiqves Obſ. 9. p. m. 83. ſeq.* his verbis communicat. A Montgiſcard, ville du Lauragois un garçon de douze à treize ans ſe plaignit d' une douleur au côté gauche vers l' hypochondre. On vit dans la ſvite qv'il ſurvient une tumeur en cet endroit. Monſieur Laborde, Maitre Chirurgien fut appellé, leqvel trouvant cette tumeur trop dure pour être reſoute employa les emolliens pour la remollir; & aprés je fis ouvrir cette tumeur. Il en coula qvelqve qvantite de pus, & il parut dans l' ouverture un corps vert & roide: ne ſachant ce qve ce pouvoit être, le Chirurgien prit ſes pincettes & tira un Epi d' orge tout entier. La nouvauté du Cas nous ſurprit. I' interrogeay le malade & ſes parens, & j' appris, qve cet enfant avoit accoutumé de ſe jouer avec cette ſorte d' épis, qu' il faſſoit courir ſur la terre. I' appris même, qv'il avoit trois ſemaines, qv' en ayant mis un dans ſa bouche, il l' avoit avalé malgre lui &c. ubi plura de hoc caſu reperies. De Spica ſecalis deglutita & per Apoſtema circa coſtas iterum egeſtâ Obſervationem annotavit Johannes Chriſtophorus Gotvaldius. Anno 1706. die 25. Julii Militis præſidiarii filiola annum unum cum dimidiô nata herbarum folia & ſpicas ludendo deglutivit. Qvô factô paulo poſt cibum & potum a Parentibus, facti ignaris, oblatum renuit, atqve poſtridie in febrem per octiduum durantem incidit, qvæ qvamvis medici ope ceſſaret, in deterius tamen morbus vergebat. Nono à morbô inchoatô die ægrota materiam craſſam putridam, inſigniter fœtentem & cruentam eructabat; qvæ exſpuitio ejusdem per dies qvinqve circiter durabat. Poſtqvam autem illa ceſſaſſet, novæ ſuboriebantur ærumnæ, nimirum puellula de latere dextrô dolenter qverebatur, nec levem manûs tactum in illâ parte corporis ſufferre poterat. Erat jam decimus qvintus morbi dies, cùm mater partem affectam

accuratiùs inſpiciens, tumorem ibidem exſurgere inter ſecundam & tertiam coſtam ſpuriam, binos digitos transverſos à ſpinâ dorſi diſtantem, obſervat, qvi tumor Chirurgi opera maturatus in Apoſtema tandem degeneravit, qvod 14. Auguſti fuit apertum, & magnô omnium præſentium ſtupore ſpicam, ſecali luxurianti ſimilem, prodidit. Hac extracta infans paucis diebus ad priſtinam ſanitatem rediit. *vid. Nov. Literar. Mar. Balthic. 1707. Mart. p. 69. ſeq.* Qvô locô etiam mentio fit Juvenis, qvi per ſegetes deambulando inter ſpeculationes varias aliud qvaſi agendo Hordei ſpicam ori admotam maſticabat, donec caſu portiunculam comarum deglutiret; ex qvo ſtatim intolerabili vexabatur Tuſſi, mox inſeqvente dejectione materiæ purulentæ, atqve poſt ſeptennium tandem beata Analyſi.

§. 45.

Hirudines. Hirudinem cum potu ex immundô fonte deglutitam Vomitu rejectam vidit Galenus, *v. de Loc. affect. Lib. 4. cap. 5. fol. m. 25. b.* De ruſticô è rivulo cum aqvâ ſimul hirudinem hauriente, indeqve Vomitum ſangvinis patiente, vid. Lazar. River. *Obſ. medic. Cent. 4. Obſ. 26. p. m. 17.* De Principe Neapolitanô, qvi in Venatione cum aqvæ hauſtu Hirudinem abſorpſerat atqve poſt magnæ aqvæ impletionis atqve agitationis rejicerat, v. Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hiſt. 23. p. 181.* it. infra *Cap. VII. §. 61.* Cùm Civis qvidam & piſtor Ratisbonenſis in negotiô ſuô ex urbe diſcedens per devia, ſecuritatis gratiâ, pedes profectus fuiſſet, & ſitibundus è riculô qvodam, forſan limoſô, in ſylvis bibiſſet, non longè poſt dolores ſenſit acres in faucibus cum inſeqventi inflammatione & intumeſcentiâ earum, ut ſimul deglutitio impediretur atqve cum ſputô ſangvine tincto: Adhibitis internis & externis medicamentis & gargariſmis variis uſurpatis faucium inflammatio & tumor paulatim deſederunt, atqve in collutione faucium hirudinum inſectum parvum inventum fuit. vid. Joh. Helwig. *Obſ. 61. p. m. 206.* Puer qvinqve

circi-

circiter annorum in pagô ad ripam præterfluentis rivuli cum aliis ſibi coætaneis lapillos, qvibus luderent, legit, captasqve manu hirudines ſive ſangviſugas, ſvaſu alterius pueri, qvi easdem dulciſſimas eſſe perſvaſit, vivas deglutivit, domum reverſus multum ſangvinis per Os excrevit, de dolore Ventriculi & Inteſtinorum qverulus. Imò ſuperveniente Epilepſiâ & convulſionibus vehentiſſimis, fatis conceſſit æger, teſte Baldaſſarô Timæo â Güldenklee *Caſ. med. Lib. 7. Caſ. 19. p. m. 324.* Medico cuidam propoſitus fuit æger curandus, Hæmoptoide magnâ â ſatis longô tempore detentus, ſine dolore ullô tamen capitis vel pectoris, qvi morbus nullis unqvam remediis levari potuit; conqverebatur autem æger tantummodo de fruſtulô qvaſi carneo gutturi hærente. Tandem morbus ille pertinaciſſimus ſubitò & mirè curatus fuit. Nam cùm æger iter facturus eqvum ferocem conſcendiſſet, tuſſi tantâ correptus fuit, ut ejus violentiâ hirudinem vivam rejecerit. Unde ſubitò levamen accepit nec amplius hæmoptoidem paſſus eſt. vid. Petr Borell. *Hiſtor. medic. Cent. 1. Obſ. 24. p. m. 33.* Cardialagiam a morſu hiradinum, qvæ naribus adhibitæ Chirurgi negligentiâ in gulam irrepſerant, aqvæ ſalſæ potu confeſtim ſedatam vidit Johannes Prevotius. vid. Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 72. p. m. 89.*

§. 46.

Cùm Studioſus qvidam, Gedeon Alder nomine, qvadam *Cantharides.* die poſt prandium ante Officinam pharmacevticam cum qvibusdam aliis ex ſuis commilitonibus garriret, & unus alterum irrideret, inqvit dictus Alder ad unum ex adſtantibus, qvid vis mihi dare & ego devorabo duodecim ex iſtis muſcis Hiſpanicis, ad introitum officinæ in Vitrô venum expoſitis. Conveniunt inter ſe de pretiô: famulus officinæ cantharides numerat. Alder iſtas omnes ſimul ridendo & jocando maſticat & velut cum aviditate devorat. Qvô factô varia ſymptomata graviſſi-

viſſima oriebantur; juxta verba Gviliel. Fabricii, Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. 6. Obſ. 99. Oper. fol. m. 632.*

§. 47.

Vipera. De Viperis vivis deglutitis ſeqventem Obſervationem refert Paulus Ammannus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 187. p. m. 285. ſq.* Apud Salmurienſes in Galliæ Ducatu Andegavino, An. 1670. corripiebatur Nobiliſſimus Dominus Craft, febre qvadam malignâ, qvæ omnium fere Medicorum, ibi celebrium, operæ illuſit, adeò ut ipſe Patiens prognoſtico relinqveretur. Alius Medicus ex viciniâ fuit advocatus, Empiricus vel Methodicus an fuerit, accuratè non ſcio, is qvoqve conclamatum & de vitâ ægrotantis jam actum eſſe conſpiciebat: nihilominus in morbô extremô ad extremum remedium confugiendum eſſe, ipſi veniebat in mentem, propterea adſtantibus ab eô ſvaſum, ut ſi vellent adhuc experiri medicamentum aliqvod, deberent procurare tres viperas easqve vivas, qvas patiens qvoqve vivas deglutiret; experientiâ namqve conſtare, viperas veneno reſiſtere. Obſtupeſcunt! ſed obtemperant atqve ſummâ cum moleſtiâ, agonizanti ferè tres Viperas vivas deglutiendas præbent, qvæ intra trihorium integram aſſuxerunt veneni vel malignitatis labem, adeò ut poſtea per ſeceſſum excretæ præ inſigni tumore qvaſi rumpi viderentur, qvô factô ſenſim convaluit Nobiliſſimus Patiens & per Dei gratiam peregrinationis metam proſecutus eſt.

§. 48.

Piſces. Piſciculi cujusdam vivi ab infante deglutiti Obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini: Emerat ſcilicet fœmina qvædam Hamburgi minutiſſimos iſtos piſciculos, qvos fundulos ſeu Gründlinge & Elritzen vocamus. Dumqve pecuniam numeraret, ollam, in qvam conjecerat ferculum ſuum, unà cum infante puellâ, in terram deponit. Puſio arripit unum valde exiguum in aqvâ ſalientem oriqve admovet,

movet, qvi ultrò per gulam deſcendit. Altero die patitur aliqvalem Urinæ difficultatem, qva tantem excretâ, ſimul piſciculus heri devoratus, vivus adhuc, elapſus eſt. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. Append. p. 35.* Ibidem etiam *Dec. III. An. 4. Obſ. 52. p. m. 133.* Sâmuel Ledelius aliud refert exemplum de piſce illô, qvi locorum paludoſorum inqvilinus eſt, indeqve piſcatoribus Schlambeißer audit. Talem piſciculum qvidam qvadratus, Numburgi ad Boberam, ebrius ori admovet ludere volens & ſimulans ac ſi deglutire vellet. Piſcis hic, ut lubricus, derepente manum tenentis fallit & per Oeſophagum in Ventriculum deſcendit. Hic potui deditus cereviſiâ ſe replet & flocci pendit, noctu dormit, manè ſurgit, & tunc, qvid actum, ruminat, ægreqve habet. Potum dum aſſumpſit, aliqvantulum meliùs habuit, potu autem feriante, gravativum ſenſit ventriculi dolorem. Inter anxietates tales tertiô die â circumforaneô emit vitrum Oleo Scorpionum repletum, exhaurit & poſt excitatam nauſeam ſummopere ſe diſponit ad vomitum, qvi etiam ſuccedebat vehementiſſimus cum excluſione piſciculi viventis & gaudiô hujus lurconis. Seqventia refert Petrus Foreſtus *Obſerv. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. f. 167.* Memini, inqvit, juvenem qvendam Harlemenſem ſuillas vivas (vulgares garnaren appellant) deglutiiſſe, easqve non ſolum in ſtomachô hæſiſſe & dolorem intuliſſe, ſed tum demum tabem & mortem. Aliqvos novi, acanthios fluviatiles (vulgo poſchen dicuntur) duos deglutiiſſe vivos, tandem & tertium: ſed ſibi ipſi & præfocationem & mortem intuliſſe: qvanqvam & ſacerdotem noverim, qvi coctos, pinnis ablatis, ſine noxa deglutierit. Verum tales helluones ſunt, ut Baſſus, qvi apud Imperatorem Carolum Halecem interraneis ablatis, aliqvando cum Cereviſiâ deglutiiſſe fertur. Felix Platerus *Obſervat. Lib. 1. p. 46.* cujusdam meminit, qvi Angvillam vivam deglutierat, & poſt horas decem eam rurſum, ſed mortuam & veluti coctam, per al-

vum

vum reddiderat. Item *Lib. 2. p. 444.* ſeqventem refert Caſum: In Urbe S. Gallenſi Helvetiæ Eqves qvidam ſtipendiarius, homo facetus & hiſtrio, angvillam jam grandem manibus verſans atqve, ac ſi eam deglutire vellet, ori adhibens, illa Capite in Os ipſius ingeſtô per gulam cum impetu in Ventriculum deſcendit, & poſtmodum inteſtina pervadens ſummos illi dolores & lipothymias intulit, adeô ut de vitâ illius deſperarent, idqve donec elapſis multis horis eam per alvum rurſum, non amplius vivam, ſed veluti excoriatam excrevit. Nautam vivam angvillam devorâſſe, integramqve & vivam alvo reddidiſſe, ex Gesnerô refert Eberhardus Gockelius *Gallicin. medic. pract. Cent. 1. Conſ. 30. Schol. p. 118.* Angvillæ vivæ a Tigurinô piſcatore deglutitæ atqve per poſtica deinde rejectæ vid. Bernh. Swalo *Qværel. Ventric. p. m. 118.* v. etiam Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 314.*

§. 49.

Sperma ranarum.

Sperma ſeu genituram ranarum â ſitientibus cum aqva paludoſâ deglutiri, indeqve poſtea in Ventriculô ranas generari, teſtantur Obſervationes. Siqvidem ruſtici cujusdam filia nata annos octodecim tentabatur ventris tumore & inflatione cum murmure & coaxatione ranarum ſonorâ. Jejunâ puellâ ranas coaxantes omnes audierunt, non obtuſè audientes. Originem mali ſe contraxiſſe ajebat fœmina ex potu aqvæ paluſtris, cùm vernô tempore in ſolis intenſô æſtu ſitibunda pecoris curam haberet, nec ſuppeditaret alia aqva præter dictam. Et qvia ab eô tempore indies deteriùs ſeſe habebat, ventre in tumorem ſublatô & menſis ſpatiô ranarum clamore & voriferatione moleſtâ ſubortâ ſuſpicabatur, ſe ſimul cum aqvâ iſtâ paluſtri Ranarum genituram ebibiſſe. v. Martin. Ruland. *Curat. empir. Cent. 7. Curat. 28. p. m. 500.* Ancilla qvædam ruſticana, Catharina Geilerin, qvod peſtilenti contagiô infecta putabatur, coacta fuerat ſe in caſam qvandam pro recondendô fœnô in prato exſtru-

exſtructam abdere, ex qvâ ſubinde, impellente ſiti, obviis lacunis & ſtagnis adrepſerat, manuqve liqvidum, qvod ſitim compeſceret, hauſerat. Ab eô tempore ſenſim ipſi venter intumuerat atqve poſt varia ſymptomata ranæ, bufones & lacertæ ab ipſâ vomitu rejecta fuerant, ut adeò â dictâ ancillâ bibitam aqvam horum animalium ſeminibus fœtam fuiſſe, dubitandum non ſit. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 39. p. 110. ſq.*

§. 50.

Imò ranulæ vivæ deglutitæ obſervationem recenſet Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 143. p. 319.* In aulâ ſcilicet Comitis a Promniz Soræ Luſatorum alebatur facetus aulicus, pandi & latiſſimi oris, qvi diverſa vaſa capacia absqve ullâ moleſtiâ aut remorâ ori intrudere valebat. Aliqvando lactuca apponebatur inter epulas, in qvâ juſſu nobilium tum præſentium & convivantium qviſpiam ranulam abſconderat: ne verò res proderetur, aut filum harum facetiarum rumperetur, ſponſionem nobilis cum modò laudatô aulicô inſtituit, ſe velle Joachimicum ſeu vallenſem ſolvere, ſi poſſet magnum cochlear (illic loci vocant einen Rohm-Löffel) lactucâ repletum ori immittere & deglutire. Hic ſpe lucri allectus promittit, miniſterqve ab hoc inſtructus cochlear lactucâ gravatum porrigit, porrectum alter corripit, correptum ori applicat & helluonis inſtar deglutit. Nobiles, factâ comeſtione, cachinnis excipiunt hunc milonem & aperiunt, qvod animal vivum deglutierit. Ille nauſeabundus conqverebatur de Cardialgiâ, & diris devovebat aſſidentes, qvod in mortem ejus conſpirârint, qvæ jam eſſet ante fores. Convivæ bonô animô eſſe jubebant, porrigebant poſt exantlatos labores debitum præmium, imperialem nempe & cucullum vinô Hiſpanicô repletum, cum hac admonitione, ſtrenuè biberet, ut ranulam enecaret, qvippe cui aqva eſſet vita, vinum mors. Obtemperat lubentiſſimè, bibit ſanitatis avidus & deguſtatô Nectare ur- *Ranulæ.*

get iterationem, continuatam ad ebrietatem ſummam. Portatur in lectum, relinqvitur vino ſomnoqve repletus, dormit per plures horas, tandem ſurgit ad munia & poſt copioſam alvi ſolutionem priſtinâ ſanitate gaudet.

§. 51.

Cancer vivus. Fatuus qvidam in aulâ cujusdam Principis Oeſophagum adeò amplum habebat, ut cruſtam panis duriſſimam & magnitudinem ovi gallinæ adæqvantem facillimè deglutire poſſet. Qvadam die, cùm Gammaros vivos in Culinam attuliſſent, ex adſtantium perſvaſionibus, ut Gammarum vivum deglutiret, incitatus atqve inductus fuit: Id cùm parvô negotiô feciſſet, protinus dolor & cruciatus adeò maximus ſecutus eſt, ut continuò ex unâ in alteram partem cum aſperrimis doloribus ſe projiceret, donec fruſtra adhibitis remediis ad qvartum usqve diem doloribus maximis & continuis, febre, convulſionibus & deliriis excruciatus abiret, vid. Guil. Fabric. Hild. *Cent. III. Obſ. 53. fol. 238.*

§. 52.

Dens. Dentem ſuillum fortè cum oleribus deglutiverat faber qvidam ferrarius, unde oborti dolores in hypochondriis perpetui, cum macie corporis antea obeſi. Poſt biennium excreto per alvum dente, ceſſare demum cœperunt, referente Thomâ Bartholino *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 74. p. m. 134.*

§. 53.

Annuli. Annulus aureus ab Infante Pictoris cujusdam Gorlicenſis, â matre non cuſtoditus, fuit deglutitus, qvem manu prehendens in fauces intrudebat: qvem cùm neqve deglutire neqve per os rejicere voluerit, miſellus in ſingula momenta ſuffocari viſus fuit. Tandem parentibus filioli abſentibus, ab ancillâ vocatur vicina, qvæ, ne in morâ eſſet conſilium, mox Collo ſub larynge digitos duos applicat cum compreſſione qvadam arteriæ aſperæ, unde annulus ex faucibus proſiliebat, innocensqve

filiolus

filiolus vitæ ſic reddebatur. v. Ehrenfrid. Hagendorn. *Hiſt. med. phyſic. Cent. I. Hiſt. 81. p. m. 118.* Aliud exemplum annuli gemmâ inſignis ab infante in fauces ingeſti cum ſubſeqvente morte recenſet Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rarior. Cent. I. Obſ. 22. p. m. 95.* ſcilicet conſpicui cujusdam Domini infans viginti circiter menſes natus Matris annulô aureô, cui gemma inhærebat, ludebat eumqve neſciâ, cui infantis demandata erat cura, Famulâ per Os in fauces ingerebat: matre verò paulò poſt annulum repetente, nullibi is apparebat, ipſâ ſuſpectâ famulâ. Interea infans nihil absqve ſummâ moleſtiâ deglutire, ac maximô angore corripi, parentes autem omnem movere lapidem, ſi fortè infantis dilatari poſſent fauces. Omnibus autem tentatis, ille poſt ſex hebdomadas interiit. Ipſe autem inqvirendæ mortis cauſâ diſſectus tamdiu amiſſum annulum reddidit famulamqve ſuſpicione liberavit. Annulum aureum glabrum ex improviſo octennalis puella deglutivit, qvem tertiâ die absqve ullius medicamenti aſſumtione, ſine dolore per anum una cum excrementis excrevit, vid. Diomed. Cornar. *Obſerv. medic. Cap. 27. p. 44.*

§. 54.

De particulâ Clavi trabalis ab infante viginti qvatuor hebdomadum deglutitâ ſeqventem Obſervationem communicat Fridericus Lachmund *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 176. p. 236.* An. 1644. accidit, ut infans viginti qvatuor hebdomadas natus, cum aliis puellis ludens repentinos dolores ſentiret non aliter, ac ſi ſuffocandus eſſet. Parentes qvidem, licet cauſam ignorarent & tamen ſuſpicarentur, in collum ſive fauces aliqvid, qvod infantem angeret, deſcendiſſe, dorſum infantis percuſſerunt, potumqve illi propinârunt, ſed nihil profecerunt. Medicus remediis nihil efficiens tandem fortius qvoddam Vomitorium adhibuit, qvod licet operaretur, tamen hæſit malum. Tertiô demum die forcipem ſingularem curvum, non ſine pe-

Clav.

riculô in fauces eò usqve immiſit, ut materiam illam apprehendere poſſet. Qvæ qvidem etſi ægrè poterat ſuô locô moveri, paulatim tamen ab ipſô extracta eſt. Hæc materia erat qvidam dimidio præfractus isqve vetus clavus trabalis. Infans verò dictus poſt illud tempus aliqvot adhuc annos attigit. Clauſtrarius qvidam juvenis ingenti Calculi dolore victus ſibi ipſi veſicam amplò vulnere diſſecuit calculumqve manibus exemit & qvidem Ovi magnitudinem æqvantem, in cujus medietate clavicula reperiebatur. vid. Joh Matthæi Heſſi *Obſ. med. Caſ. I. Qvæſtion. medic. p. 128.* qvæ clavicula absqve dubiô fuit deglutita. Clavem ferream non parvam famulum Dominæ a Valle deglutiiſſe, atqve a Montuo per Decoctum Malvarum Altheæ, Seminis Lini, Acanthæ ſanatum eſſe, refert Johannes Schenckius *Obſ. Lib. III. f. 312.*

§. 55.

Nummi. Nummi ex improviſô deglutiti in faucibus qvandoqve hærentes dolorem & ipſam mortem cauſantur, qvandoqve etiam in Ventriculum deſcendunt atqve per viam ordinariam ejiciuntur. Infans qvidam Nutricis ulnis geſtatus, cùm aureum florenum, manibus verſatum ori indidiſſet, eum mox, anteqvam Nutrix rurſum illum eripere poſſet, deglutivit; qvi in Oeſophagô ſubſiſtens cùm nulla ratione inde avelli aut propelli potuerit, cùm magnô cruciatu eum tandem jugulavit, juxta Felic. Plater. *Obſervat. medic. Lib. 2. p. m. 413. ſeq.* Puella Amſtelodamenſis qvinqve ferè annorum inter ludendum nummum argenteum exiguum aſſem ſive ſtüferum, ut vocant, valentem deglutierat; inde alterô tertiôqve die nullum ſentiebat incommodum, qvartô de dolore ventris cæpit qveri, locumqve doloris manu deſignabat in ſiniſtrô latere circa inferiorem partem ventriculi, augeſcente indies dolore & vomitu, dehinc moritur. In ſectione Cadaveris nummus circulo iſti, qvi pylorum undiqve cingens coarctat, non ſecus ac cooper-

culum

culum ollæ incumbens omnem alimento ad inteſtina tranſitum inhibebat, teſte Theodoro Kerkringio *Spicileg. anatom. Obſ. 1. pag. 1. ſq.* ubi etiam pueri meminit, qvi cupreum nummum devoraverat, atqve ferè poſt menſem mediante purgatione per inferiora dejecit, ita tamen in ventre attritum, ut vix moneta ejus appareret. Fœmina qvædam cum licitando merces qvasdam groſſum ore reconderet, illius oblita de oblatô libô comeſtura eundem ſimul invita deglutivit, hinc non modò dolor qvidam gravativus. Ventriculi ortus eſt, qvi manè præſertim & vacuô ab egreſſu Chyli ventriculô, moleſtus erat, verùm qvoqve ſapor cuperoſus ob communem faucium & Ventriculi tunicam in ore, ſe exeruit, qvæ tamen Symptomata a lubricitantium & pingvium, ut & Spiritus Salis uſu deſierunt. Item, puer duodecim annorum, ut infantem luſibus â clamore retraheret Imperialem Hiſpanicum capitatum dimidium (einen halben Dickthaler) ori ſuo indens detinuit, infans vero manu in Os, ut illum repeteret, intruſâ, argentum usqve ad Oeſophagum deturbavit. vid. Georg. Wolffg. Wedel. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 141. p. m. 261.* ubi de Spiritûs Vitrioli uſu hoc in paſſu agitur. Devoravit æneum qvoddam numisma puer octo natus annos, qvi nullâ perceptâ noxâ gracilis redditus poſt elapſum annum numisma prædictum, exiguum tamen, cum excrementis egeſſit, referente Amatô Luſitanô *Curation. medic. Cent. 2. Cur. 69. fol. m. 192.* De indemni novem aureorum deglutitione ſeqventem Obſervationem recenſet Chriſtianus de Helwich *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. Obſ. 35. p. 318.* Sereniſſimi Regii Principis Poloniæ Conſtantini nobiles aulici appoſitis vitris Vino pleniſſimis incidunt in ſermonem, utrum his vitris qvicqvam citra vini effuſionem indi vel injici poſſit? hoc affirmat Dominus de Bucholz, nobilis ex Curlandia, & actutum ex Marſupiô novem aureos promit & vitro immittit cum aliqvô impetu; unde qvædam Vini guttæ effuſæ

ſunt. Dominus Paulus Orgiewski, Nobilis Polonus ſpectaculô novô attonitus, re non ſatis expenſâ, cùm ei propinatum fuiſſet, unicô hauſtu & vinum & Hungaricos abſorbet; magnâ facilitate, favente nummorum ſitu, qvem in deglutiendi actu ſubierant; aurum in Ventriculum deſcendit; ab uſu autem juſculorum pingvium, lubricantium, gelatinoſorum, e.g. olei amygdalorum dulcium, decoctorum mucilaginoſorum, item Enematum & lenium evacuantium tandem decimô qvartô die tres aurei, contractoriis tunicæ mediæ motibus per inteſtinorum volumina propulſi circa meridiem excluſi ſunt cum excrementis; reliqvis ſex moram in Corpore usqve ad prandium ſeqventis diei trahentibus, qvi itidem ſine labore omni exierunt. Hi nummi excreti nullum vel abraſionis vel mutationis alicujus veſtigium exhibuerunt, adeò ut hos corporis per tot dies incolas nullâ arte aut examine ab aliis dignoſcere liceret. Ibidem etiam *Obſ. 82. p. 406.* Georgius Wolffgangus Wedelius Thaleri deglutiti meminit. Vir, inqviens, ſexaginta annorum in feſtivitate qvadam nuptiali, geſticulatoriô luſu thaleri ab aliò accepti deglutitionem ſimulans ſpectatoribusqve ſic riſum movens, & ipſe in riſum ſolvitur ſimulqve nummum faucibus illapſum experitur, ubi per qvinqve dies firmiter hærens tandem poſt aſſumta emollientia in Ventriculum deſcendit; ex qvô tempore vir ille preſſionem in Stomacho per longum tempus ſentit, eâ verò per annum remittente in marasmum incidit; qvô ſemper incrementum ſumente ſimulqve animi morbô ex malè adminiſtratâ heri ſui œconomiâ accedente moritur. Infans biennalis 1678. pecuniam deglutivit, appetitusqve inde proſtratus fuit, membraqve debilitata, macies oborta, vomituriebat, Diarrhœamqve patiebatur, ſitiebat. Embrocatio facta in ventre & dorſô Oleô roſatô, internè ſumſit Butyri recentis cochlearia aliqvot jejunô ſtomachô; hiſce alvô ſecreta pecunia, juxta relationem Johannis de Muralto *M. N. C. Dec. II.*

An. 7.

An. 7. Obſ. 102. p. 164. Et *l. a. An. 9. Obſ. 47. p. 89.* Johannes Lanzonus nobis adoleſcentem qvendam ſiſtit, pauperculum, qvi victum labore qværitans nummum argenteum in ore ſervavit, donec neceſſariam confeciſſet operam; aſt inter labores fortè in fauces decidit nummus, & in mediô gutturis hæſit magnô cùm dolore, ſputô cruentô & difficultate deglutitionis rerum ſolidarum. Ita per multum tempus affectus in ventriculum delapſô nummô, nihil inde incommodi ſenſit; tandem ſexanginta transactis diebus inter labores artis ſuæ, natô ſponte vomitu & tuſſi validâ excrevit nummum ærugine obductum. Aliud exemplum recenſet etiam Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 1. cap. 13. p. m. 113.* Non ita pridem, inqviens, Monſpeliis inter adoleſcentes ſimul confabulantes & hiſtrionum actionem æmulantes qvidam argenteum nummum deglutivit, exiſtimans, alios, (qvi idem finxerant) nummum pariter abſorpſiſſe; qvi nummus per plures menſes Ventriculo remanſit; tandem violentô vomitu ipſum rejecit granis duodecim leviorem. Bina ſeqventia exempla refert Samuel Ledelius: Fullo Gœrlicenſis deglutivit ſemi-florenum (ein acht Groſchen Stücke,) cum metu ſuffocationis, attamen absqve periculô per anum reddidit. Et Sprottaviæ nonnemo florenum (ein Gulden Stücke) protervè ori intruſit, qvi gulæ illapſus multô labore & dolore tandem in ventriculum fuit detruſus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 30. p. 85.* Sic puellus triennis, cum nummis argenteis vel diobulis novis luderet, & Patre eos repoſcente, qvosdam, infantili more, in ore occultaret, en! duos tresve improvidè deglutivit, poſt triduum demum ſine omni faucium, Oeſophagi, ſtomachi & inteſtinorum noxâ ac dolore, juſculis interim pingvibus & butyrô multô comeſtis, ſponte per alvi ſeceſſum, nummos nec colore nec formâ immutatos rurſum egeſſit. v. Joh. Helwig. *Obſ. 62. p. 207.* Civis qvidam Auguſtanus ingentes dentium dolores pasſus

ſus audivit â medicaſtrâ qvâdam, aurum puriſſimum præſentisſimum eſſe anodynum & nobile medicamen mitigans acerbitates odontalgiæ. Qvare ex ſuô theſaurô reconditô elegit Portugalenſem ducatonem cruciatum, qvem dentibus ſuperimpoſuit, & lecto ſe commiſit, dies erat decimus tertius Decembris, Anni 1604. in qvo in ſomnum prolapſus dormivit diu, experrectus aureum non reperit, nec, qvò ſe receperit, novit, excutitur lectus, purgatur domus, nullibi aureus numus invenitur. Chirurgi in collô negabant latitare poſſe, cùm nec viderent, nec æger faſtidium ibi pateretur; ſymptoma ſiqvidem cùm in degluticndo nullum, in loqvendo exiguum etiam poſt aliqvod ſpatium temporis eſſet: hoſpitium igitur aut in ſtomachô, aut in inteſtinis ſumſiſſe credebant. Raucus poſt aliqvot menſes factus, accedente ſimul aliqva corporis conſumptione, ſanctè affirmavit, illum in iſthmô faucium adhuc hærere; dehinc propinatis emulſionibus iſthmus ille madefactus, aureum nummum mobilem eructavit; duodecimô ſiqvidem Februarii ſeqventis anni 1607. cùm felem in proximâ arbore glande ex glebâ per arundinem petere vellet, ſimul etiam aureum hunc excluſit hoſpitem, jam bienniô & menſibus duobus in faucibus latitantem, cujus pars inferior alba videbatur, ac ſi mercurius tinxiſſet, vid. Philippi Hœchſtetteri *Obſervat. medic. Dec. 6. Caſ. 10. pag. m. 726. ſeq.* hic caſus etiam refertur a Vito Riedlino *M.-N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 134. p. 299. ſq.* ubi addit, dictum nummum poſtea in rei memoriam Baliſtariis Auguſtanis dono datum fuiſſe, qvi eum Poculi argentei grandis operculo appenderunt annis ſupra notatis, annulô aureô, â qvô pendet, inſculptis &c. De virgine nummum argenteum, valoris tertiæ partis Imperialis, joco deglutitum vomitu excludente v. Georg. Detharding. *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 70.* De florenô ſolidô innoxiè deglutitô ſeqventem Obſervationem annotavit Adamus Chriſtianus Thebeſius

Epheme-

Ephemerid. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 121. p. 277. Johannes Fridericus Steulman, Textor, vir robuſtus & ſanus annô vigeſimô qvartô ætatis interdiu cum infante in lectô decumbit atqve apertô ore obdormiſcit. Qvô viſô filiolus florenum in Gallia cuſum, qvem fortè in manibus tenuit, patri in os profundè immiſit. Ille verò ex improviſô expergefactus, neſciens, qvid ſibi in gulâ hæreat, illud deglutire tentat. Cùm verò ſerò nimis bolum incongruum deprehenderet, omnes nervos intendit, ut illum promoveat in Ventriculum, tandemqve non ſine multô labore & dolore in ſtomachum depreſſit. Senſit poſtmodum gravativum dolorem, qvi tamen adhibitis Cataplasmatibus convenientibus, ſenſim remiſit, atqve poſt acidorum multorum eſum, nihil amplius conqveſtus eſt; nunqvam tamen florenum vel ſuperiùs vel inferiùs reddidit. Et in Scholiô ejusdem Obſervationis ex Ore Johannis Bohnii hiſtoriam recenſet de puerô, qvi nummulum æreum fortè deglutierat, atqve vomitu perpetuô afflictus tandem perierat. Cùm verò poſt mortem a Bohniô cultro anatomico ſubjiceretur, nummulum in pylorô hæſiſſe illumqve operculi inſtar arctè occluſiſſe, deprehenſum eſt. Et Paulus Renealmus *Obſ. 12. p. 9.* pueri ſeptennis meminit, ſummis cruciatibus anxii, ob æneum calculum (Galli getton vocant) devoratum Pyloro adhærentem, qvod præ illiùs anguſtiâ elabi non poſſet. Scribit etiam Petrus Borellus *Hiſtor. med. Cent. 3. Obſ. 95. p. m. 272.* hominem qvendam auream monetam voraſſe, qvæ eô mortuô in globulum redacta fuerit reperta. Et *Cent. 4. Obſ. 25. p. 297.* cujusdam nobilis meminit, qvi centum nummos aureos in muſæô alterius accepit & voravit, ne redeunte Dominô eorum, amicô ejus, eosqve petente, ſupra illum reperirentur, ſed poſtqvam diſceſſiſſet, maximô colicô dolore cruciatus fuit, imò tantô, ut de vitâ periclitaretur; Sed tandem magnâ enematum copiâ evacuati fuerunt paulatim, ejus autem aurea

excreta ſedulò â famulis excipiebantur, felicibus, ſi Domini infelicitas diuturnior fuiſſet. Ibidem etiam annectit, in aliô Helvetiô nummos remanſiſſe in Stomachô, & qvaſi fuſos & conglobatos in ejus corpore eſſe repertos. Teſtatur etiam experientia, nonnullos â prædonibus vel militibus obſeſſos interdum nummos aureos compreſſos devorare hosqve poſtmodum per alvum rurſus dejicere vid. Foreſt. *l. a. Obſ. 28. Shol. f. 167.* & Thom. Bartholin. *Epiſtol. medicin. Cent. 3. Epiſt. 69. p. m. 285.* ubi ſeqventia ad Bartholinum ſcribit Johannes Michael Fehr: Inſtitor qvidam Ilmenoâ-Thuringus, Wolffgang Heering, qvotannis Svinfurti ex divenditis mercibus nummos faciens, aliqvando in prædones incidit periculum vitæ intentantes, niſi nummos reddat; ille tredecim aureos duobus nodulis tenui linteo in hunc finem ſeorſim obvolutis incluſos clam devorat, potiorem nummorum, qvàm valetudinis rationem, perverſô ſeculi more, habendam eſſe ratus. Alter nodulus nonô poſt die ſed non ſine moleſtiâ cum excrementis per inferiorem gutturem, ſecundum Plautum, rejicitur; alter verò triennium & qvod excedit in Ventriculô & Inteſtinis funeſtas moras trahens miſerum locatorem magnô malô pro mercede mactat, & continuô Ventriculi inteſtinorumqve cruciatu cum vomitu crebrô & animi deliqviô, tractuqve temporis ad inteſtinum Colon, qvâ cœco continuum eſt, & valvulâ munitum, delatus inibiqve qvaſi incuneatus omnem ibi tranſitum adeò obſtruit, ut omnia aſſumpta tertiâ fere poſt ſumtionem horâ cum validô conatu & vomitu nonnunqvam planè ſangvineô, qvandoqve cum alvinis fecibus permiſta ſæpius de die iterum effunderentur &c. Turcas etiam nummos aureos ante prælia & obſidiones deglutire, res ſatis nota eſt; talesqve ducatos numerô qvadraginta octo in Turcâ ad Chriſtianam religionem converſô, fuiſſe repertos, referunt Acta Eruditor. Lipſ. *An. 1712. Menſ. Auguſt. p. m. 348.* Extant adhuc alia temerariè & ſponte degluti-

torum

torum nummorum exempla, qvale de qvodam, qvi Alcmariæ tres Thaleros cum cereviſiâ unicô hauſtu per gulam demiſit, & tertiô die iterum per alvum reddidit, refert Petrus Foreſtus *l. a.* Nummos varios æneos & argenteos ſine noxâ aſſumſit Cultrivorus Londinenſis, cujus meminit Oliger Jacobæus *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 107. p. m. 280.* De Nummô Pruſſicô in Capreæ, qvæ diarrhoea occubuerat, Ventriculô repertô vid. Phil. Jacob. Hartmann. *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 21. p. 47. ſeq.*

§. 56.

Plumbi ex improviſo deglutiti mentionem facit Petrus Foreſtus *l. a.* fratrem ſcilicet ſuum, Theodorum Foreſtum, tunc puerum exiſtentem, plumbum rotundum ſed depreſſum, inter ludendum cùm in ore teneret, deglutiiſſe ac tertiô deinde die absqve moleſtiâ denuò cum fecibus per alvum reddidiſſe. *Plumbum.* Theologi cujusdam filiolus qvinqve annorum, cùm plumbum panno ſignaculi locô affigi ſolitum deglutiiſſet, dolore graviſſimô, anteqvam ad Ventriculum delaberetur, prægreſſô, curatus fuit Acetô deſtillatô propinatô, cùm prius vitæ ipſius timerent parentes, ſiniſtrô multorum præſagiô territi. Nihil etiam de iſtô, ſatis tamen latô & craſſô, excerni fuit obſervatum, ſed puer poſtea optimè valuit, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 141. p. 26.* In Textoris cujusdam, omnimodâ alvi obſtructione defuncti, Inteſtino Colo qvadraginta plumbei bombardarum portatilium globi, reperiebantur a Johanne Nicolao Binningero. *v. ejusd. Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 20. p. m. 144.* Nobilis cujusdam Conjux obſtructione alvi & torminibus laborans Globulum plumbeum deglutiebat. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. obſ. 315. p. 533.* Nobilis qvidam â ſummâ colici doloris acerbitate hauſtis Olei Amygdalarum dulcium Unciis tribus cum vino albo, & devoratâ glande plumbeâ argentô vivô illitâ liberatus eſt, juxta Ambroſium Paræum *Lib. 16. cap. 58. fol. m. 581.* Globulum

bulum plumbeum præter propter duas drachmas ponderantem cum drachmâ unâ Mercurii vivi illitum contra paſſionem colicam conſiliô Melchioris Fribe Juvenis qvidam viginti qvatuor annorum deglutiebat; ne tamen à Mercuriô fauces læderentur, aut Ptyaliſmus excitaretur, dictus globulus Mercurio probe obductus, maſſa farinaceâ involutus erat. Finitis poſt globulum ſumptum tribus horis præmittebat ægrotus nonnullos crepitûs cum levamine, horâ verò qvartâ, duabus ſubſeqventibus dejectionibus, ultra ſex libras materiæ peccantis variegati coloris cacavit, ſine noxâ tamen, integrâqve cum pace inteſtinorum, aliàs â torminibus vexatorum, & ſic in integrum reſtituebatur. *v. M. N. C. l. a. Obſ. 96. p. m. 156.* Singulis manè globum plumbeum ſclopetarium devoravit Rudolphus Durr, Cultrivorus Baſileenſis, aſcendendo ab unciâ ſemis ad uncias duas pondere. vid. Theoph. Bonet. *Medicin. ſeptentr. Tom. I. Lib. 3. Sect. 1. fol. m. 510.* De Grandinibus plumbeis deglutitis, immedicabilis doloris in Ventriculo autoribus, hanc Obſervationem refert Georgius Dethardingius *Ephemer. Acad. N. C. Cent. IX, Obſ. 18. p. 20. ſq.* Ruſticus juvenis ab elevando ponderoſiora conqveſtus eſt de damnô corpori illatô. Er habe ſich überhoben; deglutiit ex conſilio parentis grandines plumbeos mediæ magnitudinis, hac copiâ, qvâ ſolent bombardæ onerari, einen Schuß Enten-Hagel, & decurrendo abhinc fuit ſanitati reſtitutus. Hinc alteri filiorum ex eâdem cauſâ lecto affixo idem parens Evporiſton hoc commendat; aſt tantum abfuit, ut hic inde convaluerit, ut in miſerrimum nec ſatis dolendum ſtatum fuerit redactus. Grandines namqve deglutiti non fuere excluſi, ſed hærent omnes in Ventriculô, & qvod ex dolore fixô, cujus ſedem æger ſcitè ſatis digitô monſtrare poteſt, concludere eſt, circa pylorum hærent. Appetitus ſatis viget, ciboſqve avidè aſſumit, aſt morâ brevi interjectâ graviſſimi cruciatûs angunt, ut in terram ſe conjiciat, & volvendo ac revolvendo corpus medelam

delam qværat, ſed qvam non niſi vomitus aſſumptorum ſemiſubactorum in tantum affert. Qvàm hic æger fuerit per vomitoria, purgantia draſtica ab Empiricis vexatus, citra omne fuit ſolatium. Efflagitat ergo qvàm inſtantiſſimè, ut Chirurgi manu perſcinderetur locus, qvô grandines hærent, aſt fruſtra.

§. 57.

Globulum etiam figulinum a tenellô puſione fuiſſe deglutitum, recenſet Samuel Ledelius *l. a. Dec. II. An. 8. Obſ. 30. pag. m. 85.* Cùm enim parentes huic infanti, qvi nondum annum attigerat, in terram poſito, ut taceret, ludendi gratiâ, globulum exhibuiſſent (ein Schnell-Käulchen ziemlicher Gröſſe,) puellus, ut ſolet hoc genus, ori ad deglutiendum intruſerat, cùmqve jam ſuffocandus ſterteret, accurrunt anxii parentes, corpuſculum cum tergô concutiunt, brachia attollunt & commovent, tandemqve difficillimè globulum detrudunt in ventriculum, qvem tertiô die per anum exeuntem vident. Qvamdiu in ventriculô hæſit globulus, puer ſine ſummô dolore in tergô qvieſcere neqvivit, ſed ſupinô decubitu ſomnum capere opus habuit: ſtare tamen & ſedere potuit absqve ullô gravamine. *Globulus figulinus.*

§. 58.

De fiſtulâ deglutitâ & tertiô die per alvum excretâ ſeqventem Obſervationem communicat Thomas Bartholinus *Cent. I. Hiſtor. 59. p. m. 88. ſq.* Muſicæ peritus Scholaris qvidam, Nicolaus Eraſmi, animi recreandi gratiâ ante oſtium hoſpitii ſui tibiam inflat, ſeu buxum, ſeptem octove digitos transverſos longum. Accedens commilito, tibiæ poſſeſſor, aſtu fiſtulam apprehenſurus fortè manu vehementius adactâ in gulam per fauces tibiam intruſit, ut extrahenti digitô amplius apprehendi non poſſet. Tandem in Ventriculum delapſa dextrum latus videbatur obſediſſe. Unde doloribus feſſus lectum petiit & ſine alimentis tres dies nocteſqve inſomnes tranſegit, late- *Fiſtula.*

 re

re dextrô dolente. Tertiô die circa qvartam horam pomeridianam ſine medicamentorum ſtimulô per inferius guttur ſeu alvum ſuâ ſponte prodiit fiſtula, qvam non modò apud Bartholinum *l. a.* ſed etiam in Olai Wormi Muſæô, *Lib. 4. cap. 9. fol. m. 374.* depictam reperimus.

§. 59.

Crembalum. Cùm Crembalô fortè fortuna ludens Civis & pilearii Poſonienſis filiolus duorum annorum ad imitationem aliorum intra os ſumit, deſcendit ad guttur, tentat deglutire, ſed imminenti ſuffocatione perterriti adſtantes, cùm illud eximere ampliùs non poſſent, immiſſô digitô ad vomitum movere volunt, ſed magis detrudunt. Accerſitus Chirurgus immiſſâ ſpongiâ ferreo filo præfixâ aut vomitum conciliare aut penitus in ſtomachum detrudere laborat, ſed fruſtra; hæſit, qvantum conjici poterat, in gulâ, & puer qvidem liqvida, qvæ ipſi dabantur, valde pingvia deglutiebat facilè, neutiqvam ſolida, fluente continuò ſalivâ. Tandem tertiâ die, natura ſua ſponte ſibi auxilium latura vomitum movit, & Crembalum unà exturbavit. Exulceratæ in tranſitu fauces convenientibus curabantur, & parvulus ſalvus & incolumis ſervabatur, teſte Carolo Raygero *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. obſ. 109. p. 269. ſeq.*

§. 60.

Cuſpis fuſcinæ. Fuſcinæ Cuſpidem deglutitam annotavit Vitus Riedlinus *Linear. medicar. Ann. 1697. Jan. obſ. 5. pag. m. 15.* his verbis: Illuſtris qvædam Matrona fuſcinâ, cujus cuſpis jam rupturæ vicina erat, feſtô qvodam die cibos comedens, in prandii ſtatim principiô ſine cuſpide illam ex ore extrahens, exindeqve hanc ſe deglutiiſſe videns, in magnum pavorem conjecta fuit, cùm præſertim paulò pòſt dolorem qvendam in gulâ ſenſiſſet, ſemper magis & tandem in Ventriculum ipſum deſcendentem, ubi aliqvandiu fixam elegiſſe ſedem viſa eſt. Aſſumptô autem oleô Amygdalorum dulcium, dolor & metus ceſſârunt. De furcellâ tricu-

tricuſpide in Ventriculô Lupi reperta, vid. Chr. Franc. Paullin. *Lycograph. p. 38.*

§. 61.

De cochleari deglutitô ſeqventem Obſervationem recenſet Felix Platerus *Obſ. med. Lib. 2. p. m. 445.* Capitaneus nobilis Valeſianus in die Cinerum, qvô qvævis licenter perpetrare ſolent ſeqve invicem commaculare, in rhedâ cum aliis per urbem bacchatus, cochleari lac comedens aliisqve infundens eosqve conſpurcans, cùm cochleare ori ſuo inditum dentibus mordicitus teneret, manubrio tantùm apparente, ſocius illi aſſidens manu adeò ipſi impegit, ut, cùm evellere neqviret, illud deglutire coactus fuerit. Unde graviſſimè cruciari cœpit, â meridie, qvô id factum, ad ſeqventis diei diluculum usqve, qvô tempore illud rurſum, ſed valde ægrè & cum alvi lancinante ſummô dolore in podice hærens, vix extraxit, moxqve ſurgens commilitonibus ſuis, qvi jentabant, & de illius doloribus loqvebantur, clam accedens in offam cochlear ſordidum, ut erat, projecit. *Cochlear.*

§. 62.

Auream crucem qvinqve gemmis inſtructiſſimam unà cum qvadraginta unionibus grandioribus, & fide pariter, qvâ hæc continebantur, Hiſpanus qvidam Meretrici ſuffurata deglutivit. Hæc ſcilicet, cùm illi noctem ſe daturam, niſi prius numeratis qvinqvaginta aureis, negaret, atqve ille lætè annuiſſet, hæc â Patritiô Venetô, pathicô ſuo, ut comptior ornatiorqve & magis placida eſſet, elegantiſſimum Uxoris ſuæ monile obtinuit; Cui Hiſpanus, qvò mereticulæ vices reponeret, inhians, eam qvàm potuit ſalaciſſimè, ut ſvaviùs tandem obdormiret, exercuit, ac poſtmodum ſolutô monili ſingulas uniones & crucem ac poſtmodum fidem (ne qvid ſuo furto obſtaret) devoravit. vid. Andr. Veſal. *de Corpor. human. fabric. ſeu Anat. Lib. 5. cap. 3. fol. m. 377.* *Crux aurea.*

§. 63. Cùm

§. 63.

Specillum Chirurgicum. Cùm Chirurgus qvidàm mulieri, in collô laboranti probam, ut vocant, vel tentam, vel ſpecillum, gutturi immiſiſſet, è manu vel digitis in gulam dilapſum poſtea in ſtomachum deſcendit, longitudine octo vel plurium digitorum, ſed aliqvot annis ibidem permanente hôc inſtrumentô chirurgicô, fœmina tandem miſerè tabe obiit. vid. Petr. Foreſt. *Obſerv. medic. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. fol. 167.* Viri conſularis Iſenacenſis filiolus *orbiculi catenæ* trium annorum, cùm orbiculos duos æneæ catenæ, unciæ unius longitudine, ori ingeſſiſſet, incautè eos deglutivit; qvi, cùm adhuc in Oeſophagô hærerent, præ doloribus valdè clamavit. Hinc verò ſimul ac in ſtomachum delati fuerunt, non viſus eſt pejùs habere, qvin vegetus edit & bibit. Solliciti Parentes qvotidie omnia excrementa perveſtigarunt per aliqvot ſeptimanas, ſed fruſtra ac nil penitus invenêre, ut firmiter concluſerint, abſumptos fuiſſe ſenſim ac ſenſim in ſtomachô, qvin nec excrementa â ſtatu naturali declinâſſe viſa ſunt, uti ex verbis ægri filioli parentis propriâ manu conſignatis refert Georg. Wolffg. Wedelius *M. N. C. Dec. I. An 3. Obſ. 141. p. m. 262.* Puerum qven- *fibula.* dam fibulam orichalceam ad Calceos firmandos paratàm deglutiiſſe poſteaqve vomitu excluſiſſe, annotavit Georgius Dethardingius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 70.*

§. 64.

Forfex. Forficem deglutitum ex ſeqventi Langei Obſervatione communicat Nicolaus de Blegny *Zodiac. medic. Gallic. An. II. Menſ. Jul. Obſ. 8. p. m. 147.* Scilicet qvidam Convulſionibus epilepticis prehenſus deglutiit forficem acutiſſimum, qvatuor pollicum longitudinis, qvem uxor intra dentes intruſerat; Novendiô autem exactô per inferius guttur illum expulit, nullô tamen totô illô temporis ſpatiô incommodô inde exortô; pro more enim ſolitô cibum & potum aſſumſit, nulloqve uſurpatô remediô præter paucum olivum ex intervallis. &c.

§. 65. Li-

§. 65.

Ligulam, Inſtrumentum ferreum exacuendis cultris deſtinatum, appenſum lanio cuidam, porcos mactanti, Petrus Yvens, Vinitor, clam abſcidit, hocqve manubriô ſuô inſtructum integrum deglutiit, nemine aſſiſtentium animadvertente, nec poſt deglutitum de læſione ullâ conqveſtus eſt, adeò ut lanio amiſſi ferri perqviſitio inutilis fuerit. Aſt paucô elapſô tempore jactura hæc fuit reparata, cùm ferri recuperandi, elapſis qvinqve aut ſex menſibus, poteſtatem fecerit Yvens, cui excitatus in Hypochondriô dextrô abſceſſus, qvô apertô erupit Inſtrumentum ferreum, at pauciſſimâ comite materiâ, adeò ut intra octiduum ſanationem receperit, juxta verba modò allegati Nicolai Blegny *l. c. An. I. Menſ. Maj. Obſ. 2. p. 86. ſq.* ubi ita pergit: Facinus hoc, animi malè conſtituti indicium, aliud non minùs abſurdum excepit, Petro enim Yvens cùm fortè pes ollæ ferreæ obvius factus fuiſſet, eidem uſui, illum, cui prædictum ferrum deſtinavit, non obſtante vel duritie, vel pedis illius inæqvalitate, qvæ ab inſanô hoc ne minimam qverimoniam expreſſit; Naturâ verò non majus temporis ſpatium ad ejus expulſionem, qvàm prioris, impendente, qvæ accidit mediante aliô abſceſſu in hypochondriô ſiniſtrô exortô, cicatrice obductô. *Ligulæ.* *Pes ollæ ferreæ.*

§. 66.

Cultri prærupti acumen qvendam devoraſſe ac idem per poſteriora reddidiſſe ſcribit Petrus Foreſtus *l. a.* In tabulâ Vir generoſus oſſiculum a carne ſeparaturus improviſô abrumpit apicem cultri acutiſſimi, fabæ circiter magnitudine (cultri apex erat ſubrotundus, qvales Anglia exhibet) & abruptum inter ſermones famelicus carne mixtum deglutit. Perterritus inde nil mali qvidem perſentiſcebat, metuebat tamen meritò pejora, vulnus ſcilicet ſtomachi aut inteſtinorum, juxta Gabriel Clauderi relationem, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſerv. 208. pag. 516.* *Cultri apex.*

§. 67.

Cultri. Interdum etiam integri Cultri & qvidem vel ex amentiâ, vel Caſu & infortuniô, vel ſtudiô ac temeritate à qvibusdam deglutiti leguntur, qvorum alii per alvum iterum prodiêre, alii autem arte & manu chirurgicâ extracti fuêre. Ejusmodi *Cultrivori.* cultrorum deglutitoribus ſeu cultrivoris, & qvidem ex inſaniâ, annumerandus eſt Petrus Yvens, cujus paulò ante mentionem fecimus, qvippe qvi cultrum, vaginæ intruſum, qvales perâ geſtantur, deglutiit, qvem hiatu factô paulô ſuprâ & ad latera vertebrarum lumborum, terram ligone verſans, excluſit. vid. Nicol. Blegny *l. a. p. 87.*

§. 68.

Cultrivorus Pragenſis. Præprimis autem notus eſt Cultrivorus Pragenſis, de qvo ſeqventia refert Oswaldus Crollius *Baſilic. Chymic. Præfat. pag. m. 110. ſeq.* Pragæ in novâ urbe qvidam Bohemus ruſticus, nomine Matthæus, circiter triginta ſex annos natus, dum per biennium mirâ & inauditâ qvadam gutturis dexteritate multoties apud bibulos, juſtæ magnitudinis ferreum cultrum in guttur ſuum ſatis amplum ceu vaginam corneô manubriô prius intrudendo inſtar præſtigiatoris debitâ operâ occultaret, ſuperhibendo bonum, hoc nomine impetratum, cererevifiæ hauſtum, & poſtea eundem iterum pro lubitu, ſingulari arte, cuſpide retraheret, neſcio qvâ ſuâ infelici & dementi temeritate Anno 1602. poſtridie Paſchatos eundem eatenus deglutivit, ut planè in ſtomachum deſcenderet, & ab ipſô nullô ampliùs artificiô retrahi poſſet. Et poſtqvam dictum cultrum ſeptem integras ſeptimanas & duos dies in ſuô ventriculô hoſpitatus eſſet, uſu & adjumentô Emplaſtrorum attractivorum è magnete & aliis, cuſpis ejusdem naturali impulſu, juxta orificium ſtomachi exitum moliri cœpit; qvô deprehenſô inſtanter petitum fuit â patiente, ut incidendo extraheretur, qvod a Chirurgô Floriano Malthis, die Jovis poſt Feſtum Pentecoſtes præſtitum

fuit.

fuit. Color exciſi cultri, pollices transverſos novem longi, ita fuit immutatus in Stomacho, ac ſi per illud tempus in igne jacuiſſet. Ruſticus autem ſpatiô paucarum ſeptimanarum integram recuperavit ſanitatem. Hujus deglutitionis etiam mememinit Jean Verduc *dans la Suite de la Pathologie de Chirurgie*, *cap. 30. p. m. 904.* his verbis: Un payſan avalla un couteau de neuf pouces de long; la pointe s' etoit tournée un peu au deſſus du fonds du Ventricule du côté gauche, & le manche vers l' epine du dos. Deux mois aprés ce funeſte accident, on tira le couteau par une incision, le malade en gverit. vid. etiam Dan. Sennert. *Pract. Medic. Lib. III. Part. I. Sect. 1. cap. 15. pag. m. 59.* Cultrum hunc etiamnum in Camerâ raritatum Cæſareâ reſervatum videri, refert Georgius Sebaſtianus Jung *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 115. p. m. 268.*

§. 69.

Secundô locô venit Cultrivorus Pruſſiacus ſeu Regiomontanus, de qvô ita ſcribit Gothofredus Mœbius *Fundament: Phiſiol. cap. 10. pag. m. 152.* Noſtrâ memoriâ Opilioni Regiomontii in Boruſſiâ ebrio culter, dum aduncô manubriô in gulam intruſo Vomitum procurare vellet, in Ventriculum delapſus ac deinde ſuperſtiti iterum extractus eſt. Hujus Cultrivori ſequentibus Circumſtantiis meminit Johannes Cluverus *Epitom. Hiſtor. Anno 1635.* adoleſcens qvidam ruſticus viginti duorum annorum, in Boruſſiâ novum vitæ periculum novô atqve audaci remediô evitavit, Andreas Grunheide nominabatur, ex Grunwaldâ, is diu ſtomachi langvore laborabat, atqve ideo vomitionibus aſſvetus, cùm ſemel pro more ſuo arreptô cultellô manubrium ejus in fauces immitteret, gulæ ad vomitum ſtimulandæ ergo, cultellus fortè è manibus elapſus gulam profundiùs ingreditur, ac demum, etſi ægrè in Stomachum ipſum deſcendit. Igitur ancipiti malo anceps qvoqve & ſtrenuum remedium conſiliô Medicorum Regiomontanorum adhibe- *Boruſſicus.*

hibetur, qvod ejusmodi fuit: Ægro firmis aſſeribus fortiſſimè alligatô conſtrictôqve, ne verſando ſe curam magiſtri turbâret, Chirurgus paulò infra coſtas ſiniſtri lateris aptâ ad id novaculâ aperire corpus ad ipſum usqve ventriculum cœpit, tum pertentatô eô apertoqve levi è vulnere cultellum extrahit. vid. Joh. Dolæi *Encyclopæd. chirurg. ration. Lib. 3. cap. 1. pag. m. 679.* ubi præter alia hunc caſum â pluribus, præſertim â Theodorô Craanen *Diſſert. de Homin. cap. 7. p. 63. ſeq. item Oeconom. animal. Part. 1. Qv. 31. p. 24.* in dubium vocari addit. Illum tamen ſibi viſum deſcripſerunt duo Medici, Georgius Lothus & Rotgerus Hempſing, peculiari Tractatu Germanicô totam admirandæ rei hiſtoriam continente. Utriusqve Medici Tractatum eâ de re ſcriptum tunc temporis è Boruſſiâ ſibi transmiſſum in Bibliothecâ ſuâ ſe ſervaſſe ſcribit Isbrandus de Diemerbrock *Anat. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 23.* Item, Daniel Beckherus, tunc temporis Profeſſor Academiæ Regiomontanæ, Heurnio Profeſſori Lugdunenſi hanc hiſtoriam fideliter communicavit, dictiqve juvenis & cultelli picturam transmiſit, qvæ juxta Dolæum *l. à.* in Lugdunenſi Theatrô Anatomicô hodienum conſpici poteſt. vid. etiam Johann. Munnicks *Chirurg. Lib. 2. cap. 2. p. m. 204.* Dictus etiam Beckherus Anno 1643. Tractatum de hoc Cultrivorô edidit, in qvô ipſius ruſtici ſeu Opilionis & cultri delineationem communicat, ex qvô eosdem depictos etiam ſiſtit Chriſtianus Menzelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 1. Schol. p. 3.* qvi *loco all.* hunc ruſticum An. 1646. Regiomonti adhuc ſuperſtitem ſe vidiſſe addit. v. etiam Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 11. Obſ. 15. fol. m. 548.* ubi totam curam deſcribit, additô Chrirurgi & Lithotomi, Danielis Svevi, nomine; Et Johannes Petrus Albrecht hiſtoriæ hujus veritatem per teſtimonium publicum Chartæ pergamenæ inſcriptum Senatusqve Regiomonti Sigillô ſubſignatum defendit vid. M. N. C. *Dec. II. An. 8. Obſ. 167. p. 399.*

§. 70.

§. 70.

Tertiò ſeqvitur Cultrivorus Baſileenſis ex inferiori civili familiâ plebejâ oriundus, Vir qvinqvaginta qvinqve circiter annos natus, nomine Rudolphus Dürr, macilentus, colore faciei ex fuſcô flaveſcente, naturâ & temperamentô melancholicus, qvi non ſolum cultros dentibus confractos ſed & alia inſolita maſticavit & devoravit. In ejusdem defuncti Cadavere Anno 1670. diſſectô, & qvidem in Inteſtinis reperta fuere, juxta Johannis Rudolphi Bürckhardi relationem, duo cultri fruſta; qvæ juncta integrum perficiebant; vel juxta Jacobi Rothii verba duo Cultri, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 178. & 179. p. m. 333. ſeq.* & Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 14. fol. 906.* & *Medicin. Septentrion. Lib. 3. Sect. 1. cap. 16. & 17. ſeq. fol. m. 509. ſeqq.* ubi adhuc Relationem Sigismundi Kœnigii, Phyſici Bernenſis, Theophilo Boneto communicatam reperies. Seqventia de hôc Cultrivorô Baſileenſi refert Johannes Nicolaus Binningerus *Obſ. medic. Cent. 5. Obſ. 7. p. 492. ſeq.* Rudolphus Dürr, Baſileenſis, annis 60. major, temperamenti calidi, ſicci, procerus, macilentus, hypochondriacus, Vinitor, dum 23. Novembr. 1669. Baſileæ eſſem, recenſebatur, cùm in patriâ, tum in regionibus exteris abſurdiſſima lucri cauſâ devoraſſe & etiamnum deglutire, qvæ fidem omnem ſuperarent: araneas, ſerpentes, bufones, lacertas, coria, calculos, ferrearum catenarum, cultrorum & ſimilium fragmenta, ſine damnô. Inceſſit me curioſitas, anteqvam Urbe migrarem, hominem videndi & de qvibusdam faciendi periculum. Se ſocium jungit Samuel Eglingerus, Medicus cum A. Hubero, qvi ad id perfractæ cuſpidis cultrum exportavit. Ad nos in Hoſpitium convocatus Senex edentulus, ſuperiora & majora relatis ſe præſtitiſſe & præſtare poſſe aſſerebat. Oblatum cultrum, Ungvem latum, cujus manubrio annexam portiunculam aſſervô, ſumit, in duas aut tres partes dividit: has ſucceſſivè in conſpectu noſtrô hinc inde in palatô ad commo-

diorem deſcenſum motitans injuſſus & disſvaſus ſuô periculô devorat; clavos, lapides & alia deglutiturus, ſi juſſiſſemus, & urgens diſceſſus meus permiſiſſet longiorem moram. Narrabat minora ferri fruſta in corpore ſuô conſumi, majora verò non item: animalia venenata digeri, nec ſibi ullam in corpore noxam excitare: Obiit ille die 3 Januar. 1670. colici doloris & ſpuriæ Pleuritidis violentiâ, qvam Diarrhœa comitabatur bilioſâ. Aperto cadavere inventa ſunt in principiô & fine inteſtini coli duo fruſta cultrorum, planè non, ne qvidem in acie læſa vel eroſa, inteſtinum exulceratum, gangrænatum & purè copioſiſſimô ſcatens. Ventriculus illæſus dimidiâ ſui parte repletus materiâ bilioſâ. &c.

§. 71.

Halenſis. Qvartò etiam Cultrivororum numero inſerendus eſt ruſtici cujusdam filius, ſedecim annorum, nomine Johannes Rudluff, natus in viciniâ Urbis Halæ Saxonum, qvi An. 1691. tertiô Januarii circa veſperam colludentibus commilitonibus ſub ſcamnô infixum cultrum ſine apice licet, corneô manubriô, adaptatô ad hoc, incertô ſitu corporis & declinatô capite, dentibus extrahere voluit, verum unà cum ſcamnô ad terram decidens ore prehenſum cultrum improvidè gulæ profundiùs commiſit adegitqve in fauces. Commilitones reliqvi accurrunt & cultrum qvidem, ſi ob dentium prominentium ſeriem potuiſſent, eximere conantur. Sed cum neqve conſilium, neqve modum ullum alium ſcirent, cultrum iſtum, manuum partim operâ, partim Cereviſiâ, primò frigidâ, mox calidâ & tandem Oleô Olivarum fauces humectandô ad Ventriculi cavum intruſerunt. Qvô factô Cultrivorus ſtatim Lypothymiis corripitur, dirisqve vomitionibus, imprimis ſi aliqvid cibi aſſumſerat, tentatur. Ab illo tempore eqvidem Medicus Hallenſis ordinarius, Wolffgangus Chriſtophorus Wieſenerus, partim ad dolores compeſcendos oleoſa, lenientia & balſamica,

par-

partim pro cultrô imminuendô & conſumendô acida peculiari modô parata cum confortantibus ægrotanti propinavit, donec tandem Annô ſeqventi 1692. Menſe Majo, ad tres digitos latos infra ſcrobiculum Cordis rubedo, inflammatio & abſceſſus exoriretur; ex qvô apertô poſt effluxum materiæ ſummè fœtidæ, deniqve Menſe Auguſtô culter extrahebatur. Relationis partem cum cultrô delineatô communicavit Theodorus Chriſtophorus Krugius *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 1. p. 1. ſeq.* & ipſe Wieſenerus peculiarem Tractatum Germanicum de Cultrivorô Hallenſi ejusqve curâ edidit, in qvô ſimul cultrum integrum tam ante deglutitionem, qvàm extractum, & ad dimidiam partem in Ventriculô conſumptum delineat. Qvem Wieſeneri Tractatum recenſent Domini Collectores Act. Lipſ. *An. 1692. Menſ. Octobr. p. 250.* Johannes Bohnius *de Renunciat. Vulner. Sect. II. cap. 5. p. 139.* dictam Obſervationem his verbis refert: Adoleſcens ruſticus prope Halam ſedecim annorum Anno 1691. d. 3. Januarii, inter petulantias juveniles Cultrum ore prehenſum improviſô pronôqve in terram lapſu faucibus profundiùs impegit, ſociisqve & aliis accurrentibus, qvòd extrahi illum poſſe diffiderent, Cereviſiam ac Oleum, ad gulam lubricitandam, ſuffundentibus, in Ventriculum demiſit. Poſt varios dolores ac moleſtias, modò ſedatos, modò recrudeſcentes, Menſe Januarii inſeqventis anni tumor qvidam durus non procul a ſcrobiculò Cordis enatus, cum rubore & dolore intenſô, paulò pòſt aliqvantùm evaneſcens, Maji Menſe denuo tamen prominens & Abſceſſum innuens, qvi 24. dicti Menſis Spathâ Chirurgi apertus materiam purulentam ac graveolentem fundebat, die 18. Junii apicem cultri monſtrabat, donec die 2. Auguſti Culter integer, qvamvis hinc inde corroſus ac mole imminutus, feliciter extraheretur, & ab eô tempore, ſenſim conſolidatô Ulcere, incolumis viveret Adoleſcens. vid. etiam *M. N. C. Dec. II. An. 10. p. 419.* Chriſt. Franc. Paullin. *Lycograph.*

cograph. Sect. 1. cap. 3. §. 5. p. m. 39. Joh. Conr. Parchuſ. *Acroamat. Diſſert. 22. p. m. 247.*

§. 72.

Londinenſis. Longè infeliciores fuerunt hactenus allegati Cultrivori, qvam ille Londinenſis, qvi Londini Anno 1675. die 1. Maji, in præſentia Eqvitum plurium ac Nobilium aciem gladii ulnæ longitudinis in fruſtula prius diffractam devoravit. Idem etiam eodem annô, Menſe Novembri coram Rege Angliæ cultros duos & novaculam, manibus, ne fraus ulla ſubeſſet, poſt tergum ligatis devoravit. Rex ipſe cultrum unum ori ejus immiſit, Dux Eboracenſis alterum, & Nobilis adſtans novaculam: qvæ ſingula die Lunæ aſſumpta per alvum iterum excreta die Jovis inſeqvente. Annô eodem Menſe Auguſtô cultrum lanionis, digitorum novem longitudine cum vaginâ integrâ devoravit, qvi novem poſtea dierum intervallô, vaginâ ferè exeſâ, per poſteriora exivit. Anno 1676. Menſe Aprili cultrum alium devoravit, cujus manubrium teſtâ teſtudinis obductum, cùm alvô excerneretur, exeſum ferè & corruptum apparuit, & acies cultri non ſecus ac ab aqvâ forti corroſa ferè & abſumpta. Cultrum alium manubriô ſpoliatum, poſtqvam integer devoratus in Inteſtinis delituiſſet, curioſis oſtendit Edvardus Tyſon, Anatomicus Londinenſis, qvi etiam hactenus recenſita Oligero Jacobæo communicavit. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 107. p. m. 279.* ubi etiam Clavem ferream aſſumptam dierum novem intervallo Carbonis inſtar nigerrimam exiiſſe, cultrumqve, qvi ductum inteſtinalem ter decies permeaverat, qvippe toties deglutitus, ſimiliter excretum fuiſſe addit.

§. 73.

Cultrivora Harburgenſis. Exemplum qvoqve fœminæ cultrum cum Vitæ diſpendiô deglutientis ad Michaelem Bernhardum Valentini, his verbis perſcripſit Joh. Wilh. Alruz. Ancilla qvædam viginti ſeptem circiter annorum in horreô ſive ovili extra Pagum, cui nomen Wolm-

Wolmſtorf eſt, â ruſticô atqve horrei proprietariô reperta fuit, qvam non ſine correctione & inhibitione, ne poſthac illuc rediret, interrogat, cujus eſſet? Illa nunc hæc nunc illa prætendens, locumqve, unde venerat, altum celans ſe minimè rediturani promittit & diſcedit. Septimô verò abhinc die in eodem horreô, verùm mortua, invenitur. Re igitur ad Præfecturam delatâ, ego ad Cadaver anatomicè ſecandum competenter reqviror, ut mortis cauſa clarè innoteſceret. Seco igitur, & tyronibus præſentibus cuncta demonſtrans atqve ad ſtomachum deveniens nigrum qvid ex eo prominere cerno, & ecce! cultri apicem apprehendo, atqve in conſpectu plurimorum adſtantium paulatim extraho omnibusqve demonſtro. Qvia verò foris in Corpore externô nullum omninò vel perpeſſæ vel peractæ violentiæ ſignum obſervari poterat: hinc minimè dubitandum, qvin voluntariè & datâ opera cultrum deglutiendo ſe enecare voluerit. *Vid. Ephemerid. Academ. N. C. Cent. IX. & X. Obſ. 65. p. 151.*

§. 74.

His Cultrivororum exemplis adhuc ſeqventia annectere liceat. Paſtoris ſcilicet meminit Ambroſius Paræus *Lib. 24. cap. 19. fol. m. 569.* qvem deglutire gladium ſemipedem longum cum corneô manubriô pollicari craſſitie obvii prædones coëgerant. Eum ſemeſtre integrum magnis tamen cum doloribus indies macreſcens ac tantum non tabeſcens continuit, donec tandem abſceſſu ſub ingvine cum magna puris valde fœtidi copiâ obortô, præſentibus Juſtitiæ cuſtodibus erupit & extractus eſt. Item Principis Rohani morio, Gvido nomine, deglutivit aliqvando enſis mucronem, tres digitos longum, duodecimôqve poſt die per anum qvàm ægerrime reddidit. Juſſu Henrici, Chriſtianiſſimi Regis Morionem, qvi in ludô gladiatoriô coram Rege cuſpidem enſis fracti acutiſſimam & dodrantalem arreptam confeſtim deglutiverat, liberavit Hieronymus Montuus. vid. Joh. *Alia exempla.*

Schenck. *Obſ. medic. Lib. 3. fol. m. 312.* Juvenis qvidam Svecus, qvi ſtudiorum cauſâ Upſaliæ degebat, Picâ planè peregrinâ conflictabatur; dimidiô namqve annô totô Orexi laborabat tantâ, ut nullis cibis vulgaribus qvantumvis ſolidis, ſatiari poſſet, adeò & duriſſima qvæqve & ipſa metalla, æs, ferrum, argentum, appetebat avidèqve hauriebat. Inter alia correptum ferreum cultellum digiti longitudine dentium molitione diu fruſtra fatigatum abligurivit totum; qvi, cùm aliqvot poſt dies ab alvô dejiceretur, ſemeſus apparuit & aliqvâ ſui parte minor; certè tam mollis factus erat tamqve friabilis, ut digitorum attritu in crocum faceſſeret. v. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſerv. phyſic. medic. Lib. 2. Obſ. 55. p. m. 345.* Laurentius Joubertus, Medicus & Profeſſor Monſpelienſis, Galeno Wiero oſtendit cultellum obtuſum, qvi pannô obductus ab opilione alteri cuidam vi in os ingeſtus & per gulam demiſſus, longô tempore & totô bienniô in corpore delituit, donèc abſceſſu in ingvine factô excretus, & æger ope Chirurgi curatus fuit, & poſtea ſeptennium adhuc ſupervixit. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Obſ. Chirurg. Lib. I. Obſ. 54. Oper. p. m. 45.* Agreſtis homo tentaverat ſibi anginam in gutture aperire, brevi cultrô, qvem incautus deglutivit, eundemqve tandem dextro abdominis latere, cum multô pure poſtqve multas anxietates reddidit & incolumis ſupervixit, vid. Joh. Bapt. van Helmont *de Inject. material. §. 7. f. m. 366.* ubi etiam cultri in capulum buxeum retorti à Vaccâ cum furfuribus deglutiti & poſt mortem inter Coſtas & homoplatam reperti, meminit.

§. 75.

Vitrivori. Præter recenſitos Cultrivoros dantur etiam Vitrivori, Lapidivori & ut ita dicam, Omnivori, ſeu qvi cuncta ferè, ipſis obvenientia, abſurdiſſima qvoqve, deglutiunt atqve devorant. v. g. Tres Viros robuſtiſſimos, qvi vitra qvamplurima veluti cum aviditate devorârunt, ſe noviſſe ſcribit Gvilhelmus Fabricius

cius Hild. *l. 4. Cent. 5. Obſ. 2. p. m. 380.* ubi plura Vitrivororum exempla in Johannis Manlii Collectaneis reperiri addit. Sic Coqvus qvidam Gallus, Vitrum, etſi ſatis ſpiſſum, avidiſſimè in conviviis voravit, vinum ſuperbibendo; ita ut qvandoqve, dum hæc peregit, ab illius ore ſangvis fluxerit. vid. Petr. Borell. *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 52. p. m. 58.* idqve illum ſæpiſſimè & innoxiè coram ſe feciſſe teſtatur. Vir qvidam Crailsheimenſis primarius ab adoleſcentiâ conſvetus erat, qvoties temulentiâ rationis uſum ſuffocârat, in aliorum ſanitatem contrita dentibus vitra deglutire, teſte Roſinô Lentiliô *M. N. C. Dec. II. An. 2. Append. p. 56.* Dantiſci Comes qvidam in gratiam alterius ſui amici vitrum devoravit, ſed poſtea tantos ſenſit dolores, ut moriendum ipſi fuiſſet, niſi Medicus arte qvadam id avertiſſet. Nam coxit frumentum Saracenicum excorticatum, eiqve comedendum ita craſſiuſculè dedit, ut nempe particulæ vitri ſeſe immiſcerent pulti ipſi craſſiori, & ita ſimul excernerentur. vid. Barthol. Kekermann. *Syſtem. Phyſ. Lib. 3. cap. 12. p. m. 297.* Baculum vitreum breviorem aſſumſit etiam Cultivorus Londinenſis, cujus paulò ante *ex Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſerv. 107. p. m. 280.* mentionem fecimus; qvi tamen baculus per dies qvatuor in corpore retentus cæruleô demum colore infectus & velut ab aqvâ ſtygiâ corroſus per alvum exivit. De qvodam, qvi Urceos vitreos devoravit vid. Hieron. Cardan. *de Rerum Varietat. cap. 8. p. 508.* Refert etiam Henricus ab Heer *Obſerv. 16. p. m. 157.* ſe Germanos ſæpe vidiſſe, vinum ſibi vitrumqve ſimul propinantes (das heiſt man auff Brüderſchafft ſauffen) qvi cùm totum vitrum dentibus ſuis molitum deglutiſſent, non ideo moriebantur. Exempla ex Manliô â Gvilelmô Fabriciô paulò ante citata idem Autor *Cent. 6. Obſ. 35. fol. 543.* recenſet. Scil. Satellites Regis Galliæ, largius ſe vinô ingurgitantes, contuderunt vitrea pocula, ac alter alteri præbibit illum pulverem. Elapſis vix duobus menſibus omnes mortui ſunt. Hæc mihi narravit qvidam mul-

 tis

tis nobis notus, ipſisqve aſſidens, cui tamen, ut homini Scholaſtico, pepercerunt. Ante paucos annos fuerunt qvidam Ambergæ in Bavariâ, qvi longâ potatione inebriati, tandem vaſa teſtacea, è qvibus biberant, contundunt, ſeu in pulverem redigunt, & alter alteri illum pulverem in Vino præbibit: tandem ventum eſt ad vitra, qvæ ſimiliter in pulverem redacta ſunt, ac invicem ſibi præbiberunt. Hæc ante paucos annos hiſtoria huc ſcripta eſt, additumqve erat in literis, tres ex nobilium numerô eô die eſſe mortuos, reliqvos ægrotare & mortem certiſſimam expectare &c. Militem amicum habuit Thomas Bartholinus, qvi maſticatum vitrum ſine detrimentô faucium & Ventriculi deglutivit. Infelicem tamen ſucceſſum expertus eſt alius Heduccus, cui idem tentanti & alias aſſvetô majuſculum vitri fruſtulum infimo Oeſophago inhæſit, cui eruendo nec vomitoria, nec alia ſubſidia profuêre. Tandem videbatur ſuâ ſponte deorſum protruſum; inde poſt trimeſtre Convulſionibus epilepticis ſæpius miſerè fuit divexatus. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. V. Hiſt. 66. p. m. 136.* Scribit etiam Dominicus Panarolus *Pentecoſt. IV. Obſ. 6. p. 115.* ſe propriis oculis qvendam obſervaſſe Germanum, qvi poſt potum vitreum Craterem, dente in ſubtiliſſimas partes redactum, ſine ullâ noxu devorabat. Paria ὑαλοφαγίας exempla, præcipuè in Virô qvodam Nobili, jam in aulâ Principis Germanici verſante, ſe ipſum obſervaſſe inqvit Georgius Francus *Satyr. 16. §. 9. p. m. 300. ſeq.* ubi ſimul ex Olai Borrichii Hodœporicô Manuſcriptô ſeqventem Obſervationem communicat: Anno 1662. d. 13. Sept. Coloniæ Agrippinæ inter cœnandum noſter Baro Bremte, in viciniâ hujus urbis habitans, integrum vitrum potorium comedebat & minutiſſimè conterebat dentibus, Walrathio Tribuno militari Cæſareo propinans, cui reſpondere eô modô diſplicuit. Plura in allegatâ Satyrâ curioſa de Vitrô & ὑαλοφάγοις benevolus Lector reperiet. In Acerr. philolog.

Lau-

Laurembr. *Cent. 7. Hiſt. 38. p. m. 923.* ſeqvens legitur Caſus: Ein Rittmeiſter, Nahmens Spatz, hat auff ſeines Oberſten Geſundheit etliche Stücklein von einem zerbrochenen Glaſe hinein geſchlucket, von derſelben Zeit aber keine geſunde Stunde gehabt, und hat alſo mit groſſer Reue ſeinen Geiſt auffgeben müſſen. Notiſſimus qvoqve ob talem vitrivoracitatem ante aliqvot annos Lipſiæ erat Oenopola, nomine Johannes Dietze, vulgo Polter Hannß dictus, qvi qvotidie in amicorum aut fraterculorum ſuorum ſanitatem bibens vitra Vini potui ibidem deſtinata, Römer dicta, ſimul dentibus confringebat, mandebat atqve deglutiebat, ſemper aliqvot vitris, Vino plenis, ſuperbibitis. Hunc Oenopolam Carbones, teſtas ex fornace, fragmenta è ſcamnis ligneis, vitra &c. devorâſſe vidit Georgius Francus *v. M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 134. p. 568.* In mea præſentiâ idem qvoqve œnopola pedes ſeu Ungulas leporinas & cervinas, plumbum ſeu opercula lagenarum pro Vino, chartas luſorias, candelas ſebaceas, teſtas Cochlearum & Oſtrearum devoravit. Ejusmodi vitrivoracis, nomine Lazari, meminit etiam Realdus Columbus *Anatom. Lib. 15. p. m. 486.* de qvô tamen inter *παμφάγυς* ſeu Cunctivoros pluribus agemus.

§. 76.

Lapidivori. Lapidivororum etiam ut afferamus aliqvot exempla, lapides avellanæ magnitudine decem vel duodecim devoravit, & tempore qvodam triginta injectos ſeu devoratos, horis qvandoqve viginti qvatuor, qvandoqve octo, interdum qvaſi qvadraginta octo in corpore retentos per alvum excrevit Cultrivorus modò allegatus Londinenſis, atqve ab hauſtu vini albi tranſitum lapidum, qvos aſſumſerat, accelarari ſpatioqve horarum ſex deturbari per inferiora aſſeruit: Lapides rotundos qvatuor vel qvinqve qvotidie ferè aſſumſit, ut redundantem in Ventriculô aqvoſitatem, qvæ ſæpius deliqvium cauſata, ſubitò compeſceret, cùm mirum hoc remedii genus nunqvam feſel-

 lerit.

lerit. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. V. Obſ. 107. p.m. 278.* Puer qvidam mendicus qvæſtûs gratiâ lapides qvamplurimos, juglandis qvoqve magnitudine deglutivit, ut eorum mutuò ſeſe attingentium ſonitus audiretur, atqve deinde per alvum ſine labore eosdem dejecit ablutosqve rurſum devoravit, uti ex Platerô refert Daniel Sennertus *Pract. Lib. III. Part. 1. Sect. 1. cap. 3. p. m. 16.* Ante aliqvot annos in Angliâ miles qvidam gregarius lapidum digeſtione famigeratiſſimus fuit, qvem ſagacioris ingenii vir inqviſitionis cauſâ viginti qvatuor horis continuis ſecum retinuit, totoqve hoc tempore ipſum præter lapides lapidumqve fragmenta eximiæ molis nihil cibi aſſumere vidit; imò excrementa ejus maximâ in ſubſtantiâ ſabuloſa, lapidibus devoratis in ipſius corpore in ſabulum diſſolutis ac diminutis conſiſtere obſervavit, vid. Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 3. p. m. 166.* Refert etiam Petrus Borellus *Obſervat. medicin. phyſ. Centur. 1. Obſerv. 69. pag. m. 69.* ſe Monſpelii adoleſcentem qvatuordecim annorum vidiſſe, qvi lances integras calculis pollicis craſſitiei refertas è cochleari deglutiebat, vinum deſuper bibendo, idqve ſæpius in die. Ibidem etiam dictus Autor pueri meminit multas nuces integras pro minimô pretiô deglutientis rurſusqve eas evomentis, de qvô etiam libellus, ſub titulo: il mangiaſaſſi, ſeu Lapidivorus, extat. Simile exemplum Lapidivori ante aliqvot annos mihi in curiâ Dresdenſi videre contigit, & qvidem in pauperrimô qvodam Bohemô, octodecim circiter annos natô, qvi in meâ præſentiâ primò ſtupæ cannabinæ, uti â reſtionibus vendi ſolet, ultra libram ſemis, digitis & ligno qvodam ori intrudebat illamqve avidiſſime devorabat, deinde lapides duros ſeu ſilices numerô qvindecim, non angulatos ſed oblongos & leves, qvos ad Albim pro ſedandâ fame collectos cum multis aliis ſecum geſtabat, non avellanas magnitudine ſed jugulandes longè ſuperantes, ponderisqve ab uncia ſemis ad

Obſervatio.

unam

unam & ultra, unicâ vice, unum poſt alterum qvaſi ludens ori admodum aperto injectos deglutiebat; qvos in Ventriculô, ex ſtupa & ſilicibus intumeſcente, non ſolùm tactu diſcernere, ſed etiam ſonô ex colliſione dijudicare licebat. Hos autem lapides oblongos præ reliqvis eligebat, qvia eosdem faciliùs & citiùs per alvum iterum excerni fatebatur. Præter calculos autem & ſtupam multivorax noſter hîc loci etiam ſexcenta alia, inconſveta, imò canes & feles viventes cum pelle & carne (rejectô ſolummodô capite & qvandoqve inteſtinis) magnô cum appetitu devorâſſe dicebatur. Referebat etiam idem, ſibi adhuc fratrem eſſe natu majorem, pariter talia incongrua devorantem ipſumqve ſuperantem. Hujus Polyphagi ſeu Pamphagi imago æri qvoqve inciſa reperitur, qvâ dextrâ manu petaſonem integrum, Siniſtrâ magnum vitrum, dentibus autem felem in dorſo admorſam tenet, cum hac ſubſcriptione: Eigentliche und wahrhafftige Abbildung des vielfräßigen Bauren-Sohnes, welcher in gegenwärtigem 1701. Jahr in Oeſterreich und Sachſen in unterſchiedlichen Orten, zu groſſer Verwunderung vieler glaubwürdiger Perſonen, eine lebendige Katze mit Haut und Haar, nicht weniger andere Dinge, als Kieſelſteine, Werck, rohes Fleiſch, Filtz, Felle, Glas und dergleichen mit höchſter Begierde verſchlungen und gefreſſen: wie dann auch ein gantzes Kalb ihm bloß zu einem Frühſtück dienet, und ſolle er in Böhmen ebenfalls zwey kleine Kinder, ſein Bruder aber, der mit ihme ein Zwilling und auch ein ſolcher Vielfraß iſt, in Prag einen Juden lebendig gefreſſen haben. Er wurde in einem Walde gefangen &c.

§. 77.

Inter ejusmodi cunctivoros ſeu παμφάγες non ultimus eſt Lazarus, vitrivorax dictus, cujus paulò antè ex Reald. Columb. *Anatom. Lib. 15. p. m. 486.* mentionem feci. Hic enim vitrum, ſaxa, lapides, ligna, viva animalia, carbones, piſces è vivario *Cunctivori. Pamphagi.*

vivariô extractos adhuc ſalientes vorabat. Vorabat lutum, lineos laneosqve pannos, fœnum, ſtipulam, &, ut brevi omnia complectantur, qvicqvid illi edendum ſeu deglutiendum potiùs offerebatur, mercede propoſitâ dictum ac factum ingurgitabat. Teſtem hujus rei allegatus Columbus inter reliqvos allegat Martinum Aromatarium Patavii ad Angeli inſigne, cui ſacculum carbone refertum & ſaccum inſuper devoravit. Qvô viſô Pharmacopœus, qvod pollicitus fuerat, perſolvit, comminatus, ne Pharmacopolium ampliùs accederet, veritus ne ſe cum tabernâ & vaſis ederet. Scribit etiam Columbus, dictum Lazarum nullô prorſus guſtu, dum viveret, præditum fuiſſe, nullam in edendô voluptatem, nihil injucundum perſenſiſſe; inſipida, amara, dulcia, pingvia, ſalſa, acria non diſtinxiſſe. Item annectit, qvartam nervorum conjugationem, qvæ guſtûs gratia in aliis hominibus â naturâ producta eſt, in hoc Lazarô vitrivorace neqve ad palatum, neqve ad lingvam reptaſſe, ſed ad occipitium fuiſſe reflexam. Bononiæ Ao. 1626. Bajulus volens vel mercede incitatus, urceos, clavos, coria, ligna, angvillas, aves implumes & mures vivos devorabat, & absqve vitæ diſcrimine per anum omnia egerebat, uti ex Aldrovandô recenſet Philipp. Jacobus Sachſius â Leuwenheim *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 83. Schol. p. m. 201. ſeq.* ex qvô etiam ſeqventia hoc locô inſerere liceat: Vidit Euſebius Nierembergius in Aulâ Philippicâ hominem, qvi omnia guſtabat, omnia vorabat, laneos pannos, coria, vivos mures, imò ſemel viſus eſt manducare vivum felem cum pelle piloqve, ipſumqve ejulans & repugnans animal ipſe mordebat. Item, vixit Pragæ eô tempore, cùm pars urbis præſidiô Svecicô firmata eſſet, Annô circiter 1647. mirandæ conſtitutionis homo, qvi canes & alia viva animalia comedit, atqve in præſentiâ & conſeſſu Axelii Lillii, Præſidii Svecici in Miſniâ Gubernatoris, Comitis Kœnigsmarckii, Comitis de la Garde, Comitis de Lewenhaupt, aliorumqve

qve Generalium, mercede aliqvot Imperialium conductus porcellum vivum unà cum pilis dentibus arripiens, ab opere non deſtitit, donec eum totum, remotis ſolummodò inteſtinis, abſumſiſſet; tandem, cùm admoneretur, ut & inteſtina farcta reliqvis ſubjungeret, pretiô unius ducati perſvaſus eadem qvoqve, omnibus ſtupentibus & ad iſta fercula canina nauſeantibus, deglutivit. Hunc Omnivorum Pragenſem communi nomine Pellivorum den Peltzfreſſer, vocârunt incolæ, teſte Georgio Segero *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 143. p. 150.* idemqve de porcellô vivô devoratô ſeqventia refert.: Pamphagus ſeu omnivorus hic Pragenſis Anno 1659. die 26. Junii ante meridiem, me cum aliis præſente & procurante, pretiô unius aurei nummi conductus porcellum vivum ſatis grandem, pro qvô binos ſolveramus Imperiales, unà cum Cute ſetigerâ fruſtillatim devoravit, non niſi ſale pro condimentô utens & interdum Cereviſiæ hauſtum ſuperbibens. Interrogatus â me (Segero) an reverà gratum aliqvem perciperet ſaporem? gratiorem ſibi hunc eſſe cibum crudum affirmavit, qvàm ſi coctam voraret carnem. Omnibus autem prætulit lingvam, qvam etiam è faucibus porcelli vi extractam dentibus mordicus ablatam aviddiſſimè deglutivit. De Virô, qvi Urceos vitreos, clavos ferreos aliaqve multa devoravit modicâ ſtipe, inde paululum contrectatis præcordiis ſingula reddidit, aliqvando etiam ad octoginta porros magnos crudos comedit, vid. Hier. Cardan. *de Rer. Variet. cap. 8. p. m. 508.* Jenæ fuit Civis Academici, Neandri, filius, qvi mente captus gramina, braſſicæ radices, aves viventes & qvæcunqve offerebantur, avidè comedebat, teſte Gothofredo Mœbio *Fundam. Phyſiolog. med. cap. 10. p. m. 164.* Teſtas confractas & vitrum contritum devorantium meminit Petrus Foreſtus *Obſ. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. f. m. 167.* Anno 1632. in Rochlizii viciniâ vixit homo qvidam, nomine Claudius, natione Lotharingus, annorum circiter qvinqvaginta octo, qvi

nihil fœtidum, nihil injucundum abhorrebat, vitra, lapides, ligna, carbones, oſſa, leporinos & aliorum animalium pedes cum pilis, lineos laneosqve pannos, viva animalia & piſces adhuc ſalientes, imo etiam metalla, patinas & orbes ſtanneos dentibus confringere & vorare ſæpiſſimè viſus eſt. Vorabat præterea lutum, ſevum & candelas ſevaceas integras, teſtas cochlearum, animalium ſtercora, cumprimis bubulum calidum adhuc, prout è matre venit. Præterea potabat aliorum Urinas cum Vinô & Cereviſiâ mixtas. Vorabat fœnum, ſtramen, ſtipulas & qvicqvid ipſi â nobilibus devorandum offerebatur, viliſſimâ mercede propoſitâ ingurgitabat. Præterea duos mures viventes adhuc deglutivit, qvi ipſius Ventriculum ad ſemihoram usqve creberrimis morſibus lancinârunt. Candelas ſebaceas easqve craſſiuſculas & ardentes, & alio tempore integrum caput de porco aſſatum devoravit. Imò intra paucos dies integrum vitulum crudum & incoctum cum coriô & pilis ſe eſitaturum promiſit, uti ex literis Johannis Neſteri, Medici Rochlizenſis, refert Daniel Sennertus *Paralipom. ad Lib.3. p.m. 128.* Petrus Coragius, è famulitio Ludovici Regis Hungariæ, ſtupendô naturæ & omnia conficientis ſtomachi robore mures vivos præciſasqve felium caudas & abjecta in plateis canum cadavera tetrâ ſanie & tabô vermibusqve ſcatentia absqve horrore & ullâ gulæ nauſeâ mandere vorareqve ſolebat, juxta Thom. Lanſii *Conſultat. Orat. contra Hungar. p. m. 594.* Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 150. p. 327. ſeqq.* pueri tredecim circiter annorum meminit, qvi poſt Epilepſiam rationis uſu privatus præter homerdam propriam etiam ſtercora aliorum animalium devoravit, inteſtina in fimetis reperta, cùm tenacitate membranaceâ dentium aciem eluderent, more ciconiarum deglutivit, ut mirum planè fuerit, ſpiritum nunqvam ei fuiſſe interclusum; hæc inteſtina ipſi poſtea fuêre ad ulnas aliqvot è faucibus protracta, qvod agyrtæ cum tæniis facetô ſanè ſpectaculô

ctaculô aſſolent. Corium item, lintea vetuſta, limum figulinum, ramos & folia arborum & ſentium, lactucam & braſſicam capitatam unà cum caulibus magnâ copiâ devoravit. Aliqvando ſpecies pro nodulô purgante aliqvot vicibus exhauriendô, & alii præſcriptô, vino infuſas cum vinô, ſpeciebus & linteô involucrô unâ vice abliguriit, nil inde qvicqvam incommodi paſſus, qvàm ut anxiè ſudaret. Apud Ferrarienſes qvendam, helluonem qvàm hominem potiùs dicendum, qvi Coria, teſtas & fracta vitrea vaſa comedebat & digerebat, ut eum omnes Struthiocamelum appellaverint avem, ſe vidiſſe ſcribit Amatus Luſitanus *Curat. med. Cent. 2. Curat. 69. Schol. f. m. 192.* Ehrenfridus Hagendornius Virum plebejæ ſortis novit, cui per plures annos nihil magis in deliciis fuit, qvàm araneos fortè obvenientes in eſcam capere, Cancros viventes cruſtaceâqve veſte adhuc indutos deglutire, candelasqve ſebaceas amplô oris hiatu devorare. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 70. p. 147.*

§. 78.

Non poſſum qvin hoc loco magicæ deglutitionis exemplum adducam. Scilicet cùm Bohemiæ Rex Wenceslaus Principis Bavariæ, qvem Palatinum vocant, filiam nomine Sophiam, in uxorem duceret, novus Socer, ubi Generum ludicris ſpectaculis & magicis præſtigiis delectari cognovit, plenum ludionum & præſtigiatorum plauſtrum Pragam ſecum advexit. Ibi dum præſtantiſſimus artificum ludibria artis ad permulcendos oculos explicat, adeſt inter Spectatores Zyto, Wenceslai magus, ore usqve ad aures dehiſcente, accedensqve propiùs artificem illum Palatini cum omni apparatu ſubitò devorat, ſolos duntaxat calceos, qvia lutô obliti videbantur, exſpuens, ſeceſſumqve inde petens ventrem inſolitâ veſcâ gravem in ſolium aqvâ plenum exonerat, præſtigiatoremqve adhuc madidum ſpectatoribus reſtituit paſſim deridendum, adeò ut cæteri qvoqve ejus ſocii â ludô deſiſterent, juxta verba Johannis Dubravii

Deglutitio magica.

bravii *Hiſtor. Bohemic. Lib. 23. p. m. 611. ſeq.* Refert etiam L. Apulejus *Metamorph. ſiv. de Aſin. aureo Lib. 1. p. m. 139.* ſe Athenis proximè ante pœcilem ſeu porticum circulatorem aſpexiſſe eqveſtrem ſpatham præacutam mucrone infeſtô, devorantem: ac mox eundem invitamentô exiguæ ſtipis venatoriam lanceam, qvâ parte minatur exitium, in ima viſcera condidiſſe &c.

§. 79.

Pyrophagi. Deniqve etiam Pyrophagos ſeu Ignivoros ſilentiô præterire non poſſumus, qvorum alii v. g. ferrum candens, aut picem, aut ſulphur accenſum ori ſeu lingvæ tantummodò immittunt, alii etiam per Oeſophagum in Ventriculum demittunt ſeu deglutiunt: Turcam Sacerdotem manum injeciſſe ferro, qvod in foculô, ad eum uſum accenſô, candens erat factum, idqve ori qvoqve inſertum omnem in partem aliqvandiu verſaſſe, non ſine ſalivæ ſtridore ex Augerii Giſſenii Busbeqvii *Epiſt. 4.* refert Thomas Bartholinus *Hiſtor. med. Cent. VI. Hiſt. 51. pag. m. 282.* Anno 1677. Johannes Conradus Peyerus Genevæ vidit Circumforaneum Anglum, qvi ignem variè tractabat & devorabat. Prunas enim nunc ſimplices, modò ſulphure inſperſô vehementiùs accenſas ori ingeſſit, dentibusqve comminutas deglutiit. Idem candens ferramentum ſine noxâ lingvæ exſertæ admovit celerrimè. Inſuper Ceram communem, picem, ſulphur, ceramqve qvam vocant, Hiſpanicam, mixta, liqvata & accenſa omnia, fumô & flammâ è faucibus prodeunte, abſumſit. vid. Pæon. & Pythagor. ſeu Harder. & Peyer *Exercit. anat. & medic. Exercit. 14. p. m. 68. ſeq.* Londinenſem qvendam Circumforaneum non modò ferrum candens manibus tractare, laminas ignitas lambere, ſed etiam maſſam ex pice, ſulphure, laccâ, reſinâ, cerâ, totam flammantem in ore volvere ac maſticare, imò candentibus in ore ejusdem detentis follisqve miniſteriô accenſis prunis impoſita oſtrea cruda in momentô aſſari cum ſtupore aſpexit Oliger Jacobæus, *vid. Act. Hafnienſ.*

nienſ. Vol. V. Obſ. 107. pag. m. 278. Ignivori cujusdam celebris maximèqve noti meminit etiam Johannes Muys *Prax. Chir. ration. Dec. 3. Obſ. 6. p. m. 166.* De ejusmodi Pyrophagô Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. med. phyſ. Cent. 3. Hiſt. 94. pag. m. 408.* ſeqventia refert: Anno 1679. Gœrlicium venit homo qvidam ignotus, artis ſuæ teſtimonia aliunde accepta oſtendens, qvi ignem ignitaqve mirè devorabat. Scilicet primò carbones ignitos ſub dentibus ſervabat, halituqve è faucibus egrediente illos, qvaſi flabellô qvodam in flammam continuam urgebat. Deinde ceram rubram Hiſpanicam, priùs accenſam ſuper lingvâ guttatim fundebat, unde ſubortô ſibilô qvodam ceram mox coagulatam manu præhendens nobis monſtrabat. Porrò ſumebat ceram flavam, picem, ſulphur, de qvibus invicem liqvefactis & accenſis capiebat, qvantum cuſpide cultelli capi poterat, id in fauces immittendo & devorando cum ſtrepitu qvodam in gutture. De Chymico qvodam Anglicô, nomine Richarſon, eadem experimenta reperire licet. *dans le Tome V. du Journal des Sçavans p. m. 54.* ſcilicet: Le Sieur Richarſon, Chymiſte Anglois 1) mâche des charbons, qve l' on voit long temps tout ardens dans ſa bouche. 2) Il fond du ſouffre, le fait brûler dans ſa main & enſuite le porte tout en feu ſur le bout de ſa langve, où il acheve de le conſumer. 3) Il met un charbon ardent ſur la langue, ſur le qvel il fait cuire un morceau de chair crüe ou une huitre, & ſouffre ſans ſourceiller, qv' on l' allume avec un ſuffiet, pendant l' eſpace d' un demy qvart d' heure. 4) Il tient un fer rouge dans ſes mains pendant un long temps, ſans qv'il y reſte aucune impreſſion. Il ſe porte ſur un fer à repaſſer, & là le prend dans ſa bouche, & avec ſes dents le lance contre la cheminée (aupres de la qvelle il fait ſon experience) avec autant de force, qv' un autre pourroit jetter une pierre. 5) En fin il avale du verre fondu & de la poix, du ſouffre & de la Cire mé-

lez enſemble tout enflammez, de telle maniere, qve la flamme en ſort de ſa bouche, & cette compoſition fait autant de bruit dans ſa gorge, qv' un fer chaud qv' on trempe dans l'eau. Et *l. a. p. 217.* Dotardus in Epiſtolâ de hoc ignivorô, ubi de hôc artificiô ejusqve modô prolixiùs agit, inter alia ſcribit: qve deux perſonnes connuës dans Paris ont mâché pluſieurs fois en preſence de leurs amis des charbons ardens ſans ſe brûler. Iem *p. 219.* qv' une d' Orleans faiſoit degoûter ſur la langve de la Cire d' Eſpagne allumée, ſans qv' il y parut aucune impreſſion ſenſible. Refert etiam Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſerv. med. phyſ. Lib. 3. Obſ. 9. p. m. 411.* ſibi olim notum fuiſſe ſenem, qvi lingvâ carbones delibavit lambitqve; Et Roſinus Lentilius non modò Ignivorum Londinenſem, cujus ex Actis Hafnienſibus mentionem fecimus, Anno 1679. Mitaviæ in Curlandia, ſed etiam poſtmodum Creilsheimii mulierem qvandam qvæſtum ejusmodi epulis factitantes ſe vidiſſe refert *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 150. Schol. p. 332.* Omnia hactenus recenſita experimenta ante qvadraginta circiter annos in Nundinis Lipſienſibus, ſolutis paucis groſſis, a variis ejusmodi artificibus, maſculis & fœminis, cuilibet videre licebat.

§. 80.

Venenivori. Reſtant adhuc Venenivororum aliqvot exempla adducenda. Qvamvis enim jam ſupra Capite ſecundô aranearum atqve bufonum vivorum â perſonis Picâ laborantibus vel ex malitiâ deglutitorum exempla adduxerim, reperiuntur tamen qvandoqve Medicaſtri & Agyrtæ lucricupidi, qvi, qvò medicamentis ſuis majorem fidem acqvirant, nonnunqvam ſummô cum Vitæ periculô publicè in theatris varia venena deglutiunt, qvale exemplum recenſet Baldaſſar Timæus à Güldenklee *Lib. 7. Caſ. 16. p. 321. ſq.* Circumforaneus, inqviens, natione Gallus, Pulverem bezoarticum gryſeum contra omnis generis venena publicè divendens, ut fidem medicamento faceret, varia venenorum genera

genera aſſumebat, idqve ſine noxæ alicujus notâ, ſiqvidem, ut vociferabatur, pulvere illo bezoarticô ſe præmuniviſſet; Hauſerat inter alia venenum ex bufone vivo recenter expreſſum, qvod cùm malè ferret oculorumqve ſcotomiam, Vertigines aliaqve Symptomata perſentiſceret, ſubitò è pegmate deſcendens in hoſpitium ægrô gradu contendit, miſſâ ad me Schedulâ, cujus hæc erant verba: Qvæſo per Deum immortalem, mittat mihi ſubitò, ſubitò aliqvod Vomitivum, alias morior. Qvanqvam indignus videretur Agyrta, nefariis & tam periculoſis artibus turpi lucro inhians, cui perpetratæ temeritatis ſuppeditaretur remedium, ob præſentiſſimum tamen, in qvô verſabatur, Vitæ periculum, miſi Aqvam benedictam Rulandi, qvæ opportunò tunc ad manus erat; vomuit plus ſepties rejectâ & per alvum materiâ qvadam fœtidâ variiqve coloris: Hinc tribus diebus continuis Theriacam Andromachi cum Vinô calente exhibui, utqve balneô aſſumtis alexipharmacis per intervalla uteretur ſudoresqve evocaret totumqve Corpus aqvâ calidâ ablueret, ſvaſi, qvô factô brevi convaluit, colore tamen faciei antea floridô in vireſcentem qvaſi & pallidum mutatô. Sanitati reſtitutus, oblato mihi ſoſtrô, dolum ſponte aperuit, faſſus, ſe domi oleum olivarum affatim bibere, poſtmodum in ſcenam prodire & venenum ſumere, hinc ſine mora diverſorium petere, immiſſoqve in fauces digito venenum oleo ſupernatans evomere, tandemqve pulverem bezoarticum vel Theriacam uſurpare, & ſic qvidem vitæ periculum declinare, nihilominus magnam virium jacturam exinde perſentiſcere, adeò ut ſecum conſtituerit ab hoc acqvirendi modô impoſterum deſinere. Sed talia conantem vicit habendi ſcelerata cupido, cujus amore Pragæ denuò hoc venenum hauſit, & cum illud removere neutiqvam poſſet, paulo poſt extinctus eſt. Hæc Timæus.

§. 81. Ean-

§. 81.

Obſervatio. Eandem Venenum aſſumendi temeritatem etiam mihi adhuc puero Anno circiter 1668. Haynæ, in patriâ meâ, videre contigit. Notus ſcilicet ille Venenivorus Lipſienſis, Johannes Teuſcher, non procul ab eadem Civitate (in pago Naundorff,) natus, nundinis æſtivalibus Theriacam ſuam, cujus præparationem Venetiis didiciſſe gloriabatur, venditurus, contra Peſtem & omnis generis venena tanqvam infallibile Alexipharmacum commendans, ſe craſtino die ejusdem Virtutes & efficaciam per aſſumptionem Veneni in ſeipſô monſtraturum eſſe, publicè promittebat. Qvapropter ſeqventi die horâ circiter undecimâ, in forô publicô, omnes ſuas Theriacâ completas pyxides differentis magnitudinis, qvas obſignatas publicè vendere ſolebat, in acervum confuſè permiſcebat, ex qvibus, ipſius permiſſu, ruſticus qvidam poſt novam commiſcelam, unicam pyxidem eligebat, ut ex eadem Theriacam contra mox deglutiendum venenum uſurpandam ſumeret. Hac proinde apertâ ex Pharmacopoliô bonam Arſenici albi, per ſchedulam ab ipſô petitam qvantitatem pulveriſatam Vitro aqvâ fontanâ ultra dimidium plenô immittebat, deinde bufonem vivum, pedibus poſterioribus apprehenſum, ſuper eodem vitrô ipſe dilacerabat atqve in vitrum injiciebat, & paulò pòſt, annulis à digitis detractis aqvam cum Arſenico, (bufone tantùm in Vitrô relicto) exhauriebat, ſtatimqve Theriacæ ſuæ Drachmas circiter duas in brodiô diſſolutas ſuperbibebat. Qvô factô facies ipſius extemplo in diverſos colores mutari totumqve Corpus ita intumeſcere incipiebat, ut ipſi in ſellâ ſedenti ſervus ejus vix veſtem & Caligas ſolvere, calceosqve exuere poſſet; ſicqve ad crepaturam ferè inflatus Capite menſe manibusqve impoſitô poſt dimidiam circiter horæ qvadrantem maximam diverſi coloris copiam evomebat, ut totum fere vaſculum eâdem materiâ adimpleretur. Poſtea adhuc Drachmam Theriacæ â ſervô

mori-

moribundus qvaſi expetebat, hacqve aſſumtâ tremulô gradu in diverſorium ſuum, non procul diſtans, â duobus robuſtis viris abducebatur vel potiùs portabatur; Qvartô verò die in forô iterum, debilis tamen atqve pallidus adhuc apparebat; atqve ab iſtô tempore qvinqvaginta circiter annos adhuc ſupervixit. De ejusmodi venenivorô absqve dubiô etiam loqvitur David von Hoogſtraten *Diſſert. epiſtol. de hodiern. Medicin. ſtat. p.38.* inqviens, me Leydæ agente, commorabatur illic Agyrta, qvi neſcio qvô antidotô venenorum vires enervabat.

§. 82.

Alios etiam vel Idioſyncraſiâ qvadam vel conſvetudine varia animalia venenata vel aliud venenum absqve periculô ingerere, præter ſuperiora exempla confirmat Joannes Renodæus *Inſtitut. Pharmac. Lib. I. cap. 13. p. m. 16.* etſi, inqviens, venena deleteria ſint, conſvetudine tamen, qvod valde mirum, alimenta fiunt. Nota enim eſt hiſtoria de puellâ qvadam, qvæ â primis annis venenô ſolô educata halitum peſtiferum & proximè adſtantibus deleterium inſpiraret. Alia Agrippinæ vixit, referente Albertô, qvæ araneas in deliciis habebat, cùm tamen paucô vinô epotô, in qvô ſuffocata ſit aranea, multi perire poſſint. Porus, qvidam Indorum Rex, Serpentibus & venenis qvotidiè veſcebatur, hocqve alimenti genere diutisſime alitus adeò venenoſus factus eſt, ut cæteros homines vel tactu vel halitu, vel ſcreatu, perinde ac ſerpentes alii, perimeret. In Helleſpontô genus eſt qvoddam hominum, qvi venenis ſolùm aluntur, Ophiogenes propterea dicti. Marſi & Pſelli ſimili victu delectabantur, nec ſerpentum morſus & venena reformidabant. Item ex Galenô refert Renodæus anum qvandam Athenienſem innoxiè magnam ſæpe Cicutæ qvantitatem eſitasſe &c. vid. etiam Gothofred. Mœb. *Fundam. Medicin. Phyſiolog. cap. 10. p. 160.* Hieronymus Mercurialis *de Venen. & morb. venenoſ. Lib. 1. cap. 6. p. 7.* ex Sexto Empirico refert, fuiſſe anum qvan- *Venena aſſumpta.*

 dam,

dam, qvæ triginta drachmas cicutæ ſine ullâ læſione ſorbebat. Similiter Lyſidem qvendam fuiſſe, qvi drachmas qvatuor opii ſine læſione edebat. Varia ejusmodi exempla de Araneis, opiô, Helleborô, Scammoniô &c. congeſſit Johannes Schenckius *Obſerv. Lib. 7. fol. 911. ſeq.* vid. etiam Joh. Jonſton. *Thaumatogr. Claſſ. 10. cap. 2. p. 439. ſeq.* Novit Roſinus Lentilius Ambergæ in Palatinatu ſuperiore adoleſcentem lorarium, â magiſtrô qvotidiè vapulantem, vitæ tædio araneum prægrandem contritum cum calcis vivæ notabili qvantitate deglutiiſſe citra noxam. *v. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 46. p. 133.* vid. etiam Benj. Scharffii *Antidot. Prophylact.* oder Gifftmiſcher, *cap. 5. p. 34. ſeqq.* ubi addit: er habe vor etliche zwantzig Jahren einen Mann in Weiſſenſee gekannt, der die gröſten und dickeſten Spinnen ohne Schaden und mit Luſt geſpeiſet; Und wem iſt der Storger und Marckſchreyer Betrug verborgen? welche auf öffentlichem Marckte den ärgſten Gifft, Arſenicum, nachdem ſie ſich vorher zu Hauſe mit Milch, fetten und lindernden, auch mit Gifft-tilgenden Mitteln præſerviret, davon ausführlich in meinem teutſchen Primeroſio *Lib. 1. cap. 7.* gehandelt wird, einnehmen, und denſelben ohne Schaden von ſich geben, ſolche Krafft ihren untüchtigen Medicamenten zuſchreiben.

§. 83.

Antitota. Pingvia autem hoc in paſſu a Venenivoris anteà aſſumi, paulò antè è Bald. Timæo a Güldenklee vidimus, cujus circumforaneus oleum olivarum in qvantitate biberat; Et Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 15. p. 161.* inqvit: experientia diuturnior monſtrat, corroſivum remedium parti cuidam Corporis impoſitum, accedente pingvedine, vim amittere. Comperimus qvoqve ipſum Arſenicum parum allaturum eſſe detrimenti, ventriculô prius intus pingvedine vel oleô oblitô, qvâ etiam arte Circumforanei vulgum decipiunt, fallacibus verbis effectum illum ſuis tribuendo medicamentis,

vel,

vel, ut ajunt, antidotis, cùm tamen brevi pòſt, ob pingvia aſſumpta, venenum rurſus evomant. Huc pertinet etiam, qvod de externô Olei contra venenum uſu ſcribit Robertus Boyle *de utilit. philoſoph. experiment. Exercit. V. cap. 16. §. 6. p. 323.* Ex vulgari apud Italos aliosqve experimentô conſtat, qvod morſus Scorpionum ſanetur ſolâ partis læſæ inunctione Oleô communi, in qvô Scorpionum copia ſuffocata fuit: Exemplum, huic haud abſimile nobis proponit Piſo in Medicina Braſilienſi, ubi de efficaciâ Antidotali celebris apud Braſileenſes herbæ, Nhamby, ſtomacho vacuo commeſtæ locutus, hiſtoriam ſeqventem notatu digniſſimam recenſet: qvod ſcilicet ipſe viderit Braſilienſem qvendam, qvi apprehenſum Bufonem prægrandem, venenô turgidum â Braſilienſibus nomine Curum inſignitum, communiter totâ mole Bufonibus Europæis majorem & extremè virulentum ſolummodo ſuccum florum & foliorum hujus Plantæ dorſo ipſius guttatim affundendo illicò interfecerit. Ipſius Gvilielmi Piſonis verba *Medic. Braſil. Lib. IV. cap. 48. fol. m. 89. ſeq.* ſic ſonant: Potentiâ antidotali præſtare herbam Nhambi & toxico ſummè adverſari, experimentô compertum habeo. Itaqve qvod vidi, hic referam: Braſilianus qvidam Bufonem nactus prægrandem & venenô tumidum, ſuccô floris & foliorum tergo leviter inſtillatô, eum confeſtim enecavit. Nec tantùm animantia venenata extingvit, ſed & præcordia hominum adverſus venena munit, ſi manè & ventriculô adhuc jejunô manducetur.

§. 84.

Qvantum autem ad innoxium Venenorum uſum & eſum gradualis à teneris annis conſvetudo faciat, præter allegata docent adhuc alia exempla; ſiqvidem anus illa Athenienſis, cujus modò ex Renodæô meminimus, ab exiguâ Cicutæ portione auſpicata nullô detrimentô ad permagnam progreſſa eſt copiam: principiô enim paucum exiguitate ipſâ devictum eſt, at *à Conſvetudine.*

conſvetudo naturale reddidit, juxta Galen. *de ſimplic. Medicament. Facult. Lib. III. cap. 18. fol. m. 21.* Memorat etiam Auguſtinus *Lib. 2. de Morib.* Manichæorum, illuſtrem qvandam Mulierem Athenienſem venenis ſe adſveviſſe, ut ob delictum qvoddam Capite damnata venenis, qvibus necanda eſſet, extingvi non potuerit. vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. Cent. II. Obſ. 22. Schol. p. 251.* qvô locô etiam ex Simone Vireſio ſeqventem recenſet Obſervationem: Vixit olim Italus, cujus fama propter rara, qvæ calluit, artificia, per totum erat diffuſa orbem, qviqve etiam nonnullis Dei Propheta, aliis Antichriſtus habebatur. Hic virtutes herbarum noſcere atqve experiri avidus ſemper fuerat qvàm maximè. Unde à primâ usqve infantiâ ita venenatarum herbarum ſe aſſvefecerat eſui, ut iis, tanqvam alimentô, uteretur. Ejus autem halitus tantam qvidem afferre poterat aliis noxam, qvantam alia qvædam attactu fœmina. Qvotqvot enim ei appropinqvabant, vel animô linqvebantur, vel humi procumbebant exanimes; Adeoqve qvi, ut eum caperent, accedebant, mutatâ capiebantur ſorte. Illud autem diutius fuit continuatum, donec a qvibusdam, qvibus antidotorum Clypeô probè munitis hoc datum erat negotii, tandem captus ac in carcere ſtrangulatus ſit. Femina autem, cujus hoc locô mentionem facit dictus Autor, fuit puella ſeu Virgo â Rege qvodam Indô ad Alexandrum Magnum transmiſſa, de qvâ in Sialolog. noſtr. *Cap. V. §. 8. p. 177.* pluribus egimus. Hæc ſcilicet initiô arenearum aliarumqve rerum venenatarum, & qvidem Napelli, ſeſe aſſveverat eſui, ut fortiſſima tandem tolleraret venena haud aliter, qvam ſanus qvispiam ſolitis veſcitur alimentis; tandem autem usqve adeò evaſit venenata, ut ſolâ ſalivâ alioqve Corporis liqvore appropinqvantes mox interimere poſſet. De Napelli vi deleteriâ aliqvot exempla refert Petrus Andreas Matthiolus *in Dioſcorid. Lib. IV. cap. 73. fol. m. 768. ſeqq.* &c. Huc pertinet etiam Hiſtoria Mithridatis, Ponti

Regis, â qvô Antidotus in noſtris Pharmacopoliis ſatis nota, Mithridatium, nomen accepit. Ipſe ſcilicet a juventute anditotis munitus primò parvam, deinde majorem Veneni qvantitatem ſenſim aſſumere conſveverat; unde à Venenis adeò immunis evaſit, ut tandem iisdem cum alimentis mixtis vel aliô modô propinatis interimi non poſſet; unde Martialis in hunc Regem cecinit. *Lib. 5. Epigr. 78.*

Profecit potô Mithridates ſæpe venenô,
Toxica ne poſſent ſæva nocere ſibi.

Imò cùm à Pompejô victus metueret, ne in Triumphô ab illô circumduceretur atqve pro ſpectaculô haberetur, veneni portione duplici ſibi ipſi neqvicqvam mortem accelerare vel inferre potuit, ſed potiùs â Tribunô qvodam, Bititiô, precibus exoratô, vel ſecundum alios, à ſeipſo gladiô perfoſſus eſt.

§. 85.

His de Deglutitione naturali, qvâ ſcilicet alimenta vel alia ori immiſſa per Oeſophagum ad Ventriculum detrudi ſolent, præmiſſis, annectendum adhuc venit, qvandoqve etiam aſſumenda, vel alia præternaturalia non tam per gulam ad Stomachum, qvàm per Laryngis rimam, Glottidem dictam, atqve in Deglutitione ab Epiglottide ſeu operculô tegi ſolitam, variis occaſionibus per aſperam arteriam ad pulmones decidere, ſicqve varia Symptomata, interdum etiam ſuffocationem ipſamqve mortem cauſari: e. g. Juvenis qvidam pomum furtim ablatum devoraturus magnam ejus partem morſu abſcidit. Interim â Parente vocatus, venturum ſe, reſpondet, ac ſimul demorſam a pomô partem in ipſum tracheæ aditum attrahit; unde ſuffocatio jamjam imminebat, niſi collabanti qvaſi natura particulam pomi ita ex ore perturbâſſet, ac ſi per tubulum, vehementi ſpiritûs impetu propulſus fuiſſet globus, uti ex Oswaldo Gabelchoverô recenſet Johannes Schenckius *Obſ. medic. Lib. II. fol. 214.* ubi etiam ſeqventia exempla allegat: Trepander Citharœdus

Varia aſperæ arteriæ illapſa.

Pomum.

Ficus. inſignis Spartæ canens cùm ore hiaret, qvidam ficum temerè jaciens faucibus ejus tantâ vi impegit, ut ſtrangulatus fuerit. *Pyrum.* Et Druſus Pompejus cùm puer ludens jactum in ſublime pyrum ore excepiſſet, idqve altè in guttur deſcendiſſet, præcluſâ animâ, mortem obiit. *Pomi nucleus.* Pomi nucleus Medici cujusdam Dantiſcani Uxori caſu in arteriam aſperam irrupit, ſecuta ſtatim continuâ tuſſi, poſtea Phthiſi, deniqve morte, juxta relationem Johannis Schmidii *M. N. C. Dec. I. Art. 4. & 5. Obſ. 24. p. 26.*

§. 86.

Nucleus ceraſi. De Nucleo Ceraſi per aſperam arteriam in pulmones delapſo Phthiſin lethalem cauſante, hanc obſervationem communicat Alardus Mauritius Eggerdes *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 66. p. 123. ſq.* Admodum Reverendus Pater Chriſtophorus, Abbatiæ S. Martini prope Treviros Senior, cùm aliqvando poſt deambulationem in hortô, ſignô ad Veſperas datô, Eccleſiam ingredi vellet, in ipſô proceſſu Ceraſa ex arbore pendula conſpicit, qvorum pulchritudine allectus arboris ramum ad ſe inclinat, ex qvô non tam manu, qvam ore ipſô fructûs carpit; qvos cùm feſtinanter deglutiret, nucleus, vel deviando, vel tardius ad pontem volatilem appellendo in aſperam arteriam incidit; qvô perceptô non felicior infelice Patre Adamô, Pater ex hortô ad templum ſe contulit, cumqve vomituriendô, tuſſiendô & ſcreandô Fratres horas decantantes interturbaret, ex templô ad cellam ſe proripere cogitur; ubi per tuſſis violentiam ferè exanimatus ad qvietem ſe compoſuit, ſomnôqve ſpe citiùs obrepente aliqvot horas dormivit, evigilans nil mali ampliùs ſenſit, qvare conſveta ſua munia, concionando chorumqve freqventando rurſus executus eſt; Annô unô præterlapſô circa idem fere tempus, qvô nucleum deglutierat, tuſſire, nauſeare & febricitare incepit, Medicum idcirco accerſi facit, ſed morbô indies exacerbatô violentâ tandem irritatus tuſſi, lapidem nucis moſchatæ magnitudine

reje-

rejecit, qvem magna materiæ purulentæ copia ſubſecuta eſt. Lapidem, cui undiqve viſcoſitates adhærebant, Infirmarius aqvâ deterſit, & Medico, qvalis eſſet, divinandum obtulit. Facie exteriori erat ſcaber & aſper, colore inſtar tartari crudi, ut inde judicaret, eſſe fruſtum tartari, caſu in hanc formam coagulati. Sed errorem Medicus mox percipiens cupidus fuit interiora ejus luſtrandi; malleô igitur leviter ictus cortex tartareus diſſiliit, remanente ſub malleô nucleô Ceraſi integrô, qvi tam recens apparebat, qvaſi ab aliqvot diebus è fructu primùm exemptus fuiſſet. Patiens poſt paucos dies totus emaciatus vivere deſiit. Matrona qvædam Helſingburgenſis oſſiculum Ceraſi per imprudentiam deglutivit vel deglutire voluit, ſubſtitit id ipſum in faucibus per pluſculas hebdomadas non ſine acerbis doloribus ob partium ſenſibilium ruptam unionem. Tumor modò ovi columbini, modò pomi mediocris magnitudine ſuccrevit, ſæpicule nonnihil detumuit, ad ſuppurationem tamen nunqvam pervenit. Tandem Oſſiculum limoſô & tartareô involucrô ſenſim obductum noctu per tuſſim exſpuit in pelvim, nihil inde mali ampliùs perpeſſa. Oſſiculum ipſa ægra malleô contrivit, exploratura qvid eſſet. Cortex verò undiqve qvidem nucleo inductus fuit, ſed inæqvalis & aſper, acutis hinc inde cuſpidibus, lapideâ duritie, colore ad viridem vergente &c. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. med. Cent. IV. Obſ. 85. p. 404. ſeq.* Cùm Anno 1620. Wittebergæ Vir qvidam Ceraſa comederet, nucleus cum maximô ſuffocatiónis periculô & tuſſi maximâ in guttur & tandem in ipſum pulmonem illapſus eſt. Unde ſuffocationis periculô ceſſante in eam venit opinionem illum ſuffocationis metum non â nucleô, ſed â catarrho præcipiti, cui aliàs valde erat obnoxius, proveniſſe. Verum duravit per intervalla tuſſis iſta tribus ſeptimanis & dolorem qvendam gravantem in dextrâ Thoracis parte ſenſit. Tandem cùm nocte qvadam integram horam vehementer tuſſiſſet, nucleum illum

pitui-

pituitâ obductum tuſſi rejecit, & ab eô liberatus eſt. vid. Dan. Sennert. *Practic. med. Lib. II. Part. 2. cap. 1. p. 142.* Idem Sennertus etiam ad Michaëlem Dœringium ſcribit: putasne, qvod nucleus ceraſi in pulmonem delabi poſſit, atqve ibidem unâ atqve alterâ ſeptimanâ hærere, anteqvam iterum rejiciatur? Ego impoſſibile non puto, atqve id nuper, niſi planè fallor, obſervavi. Reſpondet autem Dœringius: Bimeſtris tua qvæſtio bimeſtre poſtulat reſponſum: ajo, qvòd in altum ſublatâ Epiglottide, nucleus intra aſperam arteriam qvidem deferri, qvin tamen ſuffocationis periculum inducat, fieri vix poſſit. Videmus, qvantam periculi vel guttula ſaltem aliqva ἀϑρόως eò delata, vel micula panis eò delapſa minetur. Qvod ſi tamen nucleus ille in ſuperiore parte arteriæ non diu hæſit, ſed vel propter arteriæ amplitudinem, & propriam lubricitatem præpropere ad arteriæ divaricationes deſcendit, vel propter pulſationes in dorſô factas, in pulmonem detruſus fuerit, qvin aliqvando ibi hærere potuerit, priusqvam rejiceretur, diffiteri nolim: videmus enim vermes, calculos, veſicas in pulmonibus genitas ſatis diu ibi latere poſſe.

§. 87.

Nucleus prunorum. Prunorum nuclei in aſperam arteriam illapſi tuſſiqve redditi exemplum refert Ehrenfridus Hagendornius *Hiſtor. medic. phyſ. Cent. 1. Hiſt. 80. p. 116.* Annus erat 1669. qvô Menſe Decembri circa Feſtum Natalitiorum Chriſti ancilla qvædam, in ſervitiis Civis cujusdam Gœrlicenſis, pro cœnâ comedit Pruna Ungarica. In actu hoc comedendi verſans, auditô murmure cum clangore tintinnabulorum, qvibus uti ſolet fictitius ille Jeſulus, accurrit plenis buccis ad feneſtram & videndi & auſcultandi gratiâ. Viſô autem â ſe monſtrô illô hominis, Popp Hannß, noſtratibus dictô, ad riſum commota deglutit nucleum pruni, qvem in aſperam arteriam illabi ſentiens jamjam ſuffocari videbatur, ſubſecutæ mox vomitiones cruentæ, cum tuſſi raucâ & an-

& anxietate haud vulgari. Qvæſita, ubi hæreret nucleus, miſella digitô monſtrabat pectoris latus dextrum. Dantur hinc expectorantia, vomitoria aliaqve, ſed ſine ſucceſſu. Tandem tuſſi per validiſſimum qvoddam medicamen concitatâ, inter continuos tuſſiendi conatûs alterô die nucleus iſte proſiliit, parte mucronatâ qvaſi eroſus, cum ſputô cruentô, qvod tamen & ipſum per idonea poſteà ſublatum, & ægra priſtinæ valetudini reddita fuit. *vid. etiam M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſerv. 242. p. 343.* Seqventem hiſtoriam de Nucleo Prunorum deglutitô annotavit Chriſtophorus Rœslerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 333. p. 545.* Scilicet Anno 1616. Urſula Schreerin, annum agens decimum qvartum, deglutiit nucleum prunorum, qvem cùm in mediô thoracis hærere diceret, Chirurgus ceream candidam Oeſophago indidit & nucleum hac ratione detruſit. Ipſa tamen cùm longô tempore antea tuſſiſſet, nunc multò magis tuſſire cœpit, ſed dolorem in thorace non ſenſit. Exſpuebat ſubinde cruenta & purulenta; febrilis calor adfuit, qvandoqve tertianæ typum ſervans. Triduô anteqvam nucleum ejiceret, incidit in Dyſpnœam maximam cum continuô raucô ſonitu; Labia ſubinde convellebantur, & oculi & crura; Facies evadebat planè Hippocratica, tusſis ſine intermiſſione durabat, donec tandem nucleum tuſſi rejiceret, cum cruentâ & purulentâ excretione, & tunc illico dyſpnœa & raucus ſonitus ceſſavit, & qvæ penè derelicta habita, reſtituta fuit: Et in Scholiô idem Autor nucleum non in faucibus, ſed in aſperâ arteriâ hæſiſſe monſtrat.

§. 88.

Lucretiæ cuidam, cùm Nucem ponticam dente frangeret, obortô riſu, nux in ſpiritûs meatum protinus reſpirando devoluta eſt, moribunda ſtatim concidit; in eô ancipiti ſtrangulatu ad interiores pulmonis partes impacta eſt, tum minùs affligi cœpit, unde nihilominus ſpiritus gravior ſonantiorqve obſeſſô meatu audiebatur. Tum vitæ ſpem habere cœperunt, qvoniam

Nux pontica ſeu avellana.

niam confractis qvibusdam venulis, vomica in pectore exorta eſt; qvâ tandem perſanatâ, obſeſſis meatibus vox rauca ſemper percepta eſt, juxta verba Alexandri Benedicti. *Lib. 3. de Part. Corp. hum. cap. 18. fol. m. 71. & Oper. fol. 600.* Civis Amſtelodamenſis ſeptem amplius annos divexatus ab indefatigabili tuſſi, traxit continenter ſpiritum adeò difficulter, ut corpus ipſi ſummoperè emarcuerit; ſed ejectô tandem, per vehementiſſimam tuſſim, putamine Nucis avellanæ, duxit illicò ſpiritum commodiùs & evaſit celerrimè, qvod vitæ intentabatur, periculum. Inhæſerat autem hoc putamen, qvod adæqvabat Ungvem humanum, circa caput aſperæ arteriæ, uti ſatis diſtinctè indicavit æger. v. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 2. cap. 7. p. 114. ſq.* Meminit etiam Alardus Hermannus Cummenus Viri cujusdam, qvi annuâ tuſſi ad extremam maciem redactus, ſolô expectorantium uſu, nucis avellanæ fruſtulum putaminis excrevit, ante tredecim menſes in aſperam arteriam illapſum: inde conſortantibus ſolummodò adhibitis brevi convaluit. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 111. p. 181.* ubi plura exempla. Item mulier Patavina poſt nuclei avellanæ deglutitionem inter ridendum in tuſſim inſignem incidit, qvæ per bimeſtre ſpatium miſerè ipſam vexavit cum febre & totius emaciatione. Tandem vomitoriô fruſtra exhibitô, nucleum olim deglutitum adſtante matre exſpuit priſtinæqve reſtituta eſt ſanitati. Fabri ferrarii Grünbergenſis filiæ annô ætatis tertiô nucleus nucis avellanæ in aſperam arteriam delapſus Phthiſin induxit, teſte Samuele Ledeliô *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 144. p. 359. Et Dec. III. An. 3. Obſ. 18. p. 19. ſq.*

§. 89.

Fruſtum Carnis. Cùm Mulier præfocata ab omnibus pro mortuâ haberetur, & de ejus potiùs funere, qvàm de vitâ cogitarent aſſiſtentes, paulatim qvaſi graviori ſomnô excitata in moleſtiſſimam incidit tusſim; qvâ cùm diu agitata eſſet, durioris tandem carnis fruſtulum ejecit & ſanata eſt, juxta Anton. Beniven. *Obſerv. medic.*

medic. cap. 88. p. m. 257. Cum Agricolator qvidam imprudentiùs Caponis aſſi fruſtulum deglutiret, in arteriam aſperam illapſum eſt, atqve ibi putrefactum, & Cordis ſuccum tetris vaporibus vitians & febrim & tuſſim & ipſam mortem non paulò pòſt intulit, juxta relationem & judicium Jaſonis a Pratis *Tract. de Uter. Lib. 2. cap. 3. p. m. 190.* Sveno Olaus, Juvenis robuſtus, annorum novendecim, cùm in cœnâ Convivis juſſu hoſpitis inſerviret, lingvæ bubulæ fruſtulum in patinâ reſiduum clam & feſtinanter ori injecit, unde ſtatim vox ſublata & reſpiratio, nec caro deglutita conatu ullô aut vi ullâ potuit elici. Anteqvam advocatur Chirurgus, ſtrangulatur. Poſtridie Cadaver apertum fuit, inventumqve eſt fruſtulum illud lingvæ bubulæ, pondere unciæ unius cum dimidiâ inter Epiglottidem & Laryngis rimulam ſe inſinuâſſe, totamqve laryngem obturâſſe tam arctè, ut vix manu eximi potuerit, unde mirum non eſt, ſubitò & vocem ceſſâſſe & periiſſe reſpirationem. Oeſophagus qvanqvam ex viciniâ comprimentis carnis anguſtior fuerit, ex Ventriculô tamen potum regurgitantem per Os nareſqve defuncti admiſit. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. I. Hiſtor. 11. p. m. 20. ſeq.* Relationem de Apertione Cadaveris hujus lingvâ bubulâ extincti, â Thomâ Bartholinô & Henricô Fuiren cùm duobus Chirurgis exhibitam reperies in Thom. Bartholin. *Ciſt. medic. Locul. 50. p. 524. ſq.* *Lingva bubula.*

§. 90.

Uvæ paſſæ acinô mortuus dicitur Poeta Anacreon & qvidem anno ætatis octuageſimô qvintô, dum ſcilicet Uvæ paſſæ ſuccô tenues & exiles virium reliqvias foveret, unius acini ſeu grani pertinacior in aridis faucibus humor eum ſuffocavit. vid. Valer. Maxim. *Lib. IX. cap. 12. Extern. §. 8. p. m. 819.* C. Plin. *Hiſtor. natur. Lib. 7. cap. 7. fol. m. 108.* Idem genus mortis nonnulli etiam Sophocli adſcribunt, alii tamen eundem præ nimiô gaudiô periiſſe aſſerunt. vid. Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. II. fol. 214.* *Uva paſſa acinus.*

fol. 214. qvibus etiam conſentit Valerius Maximus *l. a. §. 5.* Sophocles, inqviens, ultimæ jam ſenectutis, cùm in certamine Tragœdiam dixiſſet, ancipiti ſententiarum eventu diu ſolicitus; aliqvando tamen unâ ſententiâ victor cauſam mortis gaudium habuit. Seqventem Obſervationem refert Marcellus Donatus *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 3. cap. 7. p. 257.* Filius cujusdam, Manilii dicti, ex Caſtrô Bozoli, cùm uvæ acerbæ grana avidè ingurgitaret, ſuperveniente matre & eum objurgante, ex illius improviſô & inexpectatô adventu perculſus puer granum, qvod jam in Os indiderat, dum feſtinanter devorare ſatagit, fortè in aſperam arteriam illabitur, ita cùm nullô auxiliô ſublevari poſſet, miſellam animam exhalavit ſuffocatus.

§. 91.

Piſum. De Piſo ſeqventem Obſervationem communicat Vitus Riedlinus *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 134. p. 300.* Nobilis cujusdam juvenis Laryngi ante plures annos piſum tam improviſò infixum fuit, ut, licet mox poſt tuſſis perpetua cum febre lentâ & reſpiratione difficili ſucceſſerit, de hôc tamen neqvidem cogitarit, & Medicus ordinarius per bene longum temporis ſpatium remediis, aliàs huic malo dicatis, oppoſitis nil qvicqvam efficere valens, illum tandem Prognoſtico reliqverit, non ſine magnâ Matris viduæ triſtitiâ, qvæ aliqvando, ne omnino non haberet, qvô ægrum recreare poſſet, magnam in aqvam Ceraſorum nigrorum fiduciam ponens, illam per Aurifabri cujusdam domeſtici diſcipulum è Pharmacopoliô peti curavit, qvi, vel minùs rectè mandata percipiens, vel nominis oblitus, locô hujus Aqvam fortem, ſibi notiorem & ſæpius hîc loci â ſe emptam, petiit, qvam etiam â Pharmacopœi miniſtris, cùm pro Magiſtrô, ut aliàs, hancce deſiderari crederetur, traditam Matri ægroti anxiæ domum tulit. Hæc ſtatim filio cochleare unum exhibuit, qvi acrimoniâ, & corrodendi, qvâ pollet hæc aqva, vi valde læſus, faucibus nimirum & partibus vicinis inde

eroſis,

eroſis, clamore & ejulatu id matri indicavit; qvæ errorem tum ſerius agnoſcens ipſamet ad Pharmacopœum cucurrit, eundemqve hujus erroris reum facere voluit. Hic verò rem omnem, ut geſta erat, (ipſemet enim puerum aqvam fortem expetentem audierat, eumqve inſuper, annon in nomine erraret, interrogaverat) narravit, oleumqve Olivarum exhiberet filio, ſvaſit, qvô factô ac vomitu inde ſubſeqvente, Piſum jamjam germinans ſimul rejecit, ex qvô, gravioribus ſymptômatibus ex deglutitâ aqvâ forti non ſubſeqventibus, & cætera mala indies remittere cœpêre, breviqve poſt ab iisdem omnino liberatus fuit.

§. 92.

Puer qvidam ſex annorum in Alpibus Rhæticis natus tempore vernô qvotannis tuſſi ex Catarrhis prehendebatur, idqve per paroxysmos cum repentinô ſuffocationis metu. Hic cum coëtaneis ſimul ludens inter diſcurrendum Phaſcolum grandiuſculum, qvem incautè ore tenebat, deglutivit, cum aliqvali dolore & reſpirandi difficultate, non tamen magnâ, ſupervenientè, qvem mater digitis, qvoniam circa rimam Laryngis hærere imaginabatur, hinc levem illam ſpirandi difficultatem prænunciabat, evellere tentavit, idqve violentiùs paulò, ungvibus enim internam faucium tunicam ſauciavit. Vomitoria qvoqve â Chirurgô qvodam exhibita fuere ad ſangvinis excretionem usqve: Cæterum dum incaſſum ita puerum affligerent, ſpirandi difficultas ceſſavit & ſuffocationis periculum illicò ſublatum fuit: Puer enim deinde ad ſe rediens, prioris mali, donec ſolitô rurſum præhenderetur Paroxysmô, nil qvicqvam ſenſit: veruntamen ſolitô, ut dictum, Paroxysmô redeunte, derepentè ſuffocatus fuit. Progreſſu enim temporis phaſeolus ab affluente humiditate de die in diem magis tumefactus ramos totaliter compreſſit, vel etiam redeunti Catarrho vias interclusit, ut reſpiratio & ſimul vita ſubitò ſublata fuerit, juxta *Phaſeolus.*

verba Caſpari Theophili Bierlingii *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 153. p. 241. ſeq.* Item Heidelbergæ contigit, ut in Scholâ puellari virguncularum aliqva ridenti alteri decennali fabam in fauces injiceret, qvæ in Trachæam illapſa miſeram, anteqvam qvis opem tuliſſet, brevi ſuffocavit, annotante Roſino Lentilio *M. N. C. Dec. III. An. 1. App. p. 129.* Puerulo ſex ſeptemve annorum Faba fortuitò rimulam Laryngis, dum cum aliô ludebat, ingreſſa eſt, unde mox tuſſis atrociſſima, reſpiratio propemodum impedita, ſummaqve præcordiorum anxietas. Putabant adſtantes, fabam hanc in faucibus hærere ideoqve eandem extrahere, vel, ſi hoc non poſſent, profundiùs propellere conabantur in Ventriculum, ſed incaſſum laborabant. Tantem autem faba è rimula Laryngis per fiſtulam pulmonalem deſcendit & ad unum latus immota qvievit, ita ut ægrotulus iterum bene haberet, nec qvicqvam ſentiret incommodi, non tuſſiebat ampliùs, reſpirabat ſine moleſtiâ, nec aderat ulla præcordiorum anxietas. Biduô jam aut triduô interjectis cum coætaneis iterum colludebat, ſed dum Corpus verſus terram incurvabat, faba iterum aſcendebat altiùs in fiſtulam pulmonalem, & mox citata Symptomata de novô producebat, atqve hoc incommodum aliqvoties poſtea evenit, ubi ægrotulus corpuſculum ſuum magis ſubitò agitabat, atqve abiit iterum, ubi puerulus qvieſcebat, ſed tertiâ tandem ſeptimanâ mortuus eſt. vid. Joh. Muys *Prax. med. chir. Decad. 7. Obſ. 9. Oper. p. m. 286.* Puer ferè qvinqvennis fabam ſeu ſemen phaſeoli minoris ſumit in os, poſt fugatus ſpirando in pulmonem attrahit aërem copioſiorem, & ſimul phaſeolum, in aſperam arteriam haurit; unde extemplò hic puer ingentem præcordiorum dolorem, cordis anxietatem & reſpirationem difficillimam verbis manibusqve indicabat. Paulò poſt accedebat calor vires frangens. Motum phaſeoli adſtantes in exſpiratione verſus epiglottidem, in inſpiratione verſus arteriæ aſperæ ramos, & ita ſurſum deorſum

cum

cum ſtrepitu moveri advertebant. Poſt vitam cultrô anatomicô phaſeolus dictus eâ aſperæ arteriæ parte, qva abit in ramos, inventus eximebatur, teſte Johanne Georgio Sommerô *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 253. p. 588.* Infelicior longè erat puer Dresdenſis, qvi Anno 1723. die 25. Septembris octavô ætatis annô ludendo fabas aperto ori immittebat iterumqve exſpuebat, usqve dum faba qvædam injecta ex ore non rediret, ſed puer in facie cœruleus atqve niger vehementi tuſſi cruciatus ferè ſuffocaretur. Interim adveniens Chirurgus, atqve de fabis nil qvicqvam ſciens, aliqvid faucibus vel Oeſophago inhærere putans ſtatim Inſtrumentu Chirurgicum ex filô ferreô & ſpongiolâ paratum Oeſophago immittens ingentem Muci copiam extrahebat, unde reſpiratio libera & loqvela, hactenus impedita clarâ voce redibat; Seqventi tamen nocte, redeunte Tuſſi & anxietate, in momentô qvaſi puer ſuffocabatur. Cujus repentinæ mortis cauſam Parentes catarrho ſuffocativo adſcribebant, Chirurgus autem, poſtqvam pueri cum fabâ luſum reſciverat, eandem in fabâ in aſperam arteriam illapſâ qværebat, ideoqve pueri ſectionem à parentibus expetebat, cujus tamen permiſſionem vix impetrare poterat; Hâc verò demum conceſſâ nihil penitus nec in aſperæ arteriæ fiſtulâ, nec circa ejusdem ramificationes verſus pulmones reperiebat; ſed demum ſub glottide ſive rimulâ, qvæ ab Epiglottide obtegi ſolet, fabam illapſam deprehendebat. *Obſervatio.*

§. 93.

Caſtanea. Puer qvidam Hebræus dum ſiccam Caſtaneam dentibus confringeret, qvædam illius ramenta in aſperam arteriam fuerant injecta, cui mulier ſubvenire ſtudens dorſi percuſſione, corpuſcula illa Caſtaneæ in pulmonis lobos delata fuère, ita qvòd minus anxiè Cor per patentiorem cannam tunc flabellari potuit, ſicqve Oregmone & levi ſuffocatione interim irritante, qvatuor dierum ſpatiô miſerrimam calamitoſamqve vitam

tam

tam duxit: Verum qvintô ſuperveniente die, dum â Medicô in Aromatarii officinâ conſilium atqve præſidium peteret, unius tantum tuſſiculæ impulſu, univerſali nigredine infectus, ac ſi fune ſuſpenſus fuiſſet, in patris complexu è vitâ migravit, ad relationem Marcelli Donati *de Med. Hiſtor. mirab. Lib.3. cap. 7. p. 257. ſeq.*

§. 94.

Pilulæ. Refert etiam Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 7. Proëm. fol. m. 128.* Matronam qvandam Brixienſem invito filio, pilulam aſſumere neganti, digitô imprudentem in arteriam compuliſſe; eumqve protinus exanimatum in ſinu jacuiſſe. Et Marcellus Donatus *l. a.* nobilis mulieris meminit, qvæ dum præſcriptas â Medicô pilulas ſatis juſtæ craſſitudinis devoraret, neſcio qvô pactô una ex illis per tracheæ os delabitur, qvæ ibi ferè per tres horas perſiſtens mulierem malè afficiebat ſuffocationemqve minabatur, nec ullô ingeniô extrahi poterat, donec tandem liqvata ſenſimqve per tuſſim excreta mulierem à maximô animi angore corporisqve cruciatu, ab imminenti morte, qvam expaveſcens expectabat, liberavit.

§. 95.

Globulus. Sic Globulus plumbeus â puerô qvodam Colonienſi deglutitus tracheæ arteriæ ſe ita inſinuârat, ut ante adventum Medici ſuffocatus decederet, annotante Gvilelmô Fabricio, Hildano, *Obſerv. Chir. Cent. I. Obſ. 35. fol. m. 30.* De Infante bimulô, â globô filorum laneorum deglutitô atqve poſt ſectionem in pulmonibus repertô, ex improviſô decidente vid. Stephan. Blancard. *Coll. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 88. pag. 468. ſeq.* Fabius Senator hauſtô in lacte pilô, præcluſô ſpiritu, animam egiſſe legitur. vid. Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 2. f. 214.* Globulum nuce juglande paulô minorem in ore detentum Hirſchbergæ puer ſex annorum fortè deglutiit. Anteqvam autem globulus in Oeſophagum perlabitur, errorem agnoſcens tuſſiendo reddere

tentat,

tentat, atqve ſic illum in aſperam arteriam derivat. Qvô caſu infelici Phthiſin ſibi accerſivit, & omni oleô & operâ fruſtra impenſis, tandem interiit. Poſt mortem diſſectus pulmones pure repletos ſimul cum eodem globulô in aſperâ arteriâ retentô & arctè concluſô habuit, juxta relationem Adami Chriſtiani Thebeſii *Ephem. Acad. N.C. Cent. III. & IV. Obſ. 121. Schol. p. 278.* Cùm Papa Adrianus IV. Menſe Auguſtô deambulans ex fonte potum frigidum biberet, ſimul cum aqva muſcam attraxit, qvæ arteriam aſperam illapſa ipſi adeò inhæſit, ut nullâ arte extrahi poſſet, indeqve dictus Adrianus ſuffocaretur, vid. Joh. Lud. Gottfridi *Chronic. fol. 543.* item Joh. Georg. Layritzen Pabſt-Thron. *Lib. 2. cap. 5. p. 593.*

§. 96.

Cùm hactenus in præſenti capite utplurimum de naturali Oeſophagi ſtatu egerimus, reſtant nunc adhuc nonnulla de ipſius ſtatu præternaturali annectenda. Sicuti enim naturaliter in unicô conſiſtit canali, ita econtra Oeſophagum magnâ parte, â coſtâ nempe tertiâ â ſuperioribus deorſùm deſcendendo usqve ad ſeptimam vel octavam diviſum, liberâ tamen viâ, ut materiæ deglutiendæ nullum occurreret obſtaculum, in infante recens natô obſervavit Gerardus Blaſius *Obſerv. anat. p. 121. additâ figurâ p. 138.* *Oeſophagus diviſus.*

§. 97.

De Oeſophagô cartilaginoſô ſive excreſcentiâ qvadam cartilaginoſâ in Oeſophagô pronatâ eundem occludente vel aliô modô Deglutitionem impediente, ſupra §. 16. aliqvot exempla adduximus. *Cartilaginoſus.*

§. 98.

In voracibus & bibacibus, imprimis autem iis, qvi varia inſolita & ſolida avarè deglutiunt, Oeſophagum extraordinariè extendi, mirum non eſt, ſiqvidem in potatore qvodam tantam Oeſophagi atqve Ventriculi dilatationem deprehendi, ut Ven- *Dilatatus.* *Obſervatio.*

 tricu-

triculus novem, & Oeſophagus unum Aqvæ cantharum caperet.

§. 99.

Ruptus. Nonnunqvam etiam Oeſophagus vel â cauſâ internâ vel externâ disrumpitur & perforatur, qvod non parum periculi infert. Exemplum â cauſâ internâ communicat Johannes Georgius Volckamerus de Virô Noribergenſi, qvi maximis in dorſô doloribus diu multumqve divexatus, tandem nigra vomuit, de tertiô vel qvartô die Vomitûs repetens, interdum tres menſuras id qvod exiit adæqvabat. Primus ille vomitus membranaceam cruentam particulam ſecum eduxit, unde Volckamero de perforatô prope Lienem Ventriculô exorta fuit ſuſpicio. Vitali tandem aurâ privati illius ægroti Cadaver ubi apertum, infima corporis regio omni labe carebat. In pectore verò ſiniſter pulmo totus corruptus & putrefactus citra qvalemcunqve fœtorem apparuit. Lobus ille ſpinæ dorſi firmiter adhæſit atqve per Oeſophagum, paulò ſupra ſuperius ventriculi orificium, ruptum, liqvorem illum nigricantem in ventriculum ingeſſit, unde per intervalla vomitu iſta ſaburra prodiit. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 2. p. 405. ſeq.* Item femina â multis annis cachectica dolorem, jam majorem, jam minorem, prope Scrobiculum Cordis in ſiniſtrô latere ſenſit, cui acceſſerunt varia Symptomata & maximè vomitus pertinaciſſimus poſt paſtum. Ceſſit tandem fatis, poſtqvam non niſi per qvatuor dies decubuerat; Cujus poſt mortem diſſectum abdomen pure & aqvâ inveniebatur repletum cum inſigni fœtore. Fons puris & materiæ hujus heterogeneæ in ipſô orificiô ſuperiori ventriculi deprehenſus eſt, ubi foramen nucis myriſticæ magnitudinem excedens in cavitatem Ventriculi & Oeſophagi hiabat, qvorum uterqve pure plenus fuit. Huic foramini aliud ex oppoſitô in eodem Oeſophagi fine viſum fuit, pariter puri exitum præbens. Utrumqve horum foraminum circa limbum valde tumidum, nigre-

nigreſcens & ſphacelatum ſe exhibuit, & Oeſophagus erat valde dilatatus, juxta Obſervationem Adami Chriſtiani Thebeſii *Ephemerid. Acad. N. C. Dec. III. & IV. Obſ. 120. p. 225. ſeq.*

§. 100.

Gladiô qvoqve vel aliô Inſtrumentô nonnunqvam læditur vel perforatur Oeſophagus, qvale vulnus in mediô Oeſophagi ſesqvi annum patens annotavit Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 110. p. 246.* Biennium eſt, inqviens, ex qvô binorum in Germaniâ militum temeritas lingvæ pervenit ad gladios; petiit autem alterius jugulum alter, non plumbeô gladiô, ſed ſtrictô, mucrone manu tam certâ, ut ictum hoſtilem adverſarii exciperet Oeſophagus. Vulneratus nullius experti Chirurgi opem implorat, donec vulnus coaleſcere dedignaretur. Poſt biennium ferè vulnus nondum obductum erat cicatrice, nec poterat conſolidari plaga, licet omnem moveret lapidem ſedulus Chirurgus. Hinc dictus Hannæus reqviſitus immittit in vulnus ſtylum, qvem per patentes inter Cutim & gulam mæandros liberè huc atqve illuc vertere potuit, ad tantum ſpatium, qvantum imperialis occupâſſet Thalerus. Ex his cuniculis præmonitus dixit Hannæus liberrimè, illum ex vulnere nunqvam poſſe convaleſcere, anteqvam expurgatum fuiſſet illud Augiæ ſtabulum. Incidit itaqve ſcalprô chirurgicô vulnus hocce, & uncia latum duplô majus reddidit; mox autem patuit in fundô mali fomes, fungus ſcilicet, ex ipſô excreſcens Oeſophago, unde tanqvam è ſpongiâ, exſudabat nocivus latex. &c. De Gulâ ſive Oeſophagô militis cujusdam cum commilitonibus ſtrictô gladiô dimicantis per transverſum qvaſi in utroqve latere percuſſô, vid. Obſervatio Johannis Georgii Hoyeri *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſerv. 43. p. 49.* ubi addit rarum eſſe caſum, partem venis, arteriis, aſperâ arteriâ pluribusve præmunitam ſolam fuiſſe vulneratam. De glande Sclopetô emiſſâ, pulmonis lobum alterum cum Oeſo-

Gula vulnera.

ſophagô perforante, cui natura felicem medelam paravit, Obſervationem Johannes Jacobus Harderus in Juvene robuſtô annotavit *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 93. p. 158. ſeq.* De Virô qvodam Noribergenſi, qvi ex mœrore & vitæ tædiô gutturi transverſim cultrô inflictô necem ſibi inferre tentans gulam vel Oeſophagum ſimul cum larynge læſerat, ſubſeqvente morte, vid. Joh. Helwig. *Obſ. 63. p. 210. ſeq.* Juvenis qvidam a latronibus longiſſimum vulnus acceperat, qvod ab unâ jugularium externarum incipiens ad partis adverſæ alteram deſinebat, ita tamen, ut illæ minimè offenderentur. Huic, ut mali magnitudinem meliùs cognoſceret Petrus Pigræus, lactis calicem illi bibendum dedit; ſed id, priusqvam in Ventriculum transmitteretur, emittebatur per vulnus; cùm autem ſupinus cubaret, lac bibebat; neqve per vulnus emittebatur; unde colligi poterat, Oeſophagum non omninò inciſum eſſe; Ideo Pigræus ſuturâ validâ & tenaci factâ vulnus firmiter conjunxit, & per viginti duos dies, lacte tantum alendum illum curavit, præcipiens, ut reſupinatô collô ſemper biberet; ſicqve vulnus fuit perſanatum. v. Petr. Pigræi *Chirurg. Lib. 4. cap. 12. p. m. 376. ſeq.* Oeſophagum & Trachæam multis foraminibus à vermibus perforatum in Muliere qvadragenariâ obſervavit Pyrrhus Maria Gabriellius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 188. p. 308.*

§. 101.

Signum prognoſticum.

Ab Oeſophagi Officiô ſeu deglutitione Practici in qvibusdam morbis ſignum petunt prognoſticum, v. g. Johanni Philippo Burggraviô *Jatric. Ominum Lethiqve curioſ. cap. 9. p. 92.* prognoſticum mortis habetur, qvando aſſumpta in Ventriculum delabuntur cum ſonitu, ceu in lagenam. Et Daniel Sennertus *Pract. Lib. III. Part. 1. Sect. 1. cap. 2. p. m. 14.* diſtingvit inter Cauſas Paralyſeos Muſculorum Oeſophagi, inqviens: ſi a reſolutione Muſculorum faucium proveniat Deglutitio læſa, periculoſiſſimum malum eſt, gravemqve morbum ſignificat; niſi

niſi hujus tantum partis ſit Paralyſis, qvæ & ipſa pertinax ſatis plerumqve malum eſt, & gravius minatur. 2.) Periculoſum etiam malum eſt, ſi à luxatione Vertebrarum ortum habeat. 3.) Difficultas qvoqve deglutiendi ab Intemperie frigidâ vel Convulſione non recipit in ſenibus Curationem, vel ſaltem difficilem. 4.) Minus periculoſum malum eſt, ſi â defluxione aliqva humoris in Oeſophagum reſolutio & deglutitio læſa fuit. Si verò ob virium reſolutionem & Spirituum defectum, qvod in febribus acutis ſæpius accidere ſolet, id eveniat, peſſimum ſignum eſt, & mortis inſtantis indicium, ſi cum ſonitu qvaſi in lagenam vacuam potus decidat. 5.) Periculoſum etiam malum eſt, ſi in vulneratis à convulſione fiat læſa Deglutitio &c.

CAPUT VI.
De
Ventriculo & Chylificatione.

§. 1.

ABſolutô Capite de Deglutitione, in qvô aſſumpta alimenta per Oeſophagum, non qvidem ratione ponderis ad Ventriculum prolabi, ſed potiùs Gulæ fibrarum actione, ad eundem detrudi, monſtravimus, nunc etiam de ipſô Ventriculô, tanqvam primariô Chylificationis Organô, agendum nobis erit. Qvamvis enim Jacobi Vercelloni ſuprâ memoratæ ſententiæ, ſcilicet Chylificationem jamjam in Oeſophagô ab ejusdem ſerô glanduloſô inchoari, non contradicamus, imò ipſius primordium Salivæ, in maſticatione Cibis admixtæ, in Sialologia noſtrâ adſcripſerimus, maximum tamen Chylificationis opus in ipſô Ventriculô peragi, demumqve in Inteſtinis ſeparationem Chyli à fecibus fieri, negandum non eſt.

Ventriculus Chylificationis organum.

§. 2.

Ventriculi ſtructura.

De Ventriculi autem ſtructurâ naturali atqve Anatome hôc locô agere nolumus, benevolum Lectorem potiùs ad Autores Anatomico-Phyſiologicos remittendo, è qvibus præter illos, qvos Capite antecedente §. 5. de Oeſophagô adduximus evolvi poſſunt Franc. Stockhammer. *Microcoſmogr. cap.3. p.32.* Thom. Bartholin. *Anatom. renov. Lib. 1. cap. 9. p. m. 66. ſqq.* Joh. van Horne *Microcoſm.* §. 21. & Joh. Guilelm. Pauli *Annot. in eund. locum p. m. 38.* Andr. Veſal. *de Corpor. hum. Fabric. ſeu Anatom. Lib. 5. cap. 3. fol. 379. ſeq.* L'Eſſais d' Anatomie *Sect. 2. Diſc. 12. p. m. 110.* Isbrand de Diemerbr. *Anatom. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 20. ſq.* Gregor. Theod. Barthold. *Oper. Part. 1. Lib. 1. p. 44.* Robert. Fludd. de Fluctib. *Anatom. Amphitheatr. Lib. 4. cap. 4. fol. m. 89.* Joh. Vesling. *Syntagm. anat. cap. 3. p. m. 29. 33. ſeq.* Thom. Williſ. *de Medicament. Operat. Sect. 1. cap. 2. p. m. 4. 6. ſeqq.* Joh. Melch. Verdries *de Action. Ventricul. p. 24.* Vopiſc. Fort. Plemp. *Fundam. Medicin. Lib. II. c. 8. fol. 123.* Petr. Dionis *Anatom. Demonſtr. 2. p. 148. ſq.* Journal des Sçavans *Tom. VI. p. 372. ſq. Tom. II. p. 245. 320.* Caſp. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anat. cap. 2. p. 38.* Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *Oper. Phyſ. anat. fol. 107.* Dominic. de Marchett. *Anatom. p. m. 3.* Petr. Linſing. *Inſtitut. med. p. 39.* Thom. Cornel. Conſent. *Progymn. Phyſ. 6. p. 231.* Godefr. Bidloo *Anat. Corp. hum. Tab. 34.* Erneſt. Bensheim *de Hydrop. p. m. 14. ſq.* Joann. Riolan. *Anthropogr. Lib. 2. cap. 20. fol. m. 116. ſqq.* de Ventriculi Tunic. Theod. Craan *de Homin. 64.* Eman. Kœnig. *Regn. Animal. Sect. 1. Art. 18. p. 88. ſeq.* Cosmopolit. *Hiſt. natural. Fœt. hum. Delineat. cap. 12. p. 383. ſqq.* Circa qvam delineationem monendum, eſſe eandem Franciſci Stockhameri Microcoſmographiam, verbotenus exſcriptam, transpoſitis ſaltem capitibus, v. g. Caput primum Stockhameri eſt decimum in Cosmopolita, & ſic porrò, & Stockhameri Caput 13. eſt primum Cosmopolitæ.

§. 3.

§. 3.

Præter ea autem, qvæ allegati & alii Autores de naturali Ventriculi ſtatu referunt, ſæpiſſime etiam varia p. n. in eodem deprehenduntur; & primò qvidem ratione loci. Ventriculus enim ordinariè in abdomine, immediatè ſub Diaphragmate, in Epigaſtriô ſitum ſuum habens, qvandoqve vel errore naturæ, vel poſt vulnera Diaphragmatis, non in Abdomine, ſed in Thoracis cavitate deprehenditur. Id qvod nonnulli Autores appellant Herniam Ventriculi. vid. Act. Med. Berolinenſ. *Dec. II. Vol. 4. p. 59. ſq. 64. ſeq.* Refert autem Paulus Ammanus *Irenic. p. 143. ſq.* Lipſiæ Annô 1659. in diſſectô qvodam Studioſô, Weſtphalô, Ventriculum non in abdomine, ſed in Thoracis latere ſiniſtrô, fuiſſe repertum; in qvam Cavitatem Natura errans eundem in formatione locaverat. Hanc Obſervationem prolixius deſcribit Johannes Laurentius Bauſchius *Proëm. Hæmatolog. de Lap. Hæmat. p. m. 8.* ubi Studioſum nominat Andream von Bergen, & vomitu ſangvineô ſuffocatum fuiſſe, ejusqve Omentum cum Ventriculô ſuper Diaphragmate in Thorace ita latitâſſe ait, ut Ventriculus à Thorace cætera liber inferiori parte ligamentis aliqvot membranoſis ipſi Diaphragmati ac Pleuræ circa coſtas ſpurias adhæſerit, ſuperiori claviculas ferè attigerit, ſiniſtrumqve latus planè occupaverit, vixqve minimæ ſiniſtri pulmonis particulæ locus ſuperfuerit, &c. De tali Ventriculi ſitu extraordinariô, â primâ tamen conformatione huic Studioſo naturali, prolixè agit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. VI. Hiſt. 55. p. m. 288. ſeqq.* ubi ſimul de hujus Studioſi morbô & rarâ Viſcerum conſtitutione ſeqventia refert: ante decendium obſtructiones qvasdam ſenſerat, ex qvibus ſumma Ventriculi debilitas ob denegatam excrementorum ejectionem, & varia ſymptomata, graves ſingultûs & infiniti propemodum Vomitûs exorti, qvibus ita viribus fuit fractus, ut in lectum conjiceretur; omnia tamen remedia, tum interna, tum externa effectu ſuô caruerunt, & tandem

Ventriculi Situs.

tandem per os & nares materia cruenta certatim erupit, ipſumqve, præcluſô penitus exitu, ſuffocavit. Apertô Thorace & remotô Sternô, in ſiniſtrô latere corpus qvoddam glanduloſum ſe in conſpectum dabat, qvod primô qvidem intuitu pro Pulmone depravatô habebatur, ſed mox Omentum eſſe, ac ſub eô latitare Ventriculum, cunctis, qvi præſto aderant, obſtupeſcentibus, deprehenſum, &c. Variis etiam circamſtantiis, Hiſtoriam hujus Studioſi, antea ſub exercitu Sveciô Vexilliferi munere aliqvot annos fungentis, deſcribit Gabriel Clauderus, cujus tempore hic Caſus Lipſiæ acciderat, *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 193. p. 386. ſq.* Idem Clauderus etiam de hac Obſervatione Epiſtolam ad Marcum Ruyſch, Medicum Amſtelodamenſem perſcripſit, qvam in Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthrop. App. de Hiſt. Fœt. Muſſipont. p. 66. ſeqq.* item in Michael. Bernhard. Valentin. *Chirurg. Sect. 2. cap. 5. p. m. 227.* reperimus. De hac Obſervatione Capite ſeqventi *§. 33.* plura reperies. Aliud Sitûs Ventriculi monſtroſi, ſive ejusdem à nativitate in Thorace reperti, exemplum in Civis Monſpelienſis filiô, viginti qvatuor annos natô, obſervavit Lazarus Riverius *Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 67. p. m. 39.* apertô ſcilicet ipſius Cadavere inventus eſt Ventriculus in parte Thoracis dextrâ variis humoribus repletus; qvem ſitum ab ortu contractum fuiſſe teſtatur Pulmonis carentia in illâ thoracis parte, cùm unicus illius lobus in ſiniſtrâ appareret. Idem Juvenis pariter militiam exercuerat, in totô tamen vitæ decurſu ſpirandi difficultate non fuit valde oppreſſus, & omnes Corporis functiones commode exercuit.

§. 4.

Aliud exemplum. Item Mercator qvidam Weſtphalus, Georgius Gottfried Erdmannus, annorum præter propter viginti ſeptem, A. 1698. Amſtelodamô per mare iter inſtituens Revaliam appulit, ibidemqve paulò pòſt cum crebrioribus vomitibus vomendiqve conatibus, enormiorè ſingultu, pravâ Diætâ contractis, vitam cum

cum morte commutavit: In hujus apertô abdomine ſitum Ventriculi naturalem Medicus & Chirurgus non reperiebant, ſed locô hujus hepar inſolitæ magnitudinis & craſſitei, cum duritie ſcirrhoſâ & ingenti inflammatione. Separatô deinde Sternô, qvô ad Thoracis cavitatem aditus pateret, primâ ſtatim vice Ventriculus in conſpectum venit, magnitudine inſignis, ita ut non modò capacitatem illius impleret, ſed & Cor & pulmones arctè comprimeret. Turgidus enim erat non ſolùm flatibus, ſed etiam duos ad minimum cantharos materiæ nigricantis continebat. Sphincter Pylori â tonô naturali relaxatus apparebat flaccidus & patulus. Omentum Ventriculo annexum erat laceratum & in globulos qvosdam convolutum. Duodenum & jejunum cum portione Ilei pariter in Thorace ſitum ſuum, ſed confuſum, habebant. Diaphragma integrum erat, ſed eô in foramine, per qvod Oeſophagus ad Ventriculi orificium ſuperius ordinariè deſcendit, maximè dilatatum & atonum, portionem qvandam Inteſtini Ilei continens, juxta Relationem Gottlobii Schoberi. *v. Emphemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Append. p. 147. ſeqq.*

§. 5.

Qvandoqve etiam poſt læſionem & Vulnera Diaphragmatis Ventriculus ex Abdomine in Thoracem aſcendit, qvale exemplum recenſet Gothofredus Mœbius *Fundament. Medic. Phyſiol. cap. 10. p. m. 138.* inqviens: Andreas Schato, Sennerti Socer, narravit, Studioſo cuidam, qvi Melancholiâ correptus Diaphragma & Thoracem gladiô ſibi perforaverat, Ventriculi ſitum ita ſuiſſe mutatum, ut per Diaphragma in ſiniſtram Thoracis partem aſcenderit, & Cor cum capſulâ ê ſede ſuâ in dextrum latus depulerit. Fortaſſe hic fuit idem Studioſus, cujus meminit Johannes Laur. Bauſchius *l. a. p. 52.* Scilicet Studioſum ex vulnere in Diaphragmatis parte nervoſâ (per qvod Ventriculus totus in Thoracem aſcenderat) poſt ſeptimum demum Men- *Poſt læſiones Diaphragmatis.*

 ſem

ſem exſpirâſſe. Et Daniel Sennertus *Inſtitut. medicin. Lib. 2. Part. 2. cap. 13. p. m. 289.* Studioſum hunc Revalienſem Livonum, Melancholiâ laborantem, Anno 1582. die 20. Septembris Witebergæ ante portam ſuô ſe gladiô coſodiſſe, nihilominus annô ſeqventi, die ſecundo Maji exſpirâſſe, inter alia refert. Idem *Practic. Medic. Lib. II. Part. 2. cap. 15. p. m. 224.* hunc Studioſum Henricum Buſcherovium nominat. *vid. etiam Lib. V. Part. 4. cap. 3. p. 366.* Eandemqve Obſervationem modò allegatus Autor ad Guilelmum Fabricium, Hildanum, perſcripſit, cujus vid. *Obſ. chirurg. Cent. II. Obſ. 33. fol. m. 108.* Simile exemplum narrat Ambroſius Paræus *Lib. 9. cap. 30. fol. 230.* Latomus, inqviens, medium Diaphragma, qvâ parte nervoſum eſt, transfixus triduô poſt interiit. Diſſectô Ventre inferiore Ventriculum cùm non reperirem, rem monſtri ſimilem arbitrabar, ſed tandem anxiè perqvirens, raptum ipſum in Thoracem animadverti, etſi vulnus pollicem vix eſſet latum. Erat verò Ventriculus flatu multô, paucô admodum humore diſtentus. Fabri cujusdam Centrum Diaphragmatis nervoſum Cultrô perforabatur, per qvod poſtmodum Ventriculus in Thoracem aſcenderat. vid. Stephan. Blancard. *Anatom. practic. Cent. 2. p. m. 6.* In vulnerati & defuncti Franciſci Caſpari Schwerdfegeri Cadavere totus Ventriculus cibô & potu adhuc repletus, cum annexô Pancreate, Omentô & parte Inteſtini Coli, ſupra Diaphragma, in ſiniſtrâ pectoris Cavitate (qvibus hæc penitus replebatur,) in ipſâ autem Diaphragmatis parte carnoſâ foramen qvatuor digitos transverſos longum obſervabatur, teſte Michaele Bernhardô Valentini *Chirurg. Sect. 2. cap. 5. p. 218. ſq.* Scribit etiam Autor Gallicus, Jean Baptiſte Verduc *dans la Suite de la Pathologie de Chirurg. cap. 29. p. 904.* On a quelques fois vû le Ventricule & l'Inteſtin Colon monter dans la poitrine en paſſant par la playe du Diaphragme; C'eſt ce qui eſt arrivé, il n'y a pas long temps, à deux bleſſez, qui ne laiſſerent pas que de

vivre

vivre encore quelques jours avec ces parties engagées dans la poitrine. Recordatur etiam Johannes Muys *Prax. med. chirurg. Dec. V: Obſ. 2. p. m. 192. ſeq.* legiſſe, qvòd in unô Ventriculus, in alterô Inteſtinum Colon ex abdomine per Vulnus Diaphragmatis aſcenderit in thoracem, & qvòd uterqve patiens adhuc aliqvandiu vivere potuerit. vid. etiam Act. Berolin. *Dec. II. Vol. 4. p. 66. 70. 73.*

§. 6.

Annotantur etiam adhuc alii Sitûs Ventriculi extraordinarii. Sicuti enim ſecundum naturam Ventriculus ſub diaphragmate ita ſitum ſuum habet, ut orificium prius, ſeu ſuperius vulgò dictum, in ſiniſtrô, inferius autem orificium in dextrô latere reperiatur, ita econtra Ventriculum transpoſitum, ſive ita poſitum, ut orificium ſuperius in dextrô latere poſitum eſſet, inferius autem ſive pylorus in latus ſiniſtrum reclinaret, unà cum omnium Abdominis atqve Thoracis partium internarum transpoſitione, in ſicarii cujusdam, dicti Richardi Francœur, cadavere annotavit Iſaacus Cattierius *Obſ. 17. p. m. 53. & 55.* Sic in Baronis cujusdam phthiſici apertô cadavere ſitus Stomachi prorſus inverſus obſervabatur, ita ut orificium dextrum, ſeu pylorus, in dextrô latere aliàs reperibile, hîc pariter in ſiniſtrô latere conſpiceretur, ſicqve cum orificiô ſuperiori vulgò dictô, ſive ſiniſtrô in lineâ perpendiculari locatum, hîc verè inferius, (ſecus ac in ſtatu ſ. n. fieri ſolet) dici potuerit; referente Michaele Bernhardo Valentini *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſ. 2. p. 3.* In puerô tredecim annorum Hepar prægrande Ventriculum in ſiniſtrum latus verſus Diaphragma coactum inverterat, fundô ejus Diaphragma ſpectante, teſte Samuele Graſſiô *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6 Obſ. 81. p. 420. ſq.* In puellâ viginti annorum Ventriculi fundus transverſum palmum intra coſtas ſpurias demerſus apparebat, vid. Thom. Bartholin. *Cent. II. Hiſtor. 81. p. 276.* Eſculenta & potulenta ſenſibiliter &

Alii ſitûs vitioſi.

 naturâ

naturâ frigidiora non eum in locum, ubi aliàs ſitus eſt Ventriculus, ſed in partem ſiniſtram ſub ſplenis regione deſcendere ſentiebat uxor cujusdam Præceptoris pagani, unde viſcerum dislocationem adfuiſſe judicat Andreas Myrrhen *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 226. p. 387.* Interdum Ventriculum usqve ad Umbilicum propendere in Cadaveribus fuit obſervatum, juxta Johannis Riolan. *Enchirid. anat. Lib. 2. cap. 24. p. 128.* De Omentô qvinqve librarum Ventriculum ex ſuâ ſede deorſum diſtrahente, vid. Andr. Veſal. *Anatom. Lib. 5. cap. 4. fol. m. 380.* Alium vitioſum Ventriculi ſitum, qvô orificia ſibi non in rectâ lineâ, ut ordinariè, reſpondent, ſed potiùs ſuperius ſuperiorem & inferius inferiorem locum occupant, depictum vide-
Obſervatio. mus in Biblioth. Anat. *Tom. I. fol. m. 76.* Eundem Ventriculi ſitum dislocatum in Generoſiſſimô Comite de C. mihi qvoqve obſervare licuit, qvippe in qvô Ventriculus in hypochondriô ſeu latere ſiniſtrô deorſum verſus propendebat. Idemqve in Infante ex furtivô amore natô nuper occurrebat. Utrum verò ab uſu pulveris ptarmici ex Helleborô præparati, an ab aliis cauſis, Domicellæ cujusdam Ventriculus in regionem hypogaſtricam ſiniſtram prolapſus fuerit, uti ſtatuit Nicolaus Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. 1. Febr. Obſ. 2. p. 44. ſq.* absqve præcedente Sectione affirmari vix poterit. Propter parvum epigaſtricæ regioni inflictum vulnus aliqvam Ventriculi portionem extra abdomen protruſum cum Brunone vidit Johannes Mauritius Hoffmannus, uti refert *Diſqviſit. Corpor. human. anat. pathol. Specim. 3. §. 4. p. 27.* De Ventriculô extra Peritonæum perforatum ſtatim ſub Cute perſpicuô vid. Philipp. Salmuth *Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 84. p. 52.* De Infante monſtroſô, cui Jecur, Inteſtina, Ventriculus, Lien cum Meſenterii maximâ parte extra umbilicum nuda penitus propendebant, vid. Marcell. Donat. *de med. Hiſtor. mirabil. Lib. 7. cap. 3. p. 664.* Lienem qvoqve ſe in Thorace reperiſſe ſcribit Theodorus Craan *de Homin.*

min. cap. 16. p. 133. ubi nihil inde mali obortum fuiſſe, addit. Item Omentum per foramen in Diaphragmate olim factum in Canis thoracem incidiſſe, refert Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 124. p. 186.*

§. 7.

In nonnullis qvoqve ſubjectis à variis cauſis, imprimis in voracibus & bibacibus Ventriculus ordinariam magnitudinem nimiùm excedit. *Ventriculus magnus.* In guloſis enim & helluonibus Ventriculum alimentorum copiâ laxatum tres Pintas Pariſienſes, id eſt, ſex libras aqvæ aut vini cum unâ aut alterâ librâ ſolidi alimenti continere ſcribit Johannes Riolanus *Enchirid. anatom. Lib. 2. cap. 24. p. 125.* Qvam tamen regulam non ſemper perpetuæ veritatis eſſe, Exemplum, ſeqventi Paragraphô ex Isbrandô de Diemerbroc allegatum, docebit. In Hydrope Ventriculi, uti Antonius Jodon obſervavit, Ventriculus per medium diſſectus Ulnam Pariſienſem ſuperavit. vid. Lazar. River. *Obſerv. communicat. p. 286.* Ventriculum qvoqve prægrandem in Cadavere qvodam obſervavit Leonardus Botallus. *vid. ejusd. Obſ. 1. oper. p. m. 63.* Item in nobili qvodam Patavô, qvi per totam vitam ruminaverat, poſt mortem apertô, inventus eſt Ventriculus inſignis magnitudinis, vid. Hier. Fabric. ab Aqvapend. *oper. Anat. Phyſiolog. Part. II. fol. m. 137.* In Muliere gibboſâ Genevenſi Ventriculus omnia Inteſtina cooperiebat ad pubem usqve devolutus, laxus, albicans, ſimilis membranæ Pergamenæ madidæ, extenſus absqve ullis rugis intus & foràs apparebat. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 8. obſ. 31. fol. 806.* In pauperculâ Virgine Ultrajectinâ, cui Nomen Cornelia, non modò Hydrops tubarius, ſed etiam Ventriculus naturalem magnitudinem qvadruplô & ampliùs excedens obſervabatur. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. I. Jun. obſ. 9. p. 102.* In Nautâ qvodam Ventriculum adeò diſtentum, ut inlongitudine, ſeu ab unô orificiô ad alterum, vix qvatuor virorum robuſtorum palmis tegi

potuerit, in latitudinem ultra duas palmas expanſum annotavit Hieronymus Laubius, *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. X. obſ. 85. p. 409.* Amſtelodami Vopiſcus Fortunatus Plempius publicè ſecuit hominis Cadaver, cujus Ventriculus novem pintas vinarias capiebat. vid. Phil. Verheyen *Anatom. Tract. II. cap. 9. p. m. 71.* In feminâ, qvæ totô novennio horrendis abdominis cruciatibus torta cum ſenſu ardoris acerrimi & ſub finem vomitibus acidis, nigris, ſummâqve Inappetentiâ, Stomachus tam longus & latus reperiebatur, ut totum abdomen impleret, referente Henrico ab Heer *obſ. 25. p. m. 220. ſeq.* Domina qvædam Illuſtris, per multos annos affectibus ſpasmodicis obnoxia, mortua Ventriculum exhibuit valde inflatum ejusqve tunicam interiorem ſine plicis aut rugis, juxta Johannes Viridet. *Tractat. de prim. Coction. Part. 2. cap. 8. pag. 325.* In virô qvodam, per annos octodecim valetudine adverſâ afflictô, Ventriculus reperiebatur maximè diſtentus, qvi palmam latam infra umbilicum protendebatur, inteſtinaqve depreſſerat; menſuratus tres ferè menſuras Würtenbergicas capiebat; adeô erat extenuatus, ut Papyrum ſpiſſitudine non excederet, uti refert Johannes David Mauchartus *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 58. p. 143. & 146.* Ventriculum ſedecim libras aqvæ capientem in Cane obſervavit Laurentius Heiſterus *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 71. p. 384.* Decem Cantharos continentem Ventriculum in guloſo vidit Schenckius, & qvatuordecim libras capientem Spigelius, uti allegat Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 21.* item Nathanael Highmorus *Diſqviſ. anat. Corp. hum. Lib. I. Part. 2. cap. 3. fol. 19.* qvod ultimum confirmat etiam Johannes Rhodius *Mantiſſ. Anatom. Obſ. 18. p. 13.* ſcilicet qvod Adrianus Spigelius Anno 1623. in Theatrô Anatomicô affirmârit, ſe Ventriculum vidiſſe humanum tredecim librarum capacem. In vetulâ qvadam, in Noſocomiô Leydenſi a Franciſcô Sylviô Anno 1663. diſſectâ, Ventriculus infra umbilicum

bilicum protendebatur, locô ſuperiori amplior, intermediô locô anguſtior, locô inferiori iterum amplior, uti ex Act. Hafn. refert Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. II. Sect. 1. Obſ. 132. fol. 441.* Stomachum amplum & monſtroſum, cui unicum Inteſtinum paucis gyris circumvolutum & vix qvatuor Spithamas longum, ex Cabroliô allegat Lucas Schrœckius *Schol. in Joh. Helwig Obſ. 78. p. m. 247. ſeq.* Ventriculum novem aqvæ Cantharos ſeu octodecim libras capientem in egregiô Helluone, & qvidem Medicaſtrô, der grüne Waldmann dictô, in Lipſienſi Theatrô anatomicô ante qvadraginta ferè annos obſervare mihi licuit.

§. 8.

In aliis econtra qvandoqve Ventriculi extraordinariè parvi conſpiciuntur atqve anguſti, qvale exemplum in Johanne Arminio, Pharmacopolæ miniſtrô, cujus Ventriculus vix Inteſtini jejuni adæqvabat magnitudinem, ſe obſervaſſe refert Nicolaus Tulpius *Obſerv. med. Lib. 2. cap. 25. pag. 145.* In puerô circiter decem annorum â vitiô primæ conformationis Ventriculum admodum exiguum, & qvidem adeò, ut nullum ex omnibus inteſtinis eſſet, qvod non mole eum excederet, reperit Petrus Pawius *vid. ejusdem Obſerv. anat. 4. p. m. 8.* Ventriculum parvum, rotundum atqve in Ilia propenſum, non modò in Galenô allegat, ſed etiam ex propriâ obſervatione in puellâ qvadam Delphicâ annotavit Petrus Foreſtus *Obſ. medic. Lib. 18. Obſ. 34. fol. m. 179.* In homine procerô ac validô, qvi in vita maximus fuerat potator ac ſtrenuus helluo, atqve ſimul comeſtor haud exiguus, Isbrandus de Diemerbroc Ventriculum adeô parvum vidit, ut vix ad dimidium ordinarii virilis Ventriculi magnitudinem accederet, ſed triplâ craſſitie ordinarios aliorum Ventriculos ſuperaret. vid. Isbr. Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 7. fol. m. 21.* In Muliere Æthiopicâ Ventriculum ab Oeſophagô non ampliorem & latiorem Inteſtinô, qvamvis

Ventriculus parvus.

vis

vis candidior & craſſior exiſteret, multis ſpectantibus ſe demonſtraſſe refert Joannes Riolanus *Anthropogr. Lib. II. cap. 20. fol. m. 119.* In hydropicô qvodam Ventriculus præ parvitate vix in conſpectum veniebat, donec Hieronymus Laubius illum, interaneis exemptis, Oeſophagi ductum ſecutus tandem eundem inveniret, in parietibus ſuis craſſum, ſcirrhoſum, vix tres digitos transverſos recipientem, lieni ac hepati inſeparabiliter connexum, *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Obſ. 41. p. 87.* Exemplum Ventriculi, cujus capacitas admodum exigua fuit, ut vix cum nucis juglandis magnitudine conferenda, in qvodam, qvi per aliqvot annos nihil ferè comederat, omnesqve cibos ingeſtos ſtatim rejecerat, obſervavit Philippus Salmuth *Obſ. med. Cent. 1. Obſ. 43. p. 28.* Stupendam Ventriculi conformationem, in Juvene viginti annos natô deprehendit Paulus Renealmus, inter utramqve enim illius tunicam erat parenchyma lienis concretum, qvinqve digitis craſſum & Cavitas interna vix digiti capax apparebat. vid. Renealm. *Obſ. 143. p. 107.* Poſt Inediam diuturnam & poſt atroces dolores Stomachum cum annexis inteſtinis ita contrahi, ut nihil minùs qvàm Inteſtina & Ventriculum repræſentarent, atqve Ventriculus in Inteſtinum degeneraſſe videretur, in Virô Nobili obſervavit Fridericus Ruyſchius *obſ. 68. pag. m. 88. ſeq.* In Juvene annos viginti qvinqve natô Ventriculum ita extenuatum & in ſe contractum, ut cyathi unius haud admittere poſſet menſuram, conſpexit Petrus Blandinus. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Obſ. chir. Cent. IV. Obſ. 50. fol. m. 323.* Et ibidem *Obſ. 79. fol. 359.* Georgius Faber meminit puellæ qvinqve annorum, ab infeliciſſimô Croci metallorum uſu extinctæ, cujus ventriculus ad Ovi magnitudinem fuit contractus. De puellô in partu ſuffocatô, cujus ſtomachus admodum fuit contractus, aſt multum protenſus, potiusqve Inteſtinum qvoddam retulit, vid. Laurentius Wolffſtriegel *M. N. C. Dec. I. An. 2. obſ. 22. p. 32.* Fœminæ

minæ cujusdam ex tumore & cancrô uteri exulceratô mortuæ, qvæ faſcinata credebatur, Ventriculus non magis, qvàm duorum digitorum transverſorum capax, vacuus & collapſus reperiebatur, uti teſtatur Ido Wolffius *obſerv. chir. medicar. Lib. 1. obſ. 39. p. 119.* In mulieris cujusdam, qvæ gravidam ſeſe eſſe dicebat, corpore apertô magna purulentæ maximèqve fætidæ aqvæ qvantitas deprehendebatur, â qvâ Inteſtina ita erant ad ſuperiora contracta, ut vix mediam abdominis cavitatem adimplerent, atqve Ventriculus, ut inteſtina, erat contractus ac anguſtatus, teſte Johanne Rudolpho Salzmanno *Obſ. anat. p. 33.*

§. 9.

Pro differentiâ autem magnitudinis & parvitatis Ventriculi ejusdem Tunicæ vel nimiùm expanduntur & attenuantur, vel craſſiores nimis fiunt, uti paulò antè Ventriculi adeò tenuis meminimus, ut Papyrum ſpiſſitudine non excederet. Sic Ferdinandi III. Romanorum Imperatoris tunicæ Ventriculi tam circa Pylorum, qvàm orificium ſuperius & per totam Stomachi membranam, inſtar ſubtilioris chartæ erant extenuatæ, teſte Wolfgango Hœferô *Hercul. Med. Lib. 3. cap. 3. p. m. 197.* In Comite de Solms Ventriculum cum totô Inteſtinorum omni planè mucô naturali deſtitutorum tractu, cæcô & vermiformi exceptis, tenuiſſimum, papyraceæ ferè ſubtilitatis obſervavit Chriſtophorus Ludovicus Gockelius, *vid. Ephemer. Acad. N.C. Cent. VI. Obſ. 94. p. 402.* In Pharmacopœô Genevenſi Ventriculi tunicæ adeò erant extenuatæ, ut cùm Chirurgus novaculam ipſi admoviſſet, parum abeſſet, qvin ſubſtratos digitos ſimul diſcinderet. Et in alterius Ventriculô adeò tenues erant tunicæ, ut vix chartæ emporeticæ craſſitiem æqvarent. vid. Theophil. Bonet. *Sepulchr. Lib. II. Sect. 7. Obſ. 56. Schol. f. 583.*

Ventriculi tunicæ tenues.

§. 10.

Porrò Ventriculum planè nullum, ejusqve locô nil niſi Inteſtini duodeni aliqvalem extenſionem in fœminâ qvadraginta

Ventriculus nullus.

 aliqvot

aliqvot annorum obſervavit Franciſcus à Lœbenwald. *M. N. C. Dec. II. An.3. Obſ. 44. p. 125.* unde dictus Autor Ventriculum ad vitam Individui conſervandam abſolutè non eſſe neceſſarium concludit. Annon autem in hoc ſic dictô Inteſtinô duodenô aliqvatenus extenſô aliqva cum Ventriculô, tam ratione glandularum & inde exſudantis menſtrui, qvàm ratione plicarum & orificiorum adfuerit ſimilitudo, meâ qvidem ſententiâ annotari etiam debuiſſet. *vid. paulò infra §. 24.*

§. 11.

Duplex Ventriculus.

Duplicem econtra Ventriculum p.n. obſervatum legimus, & qvidem non tantum in monſtris & bicorporibus, v. g. in puellâ bicipiti, cujus meminit Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An.1. Obſ. 7. p. 26.* & in Infante duo capita, qvatuor brachia totidemqve manûs, unum verò Ventrem & duos pedes, Veſicam unam unamqve matricem, jecora autem duo, lienes duos, duosqve ſtomachos habente, vid. Frid. Nitzſch. *Ephem Erudit. p. 9.* Sed etiam Ventriculum duplicem, ſcilicet unum verum ſeu interiorem, & alterum qvaſi Capſulam, qvâ ille erat incluſus, in puerô qvinqvenni conſpexit Johannes Daniel Dorſtenius *M. N. C. Dec. II. An.3. Obſ.154. p.300.* Tres etiam Obſervationes duorum Ventriculorum in homine repertorum ex Schenckiô, Salmuthô & Riolano allegat Isbrandus de Diemerbroc. *Anat. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 20.* qvorum ultimus duplicem Ventriculum continuatum, ſed ore anguſtô interciſum, vidit in muliere, Anno 1624. publicè diſſectâ. Tale exemplum etiam paulò antè ex Theophili Boneti Sepulchretô recenſuimus; ſimileqve in fœminâ Wittebergenſi ejusdem loci Profeſſorem Sperlingium obſervaſſe ſcribit Gothofredus Mœbius *Fundament. Medic. Phyſiol. cap 10. p.m.13.* vid. etiam Thom. Bartholin. *Anatom. Lib. 1. cap. 9. p. 67.* ubi qvoqve ſacculum lapidibus refertum Ventriculo adnatum, Helmontium vidiſſe refert. Ventriculum in duos qvaſi ſaccos diremptum annotavit Maximilianus Preuſſius. *vid. Ephe-*

merid.

merid. Acad. N. C. Cent. III. & IV. obſ. 13. p. 29. Refert etiam Johannes de Muralto *Clav. Medic. Exercit. 8. p. 380.* Anno 1631. Wittebergæ fœminam ſectam duplicem habuiſſe Ventriculum, qvorum prior uſitatâ magnitudine præditus, poſterior minor, Ventriculi tamen figuram referebat, qvanqvam non ita colorem. Duplicem Ventriculum continuatum, ſed ore anguſtô interciſum, ſe vidiſſe ſcribit Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. 2. cap. 20. fol. m. 117.* & qvidem in muliere, herâ hoſpitii ad inſigne enſis regii in oppidô Reginæô, duabus leucis â Lutetia diſſitô. In hac Ventriculus erat oblongus, in mediô arctus, amplitudine ſuâ æqvalis Colo Inteſtino; eôqve diſſectô invenit Riolanus anguſtiam illam Pyloro ſimilem, in aliam cavitatem amplam deſinere, qvæ poſtea in orificium craſſius terminabatur, qvod verus erat Pylorus. Idem Riolanus etiam *Enchirid. phyſiol. anat. Lib. 2. cap. 24. p. m. 125.* inqvit, Ventriculum hominis interdum ſecundum longitudinem in duas Cavitates eſſe diſſectum, qvæ habeant ſuum ingreſſum & egreſſum, inſtar ſtomachi & Pylori, id eſt, duorum orificiorum Ventriculi naturaliter conſtituti; Atqve illi difficillimè vomunt, &, ſi revomunt, humores rejiciunt absqve alimento liqvidô, qvod eodem inſtanti ſumpſere. Contrarium tamen ratione vomitûs exemplum annotavit Gerardus Blaſius *obſervat. anat. p. m. 120.* in diſſectô enim Cadavere triginta qvinqve annorum viri creberrimis vomitibus diu vexati invenit Ventriculum duplicem, ita ut prior, qvi Oeſophago continuus, ab alterô, qvi Inteſtinis, manifeſtè diſtingveretur. Ille minor alterô, aſt craſſioris ſubſtantiæ, infinitis plicis, iisqve inſignibus, interius exaſperatus, hic verò iis omninò deſtituebatur, tenuis valde conditionis. In illô fibræ carnoſæ plurimæ occurrebant varii generis, in hoc vix ullæ, ſaltem haud adeò obſervabiles. Locus ille, ubi duæ hæ cavitates â ſe invicem ſeparabantur, interius valde anguſtus erat, ſic ut vix digitum minimum reciperet; ſubſtantia ipſa hîc

An tales vomant.

craſſa duraqve admodum, mollioris qvaſi cartilaginis ſpeciem referens. Et hanc anguſtiam freqventioris vomitûs cauſam fuiſſe, conjicit Blaſius, qvi ibidem aliud adhuc exemplum refert de virô totô ætatis tempore famelicô, cujus Oeſophagus in thorace intra Cor & diaphragma inſigniter dilatatus ſingularem qvaſi Ventriculum conſtituebat. Utroqve enim extremô anguſtia maxima notabatur, ubi nempe gula hæc dilatari incipiebat, & ubi iterum ad ſtatum debitum accedebat. Rugoſa etiam hæc cavitas intus obſervabatur, materiâ ex albô flaveſcente eâqve lentâ ſatis obducta. Ab hoc Ventriculô per orificium ſummè anguſtum tranſitus erat, ad duorum transverſorum digitorum diſtantiam, in Ventriculum verum, qvi naturalis omninò conſtitutionis erat, ſive ſubſtantiam ſpectes, ſive locum aliave. Ventriculos qvaſi duos, alterum in locô ordinariô, alterum in Inteſtino colo annotavit Adamus Brendelius *obſerv. anat. Dec. 1. obſ. 2. p. 11.*

§. 12.

Ventriculi in animalibus ruminantibus.

Sicuti autem homo ſecundum naturam unicô tantum gaudet Ventriculô, ita econtra multa animalia qvadrupeda, imprimis ruminantia, qvadruplici Ventriculô ſunt inſtructa, qvorum primus μεγάλη κοιλία, magnus venter ſeu penula, ſecundus reticulum, tertius ἐχῖνος, centi pellis, ὀμασον & conclave cellulatum, qvartus ἤνυστρον, abomaſus & Ventriculus κατ᾽ ἐξοχὴν, ſeu inteſtinalis appellatur; qvibus Jacobus de Sandris *Tract. de Sangvin. Stat. p. m. 265.* qvintum, ſcilicet glanduloſum addit: De qvibus tamen & de Ruminatione hîc loci agere propoſitum noſtrum non eſt. Videri interim de hac materiâ poteſt Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *Oper. anatom. Part. 2. fol. m. 135.* Joh. Conrad Peyer. *Merycolog. ſive Comment. de ruminant. per totum Tractatum*, Dan. Tauvry *Anatom. nov. Cap. 2. p. m. 28. ſeqq.* Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 1. cap. 13. p. m. 123.* Pæon. & Pythagor. ſeu Harder. & Peyer. *Exercitat. anat. med. Exercit. 15. p. m. 71. &*

71. & 84. it. 87. Marc. Aurel. Severin. *Zootom. ſeu Anatom. Democrit. p. m. 303.* Frid. Gliſſon. *de Ventric. & Inteſtin. in Mangett. Biblioth. anatom. Tom. I. fol. m. 74. ſeq.* M. N. C. *Dec. II. An. I. Obſ. 87. p. 207. ſeq. An. 2. Obſerv. 30. p. 58. 71. &c.* Daniel Ludovic. *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 160. p. 353.* Mich. Etmüller. *Oper. Tom. I. fol. m. 87. ſeq.* Melch. Sebiz. *de alimentor. facult. Lib. 5. p. m. 1208. ſq.* Camelus ruminat. vid. Caſp. Schwenckfeld. *Theriotbroph. p. m. 72.* Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. I. Art. 4. p. 14.*

§. 13.

Interim tamen aliqvot Ruminationis humanæ exempla annectere libet. Meminit videlicet Daniel Ludovici *l. a.* juvenculæ ruminatricis, qvæ citra delectationem aliqvam & potius cum averſatione eandem experiebatur; ingratiis ſcilicet aſcendentibus (ſignificantius enim exprimere neqvivit) heſternis aſſumptis qvaſi ſemicrudis, non qvidem qvotidie, freqventer tamen. Aloetica ſimiliaqve amaricantia id vix aliqvando impedivêre, qvin potius aucta ſaltem hinc eſt nauſea. &c. In Cœnobio D. Juſtinæ Patavii Monachum qvendam cum voluptate cibos ruminâſſe, refert Johannes Rhodius *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 59. p. 84.* Hunc Monachum Benedictinum non modò ruminantem, ſed etiam bicornem fuiſſe, ex Johannis Rhodii ore refert Thomas Bartholinus *de Unicorn. cap. 2. p. m. 16.* ubi ruminationem non tam â duplici Ventriculô, qvàm ab Oeſophagô muſculi inſtar carnoſô, derivat. Duorum etiam hominum ruminantium meminit Hieronymus Fabricius ab Aqvapend. *Op. anat. phyſiol. Part. 2. fol. m. 137.* qvorum alter fuit Nobilis Patavinus, qvi interrogatus de ruminatione, num eſſet libera, reſpondit minimè liberam eſſe, ſed coactam. Cogebatur enim ab aſſumptô cibô circiter horam plus minusve in Os cibum attrahere & rurſus mandere. Cogebatur autem ab inſigni oblectatione, qvâ ruminandi cibum tenebatur: idqve illi eſſe per- *Ruminatio in homine.*

 petuum

petuum omnibus temporibus, faſſus eſt. Poſt hujus mortem ipſius Ventriculus inſignis magnitudinis in internâ ſuperficie valde fuit aſper. Alter, qvi ſimiliter ruminabat, fuit Monachus, iisdem conditionibus affectus, qvi tamen marcore obiit. Aqvapendentem Patavii noviſſe Virum nobilem paulò ſupra frontem Corniculum geſtantem, qvi filium cibos ruminantem genuit, recenſet Philippus Jacobus Sachs a Lewenheim *Schol. in Obſ. Zachariæ Managettæ M.N.C. Dec. I. An. I. Obſ. 30. p.m. 104.* Nefarius qvidam in Belgiô vaccæ ſe commiſcuerat, qvæ poſt aliqvot menſes puerum edidit, qvi tanqvam homo perfectus baptizatus, poſteaqve præceptis Chriſtianiſmi inſtitutus pietati ſe addixit. Senſit tamen in animô propenſiones vaccinas, paſcendi prata & ruminandi herbas. v. Mart. Delrio *Diſqviſit. magic. Lib. 2, Qv. 14. p. m. 173.* In Gregorii Horſtii *Oper. med. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 9. fol. m. 163.* Johannes Burggawerus aliud adhuc exemplum ex literis â Gvilelmô Fabriciô ad eum ſcriptis recenſet, & qvidem de Cive qvodam Lauſennenſi, qvem hic jugiter laterali iſta dentium mandibulæqve inferioris agitatione ruminantium animalium mores manifeſtè expreſſiſſe vidit. Interim tamen addit dictus Burggowerus, de hoc Cive non conſtare, utrum cibus in iſtâ maxillæ molitatione in Os reverſus fuerit, &c. Et *l. a. fol. 167.* refert Horſtius Obſervationem de Sartore qvodam, homine macilentô, qvi ab incunabilis lac maternum & pulmentum regurgitare, aliqvando evomere, ſæpius deniqve deglutire viſus eſt. Is puer factus hunc affectum non multum ſentiebat, qvia minùs curabat, ſed dum in arte ſuâ veſtes conſuendi ſolitarius deinceps ſederet, iterum cum qvodam naturæ oblectamentô ruminare cœpit, ita tamen, ut in liberâ ejus poteſtate eſſet, qvod tunc præcipuè factitabat, qvando lautiùs convivebat avidiusqve commeſſabatur, unde ſæpius & per jocum & seriò â Compotatoribus ſuis ad duplex in Sympoſiis perſolvendum Symbolum fuit objurgatus, eò qvòd in magnâ qvantitate breviſſimo-

viſſimôqve temporis ſpatiô cibum non probè maſticatum voraret potumqve hauriret, ac deinde primùm domi ſuæ aſſumpta reaſſumendo & denuò maſticando lautè viveret. Hoc in ſenili ſuâ ætate in qvotidianis habuit deliciis. Multa exempla recenſet etiam Joh. Conradus Peyerus *Merycolog. Lib. 1. cap. 6. p. m. 66. ſqq.* & primò qvidem de virô qvodam in Germaniâ, natione Svevô, qvi cùm tam Cœnæ, qvam prandio cæteris lætus conviva aſſediſſet, remotis epulis poſt mediam horam â conſeſſu in angulum cœnaculi ſe ſolus compoſuit & ingeſtum qvàm citiſſimè cibum deruminavit. Item Johannes Conradus Kauffius, opulentus ruſticus inter Helvetios per omnem vitam ſuam cum voluptate ruminavit. *vid. ibid. p. 71.* In illuſtri Ludo Portenſi diſcipulus qvidam & condiſcipulus Philippi Salmuthi, Marieburgenſis ſemper poſt horæ qvadrantem, qvando nimirum â menſâ ſurrexerat, cibum indigeſtum regerebat atqve exactiùs comminuebat, ſimul autem voraciſſimus erat, hinc avidè cibum ferè integrum vixqve præmanſum deglutiebat atqve ruminatum Ventriculo commodiùs concoqvendum reddebat, juxta dicti Salmuthi *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 100. p. m. 59.* Vir qvinqvagenarius Edoardus Damies, Civis Londinenſis, natione Wallus, cibum qvotidie unâ aut alterâ horâ, poſtqvam abſumſiſſet, ruminabat, nam absqve ullô ingratô ſapore ordine ad os ipſi remeabat, probèqve comminutus denuò deglutiebatur, novô ſubinde fruſtô poſt primum depulſum aſcendente. Qvodſi pingvedine qvidpiam moleſtum ſtomacho offenderet, ſecundâ hac manducatione exſpuebat. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Obſerv. med. Epiſagm. Obſ. 36. p. m. 23.* De ruminantis hominis anatome vid. Thom. Bartholin. *Cent. 5. Hiſt. 16. p. m. 31.*

§. 14.

Dividitur Ventriculus in duo orificia & in fundum. Ratione orificiorum notandum, vulgò alterum eorum in ſiniſtrô latere ſitum, per qvod cibi in ventriculum ingrediuntur, ſuperius, *Ventriculi diviſio.*

perius,

perius, alterum inferius nominari, qvæ tamen, qvia ſibi diametraliter ſunt oppoſita, nonnullis Autoribus potiùs, à ſitu ſiniſtrum & dextrum vocantur. vid. Gothofr. Mœb. *Fundam. Medic. Phyſiolog. cap. 10. p. m. 138. & 145.* Siniſtrum orificium etiam dicitur Stomachus, item καρδία, dextrum verò Pylorus, ſeu Janitor, (qvamqvam Stomachi nomine nonnullis etiam veniat Oeſophagus ſeu gula. vid. Paul. Zach. *Qvæſt. Med. legal. Lib. 8. Tit. I. Qv. 11. §. 1. & 3. fol. m. 686.*) de qvorum ſtructurâ, clauſurâ & aperturâ evolvatur Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 1. p. m. 232. ſqq. & 247.* Theod. Craan. *de Homin. p. 50.* Eman. Kœnig *Regn. Animal. Sect. I. Art. 18. p. m. 92.* Act. Erud. *An. 1719. Octobr. p. 443.* Philipp. Verheyen *Anatom. Corp. human. Tr. 2. cap. 9. p. m. 69. ſq.* Joh. Bohn. *Circul. anat. Phyſiolog. Progymn. 10. p. m. 140. & Tract. de Renunciat. Vulner. Edit. in 8. p. m. 335. ſeq.* ubi ſententiæ qvorundam, qvi cum Sebiziô & Sveviô orificiorum ſubſtantiam tunicaceam non æquè craſſam ac fundi Ventriculi judicant, contradicit, atqve carnoſiora eſſe orificia Ventriculi fundô defendit: carnoſiora, inqviens, longè ſemper obſervantur bina oſtia & fibrarum muſculoſarum faſciculis pluribus atqve craſſioribus, imò inſuper circularibus inſtructa, tenuioribus ſemper comparentibus parietibus ipſius Cavitatis. Jamdudum etiam Realdus Columbus *Anatom. Lib. II. cap. 4. p. m. 417.* bina Ventriculi orificia, ne cibus vel incoctus elaberetur vel retrocederet, craſſiora facta eſſe fibrisqve orbicularibus dilatari, ſcribit. Novam Pylori Ventriculi delineationem ac deſcriptiomem & qvidem circa poſituram & uſum valvulæ communicat Laurentius Heiſterus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 83. p. 161. ſeq.*

§. 15.

Orificii ſuperioris ſitus. an ſub ſcrobiculô Cordis?

Nonnulli etiam Medicorum cum vulgô ſuperius ſeu ſiniſtrum Ventriculi Orificium non verſus latus ſiniſtrum, ſed potiùs in mediô Corporis, atqve ſub ſcrobiculô Cordis ſeu Cartilagine

lagine enſiformi latitare credunt, & qvidem ex eâ ratione, qvia dolores hac in parte percepti orificium Ventriculi affricent; id qvod inde probant, qvia dolores in Cardialgiâ, â καρδία ſeu ſiniſtrô Ventriculi orificiô nomine venientes, ſub ſcrobiculô cordis ſentiantur; item qvia poſt luxationem, depreſſionem aut tumorem Cartilaginis enſiformis, circa ſuperius orificium ingens dolor perſentiſcatur; imò interdum ſingultus, tanqvam affectus Ventriculi ſubſeqvatur; atqve ita ex dictæ Cartilaginis ſenſatione doloroſâ intimiorem ejusdem cum orificiô ſiniſtrô connexionem neceſſariò concludunt. Qvibus fundamentis adhuc aliud addunt, qvia nimirum Medicamenta, v. g. contra ſingultum, vomitum, &c. dicto orificio applicanda, conſenſu Medicorum, ordinariè ſcrobiculo Cordis, ſic dicti, applicentur. His tamen rationibus Johannes Bohnius in Lectionibus publicis de Erroribus Pathologico-anatomicis, ante qvadraginta ferè annos habitis, qvantum qvidem tunc temporis ex ipſius diſcurſu annotare licebat, ſeqventi modô reſpondebat: Refragari hoc avtopſiæ: 1) Orificium enim dictum reclinari ad latus ſiniſtrum, adeoqve neqvidem è regione Cartilaginis enſiformis eſſe conſtitutum, 2) non in anticâ ſed in poſticâ parte orificium hærere, & qvidem adhuc ſuper Diaphragmate, qvod perforat, in Thorace. 3) Non ſaltem in poſticâ parte hærere, ſed undecimæ etiam vertebræ fibris robuſtis annecti, unde & poſt luxationes vertebrarum vehementiſſima ſymptomata, v. g. Vomitus, Cephalalgia, &c. ſeqvantur. Et Realdus Columbus in Anatomiâ errorem hunc jamjam obſervavit, in poſticâ parte orificii locum eſſe ſcribens. Item Sanctorius Sanctorius Profeſſor Patavinus *Lib. de Method. vitandor. error. in Medicin.* Ventriculi orificium in parte poſticâ latere, atqve lobum qvendam hepatis apud Cartilaginem ſitum eſſe, inqvit. Dictis tamen contrariatur Daniel Sennertus *Pract. Lib. 2.* diſtingvendum eſſe, putans, inter ſitum orificii in corporibus vivis & in cadave-

daveribus, conceditqve poſterius, prius verò negat. Verùm utut Bohnius admittebat, Ventriculi corpus in cadaveribus ſubſidere, dum in vivis immediatè ſub cute latet; nihilominus, orificium revelli poſſe, non concedebat; ſed eô ipſô, dum Diaphragma perforat, & mediantibus fibris robuſtis Vertebræ connectitur, exinde ſitum ejus eſſe perpetuum, colligi monſtrabat. Deinde qvoad reliqva adverſariorum ſupra memorata dubia, & qvidem ratione doloris, circa ſcrobiculum cordis, concedebat eqvidem Bohnius Cardialgiam, qvæ eſt dolorifica ſiniſtri orificii ventriculi affectio, ſub ſcrobiculô Cordis percipi, exinde tamen non valere Concluſionem, qvòd orificium ibidem ſitum ſuum occupet, cùm in Cardialgiâ dolor ad Cartilaginem enſiformem, ratione intimæ connexionis orificii cum Diaphragmate, & Diaphragmatis cum Cartilagine, propagetur; dum ſcilicet muſculus alter diaphragmatis, qvi fibras multas ad orificium communicat, contrahitur, etiam Orificium conſtringit. Non poteſt autem non fieri, qvin dolorifica illa orificii materia in Diaphragmatis fibris dolorem conciliet; unde neceſſariò dolor profundus ad ſcrobiculum Cordis usqve percipitur. Illa enim connexionis ratio efficit etiam, qvòd vulnera & fracturæ Cartilaginis dictæ inſignes ſint lethales. Dum enim vulneratur aut læditur Cartilago, læditur etiam Diaphragma, & læſô hôc læditur etiam orificium Ventriculi; ob nervorum autem prope illud exiſtentium communicationem cum cerebrô, oriuntur Convulſiones totius Corporis. Exinde etiam Medicamenta contra ſingultum non anticæ ſed poſticæ parti, id eſt, dorſo applicanda eſſe, eruere licet. Qvod etiam confirmat Sanctorius, malè, inqviens, ad Cartilaginem applicari Medicamenta, qvia non penetrant ad partem affectam, ventriculi ſcilicet orificium, cujus gratiâ applicantur. Imò applicari etiam cum damnô, idem probat, qvia calida Epati, cujus lobus ibidem latet, ſint infeſta, illudqve afficiant; id qvod

etiam

etiam probat obſervatione cujusdam, bilioſis humoribus (uti vulgô dici ſolent) circa Ventriculi orificium ſuperius abundantis, cui ab empiricô qvodam oleum nardinum, nuciſtæ, &c. ad repellenda illa Symptomata fuêre applicata, absqve tamen effectu, ſiqvidem hoc malum non modò non remiſit, verùm etiam ægroti corpus contabuit atqve hecticum evaſit. Imò poſt ſectionem Cadaveris Hepatis pars antica corrugata & indurata fuit obſervata. Qvòd depreſſionem Cartilaginis enſiformis ſeqvatur ſingultus & dolor Ventriculi, reſpondebat Bohnius & qvidem ratione poſterioris: uti dolor communicari poteſt â poſticâ parte ad anteriorem, ita & ab hac ad illam fieri poſſe poſſibile eſt. Ratione prioris, qværitur adhuc, an ſingultus affectus Stomachi ſit, an verò diaphragmatis? Qvod hoc atttinet, primò contra omnium ſententiam Platerus & Sylvius aliiqve aſſerunt, Singultum nihil aliud eſſe, qvàm motum extraordinarium & convulſivum Diaphragmatis; affici autem facilè ventriculum ob connexionem diaphragmatis cum orificiô. Deinde utut nonnunqvam Singultus â Ventriculô inſtinctum accipiat, v. g. â frigidiore potu &c. nihilominus Diaphragma pars affecta Singultûs manet, & qvidem per Sympathiam. Talis enim affectio eſt, ubi cauſa qvidem eſt extra partem, nihilominus tamen pars affecta manet. Sic vomitus, v. g. eſt effectus Ventriculi, cauſa tamen poteſt eſſe extra eundem, ut in conſenſum ſaltem rapiatur, uti in Nephritide freqvens vomitus eſt, non tamen calculus in ventriculô hæret, vel â calculis afficitur ventriculus, ſed calculi ſunt in renibus & ventriculus ſaltem â plexibus nerveis in conſenſum rapitur. Deniqve qvoad dolores, qvi luxationes cartilaginis ſeqvuntur, ſunt illi pariter, uti dictum, per conſenſum; accedente hôc, qvòd luxationes ejusmodi non contingant, qvin non accedat inflammatio, qvæ continuatur per totum diaphragma. Unde & ſymptomata, qvæ ejusmodi luxationem ſe-

qvuntur, non ſunt aliena â ſymptomatibus inflammationis diaphragmatis. Hæc ex Bohnii diſcurſu. Deinde juxta Henr. Meibom. *de Abſceſſ. internor. Nat. Sect. 2. memb. 1. Art. 4. p. 47.* Orificia Ventriculi ſibi ferè altitudine ſunt æqvalia, ſuperius tamen ſeu ſiniſtrum verſus ſpinam magis, inferius verò verſus ſternum magis & qvidem ſub mucronatâ ferè cartilagine ſitum eſt. Ex hoc ventriculi ſitu debemus ſedem doloris judicare, ſitne Ventriculus affectus, vel minùs.

§. 16.

Orificium inferius ſcirrhoſum.

Circa inferius ſeu dextrum Ventriculi orificium, qvod etiam Pylorus vocatur, & per qvod Cibi concocti ad Inteſtina protruduntur, notandum, illud qvandoqve fieri ſcirrhoſum, adeò ut cibis egreſſuris exitum præcludat, qvale Pylori ſcirrhoſi exemplum de qvôdam Lutetiæ diſſectô, cui circa Pylorum durities erat, apud Philippum Salmuth *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 20. p. m. 14.* reperimus. Et ipſe Salmuth qvendam ſecuit, qvi cùm continuis qvaſi affligeretur vomitibus & cibos aſſumptos rejicere ſtatim cogeretur; idcirco tanqvam hypochondriacus fuerat curatus. Sectô autem cadavere pylorum ſcirrhoſum omninò & tranſitum chylo intercluſum reperit dictus Autor. Pylori circulum, valvulæ ſimilem in ruſticâ qvinqvagenariâ poſt vomitus crebros, imprimis poſt ingeſtum cibum, ſcirrhoſum deprehendit Johannes Jacobus Harderus. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 101. p. 196. ſeq.* Item in Sutore qvodam Monſpelienſi poſt duas tresve horas â paſtu alimenta perditiſſimô fœtore inqvinata, per aliqvot annos, ore rejiciente, pylorus pugni magnitudinem craſſitie æqvans & planè ſcirrhoſus ac durus exiſtens atqve tantopere coarctatus & conſtrictus repertus fuit, ut ne acûs qvidem apex, multò minûs cibus illum pervadere potuiſſet; Et tam valida fuit illius durities, ut ne novaculâ qvidem penetrari potuerit. Scirrhum talem conſtare apparuit ex tuberculis unà conjunctis, qvæ meræ erant glandulæ ſeroſitati-

bus,

bus, qvæ remorâ ſuâ induratæ tuberculum fecerant, imbutæ, uti ex communicatione du Clerc recenſet Johannes Dolæus *loc. all. An. 8. Obſ. 133. p. 292.* Pylorum tam exiguô foramine pervium, ut vix flatum transmitteret, in puerô obſervavit Theodorus Kreckingius *Spicileg. anat. Obſ. 50. p. 107.* In Juris Conſulti Pariſienſis, primò Anorexiâ, dehinc Nauſeâ freqventi, tandemqve per aliqvot menſes omnium aſſumptorum Vomitu laborantis demumqve defuncti, Cadavere tota Pylori circumferentia exterius materiâ durâ, gypſeâ, digiti transverſi craſſitiem excedente, obducta, ad medium ferè usqve duodenum protenſa, Corticis inſtar durioris adhærens â chirurgô reperta eſt. Aperta demum illa ipſa pars interius ſimili materiâ obducta & incruſtata apparuit, cavitatem ejus adeò occupante, ut vix ſtylo tenui pervia eſſet, qvæ porrò ad fundum usqve Ventriculi pertingebat, in qvô ejusdem materiæ, minùs autem duræ & craſſæ, portio qvædam eſt deprehenſa. vid. Nicol. Blegny *Zodiac. Medico-Gallic. An. I. Febr. Obſ. 3. p. 46.* A ſcirrhoſitate Pylori Hecticam in Cive qvodam Baſileenſi annotavit Theodorus Zwingerus *Ephem. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. & VIII. Obſ. 87. p. 207. & p. 282.* Vomitum aſſumptorum ex Scirrhô Pylori vidit Hieronymus Laubius *ibid. Cent. X. Obſ. 10. p. 265.* In Virô qvodam ſexagenariô majori durior ille circulus, qvibusdam ſphincter Pylori dictus, totus erat exulceratus, & variis excreſcentiis atris, lividis, glandulosis & maximè fœtidis obſeſſus, qvæ omnem præcluſerunt exitum alimentis è Ventriculô ad Inteſtina. Vix enim tenuis ſtylus penetrabat ad duodenum, referente Auguſtinô Hermannô *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 172. p. 273.* Bina ejusmodi exempla ex communicatione Jacobi Sponii recenſet Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſerv. 62. p. m. 249. ſq.* alterum qvidem in Cadavere Negociatoris cujusdam, vomitu perpetuô per menſem ante obitum conflictati, cujus Pylorus deprehenſus fuit prædurus ac qvadantenus cartilaginoſus, ſuô in orificiô valde

coarctatus, & extra prædicti orificii fines tumor apparebat formâ Oſſis hyoidis, mole ovi gallinacei, ſubjacebat Pyloro Pancreas durum & ſcirrhoſum, comprimens Pylorum, cui adhærebat, ita ut nihil ex Ventriculô egredi poſſet. Alterum in Cadavere Civis Viennenſis, vomitu perenni menſe unô & ampliùs detenti, cujus poſt mortem aperti Pylorus repertus fuit tumore ſcirrhoſô obſeſſus ferè in Cartilaginis naturam induratus, molis ter amplioris, qvàm naturaliter eſſe ſolet, unde meatus ipſius adeò ſtrangulabatur, ut nihil illac pervadere poſſet, atqve ita aſſumpta qvælibet neceſſariò per vomitum rejectabantur. Scirrhum pugni magnitudine circa Ventriculi orificium reperit Volcherus Coiter. *vid. ejusdem Obſervat. anatom. chirurg. fol. m. 121.* Juvenis Illuſtris diu cachecticus ac Vomitu crebrô & dein per plures menſes qvotidianô & ferè continuô laborans, demum viribus ſummè attritis mortem obiit. Cadavere apertô deprehendebatur Pylorus tuberculis ſcirrhoſis valde teneris & ſenſibilibus circum circa obſitus, qvæ hiatum ejus pænè occludebant, adeò ut Chylus nodorum interſtitiis impactus ſummè putreſceret. vid. Thom. Williſ. *de Medicament. Operat. Sect. 2. cap. 1. p. m. 24.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. 344. ſq.* & Zacut. Luſitan. *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. 2. Hiſt. 65. fol. m. 292.* De Pylori in puellô obſtructione â nimiâ pultis qvantitate, vid. Guil. Fabric. Hild. *Obſerv. Chir. Cent. VI. Obſerv. 34. fol. 541.* In puerô, cujus inteſtina nimis erant diſtenta, Pylorum tam exiguô foramine pervium, ut vix flatum transmitteret, obſervavit Theodorus Kerkringius. *Spicileg. anatom. Obſerv. 50. p. m. 107.* De Pylorô cartilaginoſô vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 8. Obſerv. fol. m. 798.* Porro Vir qvidam poſt maximum & intolerabilem dolorem, utplurimùm ſub foveâ cordis, aliqvando tamen verſus ſiniſtrum magis, aliqvando verſus dextrum latus, ita torqvebatur, ut ſæpius præ vehementiâ doloris ex unô angulô in alterum curreret,

ret, ſæpe etiam pedibus & manibus per pavimentum reperet; imprimis ſimul ac aliqvid aſſumpſerat: id enim, qvalecunqve illud eſſet, cogebatur vomitu rejicere; unde doloribus confectus totus avidus & macilentus, cùm retinere nihil poſſet, extremô virium defectu obiit. In Sectione ejusdem Ventriculus ad fundum aliqvantulum nigricabat, eratqve fracidus (mürbe) ita ut penè ad contactum rumperetur, licebatqve illam extimam tunicam nullô negotio abſtrahere. Pylorus ſeu orificium Stomachi inferius magis adhuc nigricabat, & hinc inde eroſum cernebatur, parvis qvidem, ſed inæqvalibus protuberantiis hinc inde ſeſe oſtendentibus, ac venis circa illum lividis, ita ut fortè non incommodè exulceratô cancrô obſeſſum fuiſſe Pylorum potuiſſes dicere: Circum autem circa illum Pylorum tres valdè notabiles tumores magnitudine ovi columbini apparebant, a qvibus valde anguſtabatur Pylorus, qvi qvidem diſſecti intus apparebant, glandulis aliis ſimiles, ita ut potius tumefactas glandulas dixiſſes, qvàm novos tumores, juxta Obſervationem Henrici Meibomii *Diſcurſ. de Abſceſſ. intern. Natur. p. 49.*

§. 17.

Non autem tantummodo circa Pylorum ſeu inferius orificium, ſed etiam in fundô Ventriculi talismodi ſcirrhi lethales in ſectionibus Cadaverum reperiuntur; ſiqvidem Vir qvidam in flore ætatis diu de Ventriculi læſione & dolore conqveſtus demum tale mali ſui ſenſit incrementum, ut præ dolore aſſiduô diutius aurâ veſci haud potuerit, præterea vomitûs continui & animi deliqvia ipſum non deſererent, donec ultimum obiret diem. In Cadaveris apertione hoſtis infeſtiſſimus non diu ſeſe abſcondere potuit, ſed ſtatim in conſpectum venit. Fundus enim Ventriculi ingenti erat obſeſſus tumore ſcirrhoſô, pugni ferè magnitudine, materiâ tenaci & atrâ refertô, referente Friedericô Ruyſchiô *Obſerv. anat. chirurg. Obſ. 39. p. m. 53.* *Scirrhi in fundo Ventriculi.*

53. Antonius Brunus, Antonii Benivenii, Medici Florentini, affinis emanducatum cibum breviore, qvàm par erat, temporis ſpatiô continebat & ita, ut erat, incoctum rejiciebat, tandemqve, cùm Medicamenta nihil omninò proficerent, & corpori ob inopiam alimenti jam abſumpto vix pellis & Oſſa ſupereſſent, gradatim ad mortem deducebatur. In defuncti Cadavere, â Beniveniô inciſô, inventum eſt, hominis Ventriculum ita junctis oris ad imam ejus partem obcaluiſſe, ut, cùm nihil inde ad inferiora transmittere potuerit, neceſſariò mors ſubſecuta ſit. vid. Anton. Beniven. *de abdit. morbor. cauſ. cap. 36. p. m. 191.* De verrucâ ſeu excreſcentiâ magnâ in Ventriculô vid. Zacut. Luſit. *l. a. Hiſt. 66. f. 291.* & Joh. Schenck. *l. a.* Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 10. p. 153. ſeq.* Fundum Ventriculi per totam longitudinem ad Pylorum usqve ſcirrhoſo-glanduloſâ excreſcentiâ inæqvali & hinc inde plusqvam transverſi digiti latitudine protuberante obſeſſum in corpore muliebri annotavit Maximilianus Preuſſius *Academ. Nat. Curioſ. Ephemerid. Cent. III. & IV. obſ. 13. p. m. 29.* In Ventriculô ruſtici, ranam vivam in eô ſe geſtare rati, tumor ſcirrhoſus, ovi gallinacei magnitudine, pyloro proximè adhærens repertus eſt. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 1. Art. 9. obſ. 35. f. 197.*

§. 18.

Ventriculus perforatus. Qvandoqve etiam Ventriculus â variis cauſis perforatur, v. g. Ventriculum circa Pylorum longitudine articuli digiti in puerô, nonô ætatis annô Diarrhœâ defunctô, ab acri humore perforatum obſervavit Philippus Salmuth *Cent. 1. obſ. 1. p. 1. ſeq.* ſimiliter etiam *obſ. 2. p. 2.* in nobili adoleſcente, Johanne Caſparo â Miltiz, in Batzdorff, ſputô ſangvinis ſine Phthiſi & Hecticâ laborante & vomitu continuô afflictô, Ventriculum circa orificium perforatum fuiſſe deprehenſum, recenſet. Item *obſ. 43. p. 28.* Vigilis Deſſavienſis meminit, qvi munus ſuum qvidem obibat, ſed aliqvot annos de cibi faſtidiô & vomitu conqveſtus

qveſtus erat, ut ferè ſolô potu ſe ſuſtentare cogeretur. In hujus defuncti cadavere foramen Ventriculi vetus, qvemadmodum ex lateribus nigris cruſtoſis & inveteratis patebat, conſpiciebatur; cui & Ulcus fiſtuloſum junctum & ob foramen portio potûs ad abdomen delata erat. Miratur tamen ibidem allegatus Autor, cùm foramen vetus appareret, cur non major aqvæ copia ibi reperta fuerit. Profeſſor qvidam Patavinus inani poſt cœnam vomendi deſideriô angebatur, doloribus ingentibus ſupra Umbilicum. Poſt mortem corpus totum, imprimis autem facies, abdomen & genitalia flatu intumuêre. Cùm culter anatomicus in Cadaver intromitteretur, flatus cum ſtrepitu exſiliit. Cæterum Ventriculum eroſum maximisqve foraminibus pertuſum unà cum adjacente Colô reliqvisqve Inteſtinis, variis in locis perforatis, vidit Johannes Dominicus Sala. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. IV. Obſ. 36. p. m. 121.* In virgine qvadam triginta circiter annorum, cachecticâ, Ventriculum verſus Lienis regionem, ad articuli digiti longitudinem, perforatum vidit Samuel Graſſius. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 40. p. 44. ſeq.* Magnitudine nucis avellanæ & cui facilè pollicis extremum intrudi poterat, fœtidiſſimâ ſcatens amurcâ foramen Ventriculi in ſede elatiori ſub ſternô ipſô, nimirum eô loco, ubi defunctus antea, cætera omninò adhuc bene valens, ſemper de continuô, non qvidem adeò magnô, ſed tamen ſatis moleſtô aliqvô dolore, â bene multis retro annis conqveſtus erat, reperit Georgius Abraham Mericklinus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 229. p. 332.* In Cadavere Mulieris cujusdam diſſectô Ventriculô ſuperiorem partem, trium digitorum transverſorum latitudine, ſub orificiô ſuperiore perforatam atqve ad pugni magnitudinem exeſam ſe vidiſſe ſcribit Cornelius Stalpart van der Wiel. *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 26. p. 273. 275.* Theologi cujusdam cachectici Ventriculus anticâ parte ferè mediâ perforatus erat, qvod foramen extrinſecùs æqvali membranæ ſuperficie non conni-

 vens,

vens, ſed omnino patulum vel pollicem grandiorem admittebat, ſecundum Obſervationem Johannis Lechelii *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 76. p. 183. 186.* In ancillâ, qvæ volens biberat Arſenicum, Ventriculum perforatum obſervavit Johannes Baptiſta van Helmont, *v. Tumulus Peſtis fol. m. 172.* De Ventriculi perforati, hepatisqve per hocce foramen illius Cavitatem ex parte ſubintrantis illudqve claudentis, cum eoqve connexione cartilagineo-membranaceâ firmiter concreti ac connati qvaſi, aliorumqve in Corpore muliebri conſtitutione ſummè præternaturali Obſervationem *Ephemer. Acad. N. C. Cent. III. & IV. Obſerv. 13. p. 26. ſqq.* communicat Maximilianus Preuſſius, inqviens: Lobus Hepatis Ventriculum ordinariè contegens, ipſi Ventriculo (in qvem, dubium qvâ ratione, fortè tamen occaſionem dantibus inteſtinorum vermibus, qvibus aliqvoties ac præſertim ante qvinqve aut ſex annos hæc mulier infeſtata fuerat, perforatum, longitudine trium, latitudine & profunditate unius pollicis immerſus erat,) connexione cartilagineâ plus certè, qvàm membranaceâ connexus fuit repertus. Francothalii in Palatinatu inferiore Civis qvidam panni tonſor qvandoqve in turri agebat excubias, horasqve nocturnô tempore tubâ æneâ annunciabat, ut in urbibus ſolenne eſt. Is tempore qvodam dolorem in Epigaſtriô ſentiebat maximum, nihil exteriùs animadvertens præter puſtulam, diu jam ibidem exiſtentem, cujus tamen nullam geſſerat curam. Qvid fit? Noctu, cùm horas tubâ æneâ magnô cum conatu ebuccinaret, rumpitur ſive aperitur puſtula, & lactucam, qvam prægreſſâ cœnâ comederat, per vulnus reddebat: alterô mane, non parùm de ſanitate ſollicitus, referebat omnia, nec non monſtrabat locum affectum Johannis Dolæi Parenti. Lactucam autem non tantùm ejecit, ſed & poſtea valde abdomen comprimens alios crudos è vulnere reddebat cibos, aliqvando cremori non abſimiles. Poſt aſſumptum autem pulverem abſorbentem & Decoctum vulnerarium

ex her-

ex herbis & lignis, brevi æger priſtinam recuperavit ſanitatem. *v. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 131. p. 306. ſeq.* Item une jeune Dame mourut d'une fievre continue, aprés avoir eté travaillée depuis ſon enfance de maux de l'eſtomac presque continuels. On voulut en rechercher la cauſe par l'ouverture de ſon corps. Lorsqu'on viſita le Ventricule, on le trouva percé d'un trou de figure ovale, d'un pouce & demi de longueur ou environ, vers ſa partie ſuperieure, moyenne & anterieure. La circonference de ce trou etoit bordée d'un & d'autre côté d'un corps calleux, reſſemblant à peu près à un galon, qui borderoit lex deux côtez de qvelque bout d'etoffe. Ce trou étoit couvert & comme fermè par le petit lobe du foye, qui ſ'etend ſur le Ventricule vers la Ratte, & la membrane de ce lobe étoit callée ſur ce trou, qu'on eut de la peine à la ſeparer. Elle avoit en cet endroit la meme coleur, que la tunique interne de l'eſtomac &c. *v. Nouvelles Obſervat. anatomiques lur les Os de Jean Joſeph Courtial, dans la Svite Obſ. 4. p. 72* Puelli, ab immodicô Uvarum eſu trium horarum ſpatiô extincti, Ventriculus perforatus copioſum ichorem viridem continebat, juxta Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 53. p. 80.* Ventriculum in puerô qvodam phthiſicô tribus foraminibus exeſum, ſeptumqve illius foramine amplô perforatum, â puris copiâ atqve acrimoniâ, qvod ex thorace in abdomen defluens has partes & muſculos qvoqve abdominis ad ſuperficiem cutis usqve eroſerat, deprehendit Felix Platerus *Obſ. med. Lib. II. p. 436.* Ventriculum cujusdam mulieris circa fundum â vermibus eroſum, ita ut eos per Ulcus in Muſculis ſiniſtri lateris ægrota mulier extraxerit, obſervavit Antonius de Pozzis *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſervat. 38. p. 36.* ubi hanc feminam Ulcus hoc apertum circulô durisqve labiis duodecim annis usqve ad tumulum tuliſſe addit. Præterea etiam dum hæc mulier fabas edebat, aut Cibum difficilis Coctionis ſumebat, omnia per Ulcus exibant. In mulieris

lieris triginta tres annos natæ, poſt magnos abdominis dolores, cardialgiam & freqventes abdominis Convulſiones defunctæ, Corpore Ventriculum circa ſiniſtrum orificium, ubi magnus lumbricorum acervus hæſerat, ſangvinolentum & qvaſi eroſum ſive commorſum offendit Laurentius Heiſterus *vid. Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 86. p. 167.* Qvalia exempla plura in Helminthologia noſtrâ reperies. Citam mortem & Ventriculum perforatum ibidem *Obſ. 43. p. 62. ſqq.* annotavit Rudolphus Jacobus Camerarius in adoleſcentulâ qvindecim annorum, qvæ per diem ſana noctu circa horam decimam, vix lectum ingreſſa, citò graviter qveri cæpit de doloribus ventris, talibus ac tantis, ut ſub celeri eorum incrementô torqveretur mirum in modum, ſurſum & deorſum ſe volveret, nullibi valens qvieſcere, donec venter intumeſcens ipſam lecto figeret motumqve talem inhiberet. Poſt alvi ſolutionem phlegmatisqve vomitum tam citô inflabatur Venter adeò tympaniticè tenſus, inſolitô modô, ut ad reddendum Enema â Chirurgô injectum ſtaret erecta, ſedere non potuerit, nec porrò in lectô erigi, præ tumore Ventris duri, qvi ad tactum valde tumebat, & ne lectum qvidem incumbentem facilè ferebat. Seqventi die afflicta puella, inter horam ſeptimam & octavam, cùm potum modò petiiſſet, facie liveſcens ad latus converſa, vomiturire viſa, ſubitò exſpiravit. Poſt horam Chirurgi Ventrem ipſius enormiter tumentem & liveſcentem aperientes obſervarunt, erupiſſe tantô cum impetu, non ſino ſono, flatum multum, ut candelam potuiſſet extingvere, fœtoris nec ſtercorei, nec putrilaginoſi, ſed ſingularis, acris, qvaſi ſubdulcis, nauſeoſi; hôc autem emiſſô ſubſediſſe ſubitò omnem illam tumoris molem & tenſionem. Internè omnia ferè in ſtatu naturali erant, præter Lienem & Ventriculum, qvorum ille major paulò & turgidior, hic vero verſus Lienem in parte ſui ſiniſtrâ perforatus, intus paucô qvodam mucô, fuſcô, obſcurô obductus

erat;

erat; Iſti autem foramini digitus minor potuiſſet inſeri. Et *Cent. VI. Obſ. 1. p. 181.* Johannes Conradus a Brun in magni Germaniæ Principis, Peripnevmoniâ cum hemitritæô defuncti, Cadavere ex Stomachi parte ſupernâ disruptâ materiam inſtar amurcæ copioſè prorumpentem ipſumqve Ventriculum gangrænoſum annotavit. Exemplum Ventriculi perforati ac ſphacelati in Nobili Polono, Eqvitum Magiſtrô, cui nomen Marklofski, ante viginti aliqvot annos obſervare mihi contigit. *Obſervatio.* Ipſi ſcilicet de doloribus vagis conqverenti Medicaſter qvidam, nomine Horn, aliàs Pharmacopoei famulus, Medicamenta varia & inter hæc Pilulas mercuriales, & balneum ſiccum cum Spiritu Vini inſtituendum, ordinaverat; imprudentiâ verò Medicaſtri præſentis & miniſtrantium ſervorum accidit, ut, dum horum qvidam Spiritui Vini, in patellâ accenſo ferèqve conſumpto, nondum tamen extincto ſed adhuc flammam alenti, pro conſervandô igne, novum ſpiritum è lagenâ, in qvâ adhuc duæ libræ, vel Cantharus unus, & ultrà reſtabant, deſuper reaffundere intendebat, omnis dictus ſpiritus in effuſione, â flammulâ in patellâ ſeu Vaſe adhuc exiſtente, ſimul accenderetur, atqve ab ingenti hac flammâ propriâqve læſione perterritus ſervus Patrono ſuo, in ſoliô ſeu vannô, palliis obtectô, ſedenti reliqvum ſpiritum vini, pariter accenſum ſuper dorſum totumqve nudum corpus effunderet, Dominumqve ſuum, ex hoc infortuniô miſerrimè cruciatum, poſt paucos dies Vitâ privari videret. Poſt cujus deceſſum reqviſitus ad ſectionem non modò totum ferè dorſum, abdomen & femora, ſed pudenda qvoqve ac Perinæum ab ardente ſpiritu vini qvàm maximè læſa, combuſta, nigricantia & qvaſi ſphacelata deprehendebam. Poſt Abdominis aperturam amurca fœtidiſſima, fuſci coloris totam pelvim occupans, nares & oculos adſtantium implebat. Inteſtina hinc inde maculis rubeis, fuſcis ac nigricantibus, diverſæ magnitudinis, conſperſa; in Ventriculô verò, â

 me

me nondum attactô, qvinqve foramina, tum in mediô partis anterioris, tum verſus fundum, piſi majoris magnitudinem ſuperantia, apparebant. Cùm verò Ventriculum elevaturus eundem in parte poſticâ leniter attingerem, facillimè & præter ſpem, digiti mei per ejusdem tunicas in cavitatem penetrabant, atqve ſine ullâ reſiſtentiâ & impedimentô ad pugni magnitudinem tranſitum ſeu foramen ex improviſô dilacerando parabant. In pectore etiam tam pulmones, qvam reliqvæ membranæ ejusmodi maculis, uti in abdomine, commaculati apparebant, cùm econtra in partibus muſculoſis internis nulla læſionis aut corruptionis nota obſervari poſſet.

§. 19.

Ruptura ventriculi.

Rupturæ Ventriculi exemplum in Fabrô aciculariô obſervavit Franciſcus Sanchez, Medicus Toloſanus: Cùm enim dictus Faber Nauſeâ preſſus ad vomendum ſe contuliſſet valdeqve anniteretur, crepitum ſenſit ad Ventriculum qvaſi corporis, qvod abrumperetur. Ex eô autem tempore maximô Ventriculi dolore infeſtatus, nec ſolidi, nec liqvidi qvicqvam ſine maximô in fundô Ventriculi dolore, ferè usqve ad deliqvium, donec cibus ingeſtus deſcenderet ad inteſtina, deglutire potuit. Accedente igitur febri ſeptimô die obiit. In diſſectô Cadavere obſervatus fuit Ventriculus qvatuor digitorum latitudine ab inferiori orificiô abruptus, interiori tunica tantum pollicis amplitudine. v. Gottlob Schoberi *Diſſert. de Vomit. lethal. Ephemer. Acad. Nat. Cur. Cent. III. & IV App. p. 154.* Trutinarius qvidam cùm potiunculam ex Antimonio ab Empiricô & rerum medicarum imperitiſſimô homine paratam ſumpſiſſet, tam vehementer & impetuoſè agitatus & commotus ipſius fuit Ventriculus, ut Herniam Ventriculi inde contraxerit, vid. Guil. Fabric. Hild. *Reſponſ. ad Mich. Dœring. Oper. fol. m. 915.* Plura de Herniâ Ventriculi reperies in Act. Medic. Berolinenſ. *Dec. II. Vol. 4. p. 59. ſqq.*

§. 20.

§. 20.

Huc pertinent etiam Vulnera Ventriculi, qvorum alia ab Autoribus obſervantur non lethalia, alia lethalia, v. g. A. 1641. in Bataviâ ſuperiore ruſticus Juvenis cultrô punctim vulneratus fuit in ventriculi ſiniſtrô latere, vulnere mediocriter latô, per qvod totô octiduô cibus & potus effluxerunt, imprimis ſi manu inferiorem ventriculi partem nonnihil premeret; qvi effluxus exinde per ſeptem dies ſubſtitit; ac poſt hos iterum rediit, atqve ſolummodò per triduum duravit, multòqve pauciora effluxerunt, qvàm primis diebus. Poſtea juſſus dextro lateri dies noctesqve incumbere, nihil effluxit ampliùs, nulloqve aliô morbô ſuperveniente, & Chirurgô ſua faciente, æger præter omnium expectationem intra ſex ſeptemvè ſeptimanas prorſus ſanatus eſt, neqve poſtea qvicqvam mali ex vulnere relicti, ventriculiqve aliqvod incomodum ſentiit, uti refert αὐτόπτης Isbrandus de Diemerbroc *Anatom. Lib. I. cap. 7. fol. 22.* Scribit etiam Chriſtophorus a Vega *Comment. in Hippocr. Aphorism. Lib. 6. Aph. 18. fol. m. 659. ſeq.* Chirurgum qvendam fide dignum jurâſſe, ſe hominem curâſſe, qvi ſauciatô ventriculô non longè â cibô aſſumptô per vulnus chylum rejecerit. Utrosqve ventriculi parietes globulô bombardicô in muliere qvadam perforatos vidit Gabriel Fallopius, qvæ tamen mulier ſanata fuit. vid. ejusdem *Tract. de Vulner. cap. 20. Oper. Tom. II. fol. 225.* Bohemo cuidam ruſtico vulnus, & qvidem latum, a venabulô in ventriculô inflictum fuiſſe, & cœpiſſe ruſticum per id cibum rejectare; & cùm vulnus, ut deſperatum, negligentiùs haberetur, occalluiſſe tandem vulneris labia, ac per ea ſemper cibi partem exiiſſe, ruſticumqve tandem vulnus linteis pannis texiſſe ac faſciis obligâſſe, atqve ita aliqvot annos vitam produxiſſe, ex Juliô Alexandrinô refert Gothofredus Mœbius *Fundam. Medicin. phyſiol. cap. 10. p. 152.* Hanc Obſervationem recenſet etiam Diomedes Cornarus *Obſerv. medicin. ſive Hiſtor. admir. 9. p. 37.* De vulnere Ventri-

Vulnera.

Ventriculi, ultra undecim annos apertô, ſuperſtitite virô, communicat ſeqventem Obſervationem Chriſtianus Menzelius *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſerv. 1. p. 2.* Inſterburgi in Qvæſtura Boruſſiæ fur qvidam ex Lithuaniâ oriundus noctu per feneſtram ſibi januam parans deſcendit in cubiculum cujusdam civis, ut auferret, qvod ad ſe non ſpectaret. Id cùm Paterfamilias perſentiſceret, arreptô venabulô, qvod prope lectum habebat, furem, cùm fugam caperet, in iisdem, qvas repetebat, foribus, in dextrum abdominis latus prope Epar transverſim latô vulnere ſauciat. Fur ita extra feneſtras exceptus fugâ, qvantum pedes valuêre, in proximum nemus ſe recipit; ibi cùm ſe ſolum & â nemine conſpectum videret, evulſis graminibus & muſcô, urſarum more, vulnus obſtruit: deinde, cùm ad ſuos rediret, mutatis his turundis, ſibi ipſi Podalirius, illud ſtuppâ, linteaminibus, lardô imprimis & aliis, qvæ ad manus aderant, Emplaſtris obligat. Protrahitur cura hæc per aliqvot annos ſine lethali ſymptomate, vulnere tamen nunqvam clauſô, ob callum labiis inductum. Interea temporis, cùm pœnam plagæ ſic per undecim annos luiſſet, innotuit vulgò vir, qvod cibum aſſumptum ex ventriculô per vulnus ejicere, & (ut qvidam volebant) calorem ventriculi interiùs digitô explorare valuiſſet, fitqve lucri cauſâ ſpectaculum vulgi; Id qvod ipſe in præſentiâ Principis Electoralis non modò liberè enarravit, ſed etiam per id vulnus cibum aſſumptum, non ſine fœtore aliqvô, manu expreſſit. Civis qvidam Oedingenſis in Acie tria accepit Sclopetorum vulnera, & inter hæc qvædam glans dextram Epigaſtrii partem ſub coſtis ſpuriis verſus ventriculum ingreſſa eſt, qvæ magnas homini creavit moleſtias, cum ventris inflatione, vomitu &c. Verùm poſt menſem hæc glans, dum alvum exonerare ſtudebat, præſente Chirurgô, unà cum excrementis nigricantibus, ſangvineis grumoſisqve fuit excreta, ipſeqve Civis conſervatus, referente Georgiô Francô, *M. N. C.*

Dec. II.

Dec. II. An. 1. Obſ. 26. p. 64. De imâ ventriculi parte vulneratâ ſanatâqve hanc obſervationem refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. Tom. prior. obſ. 39. p. 156. ſq.* Paulus Godefridus exercitus Belgii Chirurgus narravit mihi de qvodam, cujus ventriculi ima pars ita læſa erat enſe; ut qvicqvid ferè cibi intraret, illico hâc efflueret: qvod vulnus, inteſtinorum more, ita conſuebatur, ut ſimul ventris muſculi filô trajicerentur. Cum his enim partibus, utpote carneis, membranaceæ magis conjungi amant. Fuitqve ille hoc modô valetudini reſtitutus. Ibidem etiam annectit ſimillimum exemplum, de ruſticô qvodam in pagô Marpag, cujus ſtomachus venabulô lædebatur, ut immiſſus in eum cibus per vulnus effugeret; qvod eâdem ſuturâ conſolidabatur. In Virô qvodam ætatis qvatuor & qvinqvaginta annorum occiſô in ſectione Medicus & Chirurgi invenerunt, ictum in latere ſiniſtrô, inter tertiam & qvartam coſtam ſpuriam inflictum, abhinc qvodammodo deorſum in abdomen penetraſſe. Ablatis ergo integumentis exterioribus, confinia ictûs ad palmæ latitudinem ſangvine ſuffuſa erant hinc inde, cùmprimis circa regionem ſtomachi, cibi atqve potus in abdomine cum aliqvâ ſangvinis portiunculâ fluctuabant; Ventriculus autem omnino vacuus & ad trium digitorum latitudinem ab orificiô ſuperiori ante & retro perfoſſus erat &c. vid. Michael. Bernh. Valentin. *Chirurg. Sect. 3. p. 264. ſeq.* Anno *Obſervatio.* 1705. ratione Phyſicatûs Curæ meæ committebatur Vir qvidam triginta duos annos habens, nomine Tanneberger, qvi poſt rixas inter pocula & ludum ab adverſariô in abdomine ita fuerat læſus, ut gladii ictus in regione Ventriculi, paulò verſus dextrum latus, per Ventriculum & Diaphragmatis partem cornoſam usqve ad ſterni cum coſtis ſiniſtri lateris connexionem (qvô in locô externè foraminulum qvoddam cruentum apparebat) aſcenderet; Læſum autem fuiſſe Ventriculum monſtrabant aſſumpta, tam ſolidiora, qvam liqvidiora, non diu a

deglutitione qvandoqve adhuc cruda per inferius Vulnus in deligatione prodeuntia. Diaphragmatis autem læſionem non modo vulnus ſuperius, ſed etiam graviſſima ſymptomata, febris, Lipothymiæ freqventes, deliria, convulſiones &c. confirmabant. Nihilominus tamen per Dei gratiam poſt indefeſſum Chirurgi laborem & freqventem Spiritus mei travmatici uſum dictus ægrotus poſt trimeſtre ſpatium ita ſanitati reſtituebatur, ut neqve ratione Ventriculi, neqve reſpirationis ullum ſentiret incommodum. Vulnus Ventriculi duplex citò lethale in ruſticô communicat Johannes David Mauchartus *Ephem: Acad. N. C. Cent. V. Obſ. 33. p. 56. ſeq:* trajectus, inqviens, ſclopeti majoris globulô plumbeô ruſticus qvadragenarius monſtrabat vulnus duplex, unum in dextra parte epigaſtrii, per qvod & omenti portio propendebat; alterum, ubi globulus exiverat rurſus, in ſiniſtrô hypochondriô dorſum verſus; hic æger qvintâ ferè horâ poſt illatum vulnus ad plures ſe recepit. Sectus â me poſt mortem inventus eſt duplici læſus vulnere Ventriculi, a globulô fundum hujus penetrante, hincqve inter Colon & Ileum, utroqve illæſô per Meſenterium tranſeunte &c. De Vulnere Ventriculi curatô ſeqventem Obſervationem refert Mauricius Hoffmannus *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. Append. p. 454.* Menſe Juliô, Ruricola Dörlebacenſis circa regionem lienis acutô gladiô cùm vulneratus eſſet, non tantùm per vulnus multam cereviſiam epotam refundebat, ſed & potiones vulnerarias propinatas omnes vomitu rejiciebat. Cui tamen præter ſpem albumina ovorum recentia cum pulveribus ſtypticis â me conſcripta & oblata tam ſalutaria fuerunt, ut conſolidatô vulnere ultra triginta annos ſuperſtes fuerit. Item Act. Erudit. Lipſ. *An. 1699. Menſ. Febr. p. 52.* ex Gulielmo Cowper narrantur duo Ventriculi Vulnera, alterum Hypochondrio dextro, ſiniſtro alterum gladiô inflictum: prius mox enormi ſangvinis vomitu atqve ſyncope ſtipatum, haud lethale; lethale autem judicatur

poſterius,

poſterius, in qvô multus ſangvis cum copioſis Ventriculi contentis in abdominis cavitatem fuit effuſus. Plura Ventriculi vulnera recenſet Johannes Schenckius *Obſerv. medic. Lib. III. fol. 348.*

§. 21.

De Ulceribus ſeu Abſceſſibus, eroſionibus, Scirrhoſitatibus, inflammationibus, Gangrænâ & Sphacelô, perforationibus & aliis ejusmodi Ventriculi ejusqve orificiorum Symptomatibus prolixiùs hôc locô agere nolumus, evolvi autem de his poſſunt Theophil. Bonet. *Anat. pract. ſeu Sepulchret. Lib. III. Sect. 5. 6. 7. &c. fol. 758. ſeqq.* Joh. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 3. fol. 349. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 142. p. 261.* Joh. Scultet. *Armament. chir. Part. 2. Obſ. 59. p. 86. ſq.* Cornel. Stalp. van der Wiel *Cent. 2. Obſ. 26. p. 272. ſeqq.* Petr. Foreſt. *Lib. 18. Obſ. 33. fol. 178.* Dominic. Panarol. *Pent. 1. Obſ. 20. p. 12. ſq.* Petr. Borell. *Obſ. Cent. I. Obſ. 54. p. 59. & Obſ. 66. p. 67.* Henr. ab Heer *Obſ. 25. p. 219.* De Scirrhô Ventriculi vid. Fr. Ruyſch. *Obſ. 39. p. 53.* Joh. Jac. Harder. *Apiar. Obſ. 62. p. 249. ſeq.* Philippus Salmuth *Cent. I. Obſ. 20. p. 14.* de Sphacelô Ventriculi in febre malignâ vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 3. Hiſt. 68. p. m. 136. ſq. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 229. p. 332. & p. 405. ſeq.* *Ulcera &c.*

§. 22.

Qvantum Ventriculi uſum attinet, pleriqve Anatomico-Phyſiologi eidem Chylificationem non immeritò adſcribunt, qvatenus cibi per Oeſophagum ad Ventriculum admiſſi non ſtatim ex eôdem iterum ad inteſtina elabuntur, ſed ob Ventriculi figuram, Tibiæ utriculari ſimillimam, ubi ambo orificia in parte ſuperiori diametraliter ſibi ſunt oppoſita, eò diutius in fundô commorari ſicqve concoctio ſive Chylificatio ſufficienter perfici, vel ad minimum continuari poteſt. Qvem Ventriculi uſum atqve neceſſitatem nonnulli Medici demonſtrant atqve extollunt. Inqvit enim Thom. Bartholin. *Orat. II. p. 78. ſq.* *Ventriculi uſus & dignitas.*

 ſine

ſine Ventriculô & inteſtinis vita deficeret, vel vitæ delicium. Ventriculus qvippe communis corporis cocus omnibus proſpicit, malè ipſô habente perituris. Ibi ſedes appetitûs & ſine Apicio gulæ delectamenta & neceſſariæ animantibus cupediæ latent. Sine Corde vixiſſe qvosdam accepimus, & ſine cerebro, at, qvi Ventriculô carere potuerit, hactenus vidimus neminem. Bene autem humano generi proſpexit Natura, qvòd unicum Ventriculum eumqve juſtæ magnitudinis conceſſerit, eleganti ſobrietatis documentô, ne ſtomachos brutorum & vaſtos Ventriculos noſtris hominibus aſſueremus. Peccant hinc non leviter, qvi depoſitâ humani ſenſûs temperantiâ, omaſum ſibi & obomaſum, ventrem famelicum explent inſatiabili vorandi bibendiqve libidine, memores præcepti iſtius, qvi idem vitæ regimen ſvaſit Regi ſuo, qvod eqvo. Tantum autem ex Ventriculi temperantiâ & aureâ mediocritate commodum ad univerſum corpus & nobiliſſima ejusdem viſcera redundat, ut pro hujus conditione & ſtatu, ſeu proſperô, ſeu adverſô, reliqvorum ſalus dependeat. Johanni Melchiori Verdries, *de Act. Ventric. p. 10.* illi rectè ſentire atqve cum Qv. Sereno verâ niti ratione videntur, qvi non peſſimam (juxta Plinium) ſed nobiliſſimam Ventriculum eſſe corporis partem, ſine qvâ vita deficeret & vitæ delicium, contendunt, qvin imo Regem totius corporis magnumqve ſalutis noſtræ præſidium, qvô partibus proſpiciente ſingulæ valent, langvente deficiunt, cuiqve proin omnes vota nuncupant & bene precantur, eum appellandum exiſtimant. Ipſe autem Qvintus Serenus *de Re med. cap. 17. p. m. 108. b.* ſic canit:

> Qvi Stomachum regem totius corporis eſſe
> Contendunt, verâ niti ratione videntur.

Et Gabrielis Hummelbergii verba in hunc locum ita ſonant: Qvemadmodum Rex bene gubernaturus, qvo univerſis & ſingulis æqve conſulere & providere poſſit ſubditis, regiam in

medio

medio regni orbe collocat, & ſedulus, non ſegnis, optimas ſemper & ſuis commodiſſimas leges excogitat, minùsqve utiles emendat, aut in univerſum tollit, qvò ſubditi circa munia ſua obſervatiores & citra tumultum tranqvillè pacificèqve vivere & in adverſis erigi poſſint. Qvalis enim Rex fuerit, qvalesqve leges ſanxerit, tales etiam ſubditi, tum populares, tum nobiliores evadunt, & omnia ad ejus exemplum ſusqvedeqve agunt. Nam mobile, ut Claudianus inqvit, mutatur ſemper cum Principe vulgus. Hunc etiam in modum res ſe habet Stomachi ad reliqvum Corpus. Is enim in medio corpore ſitus omnibus & ſingulis æqvè providet, ſuum cuiqve diſtribuens alimentum: qvod qvò melius acceperint, eò meliùs ſuas operationes perficiunt, citra offenſam ſana & incolumia permanent: ſin malum, deteriùs operabuntur & ægrè ferent adverſis caſibus & morbis ſemper obnoxia. Et qvemadmodum in regno periclitante Rege, aut incolumi perſeverante, ſubditi qvoqve periclitantur, aut ſalvi permanent; ita etiam benevolente Stomachô reliqva valent & ad ejus vigorem firmantur; contra verò ipſô malè affectô, illa qvoqve malè afficiuntur, & ad caſum ejus propriis viribus deſtituuntur, non ſolùm, qvæ inter ignobiliora ceu vulgus cenſentur, ſed & principantia ipſa, maximè ſenſuum organum, cerebrum, & ſenſus ipſi, ni ſtatim ab initiô ſuppetiæ illi ferantur, &c. Sic Johannes Woodwardus *Ideæ Natur. & Struct. hum. p. 1.* ita ſcribit: in Stomacho primæ aguntur ſcenæ, principia heîc ſûnt omnium rerum corpori vel proficuarum, vel noxiarum. Primæ impreſſiones, motûs primi, qvi hic fiunt, prout regulares ſunt, aut irregulares, ſecluſis externis accidentibus, corpus reddunt ſanum vel ægrum, ſanitatem firmam, vel interruptam. Stomacho ritè parante & in ſangvinem diſpenſante alimentum bonum ac laudabile, peraguntur omnia ritè in totò corporis habitu; ſufficiunt organa qvævis ſuis muneribus, actionibus, paſſionibus, rebusqve

 omnibus,

omnibus, ad vitam neceſſariis. Turbatâ verùm hac ſcaturigine, conturbantur qvoqve fluenta; & inundat ſaburra vitioſa in Stomachô genita neceſſariò totam corporis texturam, qvæ hinc ſua patitur incommoda. Collimatu proin prima & præcipua noſtra in conſervandâ & reſtaurandâ ſanitate, cura ad Stomachum &c.

§. 23.

an Ventriculus ſit neceſſarius? negatur

Nonnulli tamen Autores ventriculò Chylificationis opus prorſus denegant, illumqve pro hoc ſcopô abſolutè neceſſarium ideò non judicant, qvia dentur homines ſine ventriculo vitales, uti paulò antè §. 10. de Ventriculi defectu, *ex M. N.C. Dec. II. An. 3. Obſ. 46. p. 124.* de feminâ qvadam adduximus. Ex qva ſcilicet obſervatione tam admirandâ ſecundum verba Franciſci Lœwenwald *l. a. p. 126.* evidenter patet, hanc fœminam Pragenſem ſine ventriculô qvadraginta aliqvot annos vixiſſe, adeoqve in hac perſonâ, ventriculum ad vitam abſolutè neceſſarium non fuiſſe: & licet una hirundo non faciat ver, & hanc obſervationem qvis dicat eſſe magis portentum, qvàm naturæ actum: hiſtoria tamen eſt veriſſima; & tales qvoqve inſinuare videtur fundatiſſimus Bonetus in ſua Anatomiâ practicâ de morbis ventriculi. Sunt præterea, pergit idem, plura exempla eorum, qvi ſine ullâ functione ventriculi, hoc eſt, ſine cibô & potu atqve ex his elaboratô chylô, qvin etiam ſine ullis clyſteribus nutrientibus, multis menſibus vixerunt. Ita qvoqve ſine pulmonum uſu & actione, nec non etiam ſine aëre per pulmones tractò vivunt aliqvando mulieres hyſtericæ, ſolâ perſpiratione. Ergo hæc ad vitam individui conſervandam abſolutè non ſunt neceſſaria, ſed ſecundum qvid.

§. 24.

affirmatur.

Qvamvis autem in allegatâ Obſervatione tanqvam rariſſimum qvid, neqve unqvam hactenus auditum recenſeatur, ventriculum ſeu ſtomachum planè abfuiſſe; interim tamen fatetur,

tur dictus Franciſcus Lœwenwald, ſe inteſtini duodeni aliqvalem extenſionem conſpexiſſe; & hanc fuiſſe rationem, qvòd mulier in vivis exiſtens famem etiam pauciſſimis intervallis difficillimè ſuſtulerit, qvia locus pro colligendô alimentô, qvi ſit ventriculus, in illâ non adfuerit, inteſtina verò tanqvam corpora nimium lubrica, breviter ſuam perſolverint coctionem &c. His tamen verbis dictus Lœwenwald tacitè concedit, aliqvalem illam atqve extraordinariam Inteſtini duodeni expanſionem minoris ventriculi vices geſſiſſe; hinc etiam, ut paulò antè monui, majori & accuratiori hujus inteſtini indagatione circa ſectionem opus fuiſſet, annon aliqvaliter expanſum hoc inteſtinum ratione internæ conformitationis atqve ſtructuræ, v. g. plicarum & orificiorum, aliqvatenus vel magis cum ventriculô, qvàm ordinariâ Inteſtini duodeni ſtructurâ conveniſſet, ſiqvidem aſſumptus cibus absqve morâ & agitatione in certâ cavitate, per ſolum Inteſtini tranſitum, in verum chylum vel chymum mutari non poterit. Qvapropter hoc extenſum Inteſtinum duodenum ex eâ ratione pro ventriculô judicarem, qvâ Petrus Pavius *Obſ. 4. p. 8.* in puerô decem annorum ventriculum adeò reperit exiguum, ut nullum ex omnibus inteſtinis eſſet, qvod mole eum non excederet; Interim naturale hoc & primæ conformationis vitium fuiſſe judicat Pawius. Qvalia parvorum ventriculorum exempla ſupra §. 12. adduximus. Licet etiam, ſecundum Caput qvartum, dentur homines in ſtatu præternaturali, ex variis cauſis Inediâ diuturnâ ſeu Aſitiâ laborantes, non tamen exinde ſeqvitur, hominem in ſtatu naturali & ſanô absqve ventriculi officiô diu ſupervivere poſſe, qvare ventriculum ſive perfectum, ſive imperfectum & ventriculo qvid analogum ad vitæ ſuſtentationem neceſſarium judicamus.

§. 25.

Alii etiam recentiorum Autorum, v. g. Molinett. & Volckamerus *Inteſtina tenuia chylificare.*

rus Chylificationem Ventriculo prorſus denegant, eamqve potius Inteſtinis tenuibus adſcribunt; Hinc inqvit etiam Johannes Conradus Peyerus *de Glandul. Inteſtin. p. 3. ſeq.* de Chylificatione obvium eſt, genuinam ejus officinam tantum non omnium ore proclamari Ventriculum. At penitiùs tamen in veritatem inqvirenti multa occurrunt, qvæ chylificandi munus tenuibus Inteſtinis jure majori, ſaltem æqvali, competere perſvadeant. Vero enim ſimile eſt, alimenta in Ventriculô tantùm diſſolvi, ex illis verò diſſolutis demum in Inteſtinis tenuibus chylum elaborari. Vaſa qvippe lactea è Ventriculo nulla egrediuntur, neqve etiam brutorum Vivi-ſectionibus, qvocunqve â paſtu tempore factis, Chylum candidum atqve ſincerum in Ventriculô fuiſſe unqvam repertum, evinci poteſt. Horum tamen Autorum dubiis ſatisfacit Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. X. p. 141.* inqviens: Principatum hunc dicto Organo derogare conantur ex recentioribus nonnulli, alimenta in eô tantùm diſſolvi ſeu macerari, & ad Chylificationem, in inteſtinis demum tenuioribus ſubeundam, diſponi: ideo qvod nulla unqvam Chyli rudimenta in eô reperiantur, ſed locô hujus maſſa fœda, fracida & cruda ipſi inexiſtat; nullus unqvam obſervatus fuerit Chyli vomitus, nulla â Ventriculô emanent vaſa lactea. Qvod ſi tamen non de nominibus litigemus, ſed rem ipſam ponderemus, facilis difficultatis hujus continget ſolutio; diſtingventibus ſcilicet inter Chylificationem & Chyli ſecretionem. Elaboratur Chylus maximam partem in Ventriculô, manet tamen fæcibus ſuis adhuc confuſus & commixtus: pari ratione ac muſtum productum dicimus, ſtatim ac expreſſæ fuerint uvæ, licet earum craſſamenta ipſi adhuc coëxtiterint; aut qvemadmodum eſſentiam Menthæ, Abſinthii, confectam dicimus, licet fluidior & purior hujus pars per decantationem aut filtrationem â remanentiâ & fæcibus nondum ſeparata fuerit. Hinc nec Chyli, i. e. meri, Vomitus expectari poterit, imò nec in Inte-

in Inteſtinis ſincerus & purus unqvam comparebit Chylus, qvocunqve demum tempore ſectiones vivorum adornentur. &c. Et Johannes Guilelmus Pauli *Annot. in Joh. van Horne Microcoſm.* §. *22. p. m. 46.* ipſum colorem pulticulæ cinereum de particularum albidarum i. e. Chyli præſentiâ ſufficienter teſtari ſcribit. Qvamvis etiam circa Ventriculum nulla reperiantur Vaſa lactea, minimè tamen exinde inferendum, Ventriculum non chylificare; interim non inficiandum, ad meliorem Chyli a fecibus ſecretionem atqve depurationem, ut eò meliùs Vaſa lactea ingredi poſſit, aliis liqvoribus, bilis ſcilicet atqve ſucci pancreatici, alioqve è glandulis inteſtinalibus propullulante ſerô huic muneri opus eſſe. Sic Jacobus Keil *Anatom. Corp. hum. p. 42.* Digeſtionem ſtomachi vocat diſſolutionem ſeu ſeparationem alimentorum in adeò parvas particulas, qvæ aptæ ſint, ut vaſa lactea commodè intrare atqve cum maſſâ ſangvineâ circulari qveat, vid. *Act. Erudit. Lipſ. Supplem. Tom. VII. Sect. 6. p. 263.*

§. 26.

Licet autem Ventriculum primariam Chylificationis officinam nominemus, minimè tamen hæc actio ab ipſo Ventriculô, ut tali, prodit, ſed ab aliis cauſis dependet; circa qvas tamen Autores in varias abeunt ſententias, dum alii imprimis Galenici Chylificationum per modum coctionis & â calore Ventriculi & adjacentium viſcerum fieri docent, alii eandem a ſuccô qvodam Ventriculi acidô, alii â fermentatione &c. derivant. *Chylificatio.*

§. 27.

Chylificationem â calore & coctione, qvam Veteres fovebant, pleriqve recentiorum variis rationibus impugnant, & qvidem juxta Joh. Bohn. *l. a.* qvòd 1) Caloris actio tantum ſit calefacere & per accidens exſiccare, ita ut coctione productum non differat ſubſtantiâ â non coctô, aſt per Chylificationem aliud planè ens prodeat: 2) piſces digerant & chylificent, qvibus *an a Calore.*

bus tamen nullus calor inexiſtit: 3) multa â ſtomachis animalium diſſolvantur, qvibus ſolvendis calor minùs proportionatus, v. g. oſſa; nec 4) Calor ſolida in ſubſtantiam fluidam redigat, niſi fuſorium mineralium excipere velis. Johannes Viridetus *de prim. Coction. cap.3. p.10. ſeq.* Ariſtotelis opinioni his rationibus contradicit 1) qvia calor ignis, lebetem aut ollam flammis undiqve obvolventis, tantam partium diſſolutionem, qvatuor aut qvinqve horarum ſpatiô parere non potis eſt, ac ipſa, qvæ in ventriculô in eodemmet temporis ſpatiô obſervatur, 2) qvia canes & lupi &c. ligamenta, cartilagines &c. unô aut alterô die abſorbent, digerunt & concoqvunt, qvæ vix unô aut alterô menſe in aqvâ ferventiſſimâ diſſolvi poſſunt. 3) qvia animantia perpaucum calorem obtinentia, v. g. piſces, celeriter creſcunt & optimè digerunt, 4) qvia qvi temperamentô calidiori donantur, malè utplurimum digerunt; 5) qvia vini & ſpirituoſorum potatores ſæpiſſimè poſt plures â paſtu horas, ingeſta planè immutata evomunt, nihilominus calor ipſis non deficit. 6) qvia nocte, cùm partes internæ magis calent, concoctio laborioſior eſt longioriqve tempore indiget, & viſcidi ſucci matutinis horis adhuc in ventriculô ſuperſtites ſunt &c. Has & ſimiles rationes vide etiam *in Biblioth. anatom. Tom. I. fol.162.* Chriſtian. Arnold. Conerding. *Diſp. de Chylificat. Præſide Henrico Meibomio Helmſt. 1671. habit. §. 28. ſeqq.* Theod. Cranen *Oeconom. animal. Part. 1. Qv. 22. p. 16.* Rationes Ferrioli contra Chylificationem a Calore vid. Philip. Hœchſtetter *Obſ. med. Dec. V. Caſ. 2. Schol. p. 548. ſeq.* v. etiam Joh. Baptiſt. van Helmont *Calor efficienter non digerit, Op. f. m. 124. ſeq.* Qvanqvam etiam allegati & alii Autores Calorem aliqvid ad Chylificationem conferre concedant, minimè tamen ſolum calorem ad Digeſtionem ſufficere defendunt, & Gallus qvidam Autor ita ſcribit: Qvelqves Medecins diſent, qve par la Faculté concoctrice, on pouvoit entendre une Chaleur naturelle, qvi eſt

eſt propre à l' Eſtomac & qvi agiſſant ſur les aliments les digere & les convertit en Chyle. Mais qvoyqve cette chaleur contribue en qvelqve maniere à la digeſtion des Alimens; on ne peut pas pourtant dire, qv'elle ſoit toute ſeule ſuffiſante, & qv' il ne faille rien davantage. Car on ne peut pas douter, qv' il n'y ait, par exemple, beaucoup plus de Chaleur dans de l' eau, qvi boût ſur le feu, qv' il n'y en a dans l' Eſtomac d' un chien, qvi digere des alimens. Cependant nous avons ſouvent fait avaller à des Chiens de morceaux de chair aſſez dure, & même qvelqves petit os; & les ayant ouverts au bout de trois heures, nous avons trouvé tout tellement digeré & converti en chyle, qv' on n'y reconnoiſſoit plus ny les os, ny la viande. La même choſe ne nous eſt pas arrivée dans un chaudron d' eau bouillante; car apres y avoir fait bouillir une ſemblable chair, & des os ſemblables, pendant tres bonnes heures; nous avons retiré la chair avec toutes ſes fibres, & nous n' avons pas même trouvé les os notablement alterés. Ce qvi fait voir manifeſtement, qve la digeſtion des alimens ne ſe fait pas dans les animaux, par la ſeule chaleur de leur Eſtomac. *v. le Journ. des ſavans Tom. III. p. m. 297. ſq.*

§. 28.

Alii veteres æqve ac recentiores acidum qvendam ventriculi ſuccum huic Chylificationis actioni præeſſe, aut illam certe notabiliter juvare autumant; Imprimis autem Helmontius *Imago Fermenti Impregnat. Op. fol. 72. ſeq.* acidum hoc ventriculi fermentum ſeqventibus rationibus probare conatur, 1) a paſſeribus horumqve faucibus acidum ſpirantibus, 2) per volucres illas, qvæ arenam, lateres, vitra, ſimiliaqve corpuſcula acidum abſorbentia aſſumant, qvæqve his denegatis peſſimè ſe habeant; 3) qvod ingeſta cuncta, licet dulcia, in ſtomachô mox aceſcant. 4) acida deſidem appetitum acuent, ac 5) ructûs acidi nidoroſis ſupervenientes, juxta Hippocratem in

An ab acido? alii affirmant.

in morbis digeſtionem redivivam pronuncient. Qvibus alii, Helmontium ac acidum Ventriculi defendere conantes, addunt, 6) qvod medicamenta chalybeata aſſumpta nidorem ſulphureum eructent, ſine dubiô â fermentô Ventriculi acidô in Martem agente, vid. Thom. Willis *de Ferment. cap. 5. p. m. 16. ſq.* 7) Qvod lac jejunô Ventriculô hauſtum & vomitu illicò rejectum coaguletur ac caleſcat juxta Otton. Tachen. *Hippocr. Chym. cap. 13. p. m. 62.* 8) Idem Autor etiam *l. a.* ſimile acidum reperiri in natura ait, qvod in vitrô omne alimentum qvatuor vel qvinqve horis, admotô ſimplici Calore, in lacteum chylum ex acidô ſalſum transmutetur, jucundô ſpectaculô. vid. etiam Robert. Boyle *de Utilit. Philoſoph. natural. Part. II. Exercit. I. p. 117. ſeq.* Petrus Dionis *Anatom. Demonſtr. 2. p. 154.* inqvit, internas Oeſophagi & Ventriculi membranas totas eſſe perſperſas glandulis, in eum indeſinenter effundentibus ſuccum qvendam acidum, qvi diſſolvens ſit æqve potens alimentorum reſpectu, ac aqva fortis reſpectu metallorum. Cibos ab humore acidô diſſolvi, exinde defendit Johannes Wallæus *Epiſt. I. de mat. Chyl. Oper. p. 225.* qvòd Ventriculus Cibi mole aut craſſitie gravatus aſſumptô acetô, ſuccô citri, oleô ſulphuris aut vitrioli, levamen ſentiat. Hunc autem humorem acidum ex Liene in Ventriculum venire inde conjectatur, qvòd non alia pars acida in Corpore noſtro ſentiatur. vid. Thom. Bartholin. *Anatom. p. m. 763.* Item Gvaltherus Charleton *Oeconom. animal. Exercit. 2. p. m. 17. ſeq.* inqvit: poſtqvam concoctionis muneri ritè ſe accinxerit Ventriculus, cibus mox emolliri ac dilui incipit, & partim potûs, partim acidi cujusdam ſucci, in Ventriculô reperti, beneficiô permadeſcere. Qvidam liqvor acidus, craſſiores ſolidioresqve cibos in minima fruſtula incidit. &c. Hunc Ventriculum ita neceſſarium eſſe, ut absqve ejus auxilio ſuum Chylificationis munus, ut par eſt, præſtare neqveat, minimè dubitandum eſt; qvoniam certiſſimum eſt, homines iſtos, qvibus

bus defecerit iſte ſuccus acidus, de infauſtâ admodum infeliciqve ciborum concoctione ſemper conqveri; &c. vid. etiam idem Autor *de Cauſ. Catamenior. p. 71. ſqq.* De fermentô ſeu menſtruô Ventriculi inqvit Valentinus Andreas Mœllenbroccius *de Arthrit. vag. cap. 3. §. 27. p. 39. ſeq.* magis ſibi ſatisfacere ſtatuentes, illud eſſe humorem qvendam acidum, â primô ortu Ventriculo inſitum & â Chyli reliqviis auctum & conſervatum. Hic ſcilicet, pergit idem, Ventriculi plicis infixus alimentorum coctionem & ſubactionem promovet, acida enim attenuandi, penetrandi incidendiqve vi prædita corporibus tum fermentandis, tum diſſolvendis optimè conducunt. Et Johann. Riolanus *Anthropogr. Lib. II. cap. 20. fol. 119.* inqvit: viventis hominis Ventriculo inſitus & congenitus eſt acidulus humor, qvi inſtar fermenti per alimentum diffunditur, ut exqviſitè elaboratum & ſubactum facilius in Chylum, liqvorem Cremori ſimilem, ſolvatur. Alii hunc ſuccum acidum ex glandulis membranæ interioris Ventriculi derivant, *vid. Journal des Sçavans Tome III. p. 298. ſeq.* l'eſtomac a ſa membrane interieure remplie de pluſieurs Glandules, qui rendent, quand on les preſſe, une Eau fort acide, qui leur eſt apportée par pluſieurs Arterioles. Juxta Franc. Zypæi *Fundam. medic. cap. 7. Art. 4. p. 176.* Cauſa Chylificationem efficiens partim eſt ſaliva, maximè verò humor aliqvis acidus, & *p. 180.* inqvit: Cibus jam in Ventriculô concluſus undiqve & totus impregnatur ſalivâ & humore acidô, undiqve tranſudante ex lateribus Ventriculi.

§. 29.

Huic tamen ſententiæ alii contradicunt, imprimis Johannes Bohnius *l. a. p. 142. ſqq.* ſupra allegatas & adductas rationes prolixè refutat. 1) Qvia lympha Ventriculi non eſt acida, ſiqvidem in animalium jejunorum & viventium diſſectis Ventriculis inſipida ſemper deguſtatur, aut levi tantùm ſalſedine tincta; neqve hæc alcalibus affuſa cum his effervеſcit, nec Syrupi Violarum colo- *Alii acidum negant.*

colorem cæruleum in rubedinem commutat. Et qvamvis interdum in canibus, pane fermentatô paſtis, acidum deprehendatur, non tamen eſt ſecundum naturam; qvod ad Helmontii paſſeres applicandum. 2) Volucres arenulas & lateres non tam pro acidô temperandô, qvàm granis devoratis commodiùs atterendis aſſumunt. 3) Non omnia in qvibuscunqve Ventriculis aceſcunt. 4) Nec acida indifferenter appetitum excitant, & acor Ventriculi peculiaris Chylificationem inſigniter turbat. 5) Ructûs ſignum laudabilis Ventriculi digeſtionis non ſunt. 6) Ructûs nidoroſos a materialium ingeſtione excitari, minùs univerſale phænomenon eſt. Imò limatura Martis cum ſimplici aqvâ macerata talem odorem ſpirat. Nec 7) lac potum & intra Ventriculum coagulatum, huic neceſſario & ſecundum naturam acidum inexiſtere, evincit. Porrò non omne, qvod vim ſolvendi habet, eandem per acorem exerit, qvatenus etiam alcalia, ſalſa ac ſulphurea potentiam menſtrualem posſident; Deniqve etiam Chylus non deprehenditur acidus. Has rationes etiam Georg. Philippus Nenterus *Phyſiol. Cap. 4. Membr. 4. p.m. 220. ſq.* contra Helmontium uſurpat, qvibus ultimô locô addit, qvod malè conſultum eſſet hominibus, ſi acidum chylificaret, qvantam enim potentiam habeant acida in lac chyli analogon, omnibus notum ſit: Chylus enim a Menſtruô hocce acidô ſummô cum periculô coagularetur. Eadem argumenta reperimus etiam in Dan. Tauvry *Anat. Part. 1. cap. 2. p. 31. ſeq.* ubi ſimul ad aliud argumentum, (ſcilicet qvòd Struthio cuprum deglutitum in Viride æris convertat,) ita reſpondet: Videmus cuprum aëri expoſitum ſuâ ſponte in Viride æris mutari, multô magis ergo ſubibit mutationem, qvando humores acres in illud agunt, aut qvando illud à parvulis ſilicibus in Stomachô exiſtentibus atteritur: qvam qvidem attritionem du Veurney clarisſimè demonſtravit in Struthione, qvi monetam complicatam deglutiverat; erant enim in parte concavâ Characteres omnes integri

&

& illibati, in altera verò parte attritioni expoſitâ penitus deleti. Prolixè etiam hoc Ventriculi Chylificationi inſerviens acidum refutat Henricus Meibomius *Diſp. all. de Chylificat.* §. *44. ſq.* ubi inter alia §. *49.* inqvit: Qvàm multa coagulantur ab acido, tantum abeſt ut ab eô ſolvantur. Ruſtici noſtri aliiqve, qvi lardo & pingvibus veſcuntur, alium certe ſuccum diſſolventem in Ventriculô habeant, neceſſe eſt, cùm vel tyronibus Chemicorum notum ſit, etiam fortiſſima acida nihil in pingvia agere, ſed potiùs ab illis infringi. Deinde §. *50.* inqvit: videmus plurima compactiſſima corpora â non acidis ſolvi, imò qvi in Chemiâ ſe Adeptos jactitant, Menſtruaqve univerſalia & Alcaheſt, de acidô non loqvuntur. Qvidſi igitur tale univerſale Menſtruum, ſed inſipidum, in Ventriculô qvoqve locatum ſit? Poſſem etiam oſtendere multos, ex illis corroſivis liqvoribus, qvorum vis in ſolvendô maxima eſt, parum habere aciditatis. Cùm âqvæ forti additur Sal Armoniacum, fitqve aqva Regis, non arbitror ejus creſcere acorem, creſcit tamen ſolvendi vis, ſolvitqve aurum, qvod antea non poterat. &c. v. etiam Guil. Cockburn *Oeconom. animal. p. 5. ſqq.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. med. Phyſiol. Theſ. II. fol. 86.* Journal des Sçavans *Tom. IV. An. 1676. p. m. 193. ſeq.* Item Johannes Andreas Stiſſerus *de Febb. intermittent. p. 29.* ſcribit: licet Ventriculi acidum in naturali conſtitutione doctiſſimi qvidam Viri pro fermentali legitimô agnoſcant, id ipſum tamen qvod morbos (e. g. febres intermittentes) inducit, pro ſanitatis cauſâ habere velle, non video, qvî poſſit fieri. Salinarum particularum demonſtratio ex Sudore, urinâ, ſangvine, ſpermate, nec minùs ex Salivâ peti poteſt, qvæ maſticationis ope primam ciborum præparationem perficiens & continuò in Ventriculum affluens cum fermentô Ventriculi maximam analogiam conſtituit, Caloris defectu, gelatinæ inſtar, hinc per chemicam analyſin & ignis torturam, Sal volatile alkalicæ virtutis, nunqvam verò acidum fundit. Et profectò ſi fermenti Ventriculi ἐνέργεια

&

& reſolvendi vis in acidô conſiſteret, qvid fieret ruſticis Brunſvicenſibus & Weſtphalis, qvi lardum in notabili qvantitate devorant: Acida enim qvævis, ex mineralibus licet per ignem expreſſa fortiſſima, in pingvia nihil agunt, adeò ut metalla pingvibus illita â corroſione aqvarum cauſticarum tueantur. Imò Liqvor ille Ventriculi digeſtivus acidô ſopore præternaturaliter jam imbutus, neqve debitam aſſumptorum reſolutionem perficit, neqve Ventriculo moram, coqvendi alias ſolitam permittit, dum interiorem ejus tunicam particularum ſuarum aciditate & acrimoniâ ſtimulat; hinc chylus debitô citiùs excluditur, qvi ſuperatô Pylorô ad Inteſtinum duodenum demiſſus accedentem liqvorem bilioſum alkalico-balſamicæ indolis aciditate corrumpit, deſtruens particulas ejus amaricantes, qvas provida natura pro ſecretione ſucci laudabilis & excrementitii conſtituerat. Nec minori labe alterum affluentem ſuccum pancreaticum afficit, cujus connatam naturalem dulcedinem aciditate ſuâ corrumpit & deniqve pravum Chyli ſuccum perficit. Hæc Stiſſerus, qvi ſeqventia ex aliis Autoribus refert, v.g. ex Majow: Ex obſervatione anatomicâ conſtat, acidum planè nullum in Stomachô ritè ſe habente hoſpitari, & qvod ad ructûs acidos attinet, iſti a cibis malè digeſtis, non verò a liqvore qvovis acidô naturali provenire videntur. Et ex Gliſſonio: non ad eſſentiam chyli reqviritur aciditas, ſed potiùs grata dulcedo, qvalis in lacte vel cremore deprehenditur. Imò tantum abeſt, ut aciditas ingrediatur naturalem Chyli Conſtitutionem, ut, qvando eminente gradu adeſt, eum plerumqve vitiet. Refert etiam Robertus Boyle *de Utilit. Philoſoph. natur. Part. 2. Exerc. 1. §. 31. p. 117.* ſe aciditatem ſtomachicam, cui digeſtionem primam nutrimentorum Animalium Medicis noſtris modernis attribuere placet, irritô conatu experiri conatum fuiſſe. Hunc Ventriculi liqvorem acidum eqvidem Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 1. cap. 11. p. 95.* exinde probare

probare conatur, qvia in omnibus animalibus, qvæ ipſi inſpicere licuit, glandulæ in Ventriculo, è qvibus humor acidus profluit â ſuccô heliotropii tactæ & immixtæ, ut & ipſe liqvor, ſtatim colorem rubrum contraxerint; hancqve ſolutionem verum eſſe criterium illius ſalis addit. Cui tamen aciditatis tam in ſalivâ, qvàm humore Ventriculi, annotato experimento, *in Sialolog. noſtr. Cap. 1. §. 9. p. 15.* alia Experimenta in contrarium oppoſuimus.

§. 30.

Alii Autores Caloris & Coctionis vim Chylificationis negotio inſufficientem judicantes, eandem per Fermentationem, qvalem in maſſæ panis præparatione & in Pharmacevticis qvotidie obſervamus, fieri Chylumqve produci autumant. Qvamvis enim Franciſcus Zypæus locô paulò ante allegatô ad Chylificationem Salivam & acidum qvendam liqvorem præſupponat; hæc tamen interim ſimul in Ventriculô perpetuum aliqvod fermentum conſtituere addit, qvô cibi imprægnati liberum materiæ ſubtili transfluxum denegant, adeòqve ab illâ vehementiùs motâ fermentationem ſeu conflictum aliqvem inter partes, qvô ſeſe comminuunt atteruntqve, ineunt. Fermentum Ventriculi qvodnam ſit, & unde veniat, & qvid ad Concoctionem conferat? vid. Theodor. Craan. *Oeconom. animal. Part. 1. Qvæſt. 17. p. 13.* Johannes Viridetus *de Ventric. Ferment. Part. 1. cap. 4. p. 32.* hanc ingeſtatorum mutationem expeditam in Chylum, & Fermentationi & diſſolutioni accenſet; ubi prolixè de hac fermentatione agit. *vid. etiam cap. 7. p. 49.* Et juxta Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 23.* coqvuntur in Ventriculô alimenta per modum fermentationis, ſicqve liqveſcunt, & Chylus ex iis educitur; qvam fermentationem ibidem explicat. De alimentorum Fermentatione in Ventriculo vid. Franciſc. Sylvii *Diſput. Medic. I. Edit. Amſtelod. p. 11. ſeq. & Diſp. 5. §. 43. ſq. p. 24.* Valentinus Andreas Mœllenbroc *de Var. Cap. 3.*

An â fermentatione? affirmatur.

§. *25. p. m. 38.* inqvit: Cibus per ſalivam & maſticationem alteratus ac in Ventriculum protruſus beneficio in Ventriculo contenti fermenti fermentatur, rarefit, & qvaſi ſpirituaſcit, atqve utplurimum in ſuccum album, cremori hordei ſimilem, qvi Chylus dicitur, vertitur. Secundum Nathan. Highmor. *de Affect. hypochondr. cap. 4. p. 168.* fit Concoctio in Ventriculô, fermenti naturalis ſubſidiô, â Calore blandô & moderatô, & incluſô cum ſufficienti humiditate, cibos comminuente, macerante & diſſolvente. Et *p. 172.* inqvit: ut feliciùs & citiùs exſeqvatur munus digeſtivum, hoc fermenti naturalis ſubſidium adjungitur, ut dehiſcant in minima, & pars ciborum liqvida incaleſcens, ad ſales diſſolvendos citiùs admittatur: facultas verò hæc fermentalis in Ventriculô, non liene reſidet. Gvaltherus Charleton *de Oeconom. anim. Exercit. 2.* §. *4. p. m. 19.* talem reqvirit fermentationem, qvalem in Vino, Cereviſia aliisqve ejusmodi liqvoribus, dùm defæcantur, obſervare eſt. Et juxta Joh. Muralt. *Vademec. Exerc. I. p. 4. ſq.* alimenta ore aſſumpta â Calore per fermentum ſpirituoſum & acidum, Ventriculi plicis impactum, & ſalivam continuô deglutitam, in materiam qvandam hordei Cremori ſimilem mutantur, qvæ alteratio Fermentatio dicitur, cujus ope partes ad ſeparationem vel diſponuntur, vel etiam â ſe invicem ſecedunt, id qvod patet in fermentatione muſti, ubi a Vino fæces fundum petentes, tartarusqve vaſorum parietibus adhæreſcens ſeparantur. &c. Humore fermentante Concoctionem abſolvi, ſtatuit etiam Michael Alberti *Introd. in Medicin. Cap. 7.* §. *93. p. 82.* vid. etiam Joh. Brœn *Medic. theoret.* §. *21. p. 12.* Fermentum Ventriculi qvoqve aliqvaliter admittit Johannes Gothofredus Bergerus *Phyſiolog. med. cap. 7. p. m. 132. ſeq.* lympha, inqviens, gaſtricâ ſuâ naturâ mitis vim ſepticam acqvirit macerandis diſſolvendisqve ac eliqvandis alimentis neceſſariam, qvam proinde Menſtrui, qvâ voce liqvores ſolventes barbarè appellamus, itemqve fermenti nomine,

qvod

qvod multi hîc oderunt iniqvè, jure inſignimus. Qvippe acie & elateriô liqvoris illius ac perſpirationis exagitata intus contentorum corpuſcula, pro varietate qvidem aſſumptorum plus minus fermenteſcunt. &c. Et Henricus Meibomius *Diſp. alleg.* §. *66. ſq.* lites inter Viros, ab utraqve parte præſtantes, qvi Fermentationem in Ventriculô fieri vel dicunt, vel negant, componere eqvidem non vult, non incommodè tamen illos loqvi ſtatuit, qvi maſſæ farinaceæ fermentationi hanc aſſimilant. Secundum verba Thomæ Cornelii, Conſentini, *Progym. 6. p. 235.* digeſtus in Ventriculô cibus fermenteſcere incipit: nimirum hæc una eſt præcipua eſcæ ad mutationem via, fermentatio. Eqvidem conſtat, ea omnia, qvibus animantes aluntur, ſuapte naturâ ad fermenteſcendum eſſe apta; qvin illa in Ventriculô faciliùs ſubigi, qvæ promptiùs fermentantur, &c. Hanc ciborum reſolutionem per modum qvendam Fermentationis fieri, defendit etiam Georgius Philippus Nenterus *Phyſiolog. cap. 4. p. m. 222.* qvamprimum, inqviens, cibi in Ventriculum deglutiti fuêre, ſingularem ſtatim odorem, qvalis in rebus fermentantibus obſervatur, ſpirant. Hæc tamen fermentatio ſatis eſt peculiaris, ita qvidem, ut etiam rebus ad fermentationem tantùm putredinoſam aptis alium ſtatim Characterem imprimat, & hoc modô præoccupet, qvò minùs putredinem concipere qveant: imò ſi etiam alia ingeſta ad fermentationem aliam prona ſunt, uti ſunt vegetabilia, ea in Ventriculô citò abſolvitur, & nihilominus tamen fermenteſcentia acida, ad qvam vegetabilia prona ſunt, itidem præcavetur: qvare ex hisce fermentationem hancce animalem præ aliis prorſus peculiare qvid obtinere apparet. Hanc ſententiam defendit etiam Johann. Jac. Waldſchmied *Inſtitut. Lib. I. cap. 3. p. m. 17.* item Joh. Conr. Barchuſ. *Acroamat. Diſſert. 32. p. 240. ſeqq.* Theod. Craan *de Hom. cap. 7. p. 29.*

§. 31.

Non a fermentatione.

Fermentationi tamen chylificatoriæ alii Autores variis rationibus contradicunt. Inqvit enim Gothofredus Mœbius *Fundam. Phyſiolog. cap. 10. p. 178. ſq.* Si Autores talem intelligunt in Ventriculô fermentationem, qvalis fit in ſuccis fructuum expreſſis, muſto, &c. item in Cereviſiâ, ſeminibus plantisve, Chymicorum ritu, non parum errare videntur. Etenim 1) ſæpe oleum, butyrum, caro pingvior aliaqve adipoſa Stomachi cucurbitæ includuntur, qvæ tamen omnia ad fermentandum non ſatis apta. Hinc præſervaturi muſtum â ſuâ ebullitione, fruſtum lardi dolio immittunt & ita diu fermenti vires ſuſpendunt. 2) Si rei fermentandæ Sal paulò largius miſcemus, omnem vel ſufflaminamus, vel planè tollimus fermentationem. Nullum autem cibum aſſumimus, qvi non ſale ſit conditus. Ut de carnibus ſalitis fumoqve induratis, item de halecibus, taceamus. 3) Oſſa canis rodit, lupus carnes putridas devorat: fermentationem autem in iſtis poſſibilem aliqvis demonſtret! Oſſa qvidem Menſtruô corroſivô in liqvorem abeunt, ſed non tam facilè ſunt fermentationis vulgaris capacia. Res verò ſemel putredine infecta a fermentatione aliena eſt. 4) Acetum rei fermentandæ affuſurus corroſionem qvidem, ſed nullam veram fermentationem videbit. At qvàm ſæpe cibos cum acetô comedimus. 5) Idem valet de ſpiritibus acidis, v. g. Vitrioli, Salis, Sulphuris, Nitri, qvi nihilominus pro appetitûs ſuſcitabulis deprædicantur. &c. Secundum Jo. Bohn. *Circul. p. 146.* huic fermentationi duo præprimis obſtant, qvòd, qvæ valde fermenteſcibilia, Chylo laudabili conſtituendo vix adeò apta obſerventur, minùs autem fermenteſcibilia in Chylum commodè abeant. Probabile eqvidem eſſet, illa alimenta, qvæ fermentationem facilè ſubeunt, qvam citiſſimè etiam digeri, & in laudabilem Chylum converti; contrarium tamen teſtantur fructus horarii, muſtum, ſimiliaqve ad fermenteſcendum maximè prona, qvæ non tantum

tùm præ aliis non citiùs digeruntur, ſed etiam ructûs, anxietates, tormina, qvæ de turbatâ Chylificatione teſtantur, excitare ſolent. Sic pingvia, carnes, morticinæ putreſcentes minùs fermenteſcibilia in Chylum nihilominus abeunt. Qvò etiam ſpectat Panis probe fermentatus, qvi evpeptus maximè obſervatur; & pecora â capite mortuô frumenti, vel pro aqvâ ardente, vel cereviſiâ parandæ, fermentati, & ad ulteriorem fermentationem inepti, pingveſcunt, item ſues ex ſtercoribus aliorum animalium. Imò, qvod aliqvoties tentavit Bohnius, alimenta cujuscunqve generis digeſta, ex animalium vivorum ventriculis protracta & deſtillationi convenienti commiſſa, ne tantillum Spiritus ſulphurei fundunt. Unde concludit idem Autor, fermentationem aut nullam in Ventriculô contingere, aut ſiqva eſſet, neqvaqvam concipiendam vulgarem, ſed forſan planè aliam & abuſivè ſic dictam. Adverſus Fermentationem Chymicam Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Theſ. II. Oper. Tom. I. f. 89.* hanc qvoqve rationem adducit: qvòd aëris liberior acceſſus ad maſſam ciborum in ſtomachô latitantem non detur, ſine qvô tamen nulla fermentatio ſperanda. Suſpecta qvoqve & impoſſibilis videtur Chylificatio per Fermentationem Johanni Georgio Volckamero, qvia nec loci commoditas, aut fermenti in ſtomachô abſentia talem admittit. Membranoſa ſtomachi conſtitutio qvomodo acorem iſtum, fermenti fundamen generabit? Aut ſi generatum adeſſet fermentum, certum & conſtitutum reqvireretur tempus, qvô maſſa in ſtomachum ingeſta ſatis efferbuerit. Qvis vero utriqve ſtomachi orificio tantum judicii affinget, ut, donec perfectè fermentata fuerit maſſa illa, eadem occluſa manerent: tunc poſt conſummatam illam alimenti elaborationem inferius ſtomachi guttur ſeſe aperiret, & cum impetu per inteſtina tenuia ad Colon usqve illa præcipitaret. Adhæc, cùm nulla fermentatio absqve extenſione qvadam conſiſtere qveat, ſicut dolia muſto repleta,

ſi arctè claudantur, rumpuntur, nec illud intra limites ſuos contineri poteſt: qvid incommodi accidet ſtomacho utrinqve exactè clauſo, ſi talis in eô effervеſcentia contingeret? Vel enim levis flatus in ſtomachô contentus per eructationem viam ſibi qværit: qvot verò ructûs homini moleſtiam parient, dum flatulenta iſta fermentatio in ſtomachô locum haberet? *v. M.N.C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 17. p. 56. ſq.* Contra Chylificationem per fermentum ſcripſit etiam Autor Gallicus nomine Hecqvetus Tr. de la Digeſtion & des Maladies de l'Eſtomac, in cujus *Part. I. c. 4.* ſano corpore exiſtente nullam fermentationem locum invenire defendit, & qvidem rationibus a ſangvinis puritate & motu circulatoriô deſumptis &c. *v. Act. Erudit. Lipſ. An. 1714. Menſ. April. p. 174. ſeq.* In ſpecie menſtruum ſtomachale nullum obtinere Fermentum acidum, *vid. p. 177.* functio enim Ventriculi conſiſtit in digeſtione, qvæ nihil aliud eſt, qvam ſolutio: hæc enim mollia ſolum reſpicit, cùm econtrario acidum duris corrodendis & diſſolvendis dicatum induret mollia, inſpiſſet liqvida, figat craſſa, & lactea coagulet. Inqvit etiam Georgius Entius *de Circulat. Sangv. Digreſſ. 6. p. m. 207.* ego, ut hîc libere dicam, qvod ſentio, fermentationem illam πολυθρύλλητον in Ventriculo (cunctis ſeſe ordinatè habentibus) neqvaqvam agnoſcô: fitqve ſolum, ubi adeſt, ob moram nimiam chyli in Ventriculô; atqve etiam ab acidis humoribus ructus aliaqve incommoda afferentibus, cum ipſamet Concoctio â Cibi manducati lentâ colliqvatione procedat. Reperiri acidum qvoddam phlegma in qvamplurimorum Ventriculis animalium lubens concedit Gualterus Charleton *de Catamen. p. m. 71. ſqq.* nec inficiatur, idem menſtrui ad inſtar, ad ſolidorum ciborum, in Ventriculi cavitatem exceptorum, liqvationem ac diſſolutionem aliqvatenus conducere poſſe: utpote qvod qvalitate qvadam incidente penetranteqve ac diſſolvente manifeſtò præditum eſt. Illud tamen pernegat, idem phlegma

aut

aut verum eſſe fermentum, aut ad genuinorum fermentorum naturam ac proprietates, operandi modô, tam propè accedere, ut idcircô mereatur in illorum claſſem cenſeri. Alimentorum namqve ſolidorum liqvatio illa, ſive contabeſcentia, qvæ Chylificatio dicitur, qvamqve Fermentationi vulgô adſcribunt, in Ventriculô perfici videtur motibus qvibusdam placidis, lenibus & ſemper (in ſtatu ſanitatis) imperceptibilibus, non autem cum violentis illis motionibus ac irreqvietis exagitationibus, qvæ â nullô non fermentô, dum in actum erumpit, profluunt omnemqve fermentationem inſeparabiliter comitantur. Non liqvet itaqve, ullum aut Ventriculo ineſſe, aut ad Cibos in eum ingeſtos per modum fermentationis tumultuoſè diſſolvendos reqviri fermentum &c. vid. etiam Joh. Frid. Ortlob. *Hiſt. Port. Diſſ. 6. §. 8. p. 45.* ubi in hac motione multum homonymiæ latere, ideoqve commodiùs ab eadem abſtinendum eſſe dicit, præſertim cùm Chylus ex nulla fermentationis ſpecie procedat. vid. qvoqve Petr. Linſing. *Inſtitut. p. 76.*

§. 32.

Novus eqvidem Autor, Jacobus Vercelloni, cujus jam ſupra mentionem fecimus, Chylificationem per fermentum digeſtivum & ſolutivum â variis Oeſophagi glandulis variisqve in his ſeparatis liqvoribus, v. g. volatili oleoſo, ſalinô ſulphureô, acidô volatili & alcalicô, item ſalſô armoniacali urinoſô, acri fixô, &c. explicare conatur. Et qvia fermentatio nihilominus ad Chylificationem non omnino ſufficiat, ſed & cibi ac potus ingeſtorum talis demum transmutatio ſimul reqviratur, in qvâ chylo qvoqve vitalis imprimeretur character, dictus Autor, repudiatis ſpiritibus animalibus, ad vermes horumqve ova ita delabitur, ut ſuccum nutritium in vegetabilibus & Chylum in multis brutis a vermibus, in hominibus autem ab horum ovis, ſolummodo per glandulæ bronchialis fiſtulas ad gulam inſpirandis, vivificari aſſeveret, ipſamqve glandulam thyroideam *A fermento & Vermibus.*

roideam pro ovario cunctorum vermium, â præternaturali ovorum fœcundatione in corpore noſtrô propullulantium, multas ob rationes venditet. Num autem allegatus Autor in Oeſophagi glandularum ſtructurâ earumqve canaliculis, nec non in duobus fermentis digeſtivis, ſolutivô alterô, alterô transmutativô, deſcribendis, veritati magis litaverit, an imaginationi, Lectori judicandum reliqvunt Domini Collectores Actorum Eruditorum Lipſienſium, *Supplement. Tom. VI. Sect. 6. p. m. 264. ſeq.*

§. 33.

à Putrefactione & aliis cauſis.

Nonnulli etiam Autores Chylificationem a Putrefactione, nonnulli a bile, alii a ſpiritibus, alii a Liene & ſuccô melancholicô, alii â ſolâ tunicarum Ventriculi attritione &c. deducunt; qvibus tamen alii contradicunt. vid. Joh. Viridet. *de Ferment. Ventric. Part. I. cap. 3. p. 15. ſeq. & 20. ſeqq.* Mart. Liſter. *de Therm. Exercit. 2. p. m. 86.* Gvil. Cockborn. *Oecon. animal. p. 11. 14. ſeq.* Gothofr. Mœb. *Phyſiol. pag. 170. ſeq.* Chriſt. Joh. Lang. *Phyſiol. Theſ. II. fol. 85. ſeq.* Varias opiniones refert Johannes Gothofr. Bergerus *Phyſiolog. med. cap. 7. p. 179. ſeq.* Heinr. Meibom. *Diſp. de Chylific. §. 4. ſeqq. Act. Eruditor. Lipſ. 1714. Menſ. April. p. 177.* ubi Hêqvet ſtatuit, alimenta mediante trituratione in ventriculô digeri. Cùm nonnulli, uti jam dixit, ventriculi digeſtionem, qvæ propriè eſt diſſolutio ſeu ſeparatio alimentorum in adeò parvas particulas, qvæ aptæ ſint, ut vaſa lactea commodè intrare atqve cum maſſâ ſangvineâ circulari qveant, ſpiritibus adſcribant, exinde fortaſſe qvoqve factum eſt, qvòd ſæpius a qvibusdam potulenta ſpirituoſa ſimul cum cibis pro meliori digeſtione ſvadeantur atqve aſſumantur, qvibus tamen alii potum tenuem & aqvam præferunt, uti ex Jacobi Keill. Anatomia Corporis humani recenſent Acta Erudit. Lipſ. *Supplement. Tom. VII. Sect. 6. p. 263.* his verbis: Cùm maximam partem præter ſalivam & humorem gaſtricum liqvores,

res, qvos pro potu aſſumimus, digeſtionem ſtomachi præſtent, illa potulenta ad hanc actionem promovendam idonea judicat, qvæ ſummè fluida omniqve viſciditate expertia exiſtunt, inter qvæ aqvâ nullus commodior datur liqvor. Qvanqvam autem qvædam ſpirituoſa & generoſa potulenta ciborum ſubſtantiam penetrent, talem tamen hæc poſſidere ſimul dicit qvalitatem, qvæ tantum abſit, ut digeſtionem promoveant, ut eandem potiùs inſigniter ſufflaminent; ob validam enim vim attractivam, qvâ gaudent, magis ea moleculas alimentorum combinare & indurare, qvàm ut easdem diſſocient. Et ſi vel maximè digeſtionem qvandoqve adjuvare obſerventur, id tamen non alimenta diſſolvendo, qvàm tunicas Ventriculi ad validiùs ſubeundam contractionem irritando efficere; hocqve in caſu non ſolum proficua, ſed maximè neceſſaria fore &c. Annon autem a tali fortiori tunicarum Ventriculi Contractione, v. g. â Spiritu Vini vel Vinô generoſiore ſtimulatâ, Cibi aſſumpti, ad qvorum Concoctionem certa mora reqviritur, eô celeriùs atqve nondum bene digeſti ex Ventriculô ad Inteſtina propellantur, atqve pravam Chylificationem cauſentur, non dubito.

§. 34.

Pleriqve autem recentiorum Chylificationem non per eſſentialem qvandam tranſmutationem, ſed per meram ſecretionem ſeu extractionem, & qvidem mediante certô atqve cum Salivâ conveniente liqvore inſipidô vel ſubſalſô (qvem Menſtruum univerſale dicunt) ex glandulis Ventriculi ſtillante, fieri defendunt, â qvâ tamen extractione neqve ſalivam, neqve calorem, nec Ventriculi motum conſtrictorium, attritionem ac macerationem minimè excludunt. Inqvit ſcilicet Johannes Bohnius *l. a. p. 147.* Chylificationis formalitatem non transmutatione qvadam abſolvi, ſed conſiſtere illam primariò & immediatè in liqvoris ventriculi cum particulis alimentorum laudabilium ſeu congruarum combinatione ſeu eductione, qvod extractum, *per Extractionem.*

 a fæcibus

a fæcibus liberatum, Chylus ſive chymus potiùs, dicitur. Qvô locô dictus Autor liqvorem Ventriculi & alia ad Chylificationem pertinentia prolixiùs explicat. Multis etiam rationibus hanc ſententiam defendit Chriſtianus Johannes Langius *Phyſiolog. Theſ. II. Oper. Tom. I. f. 84. ſqq.* Et juxta Johann. Frider. Ortlobii *Hiſtor. Part. Diſſert. 6. §. 9. ſq. p. 46.* ideo Chylificatio dici poteſt ſolutio, qvia revera alimentorum nexus â ſolvente qvodam naturali diſſolvitur, ſiqvidem Brunnerus in ſerpentum ventriculis non tantùm invenit alimenta in liqvamen mucilaginoſum reſoluta, ſed etiam pedes ranarum, qvos deglutiverant, ex parte abiiſſe in mucum, qvâ Ventriculo immergebantur, alterâ, qvâ prominebant, liberos & incorruptos fuiſſe. Pariter in Noctuâ qvoqve deprehendit ranæ tibias in gulâ hærentis ſimiliter integras, femora verò in liqvamen abiiſſe ventriculo immerſa, imò oſſa qvoqve filorum inſtar extenuata fuiſſe. Qvô ſimul exemplô confirmatur, non animæ ſenſitivæ opus hoc eſſe, ſed organorum & ſolventium habitudinem, qvatenus illi facile fuiſſet, & eminentes ex ventriculo partes aggredi, qvæ intactæ manſerant, qvòd non in genuinô eſſent organo, neqve debito paterent ſolventi. At qvia non in eô noſtra Chyloſis terminatur, ſed ſingularia aliqva adhuc obtinet, qvatenus non totum concretum reſolutum, ſed qvædam tantùm ejus partes, excluſis reliqvis, â menſtruô retinentur; per ſpecialem qvandam ſolutionis actionem determinanda erit. Itaqve non incongruè dici poſſet Extractio, qvemadmodum enim in hac â ſolvente qvodam congruô, maſſæ cuidam ſuperfuſô, non modò tota illius compages reſolvitur, ſed qvædam partes ex eâ ſolutæ, cum menſtruô conjunguntur, & a reliqvis, qvæ remanent, & ad combinationem ineptæ ſunt, decantatione, aut qvavis aliâ enchireſi, ſeparari poſſunt, qvod Infuſorum, Tincturarum, Eſſentiarum &c. elaboratio docet; ita etiam in chylificatione â ſerô in Ventriculô alimenta diſcontinuantur, ut

qvædam partes Chylum conſtituturæ cum eodem coëant, qvædam tanqvam excrementitiæ & ad unionem ineptæ, remaneant, deinceps iterum rejiciendæ. Verum pluribus adhuc circumſtantiis qvadrat cum eâ Extractionis ſpecie, qvæ in Emulſionibus parandis adhiberi ſolet. Scilicet in eâ Semina & nuclei vegetabilium aqvæ affuſione, & continuâ externi motoris contritione & agitatione ita adaptantur, ut oleoſæ particulæ hac ratione evolutæ aqveis accedant, atqve lacteum liqvorem conſtituant, craſſioribus & terreſtribus magis, ex corticibus fortè diffractis, relictis. Pari ratione in Chyloſi agitur, Concreta cum menſtruô, plus tamen, qvàm aqveô mero, ope præſertim agitationis, ex continuô Ventriculi motu reſultantis, ſubiguntur, atteruntur, ut gelatinoſæ cum iisdem unitæ Chylum albicantem efficiant, reliqvæ verò, tanqvam excrementitiæ & minùs congruæ, rejiciantur. Accedit, qvòd etiam eidem Emulſionis ſpeciei comparare non repugnet, qvæ ex Reſinis, interveniente qvodam viſcidô, paratur, nam & hîc viſcidæ ſalivæ partes eidem muneri deſtinantur. Diffiteri tamen non poſſumus, etiam hîc qvasdam circumſtantias inveniri, qvæ fortè in his operationibus artificialibus non exprimuntur, qvod in animali vivente, diverſis coagentibus Organis, ſingulari â ſolvente noſtra actio inſtituatur, adeoqve peculiaris etiam haberi debeat.

§. 35.

Hos tamen differentes variorum Autorum de Chylificatione Opiniones Elias Camerarius *Medicin. conciliatric. cap. 4. p. m. 85.* ſeqventibus verbis conciliari poſſe docet: Circa maſticationem cibi ejusqvè deglutitionem ſeu detruſionem ad Ventriculum conſenſus ferè univerſalis eſt, non verò circa Chyli in Ventriculô præparationem, aliis coctioni, aliis extractioni, digeſtioni & ſolutioni, aliis fermentationi, aliis trituræ, conſideratis ad anologiam Ventriculorum avium, fibris Ventriculi *Autorum Conciliatio.*

 humani

humani motricibus, Chylificationem comparantibus, qvæ prolixiùs apud Autores videantur. Hîc Studioſus inter iſta ſententiarum divortia conſtitutus, qvò ſe vertat, vix cognoſcere poteſt, cùm & veterum coctionem explodi, & modernos tamen non conſentire videat; Salva autem res eſt facileqve ſe extricabit, ſi omnes illos modos combinaverit; imò & Veterum mentem intelliget circa facultatem coctricem, retentricem, expultricem, qvos eorum terminos non riſu excipiet, ſed applicatione benignâ dignabitur, cùm maximè cum muſculoſâ Ventriculi ſtructurâ conſpirent, atqve ab illâ lucem accipiant non mediocrem. Et cùm audiat, in ſubſidium vocari calorem, ab aliis menſtruum, ab aliis effluvia viſcerum vicinorum, cùm omnibus illis ſentiet, rem ita concipiens, ut ſub diverſis iſtis nominibus res eadem lateat. Coqvitur omnino Cibus â leni hoc calore, digeritur in retortâ hac animali ſeu Ventriculô, cum Menſtruô Ventriculi, ſeu lymphâ ex illius glandulis ſtillante, qvæ ſalina ſpicula in receſſu habet & cum ſalivâ convenit. A menſtruô hoc gummoſo-gelatinoſô congruæ & nutritioni aptæ ciborum comminutorum partes ſolvuntur, atqve â reliqvis ſeparantur; fit extractio propriè ſic dictâ lymphâ ſeu menſtruô iſtas partes imbibente, qvod ſine concitatiore motu partium inteſtinô fieri neqvit, qvem more modernis conſvetô poteris congruè vocare Fermentationem: & dubitandum planè non eſt, motum Ventriculi conſtrictorium & periſtalticum non per Pylorum modò Chymum, ut vocare qvidam amant confuſam maſſam, extrudere, ſed & trituram qvendam ciborum efficere, eos atterere, menſtruum penitiùs adigendo & intimiùs impellendo extractionem molecularum chyloſarum facilitare; ut hinc compareat, qvàm egregiè iſtæ variæ opiniones conſpirent: cùmqve earum ſingulæ rem minùs explicare valeant, qvàm plenè eam junctæ declarent.

§. 36. In

§. 36.

In Ventriculô proinde maximam partem elaboratus fecibusqve ſuis adhuc commixtus Chymus ſeu Chylus, ſecundum pleroſqve Autores, tum mediante contractione ſeu motu periſtalticô Ventriculi & Inteſtinorum, tum perpetuâ compresſione abdominis & indeſinenti ſtrictura Meſenterii per orificium inferius (qvod non tam ratione ſitûs, qvàm uſus ita vocare libet) ad Inteſtina detruditur; vel, juxta ſententiam Johannis Georgii Volckameri, liqvidum qvod eſt, attollit maſticatum cibum ſive cremorem, qvi paulatim contrahente ſe ſuperiori orificiô per Pylorum, paris cum inferiore altitudinis, qvaſi bolus poſt bolum extruditur ad Inteſtina tenuia, in qvibus bilis & ſucci pancreatici affluxu ab impuritatibus depuratur, atqve dehinc ſub colore lactei liqvoris per vaſa lactea ad certam ciſternam, ſeu chyli receptaculum, dehinc per ductum thoracicum, pro hominis nutrimentô ad maſſam ſangvineam defertur, de qvâ materiâ paulò poſt acturi ſumus. *vid. Cap. VIII.* §. *62.* ubi plura de Chyli colore. *Chyli e Ventriculo egreſſus.*

§. 37.

Hac tamen viâ regiâ non contenti alii Autores ſubtiliores atqve ſpirituoſas Chyli partes per certos ventriculi poros immediatè, & intactis Inteſtinis, ad humorum maſſam ferri ſtatuunt. Diverſos autem in corporis partibus dari poros pro certô habet Theodorus Craan *de Homin. cap. 7. p. m. 25.* dantur, inqviens, partes corporis noſtri qvædam, qvæ habent poros foras intrò ſpectantes, aliæ intrò foras; aliæ verò intrò foras & foras intrò ſimul ſpectantes. Tales Ventriculi poros defendunt imprimis recentiores Anatomici, v. g. Fridericus Ruyſchius *Theſ. anat. II. p. 29. ſeq.* ſtomachum ſiſtit humanum ita inverſum, ut ſuperficies interior ſit facta exterior. In eô non ſolùm innumeri occurrunt pori viſibiles, qvemadmodum *Tab. V. fig. 2.* delineandos curavit, ſed etiam innumeræ & minutiſſimæ celluloſæ *an per poros Ventriculi?*

loſæ intercapedines qvadrangulares, diverſæ magnitudinis analogiam habentes cum iſtis, qvæ in ſtomachô vitulinô reperiuntur. Hos porulos etiam confirmat Raymundus Vieuſſens *Nov. Vaſor. Corp. hum. Syſtem. p. 30. ſeq.* his verbis: Stomachum è Cadavere filiæ annum octavum agentis exemi unà cum majori omenti parte. Strictô filô ligatis Pylorô & craſſioribus ramis ſangviductuum binarum ejusmodi partium, totam primæ cavitatem, frigidâ priùs deterſam, ſpiritu vini croceô colore tinctô replevi. Poſtea verò ſuperius orificium ejus filô perſtrinxi. His peractis, intra duas circiter horas non modò ſtomachi parietes eundem aſſumpſerunt colorem, ſed unô eodemqve tempore tum ſangvifera viſceris illius, tum ſangvifera qvoqve & adipoſa omenti vaſa flaveſcere cœperunt. Poſt viginti qvatuor horas flavum, qvem in primum ciborum receptaculum intruſeram, ſpiritum vini vacuavi; ipſummet receptaculum flatu, qvantum potui, dilatavi, filôqve arctiſſimè ligatis binis ejus orificiis, illud aëri ſicciſſimo expoſui. Biduô elapſô penitiorem ejus ſtructuram accuratiſſimè nudis oculis exploravi, & in eâ explorandâ omnia & ſingula illius vaſa ſpiritum vini admiſiſſe deprehendi. Veruntamen omnia non æqvaliter crocea evaſerant &c. Ex jam dictis clarè intelligitur, ſtomachum non modò primum receptaculum, ſed & primum alimentorum colum eſſe, ac proinde inteſtina ipſi ſtructurâ valde aſſimilia, eorundem alimentorum ſecundarii receptaculi, nec non ſecundarii Coli vices gerere. *Et p. 33.* ſeqvens Experimentum recenſet: Exemptum è Cadavere viri, trigeſimum circiter annum agentis, Stomachum omentô ſemotô, inverti, ligatôqve pylorô, totam illius Cavitatem ſpiritu vini tinctô colore croceô valde ſaturatô replevi; poſtmodum verò ſuperiori ejus orificiô arctè perſtrictô, illum in aëre ſuſpendi. Cùm primum ſuſpenſus fuit, minimæ flexibilesqve contenti intra ipſum ſpiritûs vini partes in vaſorum ejus interſtitia ita ſeſe inſinuàverunt, ut illum è lateribus hujusce viſceris,

ce viſceris, ſudoris inſtar, ſenſibiliter effluentem, & è fundo illius guttatim in ſubjectum ipſi terreum vas exſtillantem viderim: adeò ut intra duodecim horas ne una qvidem ipſius gutta in cavô Stomachi ſuperfuerit. In viſcere hoc perſpiciendô, primùm externam illius ſuperficiem, qvæ ante inverſionem ejus interna erat, ubivis inæqvalem eſſe deprehendi; ſiqvidem in eâ, præſertim anteqvam aëre multum exſiccaretur, indefinita prominebant exiguiſſima corpora globoſa, ſibi invicem adjacentia, qvæ nihil aliud erant, qvam ſecretoria ipſiusmet Stomachi vaſa undiqve ſpiritu vini ſupra modum coarctata. Ex his iterum concludit dictus Vieuſſens, nullum eſſe dubium, qvin nova à ſe propoſita explanataqve via, qvam ſubtiliores corporum omnium in ſtomachum ingeſtorum partes ineunt, veriſſima ſit.

§. 38.

Ventriculi poris duplicem adſcribit uſum Theodorus Craan *de Homin. Cap. 7.* ſiqvidem *p. 24.* vapores varios ex viſceribus exhalatos per poros foràs retrò ſpectantes in Ventriculum ruere atqve ibi Coctionem juvare inqvit. Et *p. 50.* Vapores ex Ventriculi poris, poſt paſtum, intra abdominis cavitatem expelli eamqve diſtendere ſcribit. Alii verò per Ventriculi poros ſubtiliores Chyli partes vel tenuem ſuccum alimentarium, ſtatim ad humorum maſſam deferri putant. Siqvidem ſecundum Thom. Cornelii, Conſent. *Progymn. phyſ. 6. p. 241.* ut primùm cibus in alvo confici liqvariqve cœpit, ſtatim ſuccus qvidam â reliqvâ maſſâ ſecretus, partim in foraminula, per interiorem Ventriculi tunicam hiantia inſinuatur, partim qvoqve ad Inteſtina detruditur, &c. Inqvit etiam Georgius Entius *Animadv. in Thruſton. Op. p. m. 430.* ſibi videri vero ſimile, tenuem illum humorem, alendo Corpori deſtinatum, ê Ventriculô ac Inteſtinis per exiles concavasqve fibrillas (è qvibus totum ferè corpus contexitur) ad partes nutriendas transmitti. *Pororum Ventriculi uſus.*

Et *p. 433.*

Et *p. 433.* ait: Corpus animalis, ferè retis ad modum, ex concavis fibrillis texitur, qvarum cavos tubulos, plantarum more, ſuccus nutritius perlabitur, in ſpatiis autem intermediis arteriæ venæqve choream ſuam exercent. Utrobiqve per exiles villos, in interiore Ventriculi atqve Inteſtinorum tunicâ lanuginoſâ conſpicuos, nutritionis materia imbibitur. Tranſit nimirum Chylus per venas lacteas ad Receptaculum, indeqve per ductum thoracicum ad Cor perreptat, ut ſangvini ſuppetias ferat. Tranſit alia Chyli portio, & qvidem tenuior in canaliculatas jam dictas fibras, magnæ Corporis parti commeatum ſuffectura. Prior ſuccus communiter eſt craſſior, qvod patentiores ſint meatûs, alter verò ob viarum anguſtias tenuis eſt ac fluidus. *vid. etiam p. 438. 440.* Exemplo Virginis macilentæ alimenta aſſumpta citò Vomitu rejicientis in hac ſententiâ, cui aliàs plurimi contrariantur, ſe confirmari ſcribit Emanuel Kœnig, nimirum partes alimentorum & maſſæ chyloſæ, in Ventriculô, ceu matraciô digeſtæ & in partes minutas diviſæ, ſubtiliores ac ſpirituoſiores, vaſa ingredi capillaria, inibi copioſiſſima, ita ut etiam absqve tranſitu venarum lactearum ſangvini, ad vigorem ipſi inſpirandum, communicentur, maximè qvia tales partes alimentorum minimæ jam diſpoſitæ ſunt ad corporis refectionem, & earum correctio per tubos inteſtinales & alias vias minimè neceſſaria eſt; imò hæc virgo vitam tamdiu protrahere non potuiſſet, niſi ſangvis taliter in vitali robore conſervatus fuiſſet. *v. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 94. p. 100.* Item Georgius Frid. Francus de Franckenau non impoſſibile judicat, ſubtiliorem ſaltem alimentorum partem per Ventriculi poros ejusqve tunicarum rarefactam texturam Vaſis ſangvineis non minùs qvam nervis communicari. *v. Act. Erudit. Lipſ. An. 1717. p. 27.* Certas autem venas lacteas a Ventriculi fundô ortas in omentô ſecundum ejus longitudinem decurrentes ſe in cane nuper paſtô obſervaſſe, ſcribit Thomas Whartonus *Adenograph. cap. 12.*

cap. 12. p. m. 58. ubi plura. Ab ejus venis lacteis in Omentô ruptis Hydropem qvandoqve oriri ſcribit Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 3. cap. 9. p. m. 493.* ubi potulenta per omentum ad renes pervenire ſuſpicatur. Multa etiam de humiditate ex Stomachô in Omentum transeunte commentatus eſt Johannes Georgius Volckamerus *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 17. & Schol. p. 54. ſq.* Huc pertinet etiam Obſervatio Salomonis Reiſelii de nobiliſſimâ muliere aliqvot annos Ventrem tumidum ſupra modum gerente. In hac ſcilicet inveniebatur Omentum conglobatum, pendens viginti ſex libras multis glandulis differtum, qvæ exceperant lac amygdalinum, qvô uſa fuit per annum & diutius ſingulis diebus, *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 28. p. 68.* Circa has tamen venas lacteas alii Autores adhuc dubitare videntur, ſiqvidem an unqvam Vaſa lactea circa ventriculum conſpiciantur, nec affirmare nec negare vult Johannes Bohnius *Circul. Anat. phyſiol. Progym. 10. p. 142.* Secundum Joh. Conrad. Beyer de *Glandul. Inteſtin. p. 4.* Vaſa lactea è ventriculô nulla egrediuntur; neqve etiam in brutorum viviſectionibus, qvocunqve â paſtu tempore factis, chylum candidum atqve ſincerum in Ventriculo fuiſſe unqvam repertum, evinci poteſt. vid. etiam Isbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap. 7. fol. 32.* Et juxta Carol. Drelincourt *Experim. Anat. Canicid. 11. §. 9. p. m. 37.* Lacteis Ventriculus, craſſaqve Inteſtina carent omnino; abſit enim, ut vel nervorum fila, vel exſangves arteriolæ, quæ prima fronte lacteas mentiuntur, oculatos ullos deludant. Pluribus etiam de hac materia D. d. in Urologia, de Urina potûs agemus.

§. 39.

Ratione temporis Chylificationis, ſeu qvamdiu illa duret, negandum non eſt, ex variis cauſis cibum præ cibô citiùs & faciliùs, vel tardiùs in Ventriculô concoqvi, nec omnibus eandem in Stomachô concedi moram, v. g. humida utiqve faci- *Chylificationis duratio.*

 lius,

lius, qvàm ſicca, magisqve difficiliùs fumô indurata, item alia, qvæ propter texturam ſuam non facilè ſolvuntur, qvalia ſunt membranæ & membranacea, digeri poſſunt ac ſolent. Deinde etiam differt Chylificationis tempus ratione qvantitatis & ipſius comedentis &c. De hac materia ita loqvitur Johannes Walæus: In Ventriculô commutationem æqve citò omnis cibus non accipit; peragitur ea breviori morâ de die in paucô cibô, in tenui beneqve maſticatô; longius tempus expoſcit noctu, magnâ copiâ, craſſus cibus, magnis fruſtis deglutitus: adeò ut dentibus bene comminutus in cremorem mutari incipiat, qvando is etiamnum ſolidus eſt, qvi majoribus eſt devoratus. Lac juſculaqve de die, horæ ſpatiô aut citiùs ſuam perfectionem accipiunt, & niſi aliud impediat, tum qvoqve diſtribuuntur; qvod vel urinæ emictio evidenter oſtendit; tardius olera. Panis ratione concoctionis medium videtur ſubſtantiæ modum habere; videre autem eſt, eum primâ horâ cum dimidiâ imminutari qvàm minimum, ſeqventi horâ rarum & prorſus madidæ ſpongiæ ſimilem fieri; eâ elapſâ in minima dividi ſtruſtilla, & potui permixtum totum liqvidum apparere; mox maximè concoqvi, ac tandem, qvod è pane concoctum eſt, inter qvartam qvintamqve ab aſſumptione horam, per pylorum â Ventriculô ad inteſtina propelli; Remanere verò aliqvid â pane reliqvum, & illud ſenſim debitam perfectionem accipere, ut etſi qvis alius cibus cum pane fortè ingeſtus ſit, qvi eo concoctu ſit difficilior: qvos hoc animadvertimus ordine concoqvi: Primum Legumina, inde piſces, mox carnes, & eas demum intra ſextam ſeptimamqve horam perfici & excerni: bubulam intra ſeptimam & octavam: etiamnum tardius earum partes membranoſas & ovorum teſtas; oſſa in tertium usqve diem manſiſſe in Ventriculô, & interea facta eſſe cartilaginea vidimus &c. v. Joh. Walæi *Epiſt. ad Thom. Bartholin. de Motu Chyl. in Walæi Oper. p. m. 225. ſeq.* vid. inſuper Isbrand. de Diemerbr. *Anatom.*

Lib.

Lib. I. cap. 7. fol. m. 27. ſeq. Joh. Bohn. *l. a. p. 151.* Gvalt. Charlet. *Oecon. animal. Exerc. 2. p. 20. ſq.* Jo. Frid. Ortlob. *l. a. Diſſ. 6. p. 42.* Utrum hyeme ventriculus ſit calidior, ideoqve cibos meliùs digerat, vid. Georg. Franci de Franckenau *Satyr. med. I. pag. 2. & 26.*

§. 40.

Qvandoqve tamen cibi etiam ordinarii nimis diu absqve diſſolutione in ventriculô morantur, uti annotavit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anatom. Obſ. 6. p. 19.* de fabri cujusdam filiô, qvi decem uvas, poſtqvam ultra tres menſes in Ventriculô hæſerant, integras & ſucco plenas ejecit. Scilicet Anno 1666. Menſe Octobri triginta circiter Uvas integras, non manſas aut fractas devoraverat, ex qvibus tribus conſeqventibus menſibus nullum ſenſit incommodum: poſtmodum in tam freqventes & graves incidit Lypothymias, ut ſæpius videretur redditurus animam, non niſi levi interim vexatus, ſed perpetuâ febriculâ. Deniqve in auxilium vocatus Kerckringius lene catharticum ordinavit, â qvô decem ex Uvis jam dictis adhuc pelliculâ ſuâ veſtitas & ſucco plenas ejecit, qvô levatus onere puer convaluit. *Aſſumpta diu in Ventriculo manentia.* *Uvæ.*

§. 41.

Pilulas ante annum ad purgendos humores vitioſos aſſumptas, non tamen tunc temporis operantes, aurô adhuc obductas, vomitu rejecit Civis qvidam Erfurtenſis, teſte Valentinô Andreâ Mœllenbrocciô *vid. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 92. p. 166.* Et Roſinus Lentilius *Paralelism. ad Obſervat. allegat. Dec. III. An. I. App. p. 128. ſeq.* de Pilulis podagricis ante aliqvod tempus in Sveviâ, cumprimis Aulâ Stutgardianâ celebribus refert: prô certô ſibi fuiſſe relatum, viri cujusdam, qvi harum pilularum notabilem ſatis qvantitatem per tempus bene longum devoraverat, poſt mortem Stomachum his Pilulis, nullam alterationem paſſis, probè fuiſſe ſuffarcinatum. Item Eqves Torqvatus de Ventriculi imbecillitate conqverens qvotidie Pi- *Pilulæ.*

lulam ante paſtum abſorpſit; at cùm motûs periſtaltici debilitate ad pylorum deferri neqviret, Stomachi dolore interiit, & maſſa integra Pilularum in ejus Ventriculô reperta eſt, uti ex Balloniô refert Johannes Viridetus *de prim. Coct. Part. 2. cap. 1. p. 243.*

§. 42.

Farcimen. Farciminis infumati, von einer Met-Wurſt, portiunculas incoctas, crudas & fortiter compactas, ita ut vix baculis ab invicem ſeparari poſſent, Vomitu ejecit Uxor Civis Hildesheimenſis, qvæ juramenti inſtar aſſeverabat, intra viginti qvatuor hebdomadas ſe illius farciminis nil qvicqvam comediſſe, ſecundum obſervationem Johannis Petri Albrechti *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 82. p. 140. ſeq.* vid. etiam Theoph. Bonet. *Sepulchr. Lib. III. Sect. 7. fol. 782.*

§. 43.

Zingiber conditum. Zingiber conditum ad libram unam poſt mortem in Ventriculô fuiſſe repertum, ex Felice Platerô modò allegatus Johannes Viridetus *l. a.* recenſet: ſcilicet, Princeps Eccleſiaſticus cùm diutinæ aqvæ frigidæ, medicinalis creditæ, uſurpatione tunicas Ventriculi impenſè laxatas & frigidas haberet, & ad eum emendandum Zingiber conditum ſæpe affatim comederet, morbô invaleſcente obiit, atqve in ejus Ventriculô Zingiberis libram unam Medici invenerunt.

§. 44.

Sevum. Vir qvidam literatus ad nuptias amici ſui ſerius accedens aſſatô vervecinô præpingvi famem, Vini Rhenani largiori hauſtu ſitim ſat citò compeſcuit; ſed dolore Ventriculi ſubitò irruente ac perdurante ingurgitationis pœnas luit. Tandem conſiliô Medici qvotidie in juſculô certam Olei Olivarum qvantitatem hauriendo, ſopitis primo doloribus ſebum ovi magnitudine, qvod ante triennium in dictis nuptiis comederat, vomitu excluſit, ac omnis poſtea exhinc doloris expers vixit,

juxta

juxta Georg. Dethardigium *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 71.*

§ 45.

Ab Illuſtriſſimâ qvadam Comite, ex Dyſenteria mortuâ Lactucas cum floribus Naſturtii Indici, Boraginis, roſarum colore ſuo parum aut nihil immutatis, qvos ante dies qvatuordecim & ultra comederat, rejectas vidiſſe, ait Roſinus Lentilius *l. a. p. 129.* Non poſſum qvin hoc locô, qvod mihi Anno 1689. in Civis Dreſdenſis, dies noctesqve polentæ torrendæ operam navantis, nomine Grund dicti, uxore ſexagenariâ, obſervare licuit, annectam. Dicta ſcilicet femina, per aliqvot annos, præſertim tempore matutinô, ſummâ præcordiorum anxietate, appetitu proſtratô, vomituritione, artuumqve laſſitudine & borborygmis vexata, circa feſtum Paſchatos dicti anni, poſt ſumptum, â me præſcriptum, lene vomitorium, vas terreum, ultra duos cantharos capiens, nigerrimâ atqve tenaci materiâ, cui aliqvot fruſtula, non adeò parua, Lactucæ, atque Ceraſorum nigrorum (qvæ ipſa, qvantum qvidem recordari poterat, ante ſex vel ſeptem Menſes præter propter aſſumſerat,) aliqvot vomitibus adimplebat. Tota autem maſſa, ſive mixtura rejecta inſtar Fuliginis cum Oleô & aqvâ mixti apparebat.

Lactuca.

Obſervatio.

§. 46.

Qvandoqve etiam in Hominum Ventriculis variæ res præternaturales reperiuntur, v. g. Ramus Abietis viridis in demortui Ventriculô repertus legitur apud Danielem Beckherum von Preuſſiſchen Meſſerſchlucker. vid. Chriſtian. Frider. Garmann. *Oolog. curioſ. Diſſert. II. §. 100. p. m. 127.* Anno 1634. in Saguntina Diœceſi, Oppido Orca dictô, contigit, qvod Roccus Martinus, Hiſpanus, paſtor Ovium Terraconenſis, annum agens decimum octavum autumnali tempore ex arbore lapſus pruni ſylveſtris ſpinum Endinum offendit, qvi, cum altius in Tho-

Res p. n.

Ramus abietis.

Spinus Sylveſtris.

racem penetraſſet, multæ ſpinæ in Os Ventriculi ingreſſæ fuerunt, intus hæſit. Ergo diu, nimirum per duos annos & tres menſes latens, paulatim eò humores attraxit, tumorem concitavit & Apoſtema: qvo maturatô ſectôque, & magnâ puris vi expreſſâ, ille Eqviſeto ſimillimus jam factus, hoc eſt, multis filis veluti radicibus actis penitus defixus hærebat, nec à Chirurgô præ dolore ullâ extrahendus arte. Itaqve Chirurgus, eô intus relictô, ad ſanandum Ulcus & cicatricem obducendam animum manumqve convertit. Tempore vernô (vide naturæ miraculum vernô tempore) è Thorace ſpinus ſenſim & ſine ſenſu prodire cœpit, augeſcere, virere & ramulos frondesqve emittere, addunt qvidam flores & fructus, veris & autumni temporibus, non ſecus ac ſi in pingvi & fœcundô ſolô inſitus eſſet, ut æſtivô tempore qvotannis forfice luxuriantem propaginem tondere neceſſe fuerit. Tentatum fuit ſæpè ſæpius, qva ſcarificationibus, qvà inciſionibus, radicem plantæ exſtirpare, ſed fruſtra; è cujus trunco deciſus ramulus apud Illuſtriſſimum aſſervatur, Romam unà cum fideliſſimâ hiſtoria â Didacô Jagvez, Hiſpanô, Anno 1637. miſſus. Accidit huic paſtori, qvod Anno 1637. cecidit ab altô & capite vulneratus â Chirurgô malè curatus periit &c. Hæc Johannes de Gonzalô, Philippi IV. Regis Hiſpaniæ Medicus, ad Lubertum Erbenium, Regiæ Majeſtatis Poloniæ Medicum, perſcripſit, vid. Chriſtian. Fr. Garmann. *l. a.* ubi plura. Eandem hiſtoriam, omnem admirationem ſuperantem, refert etiam Chriſtianus Langius *Miſcell. curioſ. med. n. 28. p. m. 59. ſeq.* & qvidem verbotenus, prout ipſi â Luberto Eugenio per Johannis de Gonzalo Manuſcriptum communicata fuit. vid. etiam *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 109. p. 179.* Apud hæredes Johannis Woyſſelii, Medici Vratislavienſis, ſpinum pruni ſylveſtris cum duobus uncis, dimidii ferè digiti longam, qvam vomitu â qvadam Cerdonis uxore ejectam annotavit, vidit Chriſtophorus Rumbaum,

baum, ſecundum Johann. Schenck. *Obſervat. med. Lib. 7. fol. m. 842.*

§. 47.

Grana avenæ. De Granis Avenæ in Stomachô Militis cujusdam progerminantibus ſeqvens relatio extat dans le Journal des Sçavans *Tom. XIII. p. m. 527.* Un Soldat du Regiment de Zeeland, qui eſt en Garniſon à Copenhague, ayant mangé quelque grains d'avoine l'hyver dernier, ils ſont demeurés dans ſon Eſtomac jusque vers la fin de Juillet. Pendant cét eſpace de temps il êtoit fort incommodé tantoſt de fieuvre, tantoſt d'envie de vomir, mais ſur tout de douleurs avec des diſpoſitions ſcorbutique ſur l'Eſtomac. Comme il eſtoit plus incommodé, que de coûtume au mois de Juillet dernier, le Chirurgien du Regiment luy donne un remede vomitif, qui luy fit rejetter ces grains d'avoine, avec pluſieurs autres matieres aſſez mauvaiſes. vid. etiam Act. Erudit. Lipſienſ. *An. 1686. menſ. Maj. p. 276. ſeq.* De piſis in Ventriculô Puellæ germinantibus, vid. *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 16. p. 47.*

§. 48.

Nucleus è malô germinans. Mortem ex Germinatione Nuclei è Malô in Ventriculo obſervatam communicat Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 15. p. 31. ſeq.* Thomæ ſcilicet Hunebergeri Soror diu ægrotaverat, variis nil juvantibus medicamentis. Poſt obitum apertô Cadavere in Ventriculô Nucleus Mali repertus & viſus, qvi germen ad digiti magnitudinem protruſerat.

§. 49.

Oſſicula prunorum. De oſſiculis Pruni in Ventriculô germinantibus & Vomitu rejectis ſeqventem Obſervationem recenſet Alardus Hermannus Cummenus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 109. p. 178. ſeq.* Ruſticus qvidam ſub finem Januarii Anni 1671. qverebatur de inſigni Nauſeâ ac Inappetentiâ, crebris itidem Lipothymiis recurrentibus, qvibus adeô vexabatur, ut omnes ipſum morti pro-

ti propinqvum animam agere judicarent; idqve maximè â paſtu, qvô tempore ſemper Paroxyſmus gravior exiſtebat. Tandem poſt unicam doſin Oxyſacchari vomitorii in hauſtulô Vini Malvatici aſſumptum excludebantur tria prunorum oſſicula, nucleis recluſis germinantia, ægerqve hoc onere levatus melius habere incepit ſenſimqve convaluit. Bina adhuc alia exempla idem Autor *l. a.* recenſet: Amſtelodami nimirum Anno 1665. Nobilis qvidam Germanus, cum ob Philtrum a Scortô ipſi propinatum, malè habens Vomitorium aſſumeret, aliqvot rejiciebat Roſarum folia, adhuc recentia. Mirum hîc erat, qvòd, cùm ultimum excerneret folium, ſcortum, qvod aliàs deperibat, ſummô odiô proſeqvi inciperet. Alterum exemplum ex Athanaſii Kircheri Chinâ illuſtratâ refert: Contigit, inqviens, non ante multos annos, Elephantum inſignem, & Regi maximè charum, arundinum eſu Stomachum ita oneràſſe, ut gravem inde infirmitatem incurrerit, qvam Medici curaturi ſolitis ſuis Medicamentis nihil profecerunt. Bellua interim, proboſcide intra fauces adactâ, apertè aliqvid ſibi in Stomachô latere demonſtrare videbatur. Qvod Medicus Europæus advertens brachiô pariter in ejus fauces adactô, belluâ id haud illibenter permittente, tandem invenit arundinem in fundô ſtomachi radicatam in folia effloruiſſe; unde materiam prius catharcticis magnæ efficaciæ Medicamentis præparatam tandem radicitus evulſam foliis virentibus conſpicuam extraxit, belluamqve priſtinæ ſanitati reſtituit. De Nucleô Pruni ſeqventem Obſervationem recenſet Chriſtophorus Rœslerus *ibidem Obſ.343. p.552.* Ruſticus in Schimmelwitz diu punctionibus Ventriculi laboravit, tandem poſt purgationem dejecit nucleum pruni, germen qvi extruſit, articuli digiti longitudine.

Folia Roſarum.

§. 50.

Globuli piloſi. Globulos piloſos ſæpius in animalium ſeu brutorum Ventriculis

triculis reperiri, teſtantur Obſervationes Medicorum, cujusmodi exempla & rationes adducit Thomas Bartholinus *Hiſtor. Anat. Cent. II. Hiſtor. 21. p. m. 179. ſq.* Reperiuntur, inqviens, ſæpicule pili conglobati in Ventriculis eqvorum, boum, vervecum, paſſim obvii, ſphærici utplurimum, glabri, modò externo cortice nigrô tecti, modò ſine teſtâ. Magnitudine varii ſunt. Vidi Tophos, pergit idem, omnium magnitudinum, ovi columbini exilitate & maximi Mali Granati magnitudine. Si diſſecemus, artificioſum pilorum contextum deprehendemus, arctiſſimè invicem concretorum. Cauſa Concretionis non ita obſcura eſſe poteſt: ipſi ſibi boves, vel eqvi, vel agnelli dentibus prurientem cutem lambunt, pilorum copiam lingvæ adhærentem deglutiunt, qvi mucô mixti Ventriculo in globulos compinguntur, primò minores, mox novis accedentibus pilis, majores, tandem â Calore Ventriculi cruſtâ inducuntur: In Ovibus Feroënſibus ſæpiſſimè crudorum ſolutorumqve pilorum uber eſt in Ventriculis proventus, ut Mercatores teſtantur, qvia oberrantes in montibus & ſaxis nivoſis per hyemem deficiente alimento lanam ſibi invicem depaſcuntur. Pilam ex Ventriculô eqvi ſeptendecim Uncias pendentem, pugno pulpoſo æqvalem, poſſedit Johannes Matthæus Faber *vid. M. N. C. Dec. II. An. 9. Append. p. 456.* Habuit etiam allegatus Thomas Bartholinus globulos crinitos aliqvot, juglandis magnitudine, teſtâ durâ, glabrâ & nigrâ, qvales qvinqvaginta numerô in Ventriculô Vervecis in Islandiâ â Mercatore Hafnienſi fuêre reperti &c. Multas ejusmodi pilas piloſas ex bovis, hirci Gotlandi, ovis Ventriculis erutas poſſedit Olaus Wormius *v. ejusdem Muſæi Cap. 8. f. m. 60.* Pilas ex hædis domeſticis depromptas æri inciſas Georgio Wolffgango Wedelio Glandorpius oſtendit. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 169. p. 374.* Ubi etiam pilæ in Ventriculô cervino repertæ mentio fit. Et *Dec. II. An. 1. Obſ. 159. p. 383. ſeq.* geminas pilas in duobus cervis reper-

tas ſe vidiſſe, idem Wedelius ſcribit, qvô locô etiam de harum pilarum ortu addit, duplicis eſſe pilas generis, in qvadrupedum Ventriculô reperiri ſolitas; piloſas ſcilicet, ex merô pilorum glomeramine velut confertas, & filamentoſas &c. W. Liebergium globum è ſue exſciſſum vidiſſe, ex ipſius ore refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſter. Obſ. 20. Schol. p. 238. ſeq.* Ingentem & mole ſuâ facilè caput infantis recens nati æqvantem globum vitulinum, tanqvam rarum qvid & inſolens Mercator qvidam Colonienſis Vratislaviæ monſtravit, qvem depingit Henricus Vollgnad. *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 110. p. 181. ſeq. vid. etiam p. 398. ſeq.* Pilas item magnas, nigras, inſtar pugni, æqvaliter orbiculatas ſine ſuturâ pilis parvis, mollibus arctiſſimè infarctas, ex boum juniorum ſanorum laniena deſtinatorum Ventriculo & Inteſtinis exemptas, penes ſe habuit Johannes Wierus. *vid. ejusdem Oper. Lib. 4. cap. 16. p. m. 317.* ubi pariter de cauſâ & ortu harum pilarum pluribus agit. Alia ejusmodi exempla de Hippolithis & Bulithis in Lithologia noſtra, D. d. adducemus. Et qvamvis hactenus recenſita exempla de pilis ſeu globis in brutorum ventriculis repertis loqvantur, qvandoqve tamen, qvamvis rarius, in Homine qvoqve ejusmodi globuli reperiuntur. Sic globus piloſus qvatuor circiter unciarum pondere & trium vel qvatuor pilarum luſoriarum magnitudine Hafniæ ex Nautæ cujusdam Ventriculô exſectus Franeqveræ Stephano Blancardo â Profeſſore qvodam Juris fuit monſtratus vid. Blancard. *Collectan. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 22. p. m. 49.*

§. 51.

Corpora ſphærica ſeu Hydatides.

Corpora ſphærica permulta in Ventriculô humanô inventa fuiſſe, ex obſervatione Andreæ Cleyeri docemur. Scilicet Bataviæ Indorum in Noſocomiô in Cadavere humanô ſectione apertô inventus fuit Ventriculus innumerabilibus ferè repletus corpuſculis conformibus rotundis, ſed diverſæ magnitudinis.

Horum

Horum exterior membrana valde erat lenta & tenax, intus verò continebatur liqvor flavus inſtar lymphæ. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 18. p. 40. & p. 450.* Cleyerus in aliô ſubjectô idem obſervaſſe ſcribit, & qvidem in Cadavere aliûs gladiô perfoſſi, è cujus apertô Ventriculô copioſiſſimus proſiliebat numerus ſubventaneorum iſtar ovorum (vel ſi mavis botrorum, aut hydatidum) qvorum ſingula membranâ involuta erant valida, qvæ vulnerata, humorem præter aqveum, nihil exprimi patiebantur. Nonnulla horum magnitudinem æqvabant Ovi gallinacei. In ruſticæ qvinqvagenariæ majoris apertô Ventriculô, non modò Pylori circulum, valvulæ ſimilem, ſcirrhoſum, ſed etiam internam Ventriculi faciem undiqve glandulis induratis albicantibus ſcatentem reperit Johannes Jacobus Harderus *v. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 101. p. 196. ſeq.* Tales Hydatides & qvidem in hydropicæ magnô Ventriculô annotavit Antonius Jodon, vid. Lazar. River. *Obſ. communicat. pag. 286.*

§. 52.

In mulieris cujusdam, qvadraginta annorum, de continuô Ventriculi dolore, tumore, nauſeâ, inappetientiâ conqverentis, ideoqve â nonnullis pro tympaniticâ curatæ, ab aliis autem pro gravidâ habitæ, atqve poſt mortem apertæ, Ventriculi fundô tot lapilli, granorum pomi inſtar ſeſe mutuo amplectentes, ut binas volas manûs implerent, ſunt inventi, qvi aſſervati ſucceſſu temporis facti ſunt friabiles & tandem in ſalem luteum reſoluti, vid. Wolffg. Hœfer. *Hercul. med. Lib. 3. cap. 1. p. m. 168. vid. etiam pag. ſeq.* ubi in feminæ fundu Ventriculi lapillos nullô vinculô cohærentes, ſed granorum pomi inſtar ſeſe mutuò amplectentes, tam copioſos, ut binas volas implerent, repertos fuiſſe ſcribit. In Comitis de Oppersdorf Ventriculô Calculus dimidii pollicis magnitudinem æqvans inventus fuit. vid. Phil. Jacob. Sachſ. *Gammarolog. Lib. 1. cap. 14. p. 292.* *Lapides.*

p. 292. Vir qvidam nonagenarius â trigeſimô vitæ annô usqve ad ſeram ætatem ſingulis diebus, horis matutinis, hauſtum aqvæ frigidæ ſcaturientis biberat, nullâqve notabili ægritudine ab illô tempore unqvam infeſtatus fuerat, talemqve aqvæ potationem tam ſuæ ſanitatis, qvàm Vitæ longævitatis cauſam haud minimam extitiſſe, vir ille ſibi perſvaſerat. Tandem ubi paucis ante mortem diebus acerbum dolorem circa Ventriculi regionem perceperat, in ejus poſt obitum diſſecti fundô Calculus nucis avellanæ magnitudine repertus eſt, reliqvis viſceribus omnibus optimè conſtitutis, juxta Sim. Schulzii obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 86. p. 142.* Calculos plures qvàm triginta fundo Ventriculi pertinaciſſimè adhærentes extraxit Jahannes Bilgerus vid. Thom. Bartholin. *Cent. 3. Epiſt. 8. p. 37.* In Ventriculô nobilis plus qvàm triginta lapides, tum majores, tum minores repertos ſcribit Stephan. Blancardus *Anatom. pract. Obſ. 72. p. 203. ſeq.* In æramentorum fuſoris qvinqvagenarii, qvi de Capitis & Ventriculi doloribus, inappetentiâ febriqve continuis fuerat conqveſtus, Ventriculi fundô, prope Pylorum, laterem qvaſi perdurum & excoctum obſervavit Johannes Baptiſta Contulus, Medicus Bononienſis *v. Act. Erudit. Lipſ. Ann. 1699. Menſ. Septembr. p. 397.* De uſu lapidum in Ventriculô Leonis & Elephantis, vid. Joh. Curvi Semmedi *Hiſtor. Simplic. p. 47. 49.*

§. 53.

Pediculi. Veſiculas Pediculorum plenas internè Ventriculo affixas in Cadavere humano fuiſſe deprehenſas, ex Johanne Heurniô refert Lucas Schrœckius, Lucæ Filius, *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 13. Schol. p. 40.* De Pediculis, ab infelici pediculorum contra Icterum Curâ, in Ventriculô repertis, jam ſuprà Cap. II. de Pica, ex Thomæ Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. 91. p. 193.* adduximus.

§. 54.

§. 54.

Joſias de Fregeville ad Curam cujusdam fuit vocatus, qvi tamen æger ſubitò è vitâ diſceſſit. Corpore apertô Aranea in Stomachô ejus inventa eſt. v. Petr. Borell. *Hiſtor. med. Cent. I. Hiſt. 81. p. 87.* De Vermibus in Ventriculo v. Helmintolog. noſtr. *Aranea.*

§. 55.

Cani marino figurâ externâ ſimilis ac pilis refertus fœtus monſtroſus in Opificis cujusdam in Friſiâ Orientali prope Embdum in pagô Rieſum, qvi aliqvoties in Grœnlandiam ad capiendas Balænas unâ profectus fuerat, Ventriculô poſt mortem maximos in Epigaſtriô dolores & tumores ſecutam repertus dicitur, uti ex Matthiæ Tilingii Tractatu *de Tub. uterin.* recenſet Philippus Jacobus Sachs a Lewenh. *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 109. Schol. p. 252.* vid. etiam Chriſt. Franciſc. Paullin. *de Bufone Sect. 1. cap. 3. p. 38.* *Fœtus monſtroſus inſtar Canis marini.*

§. 56.

De furcâ tricuſpide in Ventriculô Lupi repertâ ſeqventem hiſtoriam refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lycograph. cap. 3. p. m. 38.* Johannes Heinricus Cœſterus, Judicii Hildeſienſis Aſſeſſor, viderat in Itinere ſuô Romanô apud Abbatem Ordinis Ciſtertienſis, furcellam tricuſpidem in Ventriculô Lupi ob rabiem capti & occiſi repertam. Manubrium erat ex venuſtisſimo Ebore. Integra omnia & nihil adhuc immutatum. Ex qvô conjiciebatur, haud diu latitaſſe in Ventriculô, & inde rabiem iſtam lupinam deduxêre Venatores, ſiqvidem circa Pylorum hærebat firmiter ei infixa. *Furcâ tricuſpis.*

§. 57.

Cùm in Eiſtetenſis Epiſcopatûs ditionis pagô, Fugenſtal, agricola, nomine Ulricus Neuſeſſer, crudelibus dolorum tormentis in alterô hypochondriorum latere conficeretur, ſubitò clavum ferreum ſub illæſâ Cute manu apprehendit, qvem Chirurgus Novaculâ excidit. Nec tamen dolores ceſſarunt, ſed *Varia.*

indies magis incrudeſcebant. Qvare cùm nec aliud doloris fore remedium miſer, qvàm mortem ſuſpicaretur, arreptô cultellô ſibi guttur abſcidit; in hujus tertiô die mortui inciſô Ventriculô lignum teres & longum, qvatuor ex chalybe cultri, partim acuti, partim inſtar ſerræ dentati, ac duo ferramenta aſpera reperta fuerunt, qvorum ſingula ſpithamæ longitudinem excedebant, aderat & capillorum inſtar globi involucrum, juxta verba Johannis Langii *Epiſtol. medicin. Lib. 1. Epiſt. 38. p. m. 168.*

§. 58.

Lien. In Ventriculô puellæ recens natæ, cujus totum abdomen hiabat, & viſcera maximam partem erant pendula, Lien deprehendebatur incarceratus, teſte Godofredô Benjaminô Preuſſio in Bigâ Obſervat. medic. *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. & VIII. Append. p. 117.* Idem Autor etiam *ibidem Obſ. 13. p. 26.* Epatis per Ventriculi perforati foramen in hujus Cavitatem ſubintrantis meminit.

Epar.

§. 59.

Siluri Ventriculus. Hiſtoriis medicis de Ventriculô non immerito annectendus Siluri piſcis Ventriculus eductus, qvi ultra diei ſpatium vitam traxit, diverſos motus edendo, juxta Philipp. Jac. Hartmanni Obſervationem *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 40. p. 80. ſeq.* communicatam. Cùm enim octavô die Menſis Junii mactatus eſſet Silurus à meridie, tertiâ pomeridianâ ſeqventis diei pluribus ſpectatoribus Ventriculum talem exhibuit Hartmannus. Scilicet inqvit, primo obtutu animal aliqvod vivum in ſe continere videbatur, adeò mirabiles motûs edebat: Verùm ubi exinanitum ipſum manibus exploraſſemus ſatis, hinc intentius in rationem motûs intendentes, certis locis non procul â pyloro initium ſumere cognoſcimus; in modum vorticum ad tria diverſa puncta ſe contrahebat, moxqve ab iisdem punctis per eosdem vortices ſe extendebat rurſus, certâ qvadam

dam ſyſtole & diaſtole. Ad hos vorticum reciprocantium motûs & reliqva Ventriculi pars ſuperior, unà cum inteſtino, qvod Pyloro proximum, commovebatur. Qvotiescunqve autem deſignata loca premebamus, ad numerum motûs ejuscemodi exſurgere vidimus, qvi juſta interpoſitâ morâ vix ceſſabant. Tentavimus an aqvæ tepidæ fotu vehementior concitaretur motus, aſt fruſtra. Nec integer tantùm Ventriculus, ſed & diſſectus ad veſperam usqve iſtiusmodi motûs exhibuit. Occuparunt autem memorata loca innumeri nervi, funiculorum contortorum ſpecie, absqve membranæ involucrô, Ventriculi ſuperficiei externæ incumbentes.

CAPUT VII.
De Vomitu.

§. 1.

HActenus de Appetitu, & rebus naturalibus ac præternaturalibus aſſumptis & ex Ventriculô ad Inteſtina deſcendentibus, vel in eodem extraordinariè retentis, egimus; nunc ad ea, qvæ per os aſſumpta ex Ventriculô ad Inteſtina non prolabuntur, neqve per viam ordinariam evacuantur, ſed motu retrogradô ex Ventriculô per Oeſophagum iterum ad fauces aſcendunt Vomituqve rejiciuntur, progredimur. *Vomitus.*

§. 2.

De formalitate Vomitûs, ſive qva ratione ille contingat, ut paucis agamus: ex Phyſiologicis notum eſt, in ſtatu naturali Ventriculum mediantibus fibris carnoſis ſeu muſculoſis, imprimis tunicæ ejusdem ſecundæ, motu qvodam, periſtalticô dictô, gaudere, qvi â ſiniſtrô Ventriculi orificiô verſus dextrum tendit *Formalitas.*

tendit, & per omnia inteſtina continuatur. Hujus motûs beneficiô Ventriculi cavitas in ſtatu naturali per conſtrictionem parietum redditur anguſtior, ipſiusqve contenta verſus Pylorum deducta Inteſtinis communicantur; In ſtatu autem ventriculi præternaturali, ſeu Vomitu, dictarum fibrarum ipſiusqve Ventriculi motus periſtalticus evadit contrarius ſeu inverſus, dum nimirum Pylorus ipſiqve adjacentes ſeu inferiores Ventriculi partes primò contrahuntur & violentam agitationem inchoant, eamqve verſus ſuperiora dirigunt & usqve ad ſuperius ſive ſiniſtrum orificium indeqve ad fauces continuant, ut contenta Ventriculi, Inteſtinis deſtinata, per Oeſophagum & Os rejiciantur. Vix autem Vomitus in levi aliqvâ fibrarum vellicatione ſeu corrugatione, ſed potiùs in violentâ parietum Ventriculi conſtrictione totiusqve fundi elevatione qvaſiqve inverſione conſiſtit; qvod confirmat Johanes Baptiſta van Helmont, *Pylorus Rector.* §. *6. fol. m. 139.* Vomitus, inqviens, fit, dum clauſô Pylorô Ventriculus ſeſe ſurſum contrahit, non qvidem per corrugationem, ſed motû totali Stomachi ſurſum ad gulam, adeoqve Pylorus Vomitum imperat & retentivæ non auſcultat. Et §. *21. fol. 141.* idem, Vomitum non fieri niſi clauſô & ſurſum inverſô Pylorô, ſcribit. Hæc Pylori ipſiusqve Ventriculi Convulſio ſeu contractio ſimul Oeſophagum in conſenſum trahit, inde, clauſô Pylorô, Contentorum Ventriculi per gulam & fauces fit rejectio. Qvodſi autem in Vomitu Pylorus non clauderetur, tunc ſanè maxima in Ventriculô contentorum pars potiùs per illud apertum orificium inferius in duodenum & reliqva Inteſtina prolaberetur, qvàm per Oeſophagum aſcenderet. Eodem modô vomitionem fieri, ſeqventibus verbis deſcribit Thomas Willis *Pharmacevt. ration. Part. 1. Sect. 2. cap. 1. pag. m. 20. ſeq.* inqviens: Si qvando qvispiam Vomitu afficitur, in ſe perſentit fundum Ventriculi ſurſum contrahi atqve orificium ſuperius aperiri,

Pylorô

Pylorô interim (uti videtur) occluſô aut introrſum deductô; ſimulqve totum Oeſophagi ductum motu inverſô, ſcilicet ab imô ad ſummum, velut cochleatione qvadam conniti, ut contenta qvæqve usqve ſuperius protruſa demum per Os egerantur &c. ubi plura de fibrarum actione reperies. v. etiam Paul. Gothofr. Sperling. *Diſput. de Vomit. cruent.* §. 3. p. 6. Qvod confirmat etiam Olaus Rudbeck *de Vaſ. ſeroſ. Obſ. 50.* qvâ in Cane vivô diſſectô primò Pylorus ſe contrahebat, mox Syſtole totius Ventriculi ab Orificiô inferiori ad ſuperius tandemqve Oeſophagum ſeqvebatur. v. Chriſt. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. 1. Tit. 5. §. 38. p. m. 192.*

§. 3.

Huic tamen Rudbeckii Experimento contrarium in Cane annotavit Petrus Chirac, qvi naturam vomitionis exploraturus dedit Cani in offâ panis Mercurii ſublimati corroſivi drachmam unam, qvam mox poſtea evomuit cum incredibili vomendi conatu ulteriori; tum temporis ipſi abdomen aperuit ſecundum muſculorum rectorum longitudinem, qvò citò obſervaret, qvid in Ventriculô fieret; verùm nullatenus obſervare datum, motum adeſſe aliqvem in Ventriculô extraordinarium; motus enim periſtalticus leviter ac confuſè ſaltem apparuit cum contractione fibrarum ita debili & parvâ, ut qvamvis nil eſſet in Capacitate Ventriculi, ille tamen inde incapax eſſet ſe vel ad vigeſimam partem conſtringendi, prout fieri deberet ad evacuationem ejus per orificium vel ſuperius, vel inferius; interea tamen inanis vomendi conatus ſæpius recurrebat. Unde dictus Petrus Chirac ulterius ſecum conſtituit Ventrem apertum conſuere, relictô non niſi exiguô foramine ad experiundum digitô immiſſô, qvid ibi perageretur. Hoc facto continuatisqve in Cane vomendi conatibus, nulla contractio in fibris ejus obſervanda fuit, ſed ſolummodò, qvod Ventriculus eſſet planus ob preſſionem viſcerum ad inferiora ex motu *Contradicitur.*

 Diaphrag-

Diaphragmatis & conſtrictione muſculorum abdominis, vel eô tempore, qvô vomebat Canis nulla omninò erat Contractio &c. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 125. p. 247. ſeq.* Imò qvoad Helmontii ſuprà allegatam, de Pylori plenariâ contractione, ſententiam duo præprimis Johanni Bohnio monenda videntur, primò, omnem qvidem Vomitum ſupponere Pylori convulſionem, minimè tamen ſemper adeò arctam ejus occluſionem & qvaſi ſigillationem, qvâ inſtar cuſtodis ſeu janitoris pertinacioris, non emittentis contenta, ſe habeat: cùm non rarò ſub hoc janitore & in tractu inteſtinali ſtimulus ille everſorius ſpasmodicus hæreat, cujus impreſſio ab hoc per Pylorum ad Gulam usqve continuatur, ut vel ſola fæcum per Os in Morbô Iliacô excluſio evincit. Nec de nihilô eſt, qvod Riolanus *Enchirid. Anat. Patholog. Lib. 2. cap. 17.* diſſerit, illam duodeni ad ſpinam replicationem non rarò Vomitibus occaſioni exiſtere, qvatenus bilis transfluxus in hac aliqvando cohibeatur, hinc ad Ventriculum regurgitet. Deinde nec ideò Helmontio concedenda monarchalis illa Pylori poteſtas, qvam in fibras totius ſtomachi habere credit: qvatenus inſtinctûs vomituriendi non ſemper Pylorum afficiunt, ſed intermediam utriqve orificio non rarò partem, imò alterum orificium, qvemadmodum Hildanus *Cent. 5. Obſ. 36.* Vomitum ab Ulcere orificii ſuperioris teſtatur. Ita ut ſine Pylori retractione qvidem excretio hæc vix unqvam concipi qveat, non tamen ſemper hic primò irritetur, ſed aliqvandiu â fundi fibris in conſenſum trahatur, adeoqve ejus functio naturalis pariter alterius facultatis, ſcilicet fibrarum contractricis ſit pediſſeqva, & harum motui ſimpliciter ſubjecta, ſecus ac Helmontius eandem ſibi concipiebat. v. Joh. Bohn. *Diſput. de Vomit. §. 3.* Plura de Vomitûs formalitate vid. Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 8. Obſ. 1. Schol. fol. m. 790. ſeq.*

§. 4. Hanc

§. 4.

Hanc etiam modò explicatam Ventriculi inter vomendum actionem dubiam facit Monſpelienſium Medicus jam allegatus, nomine Chirac, vomitum ſtatuens produci a motibus extraordinariis Diaphragmatis & muſculorum abdominis, non verò per contractionem fibrarum ſtomachi; qvâ hypotheſi ſtante Ventriculus omnis actionis expers, ſed à cauſis extraneis tantùm impulſus & compreſſus materias contentas ejicere credendus eſt. Eandem ſententiam etiam fovet Dominus du Verney, & plurima experimenta circa eam, adhibitis variis animalibus vivis vomitoriis coram Societate Academiæ Regiæ Scientiarum facere, & univerſum Vomitûs mechanismum ob oculos ponere ſuſcepit; cæterùm duo experimenta, qvæ tantummodo inſtituebantur, nondum ſatis pro elucidatione hujus rei videbantur, vid. Hiſtor. Academ. reg. Scient. Pariſ. *An. 2. p. m. 263. ubi plura.* Huc pertinet etiam Obſervatio Antonii de Heide de Vomitoriô Cani datô, qvam *Cent. Obſ. med. Obſ. 92.* recenſet: canis, inqviens, jejunus bolum è pane cum butyrô & viginti granis Vitri Antimonii avidè devorat. Elapſâ horâ unâ vel alterâ evomuit mucorem, qvem ſtatim reſorbet, eſculenta deinceps averſatus rarò vomitu afficitur. Poſt aliqvot horas vomentem canem diſſeco, phænomena in inteſtinis & ſtomachô occurrentia obſervaturus. Colon refertum valde inveniebatur fæcibus craſſis; duodenum & forſan tenue inteſtinum totum vacuum & mucore deſtitutum erat. Stomachus continebat parum mucoris ſimilis, qvem vomitu egeſſit; & neqve in Inteſtinô, neqve in ſtomacho motus præternaturalis ſeſe prodebat, ſed carneæ Oeſophagi fibræ, mortuô etiam cane, convellebantur. vid. Ant. de Heide *Anatom. Mytal. p. 190. ſeq.* *Alia opinio.*

§. 5.

Oritur autem Vomitus ſeu Ventriculi inverſio vel per eſſentiam, vel per Conſenſum. Per eſſentiam ſeu immediatè, *Cauſa.*

vel â nimiâ aſſumptorum qvantitate, vel ab humoribus acribus in Ventriculô, vel â morbis Ventriculi Organicis, e. g. â tumoribus, vulneribus, ulceribus &c. ſiqvidem Vomitûs crebrioris & ferè continui â ſcirrhô Orificii inferioris aliqvot exempla jam *Cap. VI. §. 17.* ex variis Autoribus adduximus. Sic Mercator ditiſſimus per plures annos certâ qvadam ægritudine plurimùm cruciabatur. Optimè enim ſe habebat, ſi primum paſtûs fruſtulum ſtomacho probè ingereretur, tunc & prandio copioſo indulgebat & felicem coctiónem experiebatur; cùm verò primam bucellam laborioſè deglutiebat, ſtatim ingeſta vomitu pertinaci & difficili regerebat, tuncqve nullus ipſi prandendi ſupererat locus; aliqvot horis pòſt cibos aſſumere conabatur, qvô tempore ſi primus feliciter commeabat, bene, ſi male, adhuc horæ aliqvæ ad victum aſſumendum expectandæ erant. Cujus Symptomatis tam inſoliti cauſa pòſt mortem apparuit: Viſa enim fuit caro fungoſa excavata, orificio ſuperiori ventriculi proxima, cujus cavitas verſus ipſammet partem hiabat. Itaqve cùm prima offa Ventriculum ſubeundo, labrum, id eſt partem ſuperiorem hujus excreſcentiæ externam, premebat, & ſic inſtar uvulæ orificium cavitatis operiebat, reliqva ingeſta in Ventriculum ferebantur & coqvebantur. Cùm verò fruſtum primò abſorptum internam partem ſuperiorem fungoſitatis hiantem deſcendendo feriebat, introitum cavitatis dilatabat & in ipſa cavitate remanebat, unde irritatio & vomitus validiſſimus, juxta ſententiam & verba Johannis Viredeti *de prim. Coction. Part. 2. cap. 8. p. m. 326. ſeq.* Vidit etiam Johannes Prevotius in Cadavere qvodam Steatoma parti internæ orificii ſuperioris Ventriculi magnitudine Ovi adnatum, qvô propendente Vomitus continuè infeſtabat; alterum digiti longitudine ad ſiniſtrum qvoqve orificium ejusdem mali cauſam. vid. Joh. Rhod. *Obſ. medic. Cent. 2. Obſ. 63. p. m. 86.* Vomitum ob Pylorum gypſeâ materiâ intus & extus obductum annotavit Nicolaus Blegny

Scirrhus.

Steatoma.

Zodiac.

Zodiac. Med. Gallic. Ann. I. Menſ. Februar. Obſ.3. p.m. 46. de qva & aliis cauſis ſupra de Ventriculô egimus. Romæ qvidam Vomitu continuô vexabatur, ut qvævis aſſumpta ſtatim rejiceret; in cujus diſſectô Cadavere Pylorus callum viſus eſt obduxiſſe, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 4. Hiſtor. 47. p. m. 333.* De Vomitu ex Hyperſarcoſi circa Pylorum vel cruſtâ qvâdam & cicatrice *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 94. Schol. p. 199.*

§. 6.

Vir qvidam Ictericus Hafnienſis, nomine Falckius, diu anxiam vitam inter mortem & Inediam traxit. Ventriculô enim debilitatô omnia aſſumpta reſpuebat Vomitu ſtatim rejecta, & qvoties lacticinia ingerebantur, totiens in caſeum concreta meabant eâ viâ, qvâ acceſſerant. Apertô defuncti Cadavere inter alia Ventriculi cavitas univerſa rubicunda, venis diſtentis, unde & Vomitus continuus & nonnunqvam cruoris ſputum, juxta Thom. Bartholinum *Actor. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. 28. p. m 59.* Et *Vol. IV. Obſ. 36. p. 116.* refert idem, totam interiorem Ventriculi faciem rubicundam & tantùm excoriatam fuiſſe. Aliud adhuc exemplum ibidem *p. 117.* recenſet, de nobili Juvene annorum viginti novem, ſatis bene conſtitutô & in vivendi genere ſatis temperatô. Hic repentè incidebat in Ventriculi Inteſtinorumqve cruciatûs vehementiſſimos cum continuis moleſtiſſimis vomitibus materiarum cujuscumqve generis, nec cibum nec potum continere poterat, cum ſiti & vehementiſſimô ardore. In hoc poſt mortem diſſectô tota Ventriculi ſubſtantia diffluens apparebat, cum rubore & manifeſtâ eroſione in variis partibus & præſertim in unâ, ubi tota ſubſtantia eroſa videbatur, cum colore lividô. Talismodi eroſiones Ventriculi ſæpiſſime a propinatô venenô dependent, uti præter qvotidianam experientiam teſtatur Johannes Dominicus Sala loco modò allegatô *p. 121.* De Johanne Baptiſtâ Salice, Profeſſore Patavinô, qvi inani poſt cœnam vomendi deſideriô angebatur, doloribus ingentibus ſupra

Ventriculi eroſio & perforatio.

pra umbilicum. In hujus enim Cadavere non modò Ventriculus eroſus, ſed etiam maximis foraminibus pertuſus, imò reliqva etiam Inteſtina variis in locis perforata reperiebantur; qvam eroſiorem dictus Sala â Venenô derivat. Ventriculum humoribus corruptis, fœtidis & atrabilariis refertum, in Juvene, qvi poſt convivium dolore ſtomachi correptus fuit, poſtea verò de dolore acutiſſimô Capitis, mox & in ipſo momentô de maximô cruciatu Oris, Ventriculi, Ventris & artuum conqverebatur ſimulqve vomitûs patiebatur, ut vix cibum multò minùs medicamenta retinere poſſet, obſervavit Gvilhelmus Fabricius, Hildanus *Obſerv. chirurg. Cent. 3. Obſ. 20. Oper. fol. 200.* De Vomitu ſangvinis lethali & eroſione Ventriculi. v. Joh. Scultet. *Armament. Chir. Part. 2. Obſ. 59. p. m. 86. ſeq.* De Herpete Ventriculi Vomitûs qvotidiani & mortis cauſâ ſeqventem obſervationem refert Dominicus Panarolus *Obſerv. Medicin. Pentec. I. Obſ. 43. p. m. 26. ſeq.* Vir qvidam, inqviens, qvotidie manè & veſperi, poſt prandium & cœnam Vomitum patiebatur, in Atrophiam tandem tranſiens poſt ſex menſes occubuit. Sectô corpore in Stomachô internè circa Pylorum Herpetem inveni, unde qvotidianus Vomitus poſtmodum Atrophiæ & mortis cauſa oriebatur.

§. 7.

Pharmaca & Venena. Huc pertinent etiam varia aſſumpta Pharmaca, Vomitoria & Cathartica fortiora vel nauſeoſa, item, uti modo dictum, venena, qvæ particulis aculeatis inſtructa Ventriculi tunicam nerveam vellicando Vomitum, qvandoqve etiam lethalem, excitant, qvalia exempla plurima congeſſit Theoph. Bonetus *Sepulchr. Lib. 3. Sect. 8. Obſ. 5. ſeq. fol. 792. ſeqq.* De ungvium virtute emeticâ refert Henricus ab Heer *Obſerv. Medic. 29. p. m. 249.* ſe vidiſſe duos, qvi nullô Antimoniô aut aliô eccoproticô, ne qvidem Ellebori extractô alvum laxârant; cùm autem ſuô conſiliô propriorum Unguium præſegmina & raſuram bibiſſent, vo-

mitu

mitu juxta ſeceſſuqve abundè ſe depleverant. Non autem ſemper propriorum ungvium raſura reqviritur ſed qvilibet ungves ſufficiunt, uti aliqvoties obſervare mihi licuit.

§. 8.

Nicotianam ſeu Tabacum famen ſedare ſuprà diximus, hoc loco nobis ejusdem vis vomitoria occurrit, ſiqvidem ipſius fumum, vel per fiſtulam improvidè deglutitum, vel cantharo Cerevifiæ inflatum, ſicqve cum eâdem aſſumptum, Vomitum excitare, ſatis notum eſt. Vomitum etiam continuum & lethalem in Conſiliariô qvodam Electoris Bavariæ â Tabaci abuſu obſervavit Wolfgangus Hœferus *Hercul. Medic. Lib. I. cap. 5. p. m. 43. ſeq.* Sunt, inqviens, qvi neſcio qvalem noxam & Cerebri nigredinem ex uſu Tabaci freqvente metuunt, qvaſi fumus nigrorem calvariæ intus induceret, ut ignis fumans camino. Qvod idem cùm ſuſpicaretur Sereniſſimus Dux Bavariæ & Elector Maximilianus, cujusdam Conſiliarii ſui, Tabaco uſi & ferè abuſi & vomitu continuô tandem extincti, Caput per Anatomiam explorari mandavit, qvod unà cum Cerebrô & membranis ſartum tectumqve ſine omni noxâ inventum eſt. Nihilominus pro cauſâ continui Vomitûs & mortis potuit ſtatui abuſus Tabaci, vi cujus nimium pituitæ ad Ventriculum tranſiit; qvæ vel copiâ & frigiditate eum tandem enervavit, vel malam qvalitatem & corruptelam per moram induens, vicina membra & ipſum adeò Ventriculum in commune malum traxit. De Vomitu ab externô Nicotianæ uſu *v.* §. *25.* In Illuſtri Virô â Laudanô præſcriptô Vomitum per duos dies, licet per horas interpolatas, duraſſe obſervavit Johannes Viridetus *de Prim. Coction. Part. 2. cap. 7. p. m. 321.* ubi pergit: nerveis glandularum fibrillis excluſionem ſucci viſcidi in ſuô ſinu ſecreti non promoventibus, hac morâ acrior factus motûs ſpasmodicos cievit, unde & vomitum per hoc tempus aliqvibus ſalibus ſuperſtitibus, & ipſas fibrillas lancinantibus, continuavit; &c.

Nicotiana.

§. 9. Ver-

§. 9.

Vermes. Vermes in Ventriculô productos vel ex Inteſtinis ad eundem adſcendentes radendo vel mordendo Vomitum nonnunqvam ciere, atqve ad ſui ejectionem Ventriculum ſtimulare, experientia teſtatur; ſiqvidem puella annum duodecimum attingens vomitu continuô longô tempore laborans primò bilem tanqvam picem valde atram cum Vermibus, demumqve Scarabeum dejiciebat, teſte Petrô Foreſtô *Obſerv. Lib. 18. Obſerv. 19. fol. m. 161.* Bina exempla Lumbricorum Vomitu rejectorum commemorat Amatus Luſitanus *Curat. medicin. Cent. I. Curat. 5. & 6. fol. m. 26.* qvalia exempla plura paulò infrà, item in Helmintologiâ noſtrâ reperies.

§. 10.

Vulnera, Ulcera &c. Vulnera, Ulcera, Fiſtulas & Gangrænas Ventriculi â Vomitu ſæpiſſime concomitari, Medicorum Obſervationes teſtantur. In binis exemplis Vomitu diuturnô laborantibus cauſam ab exulceratione Ventriculi â deglutitis oſſibus aut ſpinis exorta derivat Gvilhelmus Fabricius Hildanus *Obſ. Chirurg. Cent. 5. Obſ. 36. Oper. fol. m. 424.* Alia exempla ulcerum, fiſtularum reperies apud Theophilum Bonetum l. a. In Varandæi, Medici, per multos annos Vomitu excruciati, Ventriculô Ulcera qvàm plurima hinc inde fuêre obſervata referente Emanuele Kœnigiô *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 94. Schol. p. 199.*

§. 11.

per Conſenſum. Deinde oritur Vomitus non immediatè ex Ventriculô, ſed ab aliis partibus, vel immediatè vel mediatè cum Ventriculô communicantibus. Illius generis partes ſunt Oeſophagus, Diaphragma & Inteſtina, qvibus cum Ventriculô immediata eſt continuitas. Ratione Oeſophagi oritur Vomitus, dum ille, ſeu fauces, digitô vel plumâ vellicantur, ut Vomitus ipſe aut vomituritio moveatur, hocqve modô nonnullos longævam vitam attigiſſe, ſcribit Petrus Borellus *Cent. 3. Obſ. 93. p. m. 270. ſq.* Pater

meus,

meus, inqviens, Vomitum ſic per ſingulos menſes inſtituit ab aliô edoctus, qvi idem faciens longævam attigerat ætatem; ille verò jam ſeptuaginta attigit feliciter annos; pennam autem novam vel fuſum accipit, qvibus palatum tangit, ſicqve diu manet caput ad inferiora demittens, & paulatim erumpunt aqvæ claræ, tanqvam fonticulum facientes in fuſi oppoſitâ parte; & poſt aqvas veniunt aqvæ verſicolores & amariſſimæ, qvæ cum difficultate emittuntur, & ſic levari aſſerit â multis infirmitatibus, easqve ſic præcaveri. Ratione connexionis Diaphragmatis cum ventriculo, per tuſſim & vehementem Diaphragmatis convulſionem & concuſſionem ſæpiſſime Vomitus concitatur; Ratione Inteſtinorum oritur Vomitus ab eorundem motûs periſtaltici, ſive â Colicâ & Paſſione Iliacâ, ſive â Vermibus, & vulneribus, ſive etiam ab eorundem obſtructione, dependentis inverſione; ſiqvidem per dictum Inteſtinorum motum inverſum & ad Ventriculum usqve continuatum Scybala ad Ventriculum propelluntur Vomituqvè rejiciuntur. Hujus verò generis, ſeu mediatè, ſcilicet per nervos & membranas Vomitum cientes, partes ſunt, verbi gratia, Caput, Epar, Lien, Renes, Meſenterium, Uterus, interdum etiam Pancreas; qvibus non immeritò etiam Phantaſiam ſeu Imaginationem annumerare licet, ſi qvis, exempli gratia, â ſolô aſpectu, vel auditu, vel odoratu rei adverſæ ſeu nauſeoſæ, vel ex præcipitiô qvodam proſpiciens, aut curru vel navi vectus vomere incipit; qvales & alias cauſas varias apud Autores Medicos reperire licet, ex qvibus plurima exempla congeſſit Theophilus Bonetus *l. a. fol. 805. ſeqq.* vid. etiam Joh. Schenck. *Obſerv. Medic. Lib. 3. fol. m. 327. ſeqq.* Matthiæ Moron. *Director. Medic. pract. ſub Titul. p. m. 471. ſeq.* qvibus ſeqventes Obſervationes adjungere libet. Franciſcum Poirotium phlegmonis eryſipelatodis Hepatis decimô tandem menſe violentiâ fractum, morte jam inſtante, non ſine ſummis cruciatibus & intolerabili cardiogmô meracæ bilis porraceæ libras tres

Mmm qva-

qvatuorve evomuiſſe, & porrò in ejus cadavere hepar ſcirrhoſum atroqve virore totum luridum fuiſſe repertum, meminit Carolus Piſo *Obſerv. de Morb. a Colluv. ſcroſ. ſect. 4. pag. m. 320.* Imò Vomitûs biliosi exempla qvotidie in Praxi occurrunt, qvanqvam negandum non ſit, ejusmodi materiam bilioſam non ſemper ex ductu bilioſô per Inteſtinum duodenum ad Ventriculum regurgitare, ſed in ipſô Ventriculô a particulis talismodi Coloris & ſaporis colligi poſſe. Econtra etiam Fridericus Deckers talem Vomitum pravæ pori cholodochi conformationi adſcribit, qvando ſcilicet non in duodenum Inteſtinum ſed in Ventriculum implantetur. vid. Paul. Barbet. *Prax. Lib. 4. cap. 2. Oper. Part. 1. p. m. 99.* qvale exemplum in Ferdinandô III. Romanorum Imperatore annotavit Wolfgangus Hœferus *Hercul. Med. Lib. 3. cap. 3. p. 197.* Cholydochus, inqviens, ad Inteſtina directus, induratus & obſtructus, alter Ventriculo inſertus erat peramplus. Item Cabrolius in Comite diſſectô ductum cholodochum proximè Pylorum inſertum offendit, ita ut non minùs Ventriculo, qvàm Inteſtinis bilem transmitteret: qvæ etiam illi cauſa fuit, qvod ſæpius nauſearet vomeretqve. vid. Joh. Bohn. *Diſput. de Vomit. §. 12.* Et Joh. Brœn. *de duplic. Bile Veter. cap. 5. p. m. 77.* ſcribit, nonnunqvam ductum biliferum inſeri in ipſius Ventriculi fundum aut etiam aliqvam Pylori partem, unde bilis facillimè ſuperveniente aliqva convulſione evomatur.

§. 12.

à Caſu ab alto. Poſt Caſum ab alto Vomitum annotavit Ehrenfridus Hagendorn. *Tract. de Catech. Sect. 4. cap. 2. Artic. 4. p. m. 75.* in puerô, qvi inter ludicra, qvibus indulſit, ex vertice collis in foſſam huic vicinam delapſus, hinc nihil loqvi ampliûs nullaqve Intellectûs ſpecimina edere potuit. Unde æger ſemianimis domum portatus per Vomitum cuncta ore ingeſta rejecit, difficulterqve reſpiravit. Ludolfus a Biſmarck ſeptendecim annorum & qvod excurrebat, cùm menſe Decembri leporem vena-

naretur in arvô congelatô in capitis partem, ſiniſtri præſertim lateris, unâ cum eqvô præcipitem egit. Oculus ſiniſter dimidii pugni magnitudine intumuit, cum graviſſimis capitis doloribus; his acceſſere inſomnes noctes; ſiniſtra pupilla aliqvantiſper profundiorem dextrâ habebat ſitum, unde etiam omnia ipſi dupla videbantur; appetitus erat mediocris. Extra lectum ſi aliqvid cibi aſſumebat, vomitus ſeqvebatur; annotante Caſpare Theophilo Bierlingio *Theſaur. theor. pract. Caſ. 18. p. m. 218. ſq. &c.*

§. 13.

De Vomitu lethali ab Hepate ſcirrhoſô per navigationem inconſvetam & ebrietatem in Gangrenam & Sphacelum mutatô, vid. Gottlobi Schoberi diſſertatio *in Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. Append. p. m. 147. ſeqq.* De Vomitu ab Hepatis abſceſſu aliisqve ejusdem vitiis vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 8. Obſ. 37. ſeqq. fol. m. 809. ſeq.* *a Pancreate.*

§. 14.

A Pancreate vitioſô ortum vomitum annotavit Paulus Barbette in Sartore qvodam, qvi nihil retinebat aſſumptorum ciborum potuumve, continuòqve pituitam vel lympham qvandam craſſam evomebat. Poſt mortem hujus viri in apertô cadavere Pancreas totum corruptum imò ſphacelatum fuit repertum, juxta Paul. Barbette *Prax. lib. 4. c. 2. p. m. 109.* Chirurgus qvidam Renum & Dorſi doloribus afflictus fuit cum Vomitu graviſſimô, hinc calculoſus ab omnibus judicatus. Pancreas putridum erat, corruptum, cancro affectum, qvi ulterius ſerpendô ambos qvoqve renes corrupit. v. Theoph. Bonet. *l. a. f. 815.* Vetula qvædam Vomitum qvotidianum poſt prandium & cœnam patiens in Atrophiam & Maciem incidens tandem mortua eſt. Sectô Cadavere Pancreas ita durum inventum fuit, ut lapidem æmularetur: ob hanc igitur cauſam Vomitus ciebatur &c. vid. Dominici Panarol. *Obſerv. Pentecoſt. I. Obſ. 44. p. m. 27.* Et Franciſcus Sylvius *Prax. med. Lib. 1. cap. 15. §. 11. pag. m. 190.* *Scirrhus Hepatis.*

190. ſangvinem ab inteſtinis vi ſurſum per vomitum effuſum, ſi non ſemper, utplurimum ſaltem ex Pancreate, propter vas aliqvod in ipſo à ſuccô acriore apertum, prodire ſuſpicatur.

§. 15.

à Liene. A Lienis vitiô qvandoqve Vomitum dependere teſtantur Autores. v. g. Girandus, Septuagenarius, Senator Neoconenſis, Anno 1664. Vomitu acerrimi & nigerrimi humoris per intervalla premebatur; præcedebat immanis Ventriculi dolor, terebranti ſimilis, digitôqve in Os immiſſô talem humorem eliciebat; Tandem, prægreſſis maximis Ventri doloribus, obiit. In hujus apertô Ventriculô præter nucleos ceraſorum pridie ingeſtorum, nihil repertum, ſed Lienis ſumma & tertia circiter pars omninò abſumta erat, qvaſi mordicus amputata, obſervante Theophilô Bonetô *Mercur. compital. Lib. 18. §. 19. f. m. 730.* vid. etiam ejusdem *Medic. Septentr. Lib. 3. Sect. 5. cap. 4. f. m. 528.* Vomitum cruentum lethalem ex Sangvinis in Vaſis ſplenicis ſtagnatione in Cive Lipſienſi annotavit Johannes Bohnius: Nimirum vir ille cachecticus ſatis ex improviſô multum ſangvinis & cum hoc repentè animam evomebat, in cujus cadavere Epar planè, Lien verò qvoad ambitum exteriorem tantùm ſcirrhoſum, Ventriculus & Oeſophagus ſangvine turgidi, Cordis autem Ventriculi & Vaſa majora eodem vacua obſervata fuerunt; ſine dubio, qvod nec â Liene nec ab Epate ſcirrhoſô admitti potuerit viſcerum illorum ſangvinis dimenſum, adeoqve per Vaſa gaſtrica ſplenicis continua horumqve rupturas aut anaſtomoſes cum impetu lethali ad & per Ventriculum rejectum fuerit. vid. Joh. Bohn. *Diſput. de Vomit. §. 13.* Viro cuidam, qvi à freqventi Vomitu ſangvinis Aſciticus factus fuerat, per prominentem Umbilicum, laneô filô ſeu liciô transmiſſô, aqvoſus humor ſenſim effluxerat, ſed nihilominus non multò pòſt mortuus eſt. Hujus Lien ſangvini concreto ſimilis, ſubſtantiæ ſoliditatem haud retinens facilè in partes ſolvebatur, juxta Rembert. Dodon. *Obſ. med. cap. 26. p. m. 64.*

§. 16.

§. 16.

Renum Inflammatione & Suppuratione, item Calculô laborantes Vomitu vexantur. Refert enim Georgius Segerus, Adoleſcentem novendecim annorum per bene longum tempus immenſis doloribus circa Veſicæ & ſiniſtri Renis regionem, Vomitibus freqventibus & dolorificâ Urinæ excretione mirum qvantum excruciatum obiiſſe, in qvo totum illius Renis parenchyma erat ſuppuratum, imò in pus planè converſum, unde tunicâ illius ſcalpellô ruptâ pus fœtidum in Abdominis cavitatem copioſè effluxit. In Veſicæ cavitate nulla Urina, ſed ſolum Calculus exactè rotundus, aſt nimium aſper, ſesqviunciam ponderans continebatur: *vid. M. N. C. Dec. I. An. I. Obſerv. 16. p. m. 65.* Ejusmodi exempla Vomitûs imprimis ratione Calculi qvotidie occurrunt. *à Renibus.*

§. 17.

Cartilago mucronata Sterni freqventiùs, qvàm qvidem Practici annotant, indebitè incurvatur, ab humoribus affluentibus plùs juſtò emollita; ſicqve mucrone ad interiora vergens Ventriculum premit; unde Appetitus proſtratus, adſumptorum Vomitus, imò Ventriculi continuus dolor, totiusqve Corporis Atrophia, juxta Paul. Barbett. *Anat. pract. Lib. I. cap. 4. p. m. 16.* Et qvot qvæſò Virgines & aliæ mulieres, tam nobiles, qvàm ignobiles, ut teneriores circa thoracem appareant, ob preſſionem dictæ Cartilagiuis mucronatæ, mediante certô inſtrumentô ligneô vel ferreô, Gallis Planchette dictô, factam, à Cibis penitus abſtinere coguntur, aut aſſumptis cibis Vomitum & alia ſymptomata experiuntur? Poſſe autem Scirrhum penes Ventriculum exinde oriri ex Turrianô refert Wolfgangus Hœferus *Hercul. medic. Lib. 3. cap. 1. p. m. 166.* inqviens: Virginis, Alexandræ Spinolæ, Vomitum poſt qvamlibet cibationem patientis, medicationem tamen ferentis, ſatis rarum exemplum, deſcribit Bartholomæus Turrianus, in Buliatria, *fol. 270.* ubi *à Cartilagine mucronata.*

Symptoma hoc non Ventriculo, ſed utero adſcribit, & Scirrhô penes Ventriculum, ex retentione qvinqvennali Menſium, & cumulatione plurimorum excrementorum, nec non geſtatione alicujus cornu, vel ligni, Gallicè Planchette, contractô, qvô noſtræ nobiles mulieres etiam in hoc tempore, non ſine diſpendiô Valetudinis, ut erectæ incedentes ſuperbiant, utuntur. Sic enim non ſolùm Ventriculum comprimunt, ſed & pectus coarctant atqve reſpirationem impediunt, & ſic evadunt cachecticæ & flatuoſæ: unde audimus, apud Juvenculas imprimis, ſæpiùs regurgitantes flatûs circa has partes, qvas vel per prædictum Inſtrumentum, vel per veſtimenta anguſta, comprimunt, qvaſi ranas coaxantes ſubtus abſconditas haberent. &c.

§. 18.

A titillatione ſub alis.

Qvosdam titillatione ſub alis in Vomitum abripi, ſcribit Johannes Michael Fehr *Hier. picr. ſeu de Abſinth. p. m. 104.* Idem etiam *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 2. p. m. 20.* probat exemplo: Vidi, inqviens, puerum ſeptendecim annorum, qvi ſub axillis leviter titillatus enormiter vomebat, & omnia viſcera excuſurus videbatur, ſi diutius eô modô vexaretur, qvod non tam impreſſioni fortiori, qvàm exultationi ſpirituum animalium attribuendum eſſe cenſeo, adeò ut riſus potiùs ſextus ſenſus eſſe videatur; qvàm Scaligeri ſextus ſenſus.

§. 19.

à Vellicatione auris.

A Vellicatione Auris membranæ, Tympani dictæ, Vomitum annotavit Johannes Nicolaus Pechlinus in præcipuô belli Duce, cui auris internæ aut membranæ Tympani ſenſus tam acutus erat, ut vel leve ejus irritamentum Stomachum ſubverteret magnosqve excitaret Vomitûs; neqve alio hic conatu, qvàm digiti contrectatione, opus erat. vid. Joh. Nicol. Pechlin. *Obſerv. phyſic. medic. Lib. 2. Obſ. 45. p. m. 320.*

§. 20.

à diſtorſione pedis.

A diſtorſione Pedum & Manuum Vomitum & alia Symptomata

mata obſervarunt Medici. Ipſe enim Johannes Baptiſta van Helmont emturus villam obambulabat cum inſigni appetitu, tum fortuito diſtorſit pedem, lapſus eſt, rigor ſtatim obvenit, cum Nauſeâ, vomitu, & ſuffocatô edendi priore appetitu: mox verò diſtortum pedem ac ſemidislocatum repoſuit, adqve eodem inſtanti redditus eſt ipſi appetitus priſtinus & nauſea ceſſavit. v. Helmont. *Pylorus Rector.* §. *20. Oper. fol. m. 141.* Et Joſephus Lanzonus Anno 1696. obſervavit adoleſcentem, qvi currens cecidit illiqve manus ſiniſtra diſtorta fuit, & illicò Vertigo ac Vomitus non exiguus ſucceſſit, cum totali corporis tremore; defertur hic domum, ſtatimqve vocatô chirurgô ſemidislocata manus repoſita eſt, qvam repoſitionem ſubitò ſecuta eſt Vomitûs ceſſatio & Vertiginis ablatio; Ex qvô apparet, maximum eſſe conſenſum inter ventriculum ac nervos manuum & pedum &c. *v. M. N. C. Dec. III. An. IV. Obſ. 69. p. m. 155.*

§ 21.

De Vomitu ab Aëre omnibus obviô, qvi per Montem Peruvianum ſublimem, cui Nomen Periacaca, peregrinantur, refert doctiſſimus Jeſuita Joſephus Acoſta *L. 3. c. 9.* qvòd, utut montem hunc aggreſſus ſit præmunitus, qvoad fieri potuit, qvàm optimè, ut effectûs aëris penetrantis peregrinantes vulgò afficientes declinaret, omni curâ ſuâ nihil remorante, ſummitate montis conſcenſâ, tantis obrutus fuerit tormentis atqve doloribus, ut vel ipſum Cor ſibi evomendum putaret: Bilem enim & Phlegma, viridis flaviqve coloris, tandemqve etiam ſangvinem ejicere coactus, tribus vel qvatuor horis valde ægrotavit, donec frui licuit Aëre temperatiore, qvàm circa montis cacumen, qvod ad 500. Leucas extenſum; nonnullos è comitibus, diſpari tamen modô, proprietate hac tædioſâ, ſurſum atqve deorſum purgavit. vid. Robert. Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. cap. 13. §. 13. p. m. 304.* *Ab Aëre.*

§. 22. Fœ-

§. 22.

à Tonitru. Fœminæ cuidam, cùm Tonitru audiretur, ſemper laxata alvus, crebræqve fuerunt Vomitiones, qvales nec à fortiſſimis effici medicamentis poſſint, uti ex Actis Anglicanis Henrici Oldenburgii *p. 550.* refert Daniel Georgius Morhofius *Epiſtol.* ad Joh. Daniel. Majorem *de Scyphô vitreô* per certum humanæ vocis ſonum rupto *E. b.* Qvam Obſervationem ipſe Oldenburgius *l. a. An. 1667. Menſ. Novembr. p. m. 446.* ſeqventibus verbis recenſet: Fœmina Raymund de Stow-marcket, qvandocunqve tonitru percipit, etſi è longinqvô, Corporis morbô afficitur, debilitatur, Stomachi infirmitate laborat, pronaqve eſt in Vomitum. In ipſô momentô (at the very Coming over of it) incidit in perfectam Choleram & perſeverat in Vomitu & profluviô Ventris, qvoad tempeſtas durat, idqve modô violentiore, qvàm ſoleat procurari Medicamentis in hunc finem præſcribi ſolitis. Et ita ſe habuit fæmina illa â pueritiâ.

§. 23.

ex Croco Metallorum. Vomitum ex admotô cruribus decoctô Croci Metallorum annotavit Johannes Georgius Sommerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 43. p. m. 120.* Scilicet puero trienni, pertinaci Herpete miliari in crure affecto, poſt adhibita univerſalia decoctum Croci Metallorum externè admotum aliqvoties movit Vomitum, poſtqve ejusdem adhibitionem Herpes diſparuit.

§. 24.

à Tabaci externâ applicatione. De Vomitu ab internô Tabaci uſu paulò ante §. *8.* egimus; ab externâ qvoqve Nicotianæ applicatione Vomitum excitari, Obſervatione confirmat Adamus a Lœbenwald ſeqventibus verbis: Chirurgus mihi notiſſimus & â meâ directione dependens, Curationem ſuſcepit cujusdam Juvenis ruſtici, cui in terram lapſo femur dextrum â rotâ currûs onuſti ita contuſum & contritum fuit, ut Caro muſculoſa denudata ab oſſibus qvaſi divulſa cerneretur. Diu actum fuit mundificantibus, ſiccanti-

ſiccantibus, ſarcoticis, epuloticis, ſed continuus humorum affluxus omnem operam & vim medicamentorum eluſit. Pulverem Tabaci, utpote herbæ vulnerariæ, aſperſit parti læſæ, ſed vix hoc factô, patiens ad enormem Vomitum fuit concitatus. Retulit mihi inopinatum hoc ſymptoma prædictus Chirurgus, qvod ex naturali cauſâ forſan ortum ſuſpicatus juſſi, ut inſperſionem hujus pulveris repeteret; dictum factum, ſemper inſperſionem immediatè ſeqvebatur vomitio. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 108. p. 262. ſq.* Item Vomitionem poſt linimentum aut fotum è ſucco aut decocto Nicotianæ Capiti adhibitum ſuccedere, ſcribit Thomas Williſius *Pharmac. rational. Part. I. cap. 1. p. m. 30.* ubi medicamentum hoc potiùs Cerebrum, qvam Stomachum, impetere addit. Simile exemplum recenſet etiam Johannes Bohnius *in Colleg. de Mater. med.* de puellâ Lipſienſi, qvæ, cùm parentes ipſi, ad pediculos â Capite depellendos Ungventum ex Nicotianâ & Butyrô (Taback-Butter) applicarent, in Lipothymias incidit, vomitusqve crebros paſſa eſt; hujus etiam mali origo perſpecta non fuit, usqve dum conſultô Medicô Ungventum removeretur, unde ſponte ſuâ id receſſit. Sic etiam Radix Hellebori fonticulô admota alvum ſubducit & vomitum qvandoqve movet, qvòd ſangvis hac velut tabe infectus & circuitu ſuô in Ventriculum illabens ad expulſionem illum ſtimulat, juxta Joh. Baptiſt. du Hamel *Oper. philoſoph. Tom. II. Lib. 2. cap. 3. p. m. 161.* *à Radice Hellebori.*

§. 25.

A Mœrore ortum Vomitum obſervavit Henricus ab Heer *Obſ. medicin. Obſ. 26. p. m. 221. ſeq.* Videlicet Nobilis & Generoſus Dominus, patriâ Hollandus, genere Reneſſius, utroqve parente orbus, ſub ætatis annum vigeſimum octavum, cùm mater fatis conceſſiſſet, plurimum mœruit, nihil appetivit, parùm vel minimùm dormivit. Ineunte qvadrageſimâ præteritâ, qvæ- *a Mœrore.*

cunqve deglutiverat, vomitione rejecit, ſeqvente ilicò extremorum frigore intenſiſſimô. &c.

§. 26.

ab Idioſyncraſia.

Huc etiam referenda eſt ingratorum vel certâ qvadam Idioſyncraſiâ ſeu Antipathiâ adverſariorum ferculorum vel Pharmacorum oblatio, interdum etiam ſola eorum nominatio, qvæ hunc vel illum ſenſum, vel Phantaſiam commovendo non rarò ad Vomitum urgent; & licet talia aliis alimentis obvolvantur ſicqve inſcienter deglutiantur, in Stomachô tamen ſentiuntur ſubitoqve vomitu rejiciuntur. Qvalia exempla jam ſuprâ Capite tertiô de Nauſea recenſuimus, v. g. Cùm Hiſpanus qvidam, qvi piſces nunqvam guſtare potuerat, ab amicô autem vocatus datâ Operâ piſcem ſiccum optime piſtum ovisqve obvolutum ederet, in animi anguſtias cum Vomitu devenit, ut ferè moreretur, juxta Amat. Luſitan. *Curat. medicin. Cent. 2. Curat. 36. fol. m. 166.* Ancilla, qvæ a nativitate â Vinô abſtinuerat, ſolô ejusdem odore Vomitu afficiebatur, teſte Joſephô Lanzonô *M. N. C. Dec. III. An. 7 & 8. Obſ. 103. p. 171.* Johannes Prævotius caſeô ſectô commodè veſcebatur, tritum verò ſine Vomitu guſtare non poterat, vid. Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 58. p. m. 83.* Alios ſolâ Caſei mentione factâ horrendis vomitibus tortos, refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 10. App. p. 60.* Scribit etiam Johannes Jacobus Harderus, ſe noviſſe, qvi ex ſolô Medicamenti cathartici aſpectu aliqvoties vomere neceſſe habuerint, particulas ejus necdum odorati, *vid. ejusdem Apiar. Obſerv. 40. Schol. p. m. 183.* ubi etiam ex Wepfferô meminit fœminæ, qvæ, qvoties Pharmacopolium præteribat poſt morbum chronicum, tota exhorruit, nauſeâ correpta fuit, & vix vomitum evitare valuit. Betæ rubræ neqve præſentiam, neqve etiam ſolum nomen, Civem qvendam Dreſdenſem ferre potuiſſe, ſed ſtatim ad Vomitum concitatum fuiſſe, pariter ſuprâ Capite tertio recenſui. Imò illum in præſentiâ duorum Sereniſſimorum Princi-

pum

pum â ſolô audito vocabulo, rothe Rüben/ Vomitum cohibere minimè potuiſſe memini.

§. 27.

De Nauſeâ & Vomitu Navigantium excitando hæc habet Johannes Michael Fehr *Hier. picr. vel de Abſinth. p. m. 104.* Nauſea marina non ab ipſâ, ut qvidam putant, Maris ſalſedine & fœtore, ſed ab agitatione continuâ proficiſcitur, & in dulcibus etiam aqvis ab impetuoſis procellis multùm agitatis nonnunqvam accidit, inexpertis tamen, ut contigit qvibusdam Adami Olearii comitibus in itinere Perſico, Rha ſeu Wolgam Ruſſiæ flumen Anno 1635. trajicientibus; unde & pro ciendâ Nauſeâ Vomituqve Perſiæ medicaſtri hominem lintri excavato impoſitum & qvatuor laqveis in ſublime tractum ſubitò iterum demittunt, ut rotatione iſta ſubitaneâ faciliùs moveatur ad Vomitum. Alium in navigantibus excitandi Vomitûs modum refert Boyle *de Utilitat. Philoſoph. experiment. Exercit. 5. cap. 14. p. m. 309.* Notata dignum eſt, inqviens, qvòd ſi qvis, mare ſulcans, Nauſeâ, non tamen ad Vomitum ſufficiente, tentetur, â Nautis de navis latere in aqvam proſpicere jubeatur, qvò celeri navigii curſu, aqvâ rapidè profluere viſâ, velocis fluminis vices explente, ſpectator vertigine concitatâ faciliùs vomere poſſit: qvod ipſe non ſemel ſanitatis cauſâ Nauſeam promoturus expertus ſum. De qvâ materiâ vide plura in Joh. Helwig. *Obſerv. phyſ. med. Obſ. 77. Schol. p. m. 242. ſqq.*

A Navigatione.

§. 28.

Deinde variat Vomitus ratione excretorum, & qvidem tam ratione coloris, qvam conſiſtentiæ & durationis &c. v. g. Alimentorum aſſumptorum citam per Vomitum ejectionem obſervavit Emanuel Kœnig in Virgine qvadam ſummè macilentâ, gracili, pallidâ, qvæ elapſis aliqvot annis dolorem gravativum circa præcordia ſentiens poſt excandeſcentiam animadvertit aliqvid circa ſcrobiculum cordis velut rumpi, ſubſeqvente pluri-

Vomitûs differentia.

morum purulentorum ac biliosorum vomitu; Qvieti ſe tradens ac parum comedens aliqvandiu meliùs ſe habuit; verùm poſt aliqvot menſes ſimilem purulentorum per os ejectionem paſſa eſt, qvam ſecuta ciborum aſſumendorum Nauſea, maximè qvia qvævis tandem deglutita in ventriculô ritè retineri haud potuêre, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 94. p. 197.*

§. 29.

Pituita. Humoris viſcidi ſeu pituitoſæ materiæ magnam ſæpe qvantitatem excerni nil mirum, cùm ejusdem maximus proventus per ἀπεψίας & cruditates non raro oriatur, ſi Ventriculus debilitatus alimenta non in chylum laudabilem, ſed in ejusmodi pituitoſa excrementa convertat, vel alimenta ſucci crudioris in nimiâ qvantitate ingerantur. vid. Joh. Bohn. *Diſp. all.* §. *20.* Ejusmodi exemplum recenſet Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 2. cap. 6. p. m. 302.* ſcilicet Filia annos viginti nata, optimè valens, ſtatim de Ventriculi pondere qveſta cum pulſu intermittente & reſpiratione difficili, Vomitu excitatô plurimam pituitam albeſcentem & inſipidam excrevit: unde allevata per dimidium qvadrantis horæ acqvieſcens, cum ejulatu denuo evigilata priſtinis ſymptomatibus ſe affici plangebat, iteratô qvo factô Vomitu copioſiorem adhuc pituitam rejecit, hacqve evacuatione ſæpe repetita tantam qvantitatem evomuit, ut duorum dierum ſpatiô ultra duodecim libras excreverit. De Vomitu majori ex parte pituitoſo, qvem illuſtris Domina ſæpenumero multis diebus continuis patiebatur, vid. Thom. Mermann. *Conſultat. med. Lib. 3. Conſult. 10. fol. m. 186.* Juvenis octodecim annorum conqveſtus aliqvandiu de inſigni Ventriculi dolore evomuit tandem ingens concretæ pituitæ fruſtum, longum qvatuor at latum digitos duos, intus albicans inſtar Caſei recentis, at foris obductum tenui involucrô. v. Nicol. Tulp. *Lib. 2. Cap. 23. p. 138.* v. etiam Lazari River. *Obſerv. med. Cent. 2. Obſerv. 48. p. m. 137.*

§. 30.

§. 30.

Vomitum cruentum, & ita qvidem, ut modò ſangvis floridus, modò congrumatus, ab utriusqve ſexûs perſonis rejiciatur, multi annotarunt Autores, qvorum alii fontem in Epate, alii in Liene, alii in uterô qvæſiverunt, qvanqvam ſangvis etiam ob ipſius Ventriculi vaſorum propriorum rupturam & eroſionem profundi poſſit. vid. Paul. Gothofr. Sperling. *Diſput. de Vomit. cruent.* §. 4. *p.* 7. Joh. Bohn. *Diſput. de Vomit.* §. 23. Rembertus Dodonæus *obſerv. medicin. cap.* 26. *pag. m.* 63. meminit cujusdam, qvi, poſtqvam longô tempore ex Jecinore malè habuiſſet, ſangvinis violenta ſuperveniente Vomitione mox ſublatus eſt. Ibidem etiam dictus Autor alia exempla adducit. In Cardinali Cibo Vena, qvæ â Liene ad os Ventriculi tendit, inſignis erat magnitudinis: qvæ cùm primum ob anaſtomoſin vel fracturam reſerata eſt, illicò Ventriculus ſangvine repletus fuit, & non modò Ventriculus, ſed Inteſtina omnia: licet, dum adhuc viveret, in morbô ipſô libras aliqvot, tum per vomitum rejeciſſet, tum per ſeceſſum dejeciſſet; juxta Reald. Columb. *Anatom. Lib.* 15. *p. m.* 492. Seqventem obſervationem de ſangvinis Vomitu enormi atqve lethali refert Auguſtinus Thonerus *obſerv. medic. Lib.* 3. *p. m.* 140. Andreas Herrenſchmied, Gymnaſii Ulmenſis Profeſſor, Vini largiore hauſtu ſe exhilarans & veſperi tardius domum repetens celeri gradu, ne, clauſis portis, Urbe excluderetur, eò contendens in ſangvinis vomitum exundantem incidit ad mortem usqve perſeverantem. Ipſô vitâ functô, cadavere reſeratô, inter alia obſervata Lien erat ſat magnus Coloris ſangvinei, ſine ulla labe conſpicuus: In totâ venâ cavâ & Arteriâ magnâ nil qvicqvam ſangvinis repertum, in aliis etiam vaſis nihil, præter qvasdam mucilagines tantillô cruore imbutas, obſervatum. Vir qvidam in Daniâ ſexagenarius Vomitum cruentum perpetuum patiebatur, magnâqve copiâ per ſtatas vices ſangvinem rejiciebat â Liene, nulla vitæ aut valetudinis Sangvinis.

letudinis damnô, ſed ſalutari evacuatione. Supra trigeſimum annum eô commodô gaviſus eſt, ſanusqve hoc mediô vixit, & ſi ſubſiſteret, vitæ ſuæ & incolumitati timuit, vid. Thom. Barthol. *Hiſtor. anatom. Cent. 3. Hiſt. 36. p. m. 76.* Vir qvadraginta annorum poſt ulcerum in pedibus conſolidationem una vice ſex libras ſangvinis & poſtmodum iterum magnam qvantitatem cum ſubſeqvente morte evomuit, teſte Johanne Sculteto *Armament. Chirurg. Part. II. Obſ. 59. pag. 86. ſeq.* Miles qvidam ex præcipuis tantâ ſangvinis copiâ abundabat, ut menſtruatim vomitu ejusdem nimietatem natura ejiceret; Imò iſte miles aliqvando totô octiduô qvotidie venam aperiri juſſerat; nec tamen vomitus menſtruus ſangvinis intermittebat, juxta Martin Heer *Introd. in Archiv. Archei p. m. 80.* Virgo qvædam ſancta Ulceri antiqvo ac tetro tibiæ dextræ adſtringentia & ſiccantia admoverat; unde ſangvinis vomitus, cum dejectione ac vomitu atræ bilis, qvæ atramentum ſcriptorium nigritie ſuperabat, v. Joh. Rhodii *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 65. p. m. 86. ſeq.* Poſt largiorem Vini Hiſpanici potum Baro qvidam ingentem ſangvinis copiam vomitu rejecit, juxta Tim. a Güldenklee *Lib. 3. Caſ. 6. p. m. 116.* De Magnate qvodam Auſtriacô ſæpiſſime, in animi præſertim affectibus, ſangvinem evomente, nihilominus robuſtô v. Wolffgang. Hœfer. *Hercul. med. Lib. 3. cap. 3. p. m. 199.* Poſt varia ſymptomata Locumtenens qvidam, nullô prægreſſô violentô motu, circa noctis initium in Diarrhœam incidit ſeroſam, cruentam, ſine omni tamen dolore, ſed adeò vehementem, ut illâ nocte ſedecim ad viginti ſedes primò nigricantes, ſummè fætidas, poſtea ſinceras habuerit; inſeqventi primo mane ſedili inſidens, abſente omni vehementi commotione vel doloris cujusdam ſenſu, patitur Vomitum ſangvineo-carnoſum, magno impetu per fauces erumpentem, unà cum ſangvine ſincerô, multâ copiâ, unam libram excedente, carnis parenchymaticæ, membranis tenuibus præditæ, in fruſtula nunc minora, nunc

majora,

majora, qvorum aliqva fere unius, duorum digitorum longitudinis ac craſſitiei, concerptæ, Lienem, Hepar vel Pulmonem corruptum & laceratum accuratè repræſentantis, ſecundum Obſervationem Chriſtiani Erneſti Clauderi *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 164. p. 318. ſeq.* Vomitum ſangvinis ab hauſtâ in potu hirudine atqve poſt aſſumptum Oleum amygdalarum dulcium rejectâ in ruſticô annotavit Lazarus Riverius *Obſ. med. Cent. 4. Obſ. 25. p. m. 17.* Vomitum cruentum ſatis vehementem â Lumbricis ortum in Sartore qvodam annotavit Georgius Wolfgangus Wedelius *ib. An. 1. Obſ. 7. p. 19.* Plura exempla qvotidie occurrunt. Videatur inſuper Joh. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 3. fol. m. 328. ſeq.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 8. Obſ. 70. ſeqq. fol. m. 821. ſeqq.*

§. 31.

Interdum etiam ſangvis menſtruus in Virginibus & maritatis, qvandoqve etiam in ipſis gravidis, per Vomitum ſibi exitum qværit, qvando nimirum Sangvis ſtatis temporibus ejici conſvetus per Uterum non eliminatur, ſed ſtagnatione ſuâ in corpore acervatus Ventriculi qvoqve Vaſa nimium replet, eaqve ad rupturam & Ventriculum ad Vomitum cruentum disponit. vid. Paul. Gothofr. Sperling. *Diſp. alleg. §. 4. p. 9. 14.* Vetula ſeptuagenaria, nunqvam menſtruata, ab adoleſcentiâ menſes per Os ejeciſſe legitur apud Dominicum Panarolum *Pentec. I. Obſ. 6. p. m. 4.* Mulieri Hafnienſi ſolitæ Menſium purgationes per annum ſubſtiterant, ſtatis econtra Menſium vicibus Vomitum Sangvinis, ſatis ſubinde grumoſi patiebatur, ſine ullâ de Liene qverimoniâ. vid. Thom. Barthol. *Cent. 5. Hiſt. 32. p. m. 54.* Patavii duæ vixerunt fœminæ, una Deo dicata, altera cælebs, qvæ imminente fluxu menſium pridie ſangvinem innoxiè rejecerunt, imò Vomitum præſenſêre. Qvem ſi Medicus cohibere tentaret, varia ſuborta ſunt accidentia, ipſô Vomitu ſublata, referente Johanne Rhodiô *Obſ. medic. Cent. 2. Obſ. 64. p. m. 86.* *Menſium.*

Probatæ

Probatæ Virgo vitæ, texturæ raræ, corpore gracilis, facie pallida, ante & poſt tempus menſtrui primum morbis multis obnoxia, Diſpnœa, pallore, Ventriculi imbecillitate laborans, remorata his temporibus menſtrua habuit, unde evomuit materiam atram, ſangvineam, copioſam &c. juxta Philipp. Hœchſtetter *Obſ. med. Dec. 2. Caſ. 6. p. m. 156.* Fœmina qvædam ætate qvadragenaria, â retentô ultra biennium fluxu menſtruô ſingulis menſibus circa ultimam Lunæ qvadraturam copioſiſſimum Sangvinem Vomitu rejiciebat; qvæ â medicamentorum ſangvinem ſiſtentium & contra Vomitum cruentum facientium, â Chirurgô præſcriptorum uſu, peſſimè habebat, teſte Baldaſſare Timæo â Güldenklee *Lib. 4. Caſ. 12. p. m. 211.* Virgo viginti unius annorum plethorica corripiebatur aliqvando poſt diuturnam menſium ſuppreſſionem, improviſô Vomitu ſangvinotenlô per tres dies continuante, uti obſervavit Benjaminus Scharfius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 101. p. 25.* Virginem ſingulis menſibus Menſtrua per Vomitum rejicientem vidit Simon Schulzius *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 75. p. m. 63.* Meminit etiam Gregorius Horſtius *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſerv. 5. fol. m. 156.* uxoris cujusdam Vietoris, qvæ Menſium obſtructione laborans per multos annos, ad ætatem declinantem usqve, Vomitûs ſangvineos freqventer patiebatur, absqve inſigni noxa. Ejusmodi fæminarum exempla bina Roſino Lentilio fuerunt nota, qvibus per ſingulos Menſes fluxus Sangvinis per Os contingebat; altera triginta qvatuor circiter annorum Virgo, altera viginti trium annorum, maritata qvidem, ſed ſterilis. *v. M.N.C. Dec. II. An. 10. App. p. 58.* Uxor Caſpari Strigelii, annorum triginta octo, tempore Menſtruationis in crebrum incidebat ſangvinis Vomitum, hocqve tempore conſvetô & fluxui menſtruo determinatô ſupprimebantur Menſes, juxta Martin. Ruland. *Curat. empyric. Cent. 5. Curat. 4. p. m. 160.* Et *Cent. 4. Curat. 67. p. 275.* Jacobi Denhoferi filiæ mentio fit, qvæ annos ſeptendecim

decim nata non ſine Vitæ diſcrimine circiter octo libras ſangvinis vomuit. Religioſa Virgo Franciſcana triginta annorum, ab aliqvô tempore imminutam demumqve omnimodè ſuppreſſam Menſtruorum fluxionem patiens, ſtatô tempore Vomitum ſangvineum experiebatur, juxta Bernh. Verzaſch. *Obſ. 13. p. m. 34.* Rodericus â Caſtro *de Morb. Mulier Lib. 1. cap. 3. p. m. 10.* refert, Comitiſſam Villæfrancæ, niſi ſingulis menſibus ſufficientem ſangvinis copiam per os rejectaſſet, in febrem & graviſſima Symptomata incidiſſe. Mulier ætatis triginta annorum a primô conceptionis Menſe usqve ad ultimum ſingulis diebus vomuit ſangvinem, nonnunqvam floridum, nonnunqvam aliqvatenus coagulatum, in ſatis magnâ & octo Unciarum qvantitate, ſine tamen noxâ. Juxta Benjamin. Scharffii Obſervationem *v. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 6. p. 43.* Mulier Florentina, cùm intolerabili Capitis dolore ex retentione Menſium affligeretur, his Vomitu ejectis convaluit: & ne morbus iterum recrudeſceret, Saphenæ ſectione ſibi cavit, ex Obſervatione Johann. Langii *Epiſt. medicin. Lib. 1. Epiſt. 40. p. m. 173.* Simile exemplum annotavit etiam Antonius Benivenius in Muliere, qvæ acerbiſſimô urgebatur Capitis dolore, propterea qvòd menſtrua non provenirent: verùm his demum Vomitione propulſis, ilicò ſublatus eſt dolor. Sed cùm id iterum iterumqve ac ſæpius factitâſſet hæc Mulier, ſolâ ſangvinis miſſione ex Venulâ, qvæ ſub talo eſt, priſtinæ ſanitati reſtituebatur, v. Anton. Beniven. *Obſ. medic. cap. 41. p. m. 196.* Puellam Menſtrua tempore cujusvis purgationis menſtruæ Vomitu magnâ qvantitate, & qvidem absqve ullô detrimentô, ejicientem vidit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rarior. Obſ. 17. p. m. 196.* vid. etiam Schenck. *l. a. fol. 328.* Matth. Moron. *Director. Medic. pract. p. 396. ſeq.* Fœminæ etiam puerperæ Menſes ſeu Lochia per Os & nares copioſiſſimè fluxiſſe refert Amatus Luſitanus *Curat. medic. Cent. 2. Curat. 17. fol. m. 145.*

§. 32.

Materiæ nigricantis.

Sæpe qvoqve occurrit Vomitus materiæ nigricantis, præſertim in ſcorbutico-hypochondriacis, qvam alii ſangvinem congrumatum, alii bilem atram appellare ſolent. Ejusmodi exempla modò allegati Autores Schenckius & Moronus adduxerunt. Sic Auriga, Nicolaus Dauner, annorum ſexaginta octo, habitu procerô & macilentô, crapulæ aſſvetus, ab Autumno Anni 1682. qveſtus de doloribus in ſiniſtrô Ventriculi latere, ſentiebat ibi duritiem cum torminibus & revomebat plerumqve, qvod manducârat, poſt dolores. Annò 1683. Januarii initiô atra copioſa vomebat, hinc nonô die cruentis miſta & fœtida, & paulò pòſt moriebatur, juxta relationem Salomonis Reiſelii *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 86. p. 174. ſeq.* Heldburgi obiit qvidam ſylvarum præfectus, qvi ante mortem aliqvoties vomuit aqvam nigram, qvaſi fuligine miſtam. vid. Joh. Hornungi *Ciſt. med. Epiſt. 76. p. m. 207.* Ibidem etiam refert Andreas Libavius, qvod in cujusdam ex ordine eqveſtri apertô Ventriculô magna copia aqvæ nigræ inſtar atramenti ſcriptorii inventa fuerit. Nigra Juvenis qvidam annorum viginti dejecit per alvum, ac per Os cum magnô conatu. Excreta dicta nigra inſtar Cereviſiæ craſſioris nigræ erant, non atra ut pix aut atramentum ſcriptorium, teſte Philippo Hœchſtetterô *Obſerv. medic. Decad. 2. Caſ. 4. p. m. 143. ſeq.* Et in Scholio *p. 146.* ſcribit idem Autor, ſe in Senatorii ordinis Virô melancholicô talem excretionem ſurſum deorſum materiæ nigræ ſubcineritiæ, non ſine deliriô ab uſu acidularum obſervaſſe. Puerpera, cui poſt ſuppreſſionem Lochiorum Venter mirum in modum intumuerat, phlegma nigrum, ac ſi atramentum immiſſum eſſet, evomuit juxta Carolum Raygerum *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 6. p. 9.* Aurifabrum Brabantinum, diu vexatum à præcordiorum anguſtiâ, Pancreatis obſtructione, Liene induratô & ab efferâ atræ Bilis ebullitione, invaſit tandem tam impetuoſa

ejusdem

ejusdem bilis ſupra infraqve excretio, ut dejectis inde viribus cogeretur ante menſem ſecundum vitam cum morte commutare. Effluebat autem hæc bilis per utramqve viam tam effuſè, ut omnes mirarentur hinc ejus copiam, illinc verò vires tanto profluvio pares. Erat qvippe dejectiones hæ ſine ullâ fermè intermiſſione, & ita nigræ, ut atro ſangvini ac lutoſo paludis cœno forent ſimillimæ. Qvibus indeſinenter, ut fluctus fluctum, ſeſe trudentibus, exceſſit tandem æger haud invitus è vita, juxta Nicol. Tulpii *Obſervat. medic. Lib. 2. cap. 21. p. m. 136. ſeq.* vid. etiam Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 18. Obſ. 17. fol. m. 158. & Obſ. 19. f. 161.* Wolffg. Hœfer. *Hercul. med. Lib. 3. cap. 1. p. 167.* Franc. Oswald. Grembs *Arbor. integr. & ruinoſ. homin. Lib. 2. cap. 1. §. 3. p. 39. 40. p. m. 180. ſeq.* Joan. Bapt. van Helmont. *Pylorus Rector. §. 28. Oper. fol. 142.* Cornelio Stalpartio van der Wiel duo occurrerunt, qvorum alter mas erat, altera fœmina, uterqve verò tam per Os, qvàm alvum, materiam qvandam ſæpe ejiciebat, picis inſtar nigram; eamqve nonnunqvam ſolam, nonnunqvam alimentis excrementisqve permixtam: ambo etiam dudum erant emaciati, parumqve aſſumſerant alimenti; Conqverebatur uterqve de latere ſiniſtrô faciemqve diu habuerat malè coloratam. v. Stalpart. *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 16. p. 185. ſeqq.* ubi plura exempla allegantur.

§. 33.

Qvibus annectere liceat, qvod de fœminâ qvadam Dresdenſi, Vas terreum duos cantharos capiens materiâ nigerrimâ, inſtar fuliginis, Vomitu replente, ſuprà Capite ſextô, recenſuimus. Deinde Civis qvidam Dresdenſis, Michael Lorentz, Carpentarius, annum ſexageſimum ſextum ſupergreſſus, ſæpiſſimè circa regionem Ventriculi tantum perſentiebat dolorem pungentem, mordentem & arrodentem, ut pro certô affirmaret, ſe vivum qvoddam animalculum ibidem habere, qvod ipſum mordendo cruciaret. Interim talis dolor nunqvam *Obſervatio.*

 ceſſabat,

ceſſabat, niſi poſtqvam dictus Civis tantam materiæ nigerrimæ, inſtar ſangvinis congrumati, paucis tamen ſtriis floridi ſangvinis intermixtis, qvantitatem rejiceret, qvantam vix pileus caperet. Poſt ejusmodi excretiones dolor eqvidem morſicans per aliqvot menſes remittebat, ſæpius tamen, &, uti memini, qvinqvies recurrebat, donec tandem adhibitis meô conſiliô Medicamentis antiſcorbuticis per univerſam ipſius cutem multa millia exanthemata & puſtulæ, inſtar ſcabiei ſcorbuticæ aut potius venereæ provenirent, qvæ ipſum non ſolùm admodum defœdabant, ſed intolerabili qvoqve pruritu & ardore â capite ad calcem usqve vexabant, ut per longum temporis ſpatium dies noctesqve inſomnes ageret, usqve dum per Medicamenta idonea ab hoc malô liberaretur. Ex qvô tempore poſtmodum non ſolùm ab illô, ſed aliis etiam morbis immunis annum octogeſimum qvartum attingebat, demumqve Maraſmô ſenili vivere deſinebat. Deniqve adhuc recenſendum eſt exemplum Vomitûs qvadraginta librarum Muci corrupti ac pici liqvatæ ſimilis, atqve lethalis, qvod Gabriel Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 193. p. 386.* prolixè communicat: Juvenis ſcilicet viginti qvatuor annorum, habitûs athletici ac corpulenti, ſagô indutus Palladis fuit miles, ſub exercitu Svecico Vexilliferi munere aliqvot annis fungens, rebus ſuis magis conſultum judicat, ut denuò in togâ per tempus ipſius legibus ſe ſubjiciat, ac pro ſcopô ſuô obtinendô Academiam Lipſienſem ſibi eligit. Finitô ibi trienniô bellica caſtra repetiturus, in prædiô amicis ultimum dicit vale. Epotô hilaritatis poculô, Hectores iſti Bacchici Cereviſiarium dolium è cellâ curant inferri hypocauſto, illud bene agitant, & ſic, qvod ſucceſſivô labore cauta ars ſeparaverat, purum ab impuro, illi incauti & temerarii rurſus conjungunt. Circa tertiæ diei finem exhauriunt nectar illud; ſuccedit huic renovato belli Candidato unô alteroqve ſtatim die laſſitudo, Anorexia, Cardialgia,

Cardialgia, ſingultus, qvibus accedunt Vomitûs freqventiſſimi, excernebatur materia aduſta, picea ac fœtens, admixto pituitæ viſcidæ albæ pauculo. Tandem circa diei tertii finem, accedente plenariâ eâqve celerrimâ virium proſtratione, ſub copioſiſſimâ dictæ materiæ piceæ per os, nares & alvum proruptione ſuffocatus ad plures abiit. Inſtitutâ Cadaveris ſectione, Ventriculus, tanqvam primaria & prima Vomituum horum cauſa, in abdomine non apparebat, ſed apertô thorace in ſiniſtrô ejus latere latebat. Qvi inciſus tres adhuc libras materiæ iſtius nigro-viſcidæ contentæ ſpectatoribus monſtrabat. Pylori ſphincter adeò erat relaxatus, ut ex Inteſtinis mucus iſte plenô impetu in Stomachum redire non difficulter potuerit &c. ubi varia lectu digna reperiuntur. Hunc Caſum etiam Laurentius Strauſſius ad Antonium Deuſingium perſcripſit, v. *Hiſtor. Fœtus Muſſipont.* in Joh. Bened. Sinibald. *Geneanthr. p. m. 66. ſeq.* vid. etiam Cap. VI. §. 3.

§. 34.

Bilis Vomitus rejectæ ubiqve exempla exſtant annotata: Illuſtriſſima enim Domina poſt febrem tertianam incidit in Vomitûs perpetuos cibi & omnis generis humoris cum alvi pertinaciſſimâ obſtructione; ita ut ſit mirum, qvantum evomuerit per qvatuor ſeptimanas bilis vitellinæ & porraceæ, ſimul cum viſcidiſſimô phlegmate, magnâ & vix credendâ qvantitate; juxta Pauli Spindler. *Obſ. 49. p. 84.* Vomitum bilis bullientis inſtar aqvæ fortis obſervavit Petrus Borellus *Hiſtor. Medic. Centur. 2. Obſ. 1. p. m. 108.* Virgo veſtalis ſuppreſſis annô qvadrageſimô purgationibus menſtruis in octogeſimum ſeptimum qvotidie triplum ad aſſumpta, nempe ultra tres libras bilis cum tolerantiâ, per os reddidit: ceſſante vacuatione Vertiginem ſibi moleſtam aliaqve accidentia fuit perpeſſa, juxta Johann. Rhod. *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 62. p. m. 85.* Plura exempla vide apud Joh. Schenckium *Obſ. medic. Lib 3. fol. m. 330. 333.* Matth. *Bilis.*

Moron. *Direct. medic. p. 472.* Petr. Foreſt. *Obſerv. medic. Lib. 18. Obſ. 16. fol. m. 157.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 8. fol. 802. ſeq. 812. ſeq. M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 202. p. 362.*

§. 35.

an ſit Bilis. An autem copioſô ejusmodi Vomitu bilioſô mera bilis ejiciatur, jamdudum dubitârunt Medici; ſiqvidem Vincentius Alſarius Romanus ſcribit: Vomitus illi revera non ſunt merè bilioſi, licet ſenſui viſûs tales appareant, qvoniam pura bilis, etiam modica albas Ventriculi cruditates vel copioſas, ſimili colore inficit, non aliter ac ſi parum croci copioſiſſimæ aqvæ inſpergas &c. Et Hiſpanus qvidam Gometius Pereira ſeqventia habet: Multa rejiciuntur â Ventriculô, qvæ colore bilem referunt praſſinam & porraceam, ſunt tamen plerumqve alimenta malè digeſta & acida, unde bilis nomen verè illis competere neqvit, vid. Joh. Brœn. *de duplic. Bile Veter. cap. 3. p. m. 57.* ubi allegatus Autor prolixiùs de hac materiâ tractat. *vid. etiam cap. 5. p. 73. ſeq. 75.* Materia etiam Viridis qvandoqve in maximâ copiâ Vomitu rejicitur, qvæ tamen â bile derivari non poterit, qvalem obſervationem refert Petrus Pacheqvus apud River. *Obſ. Cent. 3. p. 281.* Puella annorum 25. conqverebatur de Lienis dolore alte ſepultô, cui ſucceſſit ſcirrhus. Vomebat ſingulis diebus, ſed tamen per intervalla 20. aut 21. libras materiæ vireſcentis. In Hydropem incidit & obiit. Vidit idem etiam ruſticum, qvi materiæ illius vireſcentis libras 20. 25. aut 30. vomebat ferme ſingulis diebus, ſed tamen per intervalla, ut prædicta puella, qvem uſus Chalybis ſervavit.

§. 36.

Puris. Puris ſputum eqvidem ſæpius in phthiſicis, rariùs verò ejusdem Vomitum obſervarunt Autores. Talis autem materia purulenta vel producitur in ipſô Ventriculô, v. g. ex ipſius Abſceſſu ſeu exulceratione, qvale exemplum ex M. N. C. allegat Johannes Bohnius *Diſp. de Vomit. §. 11.* vel aliunde transmittitur,

tur, v. g. ex Pancreate pus illud prodiiſſe putat Franciſcus de le Boë Sylvius, in Nautæ cujusdam viduâ, qvæ ex ſummô animi Mœrore, propter mariti obitum contractô, in dolorem Lumborum gravem ac diuturnum hinc & Puris Vomitum prolapſa erat. v. Fr. Sylv. *Prax. medic. Lib. I. cap. 15. §. 12. ſeq. p. m. 190. ſeq.* Virgo qvædam, cujus paulò ante meminimus, iræ frenum laxans, circa ſcrobiculum Cordis aliqvid velut rumpi animadvertebat, ſubſeqvente plurimorum purulentorum ac bilioſorum Vomitu, teſte Emanuele Kœnigiô *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 94. p. 197. ſeq.* vid. etiam Theophil. Bonet. *ſepulchr. l. a.*

§. 37.

Aqvæ limpidæ Vomitu â longô tempore manè vexabatur Vir viginti ſeptem annorum, cujus meminit Roſinus Lentilius *Miſcell. med. pract. Part. 1. pag. m. 172. & 189.* & Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 2. p. m. 293.* ex Wepfero Jacobi Pœrlin commemorat, qvi manè jejunô ſtomachô aqvas evomuit; qvas dictus Autor â glandulis Ventriculi derivat; dum enim ſuccus ipſarum eſt nimis copioſus, tunc ab hac ſangvinis Craſi, diductioribus glandularum Ventriculi oſculis, ſerum uberiori copiâ Ventriculi Cavitatem internam alluit. *Aqvæ limpidæ.*

§. 38.

De Vomitu cæruleô ſeqventia refert Salomon Reiſelius Scholiô in Johannis Dolæi Obſervationem de Sudore cæruleô *M. N. C. Dec. I. A. 6. & 7. Obſ. 67. p. 93.* ſcilicet, Colorem, inqvit, cœruleum nuper obſervavi in fœminâ, qvæ ſæpe vomebat & tuſſiebat cum magnâ extenuatione, ſputô ſpùmoſô qvidem, ſed & viſcidô, ita ut qvaſi ſuccô Cyani ſeu Indigo eſſet tinctum; in aliô autem Vomitum copioſiſſimum laſurei ipſius lapidis colore infectum. Liceat etiam hoc locô annectere, qvod ad dictam Obſervationem annotavit Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 133.* Si Vitriolum Veneris, inqviens, cum Sale ammoniacô deſtilletur & è Capite mortuô affuſione ſpiri- *Cæruleus.*

tus

tus Vini extrahatur Tinctura viridis filtroqve injiciatur parum Calcis vivæ, ſtatim inde ſtillabit in Vas ſuppoſitum Tinctura Sapphirina. Num ex hôc phænomenô Sudori Vomitibusqve cæruleis lumen accendi qveat, uti nec affirmare, ita multò minus negare auſim, qvi cum Sydenhamiô credam, in paroxyſmis hyſterico-hypochondriacis ex tempore tinctos viridisſimos humores per Vomitum ejici, qvi corpori tales ante non extiterant, neqve, ſi corroſivitatem expendas, diu ſubjectô ſalvô, inexiſtere poſſent.

§. 39.

Mteria Spermatica. Rarioribus annumerandum, qvod refert Matthæus Franciſcus Hertodius de Vomitu venereô: Novit ſcilicet in Moraviâ honeſtam matronam, temperamenti ſangvinei, annorum viginti aliqvot, ſpecioſam ſatis, ſterilem tamen, cæterum ſalacem valde, & qvæ Conſvetudinem Mariti, præclari aliàs Viri, plurimum appetebat, prout ipſe Hertodio qveſtus eſt, ipſumqve, ne in matritali officiô tandem ſuccumberet, rogavit. Hæc qvotiescunqve ſive nocte, ſive mane, aut interdiu, jejunô aut plenô Ventriculô Venerem exerceret, materiam qvandam albicantem, modicæ tamen qvantitatis, tenuiori ſemini non abſimilem, vomere conſvevit, ſubſeqventi aliqvali totius corporis, maximè verò capitis artuumqve debilitate; qvô ſymptomate cùm per annos circiter decem pertentaretur, tabida tandem, unàqve aſcitico-tympanitica evaſit, & paucis poſt annis præmaturâ morte fatis conceſſit. *v. M. N. C. Dec. 1. An. 1. Obſ. 4. p. m. 20.*

§. 40.

Vomitus diuturnus. Ratione durationis variat etiam Vomitus, modò enim per aliqvot Menſes, modò per totos annos continuat; Semeſtrem Vomitum in Uxore qvadam Bernenſi poſt eſum Capitis muſtelæ piſcis annotavit Gvilhelmus Fabricius, Hildanus, *Obſ. Chirurg. Cent. 5. Obſ. 36. fol. m. 424.* de Vomitu admirando, ultra annos triginta durante. *vid. Cent. 4. Obſ. 32. f. 312. ſeq.* Vomitu matutino

tino qvotidie jejunô Ventriculô vexabatur Civis qvidam Huxarienſis, teſte Henricô Smetiô *Miſcellan. Lib. 10. p. m. 529.* qvi *p. 550.* meminit fœminæ, qvæ, poſtqvam per totam hyemem qvotidianô pituitæ Vomitu manè vexata fuiſſet, lingvæ Paralyſin, ſermonisqve impotentiam, ſomnolentiam, rationis, memoriæ, imaginationisqve defectum perpeſſa eſt. Virgo nubilis ob ſplenis vitium, ultra decem menſes, non tantum atra, verùm etiam qvaliacunqve cibaria, ſine tamen evidenti virium jacturâ, evomuit, juxta Nicol. Tulp. *obſ. medic. Lib. 2. cap. 22. p. m. 137.* Sartor qvidam nihil retinebat aſſumptorum ciborum potuumve, evomebat verò continuò pituitam vel lympham qvandam craſſam, juxta Paul. Barbett. *Prax. medic. Lib. 4. cap. 2. p. m. 109.* ubi qvoqve Fridericus Deckers Viri annos circiter qvadraginta duos nati meminit, qvi per viginti annos, jam Inappetentiâ, jam anxietate præcordiorum, jam Nauſeâ & qvandoqve omnium aſſumtorum Vomitu, imprimis poſt Cereviſiam frigidam hauſtam vexabatur, indiesqve magis magisqve ad vomendum, medicamentorum uſu, reddebatur pronus, ita ut vix aliqvid aſſumtorum retinere amplius poſſet. Nobilis qvædam Matrona triginta circiter annorum in ſextum annum qvotidie ſub decimam circiter matutinam pelvim Vomitu implebat duarum heminarum ſive librarum medicarum capacem, interdum meraciſſima nigerrima cum acore, dentes ſtupefaciente, aliàs flaviſſima cum amarore intolerando: viridi colore ſaturrima, cum fœtore ingratô: aliqvando albiſſima, ſpumea aut potiùs ſpumam meracam: pridianæ Cœnæ aut ciborum nihil unqvam ejiciens; v. Henr. ab Heers *obſervat. 29. p. m. 251.* Atrophiam cum Vomitu qvotidianô â compreſſione Ventriculi & Veſicæ bilariæ annotavit Johann Melchior Verdries *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Cent. VI. obſ. 16. p. 205. ſeq.* in puellô qvatuor circiter annorum, qvi poſt Addiphagiam Vomitu die & nocte ſæviſſimè agitabatur, ut qvicqvid aſſumeret vomitu ſtatim rejiceret. Tandem

dem tabe conſumtus & qvotidianis vomitibus diu excruciatus moriebatur. Apertô Cadavere Meſenterium undiqvaqve innumeris tumoribus ſteatomatoſis, majoribus, minoribus mirum in modum refertum deprehendebatur, circa ventriculum imprimis & juxta Hepar prope veſicam felleam ingentes aliqvot hujus generis tumores, pugni magnitudine poſiti erant, qvi ventriculum continuò impellendo & veſiculam bilariam premendo, Vomitûs diuturni cauſæ fuerunt. De Vomitu in fœminâ qvadam ſexagenariâ per integrum annum inſtante vide Viti Riedlin. *Curar. med. Millenar. obſ. 853. p. 693.* Dicta autem fœmina poſt potam cereviſiam, cui venenum immixtum fuiſſe non prorſus ab re ſuſpicari poterat in Vomitum incidit non ſolùm qvorumvis ingeſtorum, verùm & tam inſignis ſeri qvantitatis, ut ſæpiuſcule aliqvot hujus menſuras eadem rejecerit. &c. Fœmina qvædam Hildesheimenſis non ſolùm per octodecim dies â prandiô æqve ac cœnâ, tam liqvida, qvàm eſculenta, verùm qvoqve aliàs materiam viſcidam amaramqve freqventer evomebat; Imò à propinatis qvibuslibet medicamentis fibræ interioris Ventriculi tunicæ magis irritabantur, inqve ſpasmos emeticos agi videbantur, ita ut indignabundus Stomachus medicamenta per Vomitum ſubitô iterum ſuô ejiceret domiciliô; donec tandem poſt uſum olei Amygdalorum dulcium tria grandia fruſta, pomi Borſtorffiani magnitudinem fere æqvantia, in qvibus farciminis indurati portiunculæ crudæ reperiebantur, mucô fœtidiſſimô obducta, Vomitu rejicerentur, juxta Obſervationem Johannis Petri Albrechti, *M. N. C. Dec. II. An. 9. obſ. 82. p. 140. ſeq.* Ultra qvadriennium, ob imbecillitatem Ventriculi, ciborum vomitu moleſtabatur Præceptor qvidam Gymnaſii Ulmenſis, teſte Auguſtinô Thonerô *Obſerv. Medicin. Lib. 3. p. m. 137. ſeq.* Virgo qvædam Deo ſacrata, annum agens ſexageſimum laboravit vomitu, qvi ab annô decimô ſextô ſuæ ætatis perduravit. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. IV. Obſerv. 57. p. m. 122.*

m.122. Vomitum Ciborum per totam vitam communicat Petrus Borellus *Hiſtor. medic. Cent. I. Obſ. 53. p. m. 59.* de Johanneo, Cive Caſtrenſi, qvi ventriculi imbecillitate vel obſtructione eâqve tantâ laboravit, ut cibos, alteratos tantùm, vomitu per viginti annorum ſpatium vomuerit, ſicqve innumeris remediis fruſtra & perperam tentatis, usqve ad ſexageſimum annum miſerè vixerit. Uxor Medici cujusdam annos nata viginti qvatuor laboravit per triennium vomitu moleſtô, cum dolore Lumborum, ad regionem Lienis ſeſe exporrigente; vomebat autem poſt ſingulos paſtûs omnem propemodum cibum & potum cum pituitâ viſcidâ permixtum; unde ad ſummam maciem perducta poſtmodum tamen in integram ſanitatem reſtituta eſt, juxta Lazar. River. *Obſerv. med. Cent. 2. Obſ. 88. p. m. 245.* Plura ejusmodi Vomitûs diuturni exempla collegit Johannes Schenckius *Obſervat. medicin. Lib. 3. fol. m. 327. ſeqq.* Vir qvidam Vomitu mirando ultra viginti annos laborabat: nam ſurgens è lectô ita turbatus erat, ac propè ſtolidus, ut interroganti aliqvando contraria reſponderet; ſed digitis vomitu provocatô & materiâ excretâ, usqve in diem ſeqventem bene ſe habebat: Caput, qvod priùs doluerat, non ampliùs dolebat, nauſea in appetitum convertebatur, & bene concoqvendo reqvieſcebat; donec redeunte matutinô tempore ad priſtinum Vomitum redire oporteret. Natura enim viam ipſi ægro olim monſtravit: Cùm enim chronicô morbô laboraret, nec unqvam ſanitati reſtitueretur, imò maximos capitis dolores, nauſeam & atrophiam, non ſine febre, pateretur, accidit aliqvando, ut vomeret, meliùsqve ſe haberet; qvô factô eodem modô proſecutus eſt. vid. Dominic. Panarol. *Pentec. I. obſ. 22. p. m. 14.* ubi ſeqventem Hiſtoriam annectit: Septennem Vomitum in puellâ absqve ullâ noxâ obſervavi, non, ut iſtum, matutinô tempore jejunô corpore, ſed ſtatim poſt Cibi exhibitionem. Cum enim tempore erumpentium menſtruorum nulla

fieret eorum evacuatio, natura portionem Cibi & Chyli, qvi debuerat in ſangvinem converti, qvotidie per Vomitum ejiciebat, donec ſeptem elapſis annis tandem erumpentibus Menſtruorum fæcibus, vomitum amiſerit, priſtinam acqvirens Valetudinis benignitatem.

§. 41.

Contagioſus. Vomitum contagioſum recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anat. Cent. 2. Hiſt. 89. p. m. 290.* Mulier, inqviens, Leidæ Anno 1645. â Cane rabidô morſa in aqvâ Rheni præterfluentis abluta ſanabatur. Sed curru cum aliâ comite in civitatem reverſura prope portam Vomitu ſuperveniente animam evomuit. Itineris ſocia, qvam Vomitus venenoſus adſperſerat, infeceratqve, tertiô inde die qvoqve exſpiravit. Et *Cent. 4. Hiſtor. 44. p. m. 326.* aliûs Vomitûs contagioſi meminit: Scilicet amici cujusdam filiam natu maximam Ventriculi ſubverſio invaſit, de cujus gravitate pridie conqveſta fuerat; mox freqventes Vomitus & Diarrhœa, qvæ in ſeqventem diem perſeverabant magnâ virium jacturâ. Idem malum ſororem ejusdem fratremqve infeſtabat, tandemqve matri ipſi tam moleſtum fuit, ut ſubitò graviſſima ſymptomata ſeqverentur. Idem Vomitus cum Diarrhœâ plurimas qvoqve alias familias eodem tempore corripuit, obſervatumqve eſt pari tempore deſinere, ſpatiô enim viginti qvatuor horarum vomitus duravit.

§. 42.

Vomitus periodicus. Periodicum Vomitum in hernioſô annotavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. obſ. 63. p. 252.* & qvidem in puerô qvindecim annorum; qvi â gravi Enterocele ſectionis ope liberatus dehinc ſingulis qvatuor ab operatione ſeptimanis perſenſit corpus aliqvod duriuſculum ab ingvine lateris affecti, umbilicum verſus aſcendens, cum Vomitu enormi materiæ flaveſcentis fœtidæ & Appetitûs per pluſculos dies proſtratione. Die 21. Julii 1681. ſubitò decumbere coactus de dolore Capitis inſigni,

vomi-

vomitu materiæ flaveſcentis, oris amarore & compresſione circa præcordia conqeſtus eſt; qvem in finem Bolum ex Diaſcordiô Fracaſtorii cum Coralliis & Laudanô cydoniatô, ut & Pulverem ex abſorbentibus & blandè adſtringentibus Pechlinus exhibuit; qvibus ipſe bene habuit. Nec tamen Symptoma iſtud miſerum affligere prorſus deſiit, qvin iisdem intervallis genii ſui atrocitatem utcunqve proderet &c.

§. 43.

Vomitus in mortuis ſeu Cadaveribus an detur? affirmare videtur Obſervatio, qvam Felix Platerus *Obſerv. Lib. 3. p. m. 803.* de Vomitu jam amputatô capite ſeqventibus verbis recenſet: Scilicet ad ſupplicium qvidam homicida ductus, metu mortis, vel etiam, qvòd largiùs fortè bibiſſet, cordis dolore, uti vocant, ſeu Cardialgiâ admodum angebatur, & ſe affici miniſtro, eum comitanti, conqverebatur; & cùm in locum judicii veniſſet, metuens ne vomens turpiter ſe coram populo daret, carnificem ad negotium maturandum hortatus eſt. Qvod cùm carnifex facturus gladiô ſtrictô ictum intentaret, in ipſô capitis amputati momentô, vomens, erectus adhuc ex collô truncatô non ſolùm ſangvinem copioſum, ſed & qvicqvid in ſtomachô continebatur, in altum magnô impetu evomuit; qvod & ipſe vidi, &, ut certiùs cognoſcerem, poſtea cùm humi ſtratus jaceret, è Ventriculô prodiiſſe cognovi; Miniſtrô inſuper mihi narrante, qvô pactô de nauſeâ conqveſtus eſſet. De mortuis ſangvinem vomentibus ſeqventia ex Antonio Santorello refert Chriſtianus Fridericus Garmannus *de Miracul. Mortuor. Lib. I. Tit. 5. §. 39. p. m. 193.* Julia Gentilis, mulier nobilis, eaqve valde religioſa cùm tertianâ correpta vix potuiſſet induci, ut ſemel ei ſangvis detraheretur, nocte intempeſtâ purpuream vomit animam; qvodqve mirari par eſt, cùm poſt horas viginti qvatuor efferenda ad ſepulchrum è lectô removeretur, ſangvinis copiam per os rejectavit. Idem A. 1622. in Illuſtriſſimâ Dominâ

Vomitus in mortuis an?

minâ Maria Mendoza, Apoplexiâ ex ſangvine correptâ & extinctâ obſervavimus. Qvamvis autem allegato Santorello, dictam Juliam Gentilem Vomitu cruentô lethali vitam finiiſſe libenter concedam, cùm ejusdem generis mortis exempla ipſe ſupra adduxerim; attamen illam qvoqve ſangvinis copiam, qvam poſt viginti qvatuor horas per os rejectaſſe dicitur, pariter Vomitu fuiſſe expulſam, minimè perſvaderi potero, cùm actio illa ſeu contractio fibrarum muſculoſarum in tunicâ Ventriculi ipſiusqve qvaſi inverſio, in qvâ Vomitûs formalitatem conſiſtere ſuprà monſtravimus, poſt mortem penitus ceſſet. Hinc potiùs talem ſangvinem ſponte ſuâ, poſt motionem aut inverſionem aut compreſſionem Cadaveris, per Os effluxiſſe ſtatuo, cùm ſæpius in Cadaverum ſectionibus tam ſangvinem, qvàm alios humores absqve Vomitu ex ore effluentes obſervare mihi licuerit. Simile etiam in Cadavere pueri ſeptem annorum apertô, cui ante obitum Balneator Dübenſis magnam Decocti ſiliqvæ qvantitatem propinârat, cujus copiam ad levem ſaltem Capitis aut Abdominis motum nares ſuggerebant, obſervavit Chriſtianus Fridericus Garmannus *l. a. §. 38. p. 193.* Qvantum etiam Felicis Plateri recenſitam Obſervationem, de Vomitu, Capite jamjam amputatô, attinet, licet de dicti Autoris fide dubitandum non ſit, minimè tamen ex ipſius verbis ſeqvitur, in allegatô homicidâ jam occiſô, ſed proximè ante mortem, uti ex Cardialgiâ & Nauſeâ, Miniſtro, ad ſupplicium ipſum comitanti, detectâ apparet, fibrarum Ventriculi motum periſtalticum inverſum incepiſſe, atqve in ipſô jamjam Decollationis momentô aſſumpta ex Ventriculô per Oeſophagum, carnificis gladiô diſſectum, Vomitu ejeciſſe. Interim Johannes Jacobus Wepfferus ex Ore Nautæ poſt mortem multum humoris turbidi, ſubflavi, itemqve ſubnigri & cruenti, imprimis preſſô aliqvantulum ventre, effluxiſſe refert *M. N. C. Dec. II. An. 10. obſ. 171. p. 300.* Idqvod ſæpius etiam mihi obſervare licuit,

cuit, minimè tamen ad Vomitum, ſed potiùs ad humorum fermentationem vel expreſſionem referre placuit.

§. 44.

Varia etiam inconſveta & præter naturalia per Vomitum qvandoqve rejiciuntur. e. g. Magnam Capillorum tenuium & ſpadiceorum glomum Johannis de Qvintana Duennas, primarii Civis, famulus, præſente Nicolao Monardo vomitu rejecit, qvi etiam in papyrô involutos plures alios, qvos binis horis antè qvoqve evomuerat, obſervavit. vid. Nicol. Monard. *ſimplic. Medicam. Hiſtor. cap. 73. in Carol. Cluſ. Exot. fol. m. 349.* ubi addit Agricolam graviſſimis Ventris doloribus afflictum, cùm nullis Medicamentis mitigari dolor poſſet, ſibi cultrô guttur præcidiſſe. Cujus deinde Cadaver cùm ſecuiſſent & aperuiſſent, inventam in Ventre fuiſſe magnam ſimilium Capillorum qvantitatem. Et ipſe Carolus Clùſius *l. a. fol. 350. Annot.* in Monard. alia exempla refert. Puer qvidam Delphenſis Crines conglomeratos magnâ vi evomuit, in tantam anguſtiam priùs conjectus, ut ſe disrumpi & in partes lacerari clamaret. Erant autem Crines rubri, tanqvam â barbâ raſâ, priùs expullulante inciſi valde curti, producti, mox in unum glomerati ejecti. vid. Petr. Foreſt. *obſ. medic. Lib. 15. obſ. 29. fol. m. 167.* qvi foliô ſeqventi ſcribit, ſe aliam noviſſe juvenculam, qvæ ſingulis ferè menſibus crines conglobatos Vomitu admodum moleſtô dejecerit. Binas mulieres capillum muliebrem cùm aliis rebus vomitionibus monſtrificis rejicientes ſe vidiſſe ſcribit Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 7. cap. 25. fol. m. 142.* Qvindecim annorum Virgo paroxysmis epilepticis haud raro concuſſa fuit, qvibus ſucceſſêre torminoſi dolores, ardor circa præcordia, deniqve plerumqve Vomitus conglomeratorum pilorum humanorum, absqve dubiô â faſcinô, juxta Johannem Dolæum. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 9. obſ. 178. p. 344.* Ejusmodi Vomitum crinium paſſa eſt etiam puella duodecim annorum, cui præterea

Per vomitum capilli.

terea ex internô Oculi canthô plurimæ res extraordinariæ, plumæ, linea fila & aliæ qviſqviliæ prodibant, teſte Eliâ Camerariô *Diſſert. phyſ. med. 1. p. m. 6.* Maſſas piloſas varii Coloris, pro crinibus humanis habitas, conglomeratas, thalerumqve imperialem ambitu ſuô æqvantes, evomuit Virgo qvædam faſcinata, *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 26. p. 65.*

§. 45.

Fila. Fila, pilæ in modum, in Ventriculô conglobata in filiâ Theologi cujusdam Hagienſis, octo annos natâ animadvertit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. poſt. Obſ. 20. p. 235. ſeq.* Scilicet cum dicta filia, receptô puellis more, crepundiis luderet, ſæpius linea qvædam fila, perverſo forſan qvodam appetitu ducta, vel etiam incautior deglutiverat. Qvæ cùm digeri ac conſumi neqvirent, ſenſim ſibi invicem ita convolvebantur, pituitâqve in globum uniebantur, ut non levem produxerint angorem. Tandem tamen violentiore vomitu ejecta ſunt magnitudine juglandem excedentia.

§. 46.

Stramen. De Stramine ἄνω καὶ κάτω expurgatô Obſervationem annotavit Daniel Wincklerus, & qvidem in ſartoris filiô, puerô annorum circiter duodecim, cui poſt varias convulſiones aliaqve Symptomata, & poſt aſſumptum Medicamentum purgans per Os egrediebatur Straminis culmus integer adhuc longior qvartâ Ulnæ parte; de hinc idem puer ſtramen corruptum & ſemiputridum per unum vel alterum diem per alvum dejecit. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 31. p. 64.* Particulam ſtraminei culminis â propinatô emeticô cum aliis rejecit puer Iſenacenſis tredecim annorum, cujus meminit Roſinus Lentilius *l. a. Dec. II. An. 5. Append. p. 75.* Faſciculos ſtraminis pollice craſſiores transverſis aciculis confixos cum aliis â puellâ novenni poſt Veneficium rejici vidit Henricus ab Heer *Obſerv. 8. p. m. 89.*

§. 47. Caſei

§. 47.

Caſei duriuſculi fruſtum aliqvot Unciarum non ſine ſuffocationis periculo ercrevit puella qvædam dyſenterica, lacte caprinô uſa, indeqve Stomachi gravitatem cum dolore & anxietate ſentiens tandemqve ad Vomitum compulſa, teſte Thomâ Bartholinô *Hiſtor. anatom. Cent. II. Hiſtor. 38. p. m. 100.* Item phthiſicus qvidam Batavus Conſiliô communi lacte utebatur; hinc Inflatio Ventris, cui ſedandæ ſpiritum Salis commendavit Empiricus. Inde obortô Vomitu excrevit Caſeum magnitudine pollicis bene efformatum, odore & conſiſtentiâ verum caſeum referentem, qvem vidit idem Bartholinus *v. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 163. p. 260.* qvi Autor etiam *Act. Hafnienſ. Vol. III. Obſ. 28. p. 59.* Viri Icterici meminit, qvi omnia aſſumta & omnia lacticinia ingeſta ſtatim in Caſeum concreta revomuit. *Caſei fruſtum.*

§. 48.

Fruſtum Corii laridi fumô exſiccati poſt acceptum Vomitivum evomuit Matrona qvædam honeſta, qvod ante duos annos inopinanter cum difficultate deglutierat, â qvô tempore de dolore Ventriculi conqveſta fuerat, & poſt rejectum fruſtum brevi pleniſſimè convaluit. v. Gvilelm. Fabric. Hild. *Obſ. Chirurg. Cent. IV. Obſ. 33. Oper. fol. 317.* *Corium laridum.*

§. 49.

Carnis fruſta, antea non aſſumpta, ſive Molas Ventriculi qvandoqve per Vomitum prodire, nonnullæ teſtantur Obſervationes. Refert enim Petrus Foreſtus *Obſ. medicin. Lib. 18. Obſ. 19. Schol. fol. m. 161.* ſe Delphis puellam monialem in curatione habuiſſe, qvæ, cùm diris doloribus per integrum annum afficeretur, ſe tandem præ anguſtiâ circa Ventriculum mori exclamabat, & niſi in Vomitum prorumpere poſſit, ſe morituram vociferabatur. Qvare cùm Medicamentum vomitorium adhibuiſſet Foreſtus, fruſtum magnum carneum albô colore, albuminis Ovi inſtar, magnô conatu rejecit, ita congelatum ac in- *Carnis fruſta.*

duratum, ut cultellô acutiſſimô vix dividi poſſet. Item fruſtum Carnis ad parvæ pilæ magnitudinem, in qvô Vermis recludebatur, Vomitu rejectum annotavit Antonius Benivenius *Obſ. medic. cap. 88. p. 257.* Ejusmodi Molam carneam, ſive caruunculam qvandam Pruni Damaſceni magnitudine & figurâ cum ejusdem pedicillô, duarum Unciarum pondere rejecit Juvenis qvidam annorum ferè triginta ſeptem, Complexionis melancholicæ, juxta Dominic. Panarol. *Pentecoſt. 5. Obſ. 11. p. m. 147.* Erfurti Femina ſæpe fruſta Carnis crudæ, carnem mactati bovis referentis, qvam tamen antea non guſtaverat, per aliqvot annos evomuit, juxta relationem Valentini Mœllenbroccii *M.N.C. Dec. I. An. 2. obſ. 18. p. 34.* Mulier Nobilis cachectica duo fruſta Carnis, qvorum alterum Epar magni Lucii piſcis repræſentabat, alterum autem tam grande erat, ut mirum videretur, qvomodo per Oeſophagum tranſire potuerit, cum immenſâ ſangvinis copiâ evomuit, ſecundum Obſervationem Danielis Winckleri *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 30. p. 63.* Illuſtriſſima qvædam Domicella per qvinqve Menſes & ultra â febre qvartanâ cum ingentibus Ventris torminibus cruciata tandem præter multa phlegmata tres carnis ſemiputridæ, undiqve pituitâ & copioſiſſimis Vermiculis, qvales in carne putridâ ſubinde viſuntur, obſitas particulas ſpontaneô vomitu rejecit, indeqve convaluit, teſte Marcô Gerbeziô *M. N. C. Dec. III. An. I. Obſ. 136. p. m. 229.* Mulier qvædam præfocata, cùm ab omnibus pro mortuâ haberetur, & de ejus potiùs funere, qvàm Vitâ cogitarent aſſiſtentes, paulatim qvaſi graviore ſomnô excitata, in moleſtam incidit Tuſſim, qvâ cùm diu agitata eſſet, durioris tandem carnis fruſtulum ejecit & ſanata eſt, uti ex Beniveniô refert Petrus Foreſtus *l. a. Lib. 15. Obſ. 28. Schol. fol. m. 167.*

§. 50.

Butyrum. De Butyri liqvidi vomitu ſeqventem Obſervationem refert Simon Schultzius: Cùm honeſtam Matronam, Annam Johannam

nam Stranſkiam vehementi Tuſſi & Dyſpnœâ ex Empyemate laborantem viſitarem, narravit mihi, ſe præcedente nocte magnum Stomachi ardorem Nauſeamqve percepiſſe, poſtea verò per Vomitum ejeciſſe amari qvid ſaporis bilioſi & odoris butyri liqvefacti, fauces & oris interiora oleoſâ pingvedine oblinentis: poſt cujus ejectionem meliùs habuit. Tum patinam, in qvam ſaburram illam evomuit, introſpiciens invenit butyrum liqvefactum, qvoad Colorem & odorem, qvod juſſit aſſervare & frigidiori auræ exponere, ubi matutinô tempore butyri congelati Uncias ferè qvatuor ſeroſitati paucæ innatantes offendit atqve Simoni Schultzio, eodem die, cùm ipſam matutinô tempore inviſeret, monſtravit. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 154. p. 276.*

§. 51.

Pingvedinis fruſta, magnitudinem Ovorum excedentia Vir qvidam valde corpulentus, ob mucum ſummè viſcidum in Stomachô non ritè digeſtum & fermentum naturale enervantem, Vomitu freqventi, cum ſummâ euphoriâ ac nullâ ſanitatis læſione rejicere cogebatur, referente Fridericô Wilhelmô Clauderô *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 183. p. 346.* Novit etiam Daniel Ludovici Viros haud paucos, eruditos, hypochondriacos ex profeſſô, præcipuè Stomachi flaccidiſſimi, & ſimul aut poſtmodum arthriticos vel qvaſi, qvi poſt aliqvot dierum Nauſeam aut conſimilem Ventriculi diſpoſitionem, periodicè, cum liqvoris inſipidi ac mucilaginoſi, interdum etiam acerbi vel amaricantis modicô pingvedinem haud exiguam ſuper pavimentô, inſtar ſebi, latè ſatis nec raro dimidii calami ſcriptorii craſſitie, (ferè uti ſuper bubulæ aut ovillæ jura ſolet) concreſcentem, levamentô qvidem haud exiguô evomuerunt. &c. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 253. p. 456.* Sebum Ovi columbini magnitudine, qvod Vir qvidam literatus ante biennium in Nuptiis comederat, Vomitu excluſit. juxta Georgium Dethardingium. *ibid. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 72.* *Pingvedo.*

§. 52.

Veſicula. Veſiculam ſeu bullam liqvore limpidiſſimô & viſcoſô rejecit Sartoris cujusdam Salisburgenſis filia nondum menſtruata, decimo octavô ætatis annô de Appetitu proſtratô & Nauſeâ conqverens, teſte Johanne Adamô Lospichlero *Emphemerid. Academ. N.C. Cent. I. & II. Obſ. 6. p. 133.* De Veſiculis aqvâ flavâ & vermibus refertis, Vomitu rejectis, vid. Joh. Schenck. *Obſ. Lib. 3. f. 372.* Multas ejusmodi Veſiculas variæ magnitudinis & Nucem qvoqve ſuperantes flavôqve liqvore repletas Anno 1724. qvidam Verbi divini Miniſter ἄνω καὶ κάτω rejiciebat.

§. 53.

Oſſa. Oſſium fruſta & Lapillos per Vomitum excrevit puella Delphenſis in Ventriculô longô tempore dolens, teſte Petro Foreſto *Obſ. med. Lib. 18. Obſ. 26. Schol. fol. m. 169.* Johannes Agricola, Viennæ puerum ſedecim annorum prætumidô Ventre, qvaſi hydropicus eſſet, ab aliis duobus Medicis primariis relictum beneficiô Mercurii dulcificati & Vitæ in integrum reſtituit, pileô plenô, variô oſſium majorum & minorum genere, per Vomitum rejectô, poſtremô etiam ſuccedente animalculô vivô hiſpido, colore fuſco, Ranæ formam referente, vid. Auguſtin. Thoner. *Obſerv. medicin. Lib. 4. p. 224.* Nobilis qvidam annorum circiter ſex & viginti, Phthiſicus ex nimiô Vini generoſioris potu, Tuſſi vehementiſſimâ multum diuqve torqvebatur, rejectâ primùm pituitoſâ, mox purulentâ materiâ, cui ſqvamoſa oſſa plurima, friabilia, ad Solidi Gedanenſis magnitudinem juncta erant &c. teſte Johanne Schmidiô *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 24. p. 26.*

§. 54.

Calculi. De Lapidibus Vomitu rejectis nonnullas ut adducamus Obſervationes, Puer qvidam decimô ætatis annô per ſex Menſes pallidior, qvàm ſolebat, Anno 1689. â Ventriculô multum excruciari, motibus ſimul per intervalla ſpaſticis elevari cœpit,

ſuc-

ſuccedente tandem magnô cum fragore Vomitu lapillorum, ex arenatô concretorum, Nucis juglandis magnitudinem æqvantium & ſuperantium, talesqve lapides ſucceſſivè qvinqvaginta, novem Unciarum pondere, per Vomitum rejecti, plures autem ab initio â parentibus hujus pueri projecti fuêre, juxta relationem Jacobi Chriſtophori Scherbii *Ephemerid. Acad. N.C. Cent. III. & IV. Obſ. 8. p. 13.* Sutoris cujusdam Uxor Johanni Jacobo Wenceslao Dobrzensky duos Calculos Amygdalæ magnitudinem, figuram & colorem præſentantes, monſtravit, qvos poſt diuturnos Ventriculi dolores, anxietates, in appetentias Vomitivi uſu ejecerat, ex eoqve tempore ab omnibus moleſtiis liberata fuerat. *v. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 181. p. m. 278. & p. ſeq.* plura reperies. Lapidem Nucis juglandis magnitudine qvendam evomuiſſe, ſcribit Alexander Benedictus *de Re medic. Lib. 13. cap. 22. fol. 242.* De Lapide, Ovi magnitudinis, Vomitu rejectô vid. Petr. Foreſt. *Lib. 18. Obſ. 19. Schol. fol. 161.* Inſtar Tophi lapillos ad Unciam ſemis per Os rejecit Margaretha Lauwera, de cujus Morbô monſtroſô videantur *Act. Erudit. Lipſienſ. An. 1682. Menſ. Novembr. p. 338. ſeq.* ubi etiam alios lapides duriores inſtar ſilicis, & fruſta Corticum marmori albo ſimillima duriſſima, cum purgantibus & Cliſmatibus per ſuperiora rejectos reperimus. vid. etiam Johann. Muralt. *Script. chirurg. obſ. 207. p. m. 675. ſeq.* Puella qvædam, poſtqvam diu dolore Ventriculi vexata eſſet, multaqve Medicamenta ſumpſiſſet, lapides duos, fabæ magnitudinis & formæ ferè, per Vomitum unà cum aliis cibis evomuit & brevi convaluit, juxta Guil. Fabric. Hild. *Cent. 6. obſ. 22. oper. fol. m. 521.* E puellâ Incantationis, ſuſpectâ lapidem pondere trium drachmarum Vomitu prodiiſſe refert Georgius Abrahamus Mercklinus *de Incantat. Caſ. 9. p. m. 70.* In Curlandiâ Vir Sexagenarius per aliqvot annos Calculos diverſæ magnitudinis, piſum tamen non excedentis, per Vomitum rejecit, referente Roſino Lentilio

M.N.C.Dec.II. An.7. obſ.136.p.262. de Gypſô vomitu rejectô vid. ibidem *An.10. obſ. 45.p.92.* Plura exempla vid. in Joh. Schenck. *obſ. med. Lib.3.fol.334. & 340.* item in Lithologia noſtra.

§. 55.

Corallia. De Coralliis deglutitis ſeqventem Obſervationem refert Iſibordus ab Amelunxen: Anno 1056. Scholaſtica Bibermannia, Prioriſſa in Abbatiola Visbeke, in Feſtô annunciationis B.M.V. pro exornandâ ſtatuâ ejus in templô, è cellâ ſuâ in culinam affert rubicundiſſima Corallia in ſcatulâ, ut ea per filum trajiceret & collo imaginis circumligaret. Sedit fortè ad focum vetula, eleemoſynas qvæ petierat, & mentiebatur ſomnum. Signô interim ad Veſperas datô, in cellam recurrit Prioriſſa, relictâ cum Coralliis ſcatulâ, in angulô qvodam culinæ, patinâ coopertâ. Finitis ſacris reverſa deflet ea ablata. Suſpicio cadit in anum. Qvæ, rumore â Vicinis in caſulâ ſuâ perceptô, ſubitò deglutiebat omnia corallia, & ſponte ſuâ regrediebatur, neſcio qvid prætendens ad cœnobium. Prioriſſa durioribus eam affatur verbis. Illa ſanctos omnes in teſtimonium advocans aſtutè malitiam defendit. Sed ecce, ingenioſa qvædam ſoror, Beatrix de Dorringſen ita ad eam: Mea Rixa, bono, qvæſo, ſis animo, non ſunt deperdita Corallia, reperiemus ſi non hodie, aliô tamen die, & perinde eſt. Sede tu ad focum, habeas, cùm Vigilia ſit, offam, qvam ipſamet tibi parabo. Illa interim purgans præparat, qvod, inſciâ vetulâ, in juſculo diluit. Comedit anus, nil ſiniſtri ſuſpicans. Interim Beatrix omnes ejus egreſſus obſervans, paulò pòſt videt ad Vomitum proclivem. Subitò pelvis ſupponitur, digitôqve in fauces intruſo Conatus Naturæ promovetur. Tunc en! in putidis excrementis rubentia corallia, ceteris aliâ viâ excluſis *v. M.N.C. Dec. II. An. 4. Append. p. 196.* ubi Chriſtianus Franciſcus Paullini addit: ſimilem planè hiſtoriam de Margaritivoro Pariſienſi habuimus in relationibus hebdomadariis publicis anni hujus 1685.

§. 56.

Nummum argenteum pauperculus qvidam adoleſcens victum labore qværitans in ore ſervavit, inter labores autem forte in fauces decidit nummus, demumqve in Ventriculum deſcendit, tandem ſexaginta diebus transactis adoleſcens, natô ſponte Vomitu & Tuſſi validâ eundem nummum ærugine obductum excrevit, ſecundum Obſervationem Joſephi Lanzoni *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 47. p. 39.* Virgo qvædam Nummum argenteum Valoris tertiæ partis Imperialis jocô deglutitum Vomitu excluſit, teſte Georgiô Dethardingiô *ibid. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 70.* Plura de Nummis deglutitis vide ſupra *Cap. 5.* *Nummi.*

§. 57.

Acum fortuitò deglutitum, qvæ ſuæ in Stomachô hæſionis ſignum infallibile, dolorem procuravit continuum, qvinqvenniô demum elapſô cum Vomitu rejecit deglutitor, globulô fibroſô tamen circumdatam. Magnas qvoqve moleſtias ex acu deglutitâ ſenſit ancilla qvædam freqventiori avenæ decorticatæ lacte coctæ uſu tandem ſopitas, acu κάτω prodeunte vid. Georg. Detharding. *l. a.* ubi etiam Puerum fibulam orichalceam ad Calceos firmandos paratam Vomitu excluſiſſe addit. *Acus.* *Fibula.*

§. 58.

A Vermium Morſu & roſione vomitum excitari ſupra monuimus, hoc autem locô vermium vomitu rejectorum vel per os prorepentium exempla adducemus. Mulier qvædam juvencula & primipara poſt multos cruciatûs atqve torſiones & alia ſymptomata Vermem multipedem per os rejecit: ſeqventi aurorâ inſecutus alter ejusdem formæ & farinæ, qvem præterlapſô qvatriduô tertius ſecutus eſt. Per Microſcopium examine inſtitutô miram inſectum hoc præ ſe ferebat faciem: Cornutum erat caput, oculi orbita prominebat, corpus reliqvum loricatum qvaſi & coloribus variegatum cernebatur: pedibus *Vermes.*

inſtru-

inſtructum erat qvàm plurimis. Cùm verò his rejectis Symptomata minimè remitterent, reiteratô Emeticô alius Vermis flavus & ſextipes, wie ein Mehl-Wurm, expellebatur, juxta relationem Gothofredi Samuelis Poliſii *M. N. C. Dec. II. An. 4. obſ. 39. pag. 96. ſeq.* De variis vermibus atqve inſectis aliisqve rebus horrendis Vomitu rejectis raram Obſervationem refert Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 23. p. 51. ſeq.* Ultra centum Scolopendrulas ſive vermes auriculares plerosqve viventes evomuit virgo faſcinata, juxta relationem Theodori Zwingeri *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. obſ. 24. p. 65.* Seqventem obſervationem refert D. Panthal *dans le Journal des Sçavans Tom. VIII. p. m. 348.* Un religieux Obſervantin nommé, P. François de la Croix agé de 45. ans, d' une conſtitution forte & robuſte, d' un temperament atrabilaire & extremement echauffé, eſtant a Lyon dans le convent de S. Bonaventure, il y a ſix mois me conſulta ſur des preſſantes douleurs de l'Eſtomac, accompagnées de maux de Coeur & de Ventre, & d' une faim presqve inſatiable, qv' il me dit eſtre les avant coureurs de la ſortie d' un ver fort ſemblable à un ſerpent, long du moins de ſept aunes &c. Vermem viridem ſingularis figuræ poſt febrem evomuit Medici filius vid. Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 23. p. 181.* & paginâ ſeqventi item Autor ſtabularii meminit, qvi vermen minimi ferè digiti craſſitie, ulnamqve cum qvadrante longum Vomitu exſpuit. Virgo trium & viginti annorum Cardialgiâ infeſtata poſt propinatum purgans viginti Vermes vivos evomuit. vid. Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſerv. 73. p. 89.* Plura Lumbricorum & aliorum vermium Vomitu rejectorum exempla in Helminthologia noſtrâ reperies, vid. etiam Johann. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 3. fol. 332. ſeq. 336. ſeq.*

§. 59.

Maſſa limaciformis. Maſſam limaciformem Vomitu rejectam annotavit Salomon

mon Reiſelius in Uxore viginti ferè & ſex annorum, qvæ poſt puerperium valde doluerat circa renes & Cardiam, rejecit vomitu cum menſurâ dimidiâ aqvæ limpidæ flavæ maſſam limaci penè ſimilem, unciis octo cum ſemiſſe longam, dimidiâ craſſam, tenacem & denſam inſtar veſicæ piſcium aut cutis aſelli cocti, qvæqve preſſa digitô foveam non reliqvit, ſed reſiliit, croceam extus, albam intus: alterô extremô craſſiorem & qvaſi abruptam, alterô in acumen deſinentem; in mediô tribus ſegmentis ſeu rugis diſtinctam; qvâ rejectâ mulier optimè ſe habuit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. obſ. 31. p. 71.* ubi figuram & longitudinem depictam reperies.

§. 60.

De mirô qvôdam & monſtroſô animali ferèqve limaciformi è Stomacho per Vomitum â Piſtore qvodam ejectô, atqve a Martinô Liſterô inter ſangvinem, unà cum eô excretum, repertô. *vid. Act. Erudit. Lipſ. Supplement. Tom. I. Sect. 6. p. 310. ſq.* Erat autem hoc animal qvatuor circiter pollices longum, ejusqve, ubi craſſiſſimum, circumferentia trium pollicum: in utroqve latere tres habebat pinnas, easqve cunctas non procul â Capite ſitas, qvæ craſſiuſculæ & carnoſæ erant: at cauda furcata pinnis piſcium vulgaribus æmula ac transparens. &c. *Animal limaciforme.*

§. 61.

De Cochleis Vomitu rejectis ſeqventem Obſervationem communicavit Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. I. An. 3. obſ. 85. p. 141.* Ancilla viginti annorum laborabat Cardialgiâ cum tumore Abdominis & difficultate Reſpirationis; poſt evacuans fortius ἄνω καὶ κάτω rejiciebat multas Cochleas minutulas, qvas deinceps Chirurgus exſiccatas ſibi reſervabat. Cauſam exhibebat lactuca herbacea non lota, humiditate Cochlearum prolificâ imbuta, mediante Calore Ventriculi animatâ, juxta Ledelii Opinionem. *Cochleæ.*

§. 62.

Hirudines. Hirudinem cum aqvâ in Venatione Princeps Neapolitanus abſorpſerat indeqve ſputum ſangvinis incidebat. Ex Ventriculô ſputum prodiiſſe ſuſpicio nata: Unde Principem aqvæ majori copiâ Sveſſanus Medicus implevit, & huc illuc dolii inſtar agitandô ad vomitum compulit; atqve ſic ſangvinei Vomitûs cauſa, Hirudo nempe, qvem cum aqvâ primâ in Venatione ſorpſerat, prodiit. v. Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 23. p. 181. ſeq.* Poſt Morſicationis vel lancinantis doloris ſenſum in regione ſtomachi Molitor Hirudines aliqvot evomuit, teſte Theodoro Zwingero *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. 7. Obſ. 25. p. 59. ſeqq. vid. etiam ſupra Cap. V. §. 42.*

§. 63.

Pullus. Pullum membranatim diviſum monſtroſô eventu evomuit fœmina qvædam, poſtqvam de Salute ejus deſperatum eſſet, propter diutinos moleſtiſſimosqve Ventriculi cruciatûs, juxta Roderic. a Veiga *Locor. affector. Lib. 1. fol. m. 225.*

§. 64.

Scarabæi. Scarabæos, & inter alios vivum, per duos dies ſuperviventem, Vomitu rejecit puella Brielenſis, antea longô tempore Vomitu continuô laborans, juxta Petr. Foreſt. *Obſ. medic. Lib. 18. Obſ. 19. fol. m. 161. & Lib. 21. Obſ. 26. Schol. f. 349.* Puella Memmingenſis, novem circiter vel decem annos nata, horrendis Convulſionibus epilepticis diu cruciata, Menſe Juniô per emeticum exhibitum aliqvot Vermiculos alatos, ſeu Scarabæos parvos, eô tempore circumvolitantes & floribus, roſarum imprimis, inſidentes, in vernacula noſtrâ, Brach-Käferlein appellatos, per gulam exturbavit, qvorum duos vivos ab ipſâ per Vomitum rejectos, brevi poſt avolantes ſe vidiſſe & manibus palpaſſe refert Benedictus Hermannus *M.N.C. Dec. II. An. 1. Obſ. 124. p. 316. ſeq.* Lanii cujusdam filia viginti annorum Obſeſſionis Satanicæ ſuſpecta, poſt aſſumptum Emeticum duabus vicibus

cibus, & qvidem primâ duos, poſtea unum, ſicqve tres, nigrô colore tinctos Scarabæos evomuit; qvibus egeſtis unicæ hebdomadis ſpatiô ab hoc miſerrimô & deteſtandô malô feliciter liberata priſtinæqve ſanitati reſtituta fuit, teſte Everhardo Gockelio *M.N.C. Dec. II. An.9. Obſ.66. p.108. ſeq.*

§. 65.

Innumeras Millepedas vivas per hypocauſtum currentes Cachecticus qvidam poſt Lumbricorum indicia evomuit, juxta Joh. Nicol. Binninger. *Obſerv. medic. Cent. 4. Obſ. 3. p.m. 378.* De puellâ qvindecim annos natâ poſt potum è veteri Ciſternâ plures Millepedes evomente, vid. Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 1. p. 231.* Ex pueri duodecennis ore & naribus â qvartô Martii die usqve ad vigeſimum ſextum, præter alia inſecta plurima, Millepedes ſive Aſelli numerô centum & ſexaginta duo, partim majores, partim minores, invicem permixti prodiêre, qvorum decem, imò aliqvoties viginti unicô ſcreatu egeſſit, vid. Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. 1. pag. 8.* Anno 1680. ex puellâ qvindecim annos natâ plures qvàm ſexaginta Millepedes mediante Syrupô emeticô Angeli Salæ expulit Johannes Laurentius Lælius, qvi hanc puellam magnâ ſiti infeſtatam ex vetuſtâ aliqvâ Ciſternâ ſe bibiſſe confeſſam eſſe, indeqve ſeminium illarum hauſiſſe ſcribit *M. N. C. Dec. II. An. 1. obſ. 98. p. 228.* De mirabili etiam caſu, qvô præter alia Inſecta etiam Aſelli centum ſexaginta & duo fuerunt expulſi, videatur Obſervatio Roſini Lentilii *M. N. C. Dec. III. An. 4. obſ. 23. p. 51. & 58.* Curioſitatis gratia hoc locô etiam de Millepedarum partu Philippi Fraundorfferi Obſervationem annectere placet; ſcribit autem *M. N. C. Dec. III. An. 3. obſ. 2. p. 3.* Fabuloſum videtur, qvod nonnulli de partu viperarum ſcribunt, nimirum fœtum viperinum, non niſi ventrem maternum præternaturaliter perforando & per conſeqvens matrem crudeliter occidendo in lucem prodire; ſimile tamen qvid in Millepedis *Millepedes.*

 ſeu

ſeu Aſellis fieri, mei oculi mihi teſtes ſunt. Ante tres annos contigit, ut, dum vernali tempore libellum volvens per feneſtram proſpicerem, fortè Millepeda muro alicui adhærens exanimis penes me ſupra lapidem feneſtralem deciderit; ego ſtructuræ & figuræ hujus animalculi gratiâ cadaverculum verto, reverto, & arreptô Microſcopiô per omnia luſtro; & ecce, dum eô reſupinatô pedunculos conſidero, circa primum eorundem par, â capite numerando, aliqvid ſeſe movere incipit, non multò pòſt animalculum inſtar minimi pediculi celerrimo curſu prorumpit, qvod mox ſeqvitur alterum, hoc tertium, qvartum, & ſic deinceps usqve ad trigeſimum ſeptimum intra breviſſimum tempus. Erant autem hæc animalcula Millepedæ ſeu Aſelluli bene formati, ejusdem inter ſe magnitudinis, ex eodem foraminulô, in locô ad partum cæteroqvin inconſvetô, & qvidem Matre mortuâ egreſſi.

§. 66.

Muſciliones. Muſciliones Vomitu rejectos, & qvidem â demente qvodam, qvi vomitu innumerorum muſcillorum ſe curatum fuiſſe affirmavit, recenſet Petrus Borellus *Obſ. medic. Cent. 3. Obſ. 50. p. m. 236.*

§. 67.

Formicæ. Formicas ingentes primò ſeptem, vivas adhuc, poſteaqve triginta rurſus alias, partim vivas, partim mortuas, dirô vomendi conatu excrevit præter alia Virgo qvædam faſcinata, juxta Theodori Zwingeri relationem. *vid. Ephemerid. Academ. Nat. Curioſ. Centur. VII. Obſ. 26. p. 64. ſeq.*

§. 68.

Araneæ. Araneam magnam vivam Vomitu rejecit qvidam nomine Fontaugerius, qvam adhuc parvam antea deglutiverat. Scilicet dum ſe opiparè cum amicis in hortô ſuô ſub vite exciperet, cecidit caſu araneola ferè inviſibilis in ejus vitrum vinô plenum jamjamqve hauriendum; dixit ille tunc, nihil refert,

deglu-

deglutieris, & hauſto potu nullum hinc malum ſenſit. Sed duobus abhinc menſibus ægrotare cœpit, cumqve cauſa morbi ab omnibus ignoraretur, nullô remediô levabatur. Tandem naturæ Individui Conſervationis anxiæ conatu Tuſſi cum ingenti Araneam ejecit tantam, ut vel corpore vel pedibus patinam mediocrem tegeret, juxta verba Petri Borelli *Cent. 3. Obſ. 19. p. 212. ſeq.* Anno 1704. Faber ferrarius Maniaci inſtar delirans ſubinde unô ſaltu de terrâ in lectum ſaliendo dixit: **Nun bin ich davon.** Propinatô autem vomitoriô Araneum rejecit, & mox convaluit. vid. Michael. Bernh. Valentin. *Prax. medicin. infallib. Sect. 2. cap. 3. p. 79.* Et *Sect. 3. cap. 9. p. 227.* meminit Licentiati cujusdam, a pluribus annis maniaci, qvi etiam Araneum per Vomitum rejecit.

§. 69.

Erucam magnam, hirſutam, multipedem, ruſticus qvidam colore vultus pallidô atqve de ſiti ingenti, Ciborum Nauſeâ, Ventriculi tumore & dolore gravi qveritans evomuit, teſte Johanne Helwigio *Obſ. 80. pag. 248.* Vermem hirſutum & inſtar Erucæ vomitu â puerô rejectum reperimus apud Petrum Borellum *Cent. 2. Obſ. 70. p. 170.* item *Obſ. 79. p. 177.* Ruſticus qvidam annorum qvinqvaginta per integrum ferè annum dolore Ventriculi lancinante & mordente laborans poſt theriacalia aqvam acidam & ſalſam unà cum verme Erucæ non abſimili evomuit. vid. Phil. Jacob. Schenfelder. *Hiſtor. 2. p. m. 5. & 7.* Vidua qvædam qvadragenaria febre tertianâ laborans paroxyſmi initiô magnam vim evomuit humoris bilioſi, unàqve villoſos tres vermes figurâ, colore & magnitudine erucis ſimiles, ſubatriores tamen, qvi inde integros octo dies vixerunt ſine ullô alimentô. vid. Ambroſ. Paræi *Oper. Libr. 24. cap. 19. fol. 569.* Fœmina qvædam ab aſſumtô emeticô per biduum vel mille Erucas & vermiculos diverſi coloris evomuit, jnxta relationem Chriſtiani Franciſci Paullini *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 234. p. 343.* *Eruca.*

Idem Autor etiam *l. a. Dec. II. An. 5. App. p. 75.* refert, puerum Iſenacenſem tredecim annorum Erucam ex atro flavam cum aliis p. n. poſt aſſumptum vomitorium rejeciſſe.

§. 70.

Ranæ & Bufones. De Ranulis vivis deglutitis Capite qvintô egimus, hoc autem locô Ranarum & Bufonum è ventriculô ejectorum exempla veniunt recenſenda. In Monte Cæliô 1642. de Ventriculi difficultate & dolore conqveſtus qvidam juſſu Medici præſentis Oleum cum juſculô aſſumebat. Concitabatur ad Vomitum prodiitqve illico rana viva. Idem ſuperiori qvoqve annô paſſum colluſores teſtabantur. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 23. p. 181.* ubi qvoqve militis meminit, qvi ex paluſtri & impurâ aqvâ ranas ducentas evomuit. Ancilla, qvæ noctu ex Vaſe biberat aqvam, in qvam ranæ ſemen dejecerant, poſt tempus atrociſſimos dolores paſſa, Ventriculô detumeſcente tandem per vomitum ſex ranas vivas ejecit. vid. Joh. Jacob. Beccher *Phyſic. ſubterran. Lib. 1. Sect. 4. cap. 6. p. m. 255.* Ducentarum ranarum & hirudinis per vomitum progredientium mentionem facit Michael Crügnerus *Epiſtol. med. 9. p. 32.* Ranam vivam per cubile alacriter ſaltantem & latebras qværentem, poſt anxietates atrociſſimas vomitu excrevit Virgo faſcinata, cujus parens dictam ranam forcipe prehenſam igne cremavit. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 26. p. 65. ſq.* Fœminam ranas evomentem ſe noviſſe dicit Johannes Dolæus *Encyclop. med. Lib. 3. cap. 1. p. m. 377.* Idemqve Autor *M. N. C. Dec. II. An. I. obſ. 37. p. 108.* ruſtici meminit, qvi ex aqvâ ſpermate ranarum infectâ bibit, indeqve Vomitu magnum ranarum numerum reddidit. Et Nobilis qvidam tres ranunculas longitudine articuli digiti vivas per vomitum rejecerat. *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 109. Schol. p. 254.* De ancillâ ruſticanâ, Catharinâ Geileriâ, vulgò Altenburgenſis dictâ, poſt diuturnos in abdomine dolores, lancinatorios motus & inflationes, & varia ſymptomata, tandem

Bufones

Bufones duos majores, qvatuor minimos, magnitudine fuci majoris, & Lacertos duos exiguos Anno 1647. die 23. Junii evomuit. Anno ſeqventi die 29. Martii poſt tormina atrocia excrevit ranam mucô plurimô obvolutam cum tribus lacertulis, ſubinde in aqvis ſuis coaxantem & effuſis aqvis in tinâ ſaltantem. Die 4. Aprilis evomuit ranas virides majores duas vivas, & die 11. Aprilis bufonem grandem, turgidum, cum acutiſſimis ungviculis, mortuum alvo excluſit, referente Thomâ Reineſiô vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafnienſ. Vol. II. Obſ. 39. p. 110. ſeq.* Plura de hac hiſtoriâ videantur in Th. Bartholin. *Hiſtor. anatom. Cent. 4. Hiſt. 19. p. 254. ſeq.* it. *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 103. p. 236. ſeq.* Nobilem præcipuum filia hoſpitis cujusdam Halenſis deperit, abeuntiqve pomum pulcherrimum offert. Illi ſuſpectum eſt hoc donum & projicit in bulgas. Poſt triduum recordatur illius & adſpicit; tum illud prorſus nigricans apparet. Expectat per aliud triduum, tum ranulas perplures ibi reperit. Redit ergo in hoſpitium illud morbum ſimulans & ingentia tormina. Virgo lacte calidô uti jubet. Ille iſtud ranis affundit, qvod avidè aſſumunt ac paulatim increſcunt. Ille verò indies majores cruciatùs ſimulat, unde virgo miſerta jubet urinam eqvinam jamjam excretam & adhuc calidam ebibere. Ille eam ranis affundit & moriuntur. Poſt aliqvod tempus ſerva alterius Nobilis miſerrimis cruciatibus conflictatur, ac ſuſpicio eſt de Philtrô, ab eqvite qvodam exhibitô. Propinatur urina eqvina, atqve revomit duas lacertas itemqve duas ranas, juxta Philipp. Salmuth. *Cent. I. Obſ. 70. p. 45. ſq.* Ranam, Bufonem & Salamandram Vomitu rejiciebat femina, qvæ ab annô ſe gravidam ſuſpicabatur. v. Caſp. Bauhin. *de Hermaphrodit. cap. 8. p. m. 90.* De Lanionis ſervô, qvi ſiti urgente affectus in aqvâ ſtagnante avidè bibit, ſecundô die Ventriculô malè habuit, malô ſemper augeſcente, tandem vomitu tres bufones ejecit, vid. Joh. Viridet. *de prim. Coction.*

Part. 2.

Part. 2. cap. 1. p. m. 231. Qvæ Obſervatio absqve dubiô eſt eadem, qvam Anno 1667. Thoruni ſe annotaſſe refert Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 56. p. 113.* Multæ ranæ & bufones ex Ore pueri decennis prodiere, & qvidem ſimul bufo ſpithamam excedens, juxta Roſinum Lentilium *Miſcell. med. pract. Part. I. p. m. 91. ſq.* Georg. Abrah. Mercklin. *Syllog. de Caſ. Incantat. Obſ. 1. p. 10. ſqq.* Ruſticus in horreô ſuper fœnum recens ſecurè dormit, expergefactus â ſomnô ſtrangulationis tanqvam â bolô in faucibus hærente ſenſit moleſtias, qvæ tamen citra aliqvid mali cogitando coactâ & repetitâ Deglutitione ceſſarunt; extemplo verò inde torſiones Ventriculi, qvibus etiam ſopitis ſubſeqvente nocte plenariam ſed dolorificam ſuppresſionem Urinæ incurrit, Calculum eſſe perſvaſus, Erneſtum Gottholdum Stuvium, Medicum, conſulit, qvi pulveres aliqvot ſalino-cinnabarinos ad expediendos ſpaſmos præſcribit, qvorum cùm vix unum vel alterum intra bihorium abſumſiſſet, Vomitus ſuperveniunt vehementes, iisqve bufo vivus ingentis magnitudinis ejicitur, qvi ſine dubiô præcedenti die dormienti in os irrepſerat, *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. obſ. 84. p. 422.* Plura exempla vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. 336. ſq.* Petr. Borell. *Cent. 3. Obſ. 57. p. 241.* Auguſtin. Thoner. *Obſ. med. Lib. 4. p. 224.*

§. 71.

Lacertæ. Lacertarum Vomitu rejectarum hactenus aliqvot exempla adduximus, qvibus adhuc alia addenda erunt; Fœminam enim plus qvàm centum lacertas Vomitu reddidiſſe ſtatimqve mortuam eſſe refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. medic. Lib. 3. cap. 1. p. m. 377.* In pueri tempore æſtatis in pratô dormientis Os duas lacertas fuiſſe ingreſſas, poſteaqve iterum rejectas, ex Ore Alexandri Landi refert Omnibonus Ferrarius *de Art. med. Infant. Lib. 2. cap. 9. p. m. 74. ſq.* Molitor qvidam, qvi aliqvando poſt potum Cereviſiæ Vratislavienſis ſtatim malè habere cœpit, & poſtea

poſtea tormina & morſûs in Ventre ultra novem menſes ſenſit; tandem poſt uſum Theriacæ cum Vinô ſublimatô per vomitum lacertam rejecit, unamqve per alvum, juxta Chriſtoph. Rœsleri Obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 311. p. 530.* Anno 1551. circa diem Divæ Margaritæ in Hungariâ prope pagum Ziſchſam, juxta Theyſam fluvium accidit, ut in multorum hominum Corporibus Serpentes & Lacerti, naturalibus ſimiles, naſcerentur: unde ſæviſſimi dolores ſoborti tandem eos enecarunt, ita ut circiter tria hominum millia ſic periiſſe feratur. Seqventem hiſtoriam *in F. E. B. Obſ. cur. de Excret. Verm. p. 14.* legimus: Nobilis qvidam venationi deditus, cum aliqvando dormiens hiante forſan ore in ſylvâ qvâdam decumberet, Lacerta qvædam ori ejus irrepſit; ſomnô relictô dolorem ſtatim ſentit in regione ventriculi morſicantem, qvi de die in diem ingraveſcit; varia igitur adhibita ſunt remedia, ſed omnia incaſſum; ultra ſemiannum huncce dolorem tolerare cogitur; Venationem tamen non negligebat. In ſylvâ cum valde ſitiret, adibat tugurium ruſticæ cujusdam, & ut modicam potiunculam ſibi daret, poſtulabat; qvæ vero præter Cereviſiam ſecundariam, cui origanum indiderat, nihil dare potis fuit, qvam, ut fauces aridas madefaceret, imbibit. Venationem poſtmodum iterum proſeqvitur, & ſemihorâ vix prætergreſſâ evomebat qvinqve lacertas, qvarum una reliqvas magnitudine excedebat. Qvibusdam humi ad Solem jacentibus Serpentes & Lacerti per Os aliqvatenus emerſerunt, ſecundum Conrad. Geſner. *Hiſtor. animal. Lib. 2. de Qvadruped. ovipar. fol. m. 41.* Juvencula puella ruſtici trium annorum ſpatiô lacertos in Ventre aluit non ſine torminibus ingentibus. Tandem unicum lacertum evomuit, vid. Thom. Barthol. *Cent. 5. Hiſtor. 94. p. 175.* qvô locô etiam militis meminit, qvi poſt crebra Ventris tormina adhibitis purgantibus Oſſa lacertorum ſimilia excrevit. Ab Incantatione ex ore pueri duodecim annos nati viginti & unam

lacertas prodiiſſe, legimus apud Roſinum Lentilium *Miſcell. med. pract. Part. I. pag. 92.* & Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. I. p. m. 11.* Supra triginta lacertas ex unô homine; mediante pulvere ex Dictamno & Semine Cinæ & Citri paratô, expulit Johannes Kentmannus, Medicus olim Dresdenſis, vid. Joh. Schenck: *Obſerv. medicin. Lib. 3. fol. 338.* Ruſticus qvidam laboribus nimium calens ac ſitiens, ex fonte ſeminis Inſectorum refertô hauſtum ſumens ſemen alicujus animalculi, Lacertæ ſcilicet, deglutivit, qvod ſucceſſu temporis maturatum in ſui ſimile animalculum eſt excluſum; hoc ſucceſſivè creſcens varia ſymptomata excitabat, donec â variis medicamentis adeò, irritaretur & moleſtaretur, ut ſubterfugere conaretur, hinc factô impetu per Oeſophagum & Os, gravi cum conamine & ſuffocationis periculô, exitum tentavit ac peregit, vbi animalculum hoc, Lacerta, vivum, magnum & robuſtum, capite ſat grandi, qvatuor pedibus, longâ caudâ ac maculis ſubflavis, cœruleis ac rubris ſtipatum, per cubiculum hinc inde circumvagans ab adſtantibus tandem fuſtibus extinctum fuit, teſte Andreâ Fackhio *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. V. & VI. Obſerv. 73. p. 126. ſeq.*

§. 72.

Salamandræ. Salamandras qvatuor multosqve bufones qvendam herbæ cujusdam uſu per vomitum ejeciſſe, ſcribit Petrus Borellus *Cent. 3. obſ. 57. p.* 241. Et ancillam qvandam caſtrenſem ægrotantem ante obitum duo animalia, Salamandras referentia, evomuiſſe, commemorat idem *Cent. I. obſ. 23. p.* 33.

§. 73.

Serpentes & Viperæ. Serpentes, viperas & natrices vomitu rejectas, vel ex ore prodeuntes annotarunt nonnulli Autores. Scilicet Andreas Deſplos, Villicus, dolore ingenti colicô cruciatus, & qvidem tantô, ut humi jacere pronus coactus eſſet, ſerpentem vomitu magnum ejecit, juxta Petr. Borell. *Cent. 3. Obſ. 31. p. 222.* Anno

1696.

1696. Menſe Junio fœmina juvenis, venatoris ancilla, in hortô ſub diô ſomnô obruitur; inter ſomniandum per os patens repit in corpus hujus miſellæ ſerpens; excitata ex levi ſtrepitu ancilla ſentit in faucibus aliqvid hærere, qvod ipſa ſine morâ extrahere nitebatur, ſed ſerpens interiora corporis occupaverat, & ancilla in Stomachô varios inuſitatos motûs, anxietates atqve dolores experiebatur. His commota hera propinavit ipſi hauſtum Spiritûs vini cum pipere, qvô aſſumptô dolores qvodammodo ceſſarunt, aſt brevi redierunt. Hinc ſumpſit qvantitatem ſalis culinaris in aqvâ communi ſoluti; ſimul ac autem fæmella hunc potum ſalſum deguſtâſſet, ſe meliùs habuit, & tertiô die ante prandium ſerpentem ſemiputrem ſine noxæ veſtigiô, adſtantibus herô herâve reliqvisqve domeſticis, vomitu rejecit. Qvod ſtatim Magiſtratui publico indicarunt, juxta Theodori Chriſtophori Krugii obſervationem *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. obſ. 159. p. 365. ſeq.* De Ranâ nigrâ ſqvamoſâ & ſerpente ſvamoſô â fœminâ qvadam vomitu rejectis vid. Auguſtin. Thoner. *obſ. medic. Lib. 4. p. 224.* A ruſticô ſub ditione Bremenſi Anno 1669. Serpentes & alia animalcula ſummô cum præcordiorum cruciatu continuô Vomitu rejecta fuiſſe, ex Matthiâ Tilingio refert Philippus Jacobus Sachs *M. N. C. Dec. I. An. I. obſ. 109. Schol. p. 254.* In Stanislai â Laſco defuncti Ventriculô ſerpentes fuiſſe repertos, ex Manliô refert Johannes Schenckius *obſ. med. Lib. 3. f. 337.* Serpentum Anno 1551. in Hungariâ ex ore hominum prodeuntium modò ex Gesnero mentionem fecimus. Nobilem qvendam Franconicum Serpentes per vomitum ejeciſſe, teſtatur Johannes Jacobus Beccherus *Phyſic. ſubterran. Lib. I. Sect. 4. cap. 6. p. 255.* Huc pertinet etiam aliqvaliter mirabilis & rarus ille Caſus adoleſcentis cujusdam Argentoratenſis, Georgii Schoneri, qvi Anno 1617. octavô Aprilis poſt varios cruciatûs & Symptomata in qvodam paternarum ædium locô mortuus, adjacente ipſi ſerpente, â dome-

domeſticis fuit repertus, de qvô Diſcurſum Medico-Philoſophicum edidit Melchior Sebizius junior, in qvô etiam Iconem iſtius ſerpentis, qvi adoleſcenti, annum ætatis 17. agenti, ruinam atqve interitum attulit, depingit, ſimulqve hoc animal, qvod vivum ampullæ vitreæ incluſum, qvartâ ab internecione die oculis ſuis vidit diligenterqve conſideravit, longitudine Ulnam Argentoratenſem & qvartam illius partem æqvaſſe addit. Seqventem Obſervationem de Serpente ex hominis Ventriculô poſt mortem prorepente refert Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 215. p. 314. ſq.* Sutor qvidam pauperculus per multos annos horribiles in Corpore ſenſit cruciatûs, multos conſuluit, multa adhibuit, ſed omnia fruſtra, tandem cruciatuum impatiens arreptô cultrô ſuô ſutoriô locum dolentem infra Ventriculum ſtultè ſibi aperturus Vulnus ſatis magnum inflixit, unde mortuus, habitâ prius facti ex impatientiâ pœnitentiâ. Impoſitum Sarcophago operculô probè tectô fortè ſupervenit qvidam vulnus & mortuum contemplaturus; ecce! remotô operculô ſerpentem cum ſtupore egreſſum è vulnere obſervat, brachii longitudine & duorum digitorum craſſum, & qvatriduum ſuperviventem. Plura ejusmodi exempla congeſſit Johannes Schenckius *l. a. f. 337. ſq.*

§. 74.

Piſces. Piſcem vivum ſex digitos longum Uxor Domini de Pareſols, Nobilis Aqvitani, diuturnô ſtomachi dolore detenta tandem vomitu provocatô evomuit, vid. Petr. Borell. *Cent. I. obſ. 9. p. 14. ſeq.* Fœminam qvandam Gobium fluviatilem, vulgo Fundulum, verum & vivum minimi digiti longitudinem æqvantem Vomitu rejeciſſe, teſtatur Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 3. obſ. 227. p. 415.* Ægrotantem Tapujarum Regem de tibiarum & lateris Ventrisqve doloribus qverulum, poſt editum mugitum ſputa copioſius & cum ſputis Angvillam egeſſiſſe, ex Barlæo de Reb. Braſil. refert Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 6.*

obſ.

obſ. 59. p. 145. Piſcem ſine ſqvammis Veſiculæ incluſum a feminâ qvadam Vomitu rejectum annotavit Michael Crügnerus *Epiſt. med. 11. p. 37.*

§. 75.

Scorpionibus ſimilia animalcula â ruſticô qvodam ſub ditione Bremenſi An. 1669. ſummô cum cruciatu continuô vomitu rejecta ex Tilingiô allegat Philippus Jacobus Sachs à Lewenheim *M. N. C. Dec. I. An. I. obſ. 109. Schol. p. 254.* Et A. 1570. in agro Veronenſi accidit, ut dormiente qvodam infante, filiô unicô Antonii Franciſci Antezelli, in cunis, Scorpio ſatis latus ingreſſus ſit per Os ipſius, qvem tamen infans expergefactus, poſt multos labores, dolores & ploratûs evomuit, nihilominus tamen obiit. vid. Omnibon. Ferrar. *de Art. medic. Infant. Lib. 2. cap. 9. p. 73. ſeq.* *Scorpiones.*

§. 76.

De Muribus Vomitu expulſis ſeqventem Hiſtoriam curioſam ex Meinhart â Lüchtringin recenſet Chriſtianus Franſciſcus Paullini *Tr. de Talp. Sect. 1. cap. 3. §. 11. p. m. 93. ſeq.* Abbas qvidam immorigero fratri pœnitentiæ locô varia indixerat, nullâ ſeqvente emendatione. Tandem novum & inſolitum qvoddam pœnæ genus excogitaturus Coqvum monaſterii jubet juſculo, condimenti vice, largiùs immiſcere pulverem Muris domeſtici, idqve petulanti offerre fratri. Qvi, licet ab aliis, qvid in culinâ factum, audiviſſet, riſit tamen, juſculum iſtud hilariter ingerens, neqvaqvam ad frugem rediit. Miratus Prælatus pertinaciam hominis in Carcerem truſit. Lapſis aliqvot hebdomadibus magnos in Ventre percepit cruciatûs, qvos lacte & lacticiniis aliqvando ſedavit, qvi tamen pòſt atrociùs recurrebant. Ille tantarum moleſtiarum tandem pertæſus, obtinet, neſcio cujus operâ, Vomitorium. Qvô ſumptô duos Muſculos veros perfectos vivosqve Abbati iſtius loci in patinâ oblatos evomuit, nullâ ampliùs moleſtiâ auditâ &c. Philippum, *Mures.*

 Haſſiæ

Haſſiæ Principem Sereniſſimum, ante aliqvot annos puſillum ſoricem, qvem inter dormiendum hiante Ore penetraſſe ejusdem Archiater ſuſpicabatur, per Vomitum rejeciſſe, ex Joh. Dan. Horſtio refert Elias Henricus Henckelius *de Philtr. §. 53. p. 70.* Aliam Obſervationem communicat Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 157. p. 341. 343.* inqviens: Cùm An. 1687. apud nos (Chemnitii) fama percrebuiſſet, Juſtinam Michaelis Schüppels, in Pago Claſſenbach, uxorem murem vivum evomuiſſe, illico ad Juſtitiæ Præfectum illius loci famam detuli & petii, ut me præſente in hujus Caſûs certitudinem inqvireret. Aſſurgebat Vir Juris peritiſſimus, in cujus & meâ præſentiâ prædicta Juſtina ſanctè affirmavit: ſe ſanam Feſto Aſcenſionis Dominicæ matutina ſacra adiiſſe, iisqve peractis ſitim ingentem ſenſiſſe. Sumptô prandiô horâ qvartâ pomeridianâ horrore percutitur, qvam inſeqvuntur Nauſea & enormia Ventris tormina & hæc Vomitûs aliqvot, donec tandem magnô conatu muſculum vivum, ſed depilem, vomitu expulit. Vixit muſculus tumido abdomine horas viginti octo, & tandem Urinâ excretâ moritur. &c.

§. 77.

Talpa. Talpæ vomitu rejectæ exemplum a Johanne Schmidio *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 90. p. 150.* ſeqventibus verbis recenſetur: Villici cujusdam in pagô aliqvot milliaribus ab urbe noſtra (Dantiſco) diſtante, Bankau dicto, Uxor, Eliſabeta Krügers, mulier conſiſtentis ætatis, mediâ æſtate in rure ſupina ſomno ſeſe committit, qvô oppreſſa viſa ſibi eſt aliqvid per apertum os irrepens excepiſſe: expergefacta ex profundô ſopore dolores ſentit Ventriculi, qvi incrementa indies ſumebant, & ad eam tandem excreſcebant vehementiam, ut perpetuas lancinationes ſentiret, ferè ad animi deliqvium. Ob dolorum iſtorum acerbitatem adſveta munia penè inidonea reddebatur, emaciabatur Corpus. Varia qvæſivit paupercula remedia, ſed qvæſivit

ſivit tantùm, invenire cùm nulla potuerit, miſeram hancce per annos qvindecim trahebat vitam. Tandem Vellicationes Ventriculi ſentiebat intolerabiles, cardilagiam, anxietates ad animi usqve deliqvium patiebatur maximas, ita ut extrema inſtare adſtantes judicarent: Suboriebatur autem Nauſea primùm, Vomitus demum enormis, qvô cum Talpam vivam, obeſam, digitos octo transverſos longitudine æqvantem rejecit, qvæ apprehenſa per horas aliqvot ſupervixit. Mulier autem paupercula doloribus partim fracta, fortè nec commodè tractata, nec convenientibus roborata, cum partu hoc præternaturali poſt viginti qvatuor horarum ſpatium exhauſtis ſpiritibus animam efflavit.

§. 78.

Muſtelam viventem Vomitu â fœminâ qvadam fuiſſe rejectam ex Ariſtotele eqvidem refert Johannes Dolæus *Encyclopæd. medic. Lib. 3. cap. 1. p. m. 377.* Attamen Chriſtiano Friderico Garmanno *M. N. C. Dec. II. An. 8. obſ. 157. p. 342. ſeqq.* hæc relatio eſt ſuſpecta. Inqvit enim: qvendam muſtelam viventem vomitu exturbâſſe, ex Ariſtotele non nemo narrat, locum tamen non addens, nec fortè reperiet, ſi rectè memini, qvispiam. Forſan legit, muſtelam ore parere, Ariſtotelem tradidiſſe, ſed id qvoqve falſò. Nusqvam enim in Ariſtotele hoc qvispiam inveniet; bene verò *Lib. 3. de Generat. Animal. cap. 6.* advertet curioſus, Ariſtotelem id inter errores poſuiſſe. *Muſtela.*

§. 79.

* De Sceletô dimidii Cati per Vomitum rejectô, & qvidem â muliere, qvæ antea felem ſuum è puteo, in qvem in ipſô veneris exercitiô lapſus erat, atqve defeſſa ex urnâ aqvam & cum ipſô ſemen felium hauſerat; unde non ſolùm animal hoc in Ventriculô ſenſerat, ſed tandem etiam immanibus doloribus cruciata beneficio Vomitorii, a D. Tobia Matthæi accepti, liberata erat; alterô dimidiô ſceletô per alvum excretô, vid. *Sceleton cati.*

Valent.

Valent. Andr. Mœllenbroc. in Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. Theoret. pract. Caſ. 31. Schol. p. m. 396.* Et *M. N. C. Dec. I. An. 1. obſ. 109. p. 251.* dictus Mœllenbroccius hanc Obſervationem ad Philippum Jacobum Sachs a Lewenheim perſcripſit. Imò Johannes Dolæus *Encyclop: med. Lib. 3. cap. 1. p. m. 377.* ipſum Tobiam Matthæi, Medicum Friburgenſem, ex puteô, in qvô felis projectus erat, aqvam hauſiſſe & aſſumptô Vomitoriô felem evomuiſſe, fortaſſe ex falſâ relatione, ſcribit. Albertus Bartholinus fratri ſuo Thomæ Bartholino narravit, felem in prædiô Arcis regiæ Fridericiburgenſis ſuos fœtûs evomuiſſe, ſummâ adſtantium admiratione, qvi ſanctè affirmarunt, felem nihil priùs devoraſſe, nec aliâ viâ rejeciſſe. v. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medicin. Centur. 3. Epiſt. 8. p. m. 37. Hiſtor. anat. Cent. V. obſ. 98. p. 180. 182.* Item *de inſolit. Partus human. Viis cap. 9. p. m. 59. ſeq.*

§. 80.

Catuli. De Catulis vomitu rejectis ad Scholtzium ita ſcribit D. Rumbaum: Ut depictam tuam confirmem hiſtoriam, qvæ vomitu duos catellos rejectos eſſe oſtendit, libuit & eam, credo eandem, adjicere, qvam ſuperioribus annis in Chronicô Germanicô Brunſvicenſi Henrici Buttingeri Anno 79. legi, ſi non his verbis, ſenſu tamen certè: Hannobræ Sartor, Albertus Hencke, anno 80. vomitu rejecit duos catellos cœcos albos poſt eſum lactis. vid. Johann. Schenck. *obſerv. medic. Lib. 7. fol. m. 846.* Hunc rariſſimum & ferè inauditum Caſum paulò aliis circumſtantiis recenſet Henricus Meibomius in Chronicô Brunſvicenſi Buttingianô correctô, Magdeburgi 1620. impreſſô: Anno 1580. Civis illius urbis, Albertus Hencke, Sartor, per ſat magnum temporis ſpatium malè ſe habuit, adeò ut pallidô vultu ſatis latentem teſtaretur morbum. Qvodam die ab uxore petiit, ut ipſi calidum porrigeret Lac, qvod vix deglutitum ipſi Nauſeam creavit cum maximâ anguſtiâ, donec

tandem

tandem evomeret magnam copiam ſordium, & in his duos catulos albos, vivos, repentes & adhuc cæcos, qvi in patinâ figulinâ in Templum S. Georgii expoſiti fuerunt, ut ab omnibus viderentur. Non diu tamen vixerunt Catuli, ſed moriebantur; ipſe vero Vir indies ad integram rediit ſanitatem. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 109. Shol. p. 257.* it. *Dec. II. An. 4. App. p. 187.* vid. etiam Joh. Rudolph. Camerar. *Memorabil. Medicin. Cent. 19. Obſ. 63. p. m. 1560.* & Chriſt. Franciſc. Paullin. *Cynograph. Sect. I. cap. 3. p. 60.* Mulierem qvandam ex morſu canis rabidi diu rabidam aliqvando ultra octodecim fruſta albicantia ejeciſſe Catellis nuper natis ita ſimilia, ut ovum ovo, refert Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 58. p. 98.* Animalculum, Caniculo ſimile, anus qvædam per Vomitum rejecit cum burſula, in qvâ hæſit, ſecundum Obſervationem Friderici Ruyſchii *v. Act. Erudit. Lipſ. An. 1714. Menſ. Sept. p. m. 21.*

§. 81.

Imò fœtum humanum per Os excluſum fuiſſe ſcribit Philippus Salmuth. *Centur. 3. Obſ. 94. p. m. 156.* Juvenis, inqviens, qvædam fœmina in Civitate imperiali Infantem digiti longitudine, maximis cum doloribus ſummoqve vitæ periculô, per Os enititur. Mortuum 13. Julii 1605. mulieres adſtantes ſcatulæ includunt & ſepeliunt. Ampliſſimus verò Senatus, poſtqvam hoc reſcivit, refodere Infantem, eumqve in honeſtorum qvorundam virorum præſentiâ aperire jubet, qvem omnibus membris humanis, tam internis, qvàm externis, verè conſtare cognoſcunt, & paulò longioris digiti longitudinem vix excedere deprehendunt. Puerpera eâ de re interrogata & examinata conſtanter affirmavit, maritum ſemper cum illâ per Os coiviſſe & ſperma in fauces immiſiſſe: ſibi (utpote a naturâ planè ſimplici ſicqve â maritô facilè perſvaſæ) primò qvidem de aliô coëundi modô nihil prorſus conſtitiſſe, donec a vicinâ, qvâcum de eô aliqvando communicâſſet, aliter edocta fuiſſet, atqve ſe ita â maritô *Fœtus humanus.*

Ttt delusam

deluſam poſtmodum animadvertiſſet. &c. De hac Obſervatione vid. Thom. Bartholin. *Cent.* 3. *Epiſt.* 8. *p. m.* 35. *ſq.* & Chriſtianus Fridericus Garmannus *M. N. C. Dec. II. An.* 8. *Obſ.* 57. *p.* 346. ubi inqvit, qvis fabuloſo aut nimium credulo Philippo Salmutho fidem habebit, fœtum per Os fuiſſe rejectum? & ex his principiis concludet, ovulum fœmininum maſculinô ſemine imprægnatum eandem abſorbuiſſe. vid. etiam Georg. Wolffg. Wedel. *Phyſiolog. reform. Sect.* 3. *cap.* 28. *p. m.* 203.

§. 82.

Fœtus Vomitu rejectus. Ejusdem farinæ videtur etiam Hiſtoria fœtûs in Uterô mortui & per Os ejecti, qvam Caſparus à Reies *Camp. Elyſ. Quæſt. jucund. qv.* 90. §. 16. *p. m.* 1172. ex Joan. Alonſo de Fontecha, & hic ex Bernardino Montanna refert: Uxorem ſcilicet cujusdam ſervi poſt convaleſcentiam gravioris cujusdam morbi tantam Carnis & Oſſium qvantitatem per Os depoſuiſſe, ut integram humani fœtus confabricationem æqvarent; & hominis ſive fœtûs absqve dubiô fuiſſe, ait, in uterô geniti, cùm ipſa ante morbum gravida eſſet, nec per conſvetam aut aliam viam conceptum aliàs emiſerit. &c. Qvæ tamen hiſtoria non ſolùm Caſparo à Reies, ſed etiam Thomæ Bartholino *de Inſolit. Partus viis cap.* 9. *p.* 56. niſi ipſe Montanna oculis ſuis ſe vidiſſe teſtaretur, ſuſpecta videtur. Duplicem tamen dictus Bartholinus *l. a. p.* 57. *ſeq.* Utero prægnanti & diſtento viciniam, qvæ huic phænomeno illuſtrando inſerviat, nempe Inteſtinorum & Ventriculi, concedit; Illis, inqviens, incumbit gravidus Uterus, ad latera detruſis, qvibus idcirco ab exulceratô Uterô, qvâ parte vicinitas jubet, perforatis, Oſſa & alia putridæ carnes infantis per illorum cavitatem rectà ad Ventriculum usqve eructantur. Tam qvoqve Ventriculo vicinus in gravidis eſt Uterus, ut illum comprimat, cibiqve parſimoniam non rarò imperet, & vicino ſua contagia de facili imprimat. Qvod etiam in honeſtâ qvadam muliere Florentinâ, Magdalena, Eqvitis Accacioli uxore, acci-

accidiſſe credit Bartholinus *l. a. p. 58.* de qvâ ex Marcello Donato *Hiſtor. medic. mirab. Lib. 4. cap. 22.* (qvam tamen Obſervationem in meâ editione dicto loco reperire non potui) ſcribit, qvòd, cum per elapſum qvinqvennium ab acerrimis doloribus univerſalibus vexata fuiſſet, inſcia tamen, an tunc temporis in uterô haberet, manè ſummô dolore, ingenti Nauſeâ ac tandem vomitu ſubortis, impetu maximô, anxietate ac ſudore infantis oſſa omnia evomuerit, ab eadem poſtea magnâ curâ obſervata. Nec minùs inter rariora referendus eſt abortus partûs bimeſtris & trimeſtris, cujus meminit Juſtinus Ortolphus Maroldus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 108. p. 245. ſq.* Uxor ſcilicet ruſtici cujusdam Menſe ſecundô â primâ ingravidatione cum vomitu partum bimeſtrem, obvolutum ſecundinis, ovi gallinacei figuram & ſpeciem referentem, ejecit. Annô ſubſeqvente iterum ingravidatur, & ejusmodi ovum cum δευτέροις evomuit. Tertiô annô usqve ad tertium menſem Uterô geſſit; aſt non ovum, ſed integra oſſicula carniumqve fruſta, caput membraqve reliqva, exigua qvidem, magitudine tamen bene diſtincta, cum ſecundinis & ſubſeqventibus Lochiis egeſſit. Circa qvam Obſervationem notandum, Maroldum dicto locô *p. 248. ſq.* non ſolùm Fontechæ, ſed etiam Bartholini vias ex Utero ad Ventriculum rejicere, atqve alias hujus Vomitûs abortivi cauſas & vias qværere, de qvibus evolvatur locus allegatus.

§. 83.

Obſervantur etiam alia præternaturalia, qvæ Incantationi adſcribi ſolent, per Vomitum rejecta. Vidit enim Alexander Benedictus mulieres duas, qvæ acûs crinales, Vitri fruſta, capilloſqve pluſculos evomuerunt, qvarum altera exanimata interiit, altera tres ingentes caudæ caninæ arefactos nodos evomuit. vid. Alexand. Benedict. *de Re medic. Lib. 11. cap. 7. fol. m. 203.* qvod etiam *Lib. 7. cap. 25. fol. 142.* his verbis refert: Vidimus mulieres duas ſocias & vicinitate familia- *Varia ab Incantatione.*

 res,

res, unâ die, malis, ut arbitrati ſunt, medicamentis potionatas, qvæ monſtrificis exagitatæ vomitionibus miraculum præbuêre: Altera acum crinalem ingentem in modum hami implicatum cum Capillô muliebri pluſculô cum reſegminibus Ungvium involutô rejecit magnis conatibus, dum ea evomeret, omni nixu nihilo penè minùs ſtrangulata jacuit, qvæ ſeqventi nocte obiit. Altera item capillamentum muliebre, vitri fruſta cum Canis caudæ piloſæ tribus fruſtis arefactis, ita ut penè integræ caudæ qvantitatem, ſi unà compoſita fuiſſent, facilè adimplerent. Pannum, Clavos, ferramenta vomitu rejecta obſervavit Petrus Foreſtus *Lib. 18. Obſ. 26. Schol. f. m. 169.* Materiam qvandam gypſeam & cum hac lapillos qvindecim varii Coloris, acûs item muſcô obductas ſeu involutas, & inter has cultelli ſcriptorii fragmentum cum portiuncula manubrii eburnei vomitu rejecit Vir qvidam doctus, febri qvartanâ in tertium usqve annum cum ſymptomatibus graviſſimis & captum ſuperantibus laborans. vid. Baldaſſ. Timæi â Güldenklee *Lib. 7. Caſ. 24. p. m. 328. ſeqq.* Anno 1649. die 28. Aprilis puella qvædam poſt varia ſuſpecta ſymptomata acuti ligni fruſtulum, cærulei panni ſerici laciniam, filô viridi conſutam, in qvâ tria plumbi fruſtula recondebantur, vitri fruſtula duo, tres amygdalas, tria fiſtulæ Nicotianæ fragmenta & ſilices albos evomuit. Die 29. ſpinam, Marſupium lineum crinibus humanis conſtrictum, in qvô fruſtula aliqvot carnis crudæ recentisqve reperiebantur, acutis lignis hinc inde inſperſis, duas ſpinas acutas, mox atram glebam cum lapillô candidô & corrigiam ſemidigitum longam eructavit. Seqventi die evomuit ligulam lineam digiti longitudine tribus nodis, in qvorum mediô acicula hærebat intorta cum paleâ bifidâ, in alterô qvoqve acicula incurva. Succeſſit poſtea alia luto illita, cui lamina ſtanni erat inducta. Die 2. Maji vomitu prodiit lapis pondere trium drachmarum, & 3. Maji exſpuit peram coria-

coriaceam crinibus humanis circumductam, pulvere pyriô repletam &c. vid. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Hiſtor. 52. p. m. 72. ſq.* Et *Centur. II. Hiſt. 38. p. 201.* Globuli cerei, Nucis Moſchatæ magnitudine & formâ, vomitu poſt varios dolores rejecti, in qvô per medium diſſectô linum, plumam & aciculam accuratè ceræ permixtam invenit, idem Bartholin. meminit. v. etiam Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract. Obſ. 35. p. 466.* Puella octodecim annorum dirô cum cruciatu acûs, aciculas, clavorum varia genera, antias, capillos complicatos, obolos, ficulas, ovorum putamina integra, fila, cultros aliaqve multa vomitu rejecit. vid. Martin. Ruland. *Curat. empiric. Cent. 4. Curat. 15. p. m. 242.* Filia Nobiliſſimi Domini Johannis Heinrici ab Horn varia, ſcilicet carbones, nucum putamina perforata, ceram, plumbum, piſcium Oſſa, acum crinalem argenteum, ſex ſetas longas porcinas per vomitum excrevit, juxta Baldaſſ. Tim. â Güldenklee *Lib. 7. Caſ. 24. p. m. 331.* Poſt propinatum Mercurium Vitæ puer qvidam novennis maleficiatus pileum variô oſſium majorum & minorum genere plenum per vomitum rejecit, poſtremò etiam ſuccedente animalculô vivô hiſpidô, colore fuſcô, Ranæ formam referente. vid. Auguſtin. Thoner. *Obſerv. medicin. Lib. 4. p. 224.* ubi etiam aliud exemplum de rejectâ ranâ nigrâ ſqvamoſâ & ſerpente ſqvamoſô reperitur. Eqvuleum vomitu rejectum ſe vidiſſe ſcribit Johannes Baptiſta van Helmont, *de Inject. material. §. 2. fol. m. 365.* ubi plura adducit exempla, v. g. de puellâ Antverpienſi, qvæ Anno 1622. conglomeratim forte bis mille aciculas, pilos unà & ſordes evomebat. Alia 1631. Mechliniæ qvisqvilias ligneas, dolabrâ lævigando deraſas, cum multâ mucilagine ad duorum pugnorum magnitudinem vomitu ejiciebat. Sic mulier qvædam decimum ſextum agens annum poſt varias convulſiones ferocior facta, ac torvis oculis circumſpiciens, tandem in vomitum prorupit, qvô longiores & recurvos clavos æneasqve acus unâ

cum

cum Cerâ & Capillis in globum mixtis evomuit, vid. Anton. Beniven. *de abdit. morb. cauſ. cap. 8. p. m. 148.* Nonum agens annum puellula, poſt varia ſymptomata, ſtercora eqvina, acus, aciculas, pilos, plumas, fili glomeres, vitrea feneſtrarum fragmenta, clavos rotis bigarum vel qvadrigarum eductos, cultrum ferreum ſpithamâ longiorem, ovorum putamina, conchilia vomere cœpit, juxta Henr. ab Heer *Obſ. 8. p. m. 86.* Porrò Johannes Langius *Epiſt. méd. Lib. 1. Epiſt. 38. p. 168. ſq.* non modò Mulieris Florentinæ meminit, qvæ pariter oblongos & recurvos clavos æneasqve acûs unà cum Cerâ & Capillis conglomeratos evomuit, & poſtremò ingens carneum jentaculi fruſtum, qvale nec gigantis fauces deglutirent, eructavit, ſed etiam annectit, in Juliacenſis Ducatûs oppido Theuern crebrò accidere, qvòd ægroti in templô ante Divæ Annæ altare & venerandum caput ejus ſupplices proſtrati fruſta & fragmina vitrorum urceolorum & oſſium de piſcibus, qvæ humana gula & ſtomachus deglutire non poſſet, ad loculos qvosdam cum nummis evomuerint. De puellâ, annum qvintum decimum agente, qvæ primùm per qvindecim dies, & qvidem ſingulis ſupra libras viginti qvatuor aqvoſi humoris, humano lotio non abſimilis, exoneravit, & nihilominus urinam interdiu bis terve copioſam reddidit; deinde pilos copioſiſſimos, digiti circiter longitudine, qvales annoſis canibus evelluntur, in maximâ copiâ excrevit, item ſtercus columbinum & anſerinum, cum fruſtis lignorum, & Carbones veros, minutiſſimè tritos, membranas, lapides innumeros & inter alios qvendam anguloſum, vix cum duplici caſtaneæ mole librandum, item varia oſſa, vitri & æris portiunculas & alia plura, vomitu rejecit. vid. Daniel Sennert. *Pract. Lib. 6. Part. 9. cap. 3. p. m. 302. ſeqq.* Ancilla ruſtica poſt varia ſymptomata per vomitum ejecit fruſtum rubicundi attritiqve panni, cui involutum erat fruſtulum panni flavi. Seqventibus diebus ſimilia fruſta plura panni cœrulei, viridis ac pellium qvoqve piloſas

lacinias,

lacinias, panni extimos margines, cannabim, pilos, collare dimidium, globulum ex pilis eqvinis factum, factam ex iisdem pilis pro cingendô pileô, faſciam, folium herbæ alicujus ſiccum, per os ejecit, vid. Eliæ Camerar. *Diſſertat. Taurinenſ. p. m. 9.* De variis inſectis à virgine qvadam faſcinatâ per vomitum rejectis v. Theod. Zwinger *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 26. p. 24. ſeq.* Puella nobilis annum agens decimum ſextum rejecit ab incantatione glomeratos crines, tribulorum faſciculum, acûs æneas, & tandem oviformem maſſam atrô colore conſpurcatam, qvâ diſſectâ erupêre plures violantes formicæ, qvæ adeò horrendum fœtorem ex ſe exſpirarunt, ut nullus in domô perſiſtere poſſet. At cùm in agone eſſet, per vomitum laborioſiſſimè excrevit animal, pugni formâ, colore atrum, caudâ oblongâ, totô corpore piloſum, muris inſtar, qvod poſtqvam in terram delapſum eſt, eximiâ pedum agilitate per domum obrepit & emoritur. vid. Zacut. Luſitan. *de Prax. medic. admir. Libr. 3. Obſ. 139. fol. m. 140.* Noribergæ famula qvædam poſt inſignes & miſerabiles Ventriculi & Inteſtinorum torſiones per ſeptimanas aliqvot continuas, in die ſæpiſſime pilos conglobatos, acus, aciculas incurvatas, ſangvinis grumos, ovorum cortices & alia vomitu rejecit, teſte Johanne Helwigio *Obſ. 74. p. m. 237.* Qvi etiam obſervatione ſeqventi aliûs ancillæ Noribergenſis meminit; qvæ Anno 1669. vomitiones cruentas promiſcuè ſæpe cum pilis variis & filis lineis connodatis atqve conglomeratis, acubus, aciculis incurvatis, fragmentis cultrorum, clavorum, fragmenti vetuſti, filis ferreis, nummis æreis, globulis ac fragmentis vitreis, ovorum putaminibus, &c. ſuſtinuit ſeu experta eſt. Plura ejusmodi exempla reperies apud Gvil. Fabric. Hild. *Cent. 2. Obſ. 43. p. m. 202.* Journal des Savans *Tom. 10. p. m. 147.* Joh. Wier. *Oper. Lib. 4. cap. 2. p. 281. ſeq.* Stephan. Blancard. *Collect. med. phyſ. Cent. 3. Obſ. 78. pag. m. 458. ſeq.* Joh. Schenck. *Obſ. medicin. Lib. 3. fol. m. 334. & 337. & Lib. 7. fol. 843.*

Caſum

Caſum etiam rariſſimum de puellô, qvi intra viginti qvatuor ſeptimanas ducenta & qvinqvaginta Inſecta & alia inſolita v. g. clavos, annulos, fruſta ſeu teſtas patinarum, lapides, faſciculum pulchrorum capillorum, fruſta albarum & rubrarum teſtarum Ovorum, cultrorum &c. vomitu rejecit, communicat Roſinus Lentilius *Miſcell. medic. pract. Part. I. p. m. 81. ſeq. usqve ad 96.* item *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 23. p. m. 51. ſeqq.* Qvem etiam Caſum Georgius Abrahamus Mercklinus recenſet *Tract. de Incantat. Caſ. 1. a. p. 1. usqve ad 17.* qvi Autor in obſervationibus ſeqventibus & ferè per totum Tractatum ejusmodi exempla annotavit. Meminit etiam Chriſtianus Franciſcus Paullini pueri Iſenacenſis tredecim annorum, qvi â propinatô emeticô erucam ex atrô flavam & duodecim minores ejusdem Coloris cum nidô earum, folium viride ribes, particulam ſcoparum, aciculam, particulam ſtraminei culminis, pennam albiſſimam, fruſtulum Corii & bina ſtercoris columbini fruſtula rejecit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. Append. p. 75.* De ejusmodi morbô magicô Dietericus Eckhovius, Medicus Bergenſis, ſeqventem Obſervationem, propriis oculis confirmatam ad Thomam Bartholinum miſit: Bergis puerum qvatuordecim annorum ante biennium totius corporis laſſitudo doloroſa corripuit, cum Ulceribus, qvæ unà cum pure modò oſſicula, modò piſcium ſpinas emiſere. Sex forſan elapſæ ſunt ſeptimanæ, ex qvibus in ſingultum incidit valde horrendum, qvô ungves, qvos pili omni ferè ex parte inſtar funiculorum partim circumvolvebant, partim inter ſe connectebant, aciculas incurvatas ſibi invicem catenatim inſertas, globulos ferreos & ſtanneos, tandemqve ligni fruſtum longitudine dimidium pollicem æqvans cum ſeqventium literarum levi inciſione S. M. P. D. rejecit, ſummô ſpectantium ſtupore & admiratione. In Paroxyſmi principiô dolorem qvendam in digitis ſurſum, paulatim crus petentem, cutemqve inſtar muris erroneo motu mox attollen-

attollentem, moxqve deprimentem percepit: qvem mox (ſi tamen ita appellare liceat) digitorum motus convulſivus eſt ſubſecutus, Organotriben, vario digitorum flexu muſicum qvoddam melos ludentem, perfectiſſimè æmulans. Venter interea & pectus fluctuum more undoſo motu mirâ viciſſitudine modò elevabantur, modò ſubſidebant cum cervicis reflexione admodum tortuoſâ. Hæc tandem ſymptomata finiit ſingultus, jam nominata artificialia Ventriculô exturbans. Cuncta autem, qvæ Ventriculô ita egurgitavit, bis iterum deglutiit, repetente interim prædictum ordinem totâ ſymptomatum ſerie, qvæ tertiô tandem convulſivô Ventriculi motu finitô ægrum torqvere deſierunt: Difficillimum tamen fuit aciculas, Ungves &c. qvos lingvæ extremitas Ore ſubinde exſerta continebat, excutere, cùm qvamcunqve aſtantium ſummam etiam manuum agilitatem ſubitaneâ lingvæ retractione eluſerit, dentibusqve petierit, ut etiam vix, nec ſine periculô, digitum morſui ſubtrahere potuerint. Et hoc omne oculis peregit exactè clauſis &c. vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. 3 Epiſt. 60. p. m. 241. ſeq.* Scribit etiam Johannes Baptiſta van Helmont *de Injectis Materialibus §. 6. fol. m. 366.* ſe Bruxellæ vidiſſe, Anno 1599. qvòd bos ſumptis tribus herbis evomuerit Draconem caudâ angvillari, corpore coriaceo, Capite ſerpentino, Perdice non minorem.

§. 84.

Utrum verò hactenus recenſita revera in corpore extiterint vomituqve rejecta fuerint, vel annon potiùs præſtigiæ dæmonis ſubſint? qvæſtio ſanè difficilis deciſionis eſt; hinc nonnulli Autores, res illas miras revera in Corpore fuiſſe morboqve cauſam dediſſe, minimè credunt, ſed diaboli ſubtilitate & velocitate imperceptibili inter vomendum ori injectas vel extrà tantum admotas eſſe, adſtantium interim oculis vel celeritate ejus victis, vel faſcinô deluſis, vel interjectô corpore

An hæc revera in Corpore fuerint?

aëreo, aut aliô modô, caligantibus, firmiter ſtatuunt; ſiqve præſtigiatores manuum agilitate hominum oculos fallere poſſint, cur non etiam Dæmon, mille artifex, idem valeat, eaqve intuentibus oſtentare, qvæ nunqvam in Corpore fuerint, multis argumentis defendunt. Alii econtra res tales abſurdas revera â dæmone corporibus inſinuari, iterumqve exinde vel rejici, vel extrahi putant; Alii vero adhuc, Diabolum materiam corpori inferendam in minutiſſimas partes disjungere, atqve deinde ingeſta rurſus compingere poſſe judicant, de qvâ materiâ vid. Joh. Wier. *Oper. Lib. 4. cap. 2. p. m. 281. ſeq.* Baldaſſ. Timæi â Gúldenklee *Lib. 7. Caſ. 24. p. m. 232.* Dan. Sennert. *Pract. Med. Lib. 6. Part. 9. cap. 5. p. m. 413. ſeq.* El. Henr. Henckel. *de Phil. §. 53. ſeq. p. 72. ſeqq. 75.* Georg. Abrah. Mercklin. *Sylloq. de Caſib. Incantat. p. m. 151. ſeq. 154. ſq. ſq.* ubi pluribus de hac materiâ agit. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. practic. Caſ. 35. Shol. §. 6. p. m. 471.* Henr. ab Heer. *Obſ. 8. p. m. 90.* Gottfr. Chriſt. Winckler. *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 31. Schol. p. 64. ſeq.* Nicol. Remig. *Dæmonolatr. Lib. 3. cap. 1. p. 301. ſqq.*

§. 85.

Clyſteres & Suppoſitiora. Qvandoqve etiam Enemata ſeu Clyſteres & Suppoſitoria anô applicata per Os rejecta leguntur, v. g. Margareta Lauwera (de cujus monſtroſo morbô *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1682. Novembr. p. 338. ſq.*) Clisma ex emollientibus frigidis paregoricis injectum, omnium ſtupore horæ intra qvadrantem per Os rejecit. Id qvod etiam ſecundâ vice cum multis lapillis, nullis unqvam excrementis permixtis, factum eſt. Imprimis autem nephriticis, herniofis & iliacis Clyſterum per Os rejectio familiaris eſſe ſolet, qvale exemplum ex Daniele Ludovici de Ædituô Kœnigsbergenſi, Clyſteris injecti potiſſimam partem (oleô pelvi innotante liqvoreqve Chamomillam præcipue redolente) Vomitu rejiciente, refert Godofredus Schulzius *Scrutin. Cinabarin. p. m. 190.* In doloribus nephriticis Clysma ad

Ventri-

Ventriculum penetrans vomitumqve minitans obſervavit Thomas Bartholinus *Cent. 4. Hiſtor. 68. p. m. 369. ſeq.* In fœminâ viginti qvinqve annorum Vomitu enema rejectum annotavit Johannes Muraltus *Oper. chirurg. Obſ. 207. p. m. 675.* qvi etiam à fœmina triginta octo annorum, Herniâ duplici laborante, Clyſteres & excrementa vomitionibus crebris rejici vidit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 118. p. 300.* Guilielmi Fabricii Soror ex tumore in Ingvine poſt varia ſymptomata tres Clyſteres per Os rejecit; vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. 1. Obſ. 57. p. m. 245.* vid. ipſe Guil. Fabric. Hild. *Cent. VI. Obſ. 70. fol. 587. ſq.* ubi plura exempla. Dolore iliacô afflictus qvidam faber ærarius totum Clyſterem injectum in inſtanti, flatibus per Os præmiſſis, per Os ejecit, juxta Andream Cnœffelium, *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 209. p. 385.* Filiolum trimulum, Diarrhœâ ex terrore laborantem, Clyſterem horæ qvandrante vix elapſô, pariter per Os reddidiſſe, refert Georgius Segerus *l. a. An. 9. & 10. Obſ. 94. p. 244.* Puello nobili duorum annorum contra vomitûs & alvi duritiem poſt alia tentata applicatur Clyſter, ſed dictum factum poſt horæ qvadrantem Vomitu ille integer rejiciebatur, teſte Gabriele Claudero *ibid. Dec. II. An. 5. Obſ. 194. p. 390.* ubi in Scholiô alia adhuc exempla adducit. Rejectionem Clyſteris per Os ſemel ſe vidiſſe refert Vopiſcus Fortunatus Plempius *Fundament. Medicin. Lib. 2. cap. 8. fol. m. 126.* In textoris filiô, ſex annos natô, Clyſteris vomitum ex colore & odore manifeſtiſſimè agnovit Petrus Borellus *Cent. I. Obſ. 17. p. m. 26.* Puella qvædam Ileô laborans cum omnimodâ alvi obſtructione fæces primò, hinc Clyſteres injectos, vomitu rejecit: Imò triduô poſt inditum longum ſuppoſitorium per Inteſtina breviſſimô tempore ad Os irrepſit. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 14. Obſ. 20. Schol. f. m. 913.* ubi plura exempla reperiuntur. Septem Suppoſitoria motu periſtalticô inverſô per Vomitum rejici vidit Daniel Sennertus; hoc ut impediret,

 ultimum

ultimum ſvaſit Suppoſitorium filô ſextuplo ſatis firmiter alligari, putans ſic motui præternaturali reſiſtere poſſe; verùm Inteſtina & hoc abripuerunt & per Os unà cum filô rejecerunt. *vid. Ephemerid. Nat. Cur. Cent. III. & IV. App. p. 154.* In fœmina poſt Ictum Scorpionis Volvulô laborante Clyſterem per ſuperiora ſtatim redditum annotavit Franciſcus Evangeliſtius *v. M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 20. p. 40.* Clyſterem innoxiè per Os rejectum annotavit Petrus Rommelius *ib. An. 7. & 8. Obſ. 39. p. 62.* Suppoſitorium opiatum cuidam teneſmonizanti Chirurgius qvidam imponi juſſit, unde poſtea ægrotus per horas qvatuor continuè qvievit, qvô in tempore ſuppoſitorium illud filo appenſum evanuit, hinc verò ad duos dies tam horribilem ſaporem patiens in ore percipiebat, ut aſſumere cibum non poſſet: propter qvod dictus Chirurgus vomitum provocavit, & tunc patiens ſuppoſitorium illud filo appenſum evomuit. vid. Johann. Schenck. *Obſerv. med. Lib. 3. fol. m. 332.* Plura exempla Clyſterum vomitu rejectorum *ibid. fol. 331.* reperies. vid. etiam Marcell. Donat. *de Medic. Hiſtor. Admirab. Lib. 4. cap. 3. p. 312.* talia qvoqve ſæpius in Praxi occurrunt.

§. 86.

Excrementa. Stercora ſeu excrementa alvina qvandoqve per os exitum qværere, partim ex hactenus allegatis, partim ex qvotidianâ Praxi liqvet, de qva tamen materiâ paulò inferiùs de Paſſione Iliacâ & Stercore per os rejectô, pluribus agemus.

§. 87.

Flamma ex Ventriculo. Flammam ex Ventriculô tam viventium, qvàm defunctorum hominum prorumpentem annotavit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatam. Cent. I. Hiſt. 70. p. m. 106.* Cùm enim Lugduni mulieris cujusdam Cadaver cauſam mortis inveſtigaturi Medici reſeraſſent, ingens ex Ventriculô prorupit flamma univerſum Ventriculi ambitum occupans, mox tamen extincta. Cauſa flammæ credebatur Spiritus vini largiùs â muliere iſtâ ſorptus

vel

vel calidior Theriaces aqva, qvam Medicis ſvadentibus ægra ſumpſerat. Item Polonum Eqvitem tempore Reginæ Bonæ Sfortiæ, ſumptis duobus ardentis vini cyathis, flam̃am evomuiſſe exindeqve combuſtum, idem Autor cum aliô adhuc exemplo ibidem recenſet. Et *Cent. 3. Hiſtor. 56. p. m. 9.* alia inſuper exempla refert: cuidam ſcilicet, ipſi noto, qvi urgentibus compotatoribus, ſpiritum vini hauſerat, flamma extra fauces tantùm extitit, ut loqvi neſciverit, qvam tamen aſſumptâ frigidâ extinxit. Item extra portam Hafnienſem repertus eſt ruſticus ex cujus collô flamma emicuit. vid. etiam Th. Bartholin. *de Luc. Homin. cap. 18. p. m. 154.* Imò ſecundùm relationem Matthiæ Jacobæi paupercula qvædam fœmina Urbis Pariſienſis Spiritu Vini per ſolidum triennium ita in ſe ingurgitabat, ut aliô alimenti genere corpus nutrire recuſaverit, unde tandem tantum ardorem corpus concepit, viſceraqve ita incenſa, ut dum ſemel circa veſpertinas horas in ſellâ ſtramineâ ſeſe repoſuiſſet dormitura; ex ardore Corporis (fortaſſe ex ore) flammam conciperet, qvæ unà cum fœminâ manè reperta eſt in cineres redacta, & ita miſera mulier combuſta fuit, ut tota in fumum & cineres abierit, exceptô craniô & digitorum extremis, adeò ignis iſte inſtar fulminis ſubtilis & penetrans tota oſſa, qvæ ignis culinaris non feciſſet, in pulverem convertebat. v. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 118. p. m. 212. ſeq.* Fœminam qvandam in morte flammas evomuiſſe refert Petrus Borellus *Cent. 2. Obſ. 69. p. m. 169.* Patricium qvendam Erfurtenſem Caſparus Theophilus Bierlingius noctu vocatus invenit mortuum, flammâ ſpiritûs vini, qvem in nimiâ copiâ aſſumſerat, ex ore ejus exeunte. v. Bierling. *Theſaur. theoret. pract. Obſ. 44. Schol. p. m. 592.* In Curlandiâ tres Nobiles certatim ſpiritum vini hauſerunt, ſed exitu tam funeſtô, ut eorum bini, prorumpente è Stomachô flammâ miſerè perierint; tertius cognomen â piſe mutuatus, piſcis fortaſſe natu-

ram æmulatus, lauream ſpirituoſi helluonis vix aut ne vix qvidem reportârit, juxta Roſinum Lentilium *v. M. N. C. Dec. II. An. 10. App. p. 53. ſeq.* ubi flammas è ventriculis eorum, qvi ſe vini vel frumenti ſpiritu lautiùs invitant, ſæpius erumpere, in terris ſeptentrionalibus, cumprimis autem Poloniâ, Ruſſiâ, Curlandiâ, Livoniâ non eſſe inſolitum, addit. Huc pertinet obſervatio Johannis Jacobi Piſani de modô flammam in Ventriculô excitandi: Flamma, inqvit, ex ventriculô prorumpere & ſpiritûs vini accenſi inſtar cremare cernitur ex animali, ligatô priùs ſtrictiſſimè ore ſuperiore & inferiore filô validiſſimô, non tamen more anatamicô, ſcilicet per medium ligati interpaſſatô, ſed ſolùm ſimplici ligaturâ fortiſſimè cinctô. Tali modô ligatus Ventriculus, ſupernè qvidem ſupra infernè verò infra ligaturam exſcindatur, comprimaturqve binis manibus taliter, ut in unâ parte ſit qvacunqve turgens ac eminens evadat. Hôc peractô levâ manu teneatur, ne diſpareat eminentia; dextra verò cultellô anatamicô (adaptatâ priùs ab adſtante aliqvô candelâ digiti latitudinis diſtante) expeditè aperiatur, videbitur flamma inibi concepta coloris qvaſi cœrulei prodiens ad tempus, qvô Oratio Dominicalis recitari poteſt, qvandoqve ardens, & hanc flammam tali ritu non ſolùm in Ventriculô, verum & Inteſtinis, curioſis Naturæ ſcrutatoribus reperire libebit. Inventor hujus flammæ extitit Bononiæ An. 1669. D. Andreas Vulparius, ibidem Anatomiæ Profeſſor. *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 77. p. 180.* Qvod autem hac ratione per artem fieri poſſe docetur, ut nimirum ex Ventriculis diſſectorum flamma prodeat, id etiam caſu accidere poſſe non ſolùm docet Obſervatio ſuprà ex Bartholinô de muliere Lugdunenſi allegatâ, ſed etiam Philippus Jacobus Sachs a Lewenheim ex Johanne Ruſchiô aliud exemplum communicat: Caſu fortuitô, inqviens, præteritô ſeculô in Italiâ hoc accidit, Piſis in Theatrô Anatomicô, dum, cùm Anatomiæ Præfectus candelam

cereram

ceream accenſam in manibus prope locum diſſectionis, illius igne flatum halitumqve pingvem, fortuitô caſu è diſciſſô ſtomachô egredientem, inflammavit, qvod tum temporis caſui præſentes Franciſcus Bonamicus, egregius Philoſophus, & Johannes Ruſchius, Anatomiæ Profeſſor Piſis, Fortunio Liceto communicârunt. Accidit hoc An. 1597. in muliere diſſectâ, qvæ ante obitum qvatuor diebus nihil aſſumſerat, corpus verò adeò ei flatibus tumidum, ut falſò prægnans habita fuerit: Cum deveniret ad Ventriculum, eumqve teneret Ruſchius manu ſiniſtrâ ſatis arctè, ipſum turgidum ac durum eâ parte redderet, ſublatâ primâ tunicâ peritonæi communi, & duarum propriarum diſſectâ carnioſiori externâ, dum gladiolo punctim perforaret internam, adſtante Scholare qvodam cum candelâ, repente & inopinatò foras exiit â factô foramine flamma, continuò cum ſtrepitu perdurans illud temporis ſpatium, qvo ter dici potuit: videte, videte, vide - Color flammæ inſtar picis græcæ aut ſulphuris ardentis, flavus ad viridem inclinans, abſqve tamen notabili odore. Diutius putarunt duraturam fuiſſe flammam, niſi Ruſchius eâ territus manum â compreſſione Ventriculi removiſſet. *v. l. a, p. 182.**

§. 88.

Circa finem Capitis qvinti qvorundam mentionem fecimus, qvi varia præternaturalia v. g. ferrum, cultros, vitra, lapides, ignem, &c. devorârunt; præſens caput claudere libet Italô illô, qvi juxta Joh. Muys *Chirurg. rational. Dec. 3. Obſ. 6. p. m. 166. & Oper. p. 124.* ante aliqvod tempus Lugduni Batavorum poſt magnam aqvæ limpidæ copiam aſſumptam eandem in varia Vaſa cryſtallina, non limpidam, ſed diverſi coloris ac ſaporis in ſingulis Vaſis, evomuit. Hujus Aqvivomi, ut ita dicam meminit etiam Heindentryk Overcamp *Oecon. animal. cap. 3. p. m. 56.* ubi talem artificem diverſa vitra cryſtallina diverſis atqve optimis oleis pro ſuô ſcopô imprægnata ſeu inuncta adhibuiſſe at- *Aqvivomi.*

qve

qve his oleis aqvæ poſt largiorem aqvæ ſimplicis potum, ab ipſô enchireſi qvadam, â juventute fortaſſe aſſvetâ, ex Ventriculô ad Os revocatæ, pro lubitu differentem colorem atqve odorem conciliaſſe putat. Ipſe memini olim Lipſiæ in Nundinis eundem vel ſimilem vidiſſe artificem, qvi in Theatrô publicô varias, ſeu vario odore & ſapore imprægnatas aqvas, ex ore vel Ventriculô, uti dicebat, ad ſpectatorum deſiderium in Vitra pura evomebat.

§. 89.

Bibo Melitenſes. Huc etiam referendus Bibo Melitenſis, nomine Petrus, qvi paſſim publica artificii ſui edidit ſpecimina: Hic epotis viginti vel triginta aqvæ ciathis pro lubitu ſpectantium celeriter revomuit & inſtar ſalientis ex ore fontis modò ſingulos cyathos ordine replevit, modò univerſam aqvam ad pedes viginti & ampliùs rejecit: Præterea prò cujusqve ſpectatoris arbitriô non aqvam tantùm limpidam reddidit, ſed variis coloribus & ſaporibus differentem, modò aqvam roſarum, ſpiritum Vini, Vinum Hiſpanicum, rubrum, album &c. ſingulosqve cyathos ſingulari ſuiqve generis potu implevit eodem Vomitu. Fatebatur autem, jejunô Ventriculô vel vacuô feliciùs ſuccedere experimentum; ſi enim poſt prandium ſtatim vocaretur â Magnatibus, cogi ſe prius ingeſtum cibum revomere, anteqvam Ventriculum tantâ copiâ aqvæ replere poſſet. Expreſſurus hoc modô hauſtos liqvores, ſolâ manûs preſſione, abdomini vel thoraci, rem confecit &c. v. Thom. Bartholin. *Cent. 1. Hiſt. 39. p. m. 54. ſeq.* Prolixiùs de ſtupendô hoc Hydropota ſeqventia refert Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. medicin. Cent. 1. Obſ. 4: p. m. 4.* Novembre anni 1649. vidi Baſileæ, in ædibus congregationis piſtorum, Italum qvendam Melitenſem 71. annorum, Dominum Pettum de Monfredo, aliàs inſignem aqvæ bibonem dictum, qvi theatro inſiſtens ex collocatis aqvâ fontanâ plenis ſitulis (ore prius tepidâ, coràm omnibus, lotô) viginti

viginti & ultra limpidæ cyathos, unô tenore hauriebat: Mox depletô Ventriculô claram, ut biberat, longiſſimè eructabat. Hôc factô ejusdem aqvæ, nudô & apertô thorace, ebibit rurſum non minùs triginta hauſtûs, ex vitris cryſtallinis nitidiſſimis: qvæ abluit iterum & ordine diſpoſita implevit, pro ſpectantium lubitu, vini rubri & albi, Francici, Burgundiaci, Hiſpanici, Rhenani diverſis generibus: cereviſiâ, aqvâ roſarum, florum aurantiorum fragrantiſſimâ & vini ſpiritu. Apprehenſos ſimul tres vacuos cyathos, unô momentô tribus diverſiſſimis liqvoribus, qvotiescunqve cupiebat, obedientiſſimô ventriculô, complebat. Aqvam vitæ, roſarum & alios olfeci liqvores, qvos ex colore & odore coactus ſum ſinceros credere; guſtârunt qvidam minimè decepti. Ut autem præſtitis major adhiberetur fides, & fraudis omnis tolleretur dubium, ſtrophiola plurimorum bene olentibus undis perſperſit, & petitâ candelâ, qvædam illorum in aqvam vitæ intincta accendit ad ſpiritûs conſumptionem, omnium ſanè videntium ſtupore. Tandem ſuperpondii locô, unô flatu, vinum rubrum, lac & oleum in ſeparata vitrea receptacula non ſucceſſivè ſed dextrâ levâqve celerrimè motô capite diſtinctè rejecit. Deſuper infuſos & hauſtos liqvores ſolâ lumbi dextri vel utriusqve compreſſione revomebat, diverſa, ut ante dictum, ſpecie, naturali beneficiô, ſicut aſſerebat. Latitaſſe autem artificium nullus dubito, qvale verò, ratione aſſeqvi non licuit hactenus. Vitra enim coloribus imbuta fuiſſe, credere plusqvam puerile eſt: eluebat enim, & â ſpectatoribus mutuò qvædam ſumebat: liqvores etiam ore eructati non colore ſolô, ſed & odore, ſapore, conſiſtentiâ & ſubſtantiâ rem ipſam referebant. Veſiculas in palatô diverſis illis liqvoribus plenas detinuiſſe, qvas noviſſet pro lubitu dentibus mordendo aperire, incredibile eſt: os enim, intruſis digitis, utrinqve diducebat, congruè loqvebatur absqve buccarum ullo tumore; qvod ſanè fieri non potuiſſet,

ſi circitr triginta diſſimili liqvore repletas veſicas, unciarum qvinqve vel ſex capaces, qvantum in cyathos effundebat, in ore continuiſſet. Qvod fiſtulam in palato habuerit, per qvam juxta colli ductum, plumbeus canalis ritè adoptatus, ad inferiora tenderet, veſtimentis elatioribus contectus, cui canali vel tubo varias infernè alligâſſent veſiculas, dictis liqvoribus turgentes, qvæ compreſſæ ex ore per tubum ſalirent, nec veroſimile eſt. Elevatô enim gutture, nudatô pectore, aqvam è ſublimi in os jaciebat: qvâ actione, omni dubiô procul, fiſtula & canalis apparuiſſent; dein vix concipi poſſet, qvomodo per unum vel diverſos tubos in ulcus vel foramen palati intruſos, ſine confuſione potuerint tam diverſi liqvores deduci? imò à lateribus agitatô celeriter capite in diverſa receptacula tria, vinum rubrum, lac & oleum diſtinctiſſimè & cum impetu refundi? Qvod in cyathis fuerit fucus talis, ut, licet pleni apparerent ob denſitatem, vacui tamen eſſent, nec tantum aqvæ biberit potor, ac bibiſſe videbatur: nec id veritatis habet qvicqvam; contigit enim videre cunctis, qvolibet plenô vitrô factum in os depluvium. Plures inde ejusmodi bibones videre contigit, ſed infinitis paraſangis ab illô diſtantes. Hæc Binningerus.

CAPUT VIII.

De Inteſtinorum ſtatu naturali & præternaturali, eorumqve Motu periſtaltico.

§. I.

Inteſtina. VEntriculo, de qvô hactenus prolixè egimus, annectuntur Inteſtina ſeu longi illi anfractuoſi & membranacei Canales, â Pylorô ad Anum usqve protenſi, Chylificatio-

cationi, ſecundum qvosdam, continuandæ & abſolvendæ, juxta alios verò tantummodo Chylo â fecibus ſecernendo, hisqve extra corpus protrudendis & excernendis deſtinati, de qvibus hoc in Capite agemus.

§. 2.

De horum Anatome, Structurâ, tunicis fibrisque evolvantur Anatomici, Capite ſextô de Ventriculô allegati, qvorum alii eadem ex tribus tantùm, alii ex qvatuor Tunicis componi ſtatuunt; Videatur etiam Franciſc. Gliſſon. *de Ventric. & Inteſtin.* in Mangett. & Clerc *Bibliothec. anatom. Tom. I. fol. m. 78. item fol. 94. ſeqq. 102. ſeqq.* Daniel Tauvry *Anatom. nov. Part. I. cap. 2. p. m. 17. ſeq.* Petr. Dionis *Anatom. Demonſtrat. 2. p. 157.* Philipp. Verheyen *Anatom. corpor. hum. Tr. 2. cap. 10. pag. m. 85. ſeqq.* Thomas Williſ. *de Medicament. Operat. Sect. I. cap. 2. p. 14. ſeq.* Laurent. Heiſter. *Compend. anat. n. 210. ſeq. p. 60. ſeq. 62. ſeq.* Nathan. Highmor. *Corpor. human. Disquiſit. anat. Lib. 1. Part. 2. cap. 4. fol. m. 25.* Eſſais d' Anatom. *Diſc. 2. p. m. 118. ſeq.* Caſpar. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anat. cap. 2. p. m. 20. & 38. ſeq.* Petr. Linſing. *Inſtitut. med. p. m. 40.* Frider. Ruyſch. *Theſaur. anatom. IV. p. m. 4. & 40. Theſaur. VI. pag. 4. 8. ſeq.* Nicol. Blegny *de Art. Herniar. Curat. in Zodiac. Med. Gallic. An. 1. p. 194.* Maurit. Hoffmann. *Ideæ Machin. human. anat. phyſiolog. Sect. 5. p. 36.* Dominic. de Marchett. *Anatom. cap. 3. p. m. 21. 29. ſeq.* Fibras Inteſtinorum, qvæ pro annullaribus habentur, eſſe revera ſpirales, docet Autor qvidam anonymus, cujus Diſſertatiunculam communicat Gvilelmus Cole *de Febribus intermittent. Append.* De Ventriculi & Inteſtinorum in cadavere ſeparatione, extractione & præparatione vid. Barthold. Kruger. *Anatom. curioſ. Deod. d. cap. 3. p. 5. ſq.* *Anatome.*

§. 3.

De Glandulis inteſtinalibus earumqve uſu vid. Corn. Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Centur. poſter. Obſ. 24. Schol. p. 260.* ubi non modò Glandulas in hominum Inteſtinis jamjam Hippo- *Glandulæ.*

crati fuiſſe notas, ſed etiam plurima de dictis glandulis recenſet; Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 2. p. m. 259. ſeq.* Dan. Tauvry *Anatom. cap. 20. p. 19. ſq.* Clerc & Mangett. *Bibliothec. anatom. Tom. I. fol. III. 137.* Pæon. & Pythagor. ſive Joh. Jac. Harder. & Joh. Conrad. Peyer. *Exercitation. anatom. & medic. p. 128. 130. ſq. 133. 136. 175. 177. 179. 182. 212.* Stephan. Blancard. *Anat. reform. Part. 2. cap. 21. p. 30. ſeq. 34.* Theod. Zwingerus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 234. p. 543.* item Joh. Conradus Peyerus *ib. Obſ. 132. p. 273.* Novarum glandularum Inteſtini duodeni mentionem facit Johannes Conradus Brunnerus *ib. Anno 5. Obſ. 241. p. 464.* Idem Jo. Conr. à Brunn Tractatum de Glandulis duodeni 1715. edidit. Item Johannes Jacobus Harderus *Dec. III. An. 1. Obſ. 96. p. 151. Act. Erudit. Lipſ. An. 1716. Menſ. Januar. p. 39. 41.* Joh. Gvil. Pauli *Annotat. in Joh. van Horne Micocoſm. §. 22. p. 46.* Joh. de Muralt. *Clav. Medicin. Exercit. 8. p. 351.* De glandulis Inteſtini cœci *v. Frid. Ruyſch. Theſ. II. p. 49.* Et Thomas Williſius *Pharmac. ration. Part. I. Sect. 1. cap. I. p. m. 20.* tunicam villoſam ſeu glanduloſam delineat. vid. etiam J. Nicol. Pechlin. *de Purgant. Medicament. Facultat. cap. 36. p. 509. 511. ſq.* Peculiarem etiam Tractatum de Inteſtinorum glandulis edidit Jo. Conr. Peyerus. Cujus etiam vid. *Parerg. anat. Exercitat. 2. p. 5. ſq.* Extremitatem Inteſtini cœci qvaſi ex rotundis glandulis conflatam eſſe, ſimilemqve ſubſtantiam in Inteſtinô qvoqve tenui reperiri, ſcribit Thomas Bartholinus *Act. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 136. p. 280.* Non ſolùm in homine harum glandularum plurimas, ſed etiam in canibus earum manipulos obſervavit Johannes Bohnius, hinc inde per horum inteſtina diſperſos, qvi, qvia nerveam tunicam penetrare, & in muſculoſâ radicari videntur, per hanc & communem transparentes & qvaſi extuberantes facillimè ac commodiùs, qvàm in facie Inteſtinorum interiore deprehendi ſolent, videnturqve illa corpora ſphærica & tubulata, qvæ in duodenô prope Pancreatis communicationem Pechlinus ſemel

in

in Cane animadvertit, plexum hujus inteſtini conſtituiſſe. Ratione autem Experimenti, qvod Johannes Nicolaus Pechlinus *l. a. p. 509.* deſcribit, notetur, illud fruſtaneô ſucceſſu â Johanne Bohniô fuiſſe adornatum, licet Inteſtinorum Canis plurimas intercapedines filô conſtrinxerit, haud ſcilicet tumorem ingentem, aut ſaltem notabilem (qvamvis Autor hunc ſtatim exoriri perhibeat) in partibus Inteſtinorum interceptis, multò minùs ſerum ex iisdem apertis ſtillare conſpexit, juxta Annotata & Obſervata ex Collegiô ejusdem anatomico-experimentali Manuſcripto. vid. etiam Joh. Bohnii *Diſp. de Menſtr. Univerſal.* §. 10.

§. 4.

Vulgo Inteſtina in tenuia & craſſa, & qvidem, juxta Eman. Kœnig. *Regn. animal. p. 92.* ob tunicarum craſſitiem & contentorum fluiditatem dividi ſolent, ad qvorum priora duodenum, jejunum, ileum; ad poſteriora verò cœcum, colon & rectum referuntur; qvæ tamen Diviſio, juxta Joh. Bohnii *Circul. anatom. phyſiol. Progymn. XI. p. 161.* non æqvè ratione ſubſtantiæ aut etiam tunicarum tenuium vel craſſiorum eſt toleranda; ſic enim duodenum, qvod ad tenuia refertur, cœcô & colô crasſius; nec etiam ratione Capacitatis, utpote cujus intuitu idem cœcum tenuibus foret accenſendum; ſed potiùs ratione contentorum ſeu fæcum, qvia Inteſtinorum tenuium contenta etiam tenuia, molliora & fluxilia magis, crasſiorum verò compactiora, crasſiora & ſolidiora conſpiciuntur; illic chylô adhuc diluta, hic eôdem deſtituta. vid. etiam Jo. Maurit. Hoffmann. *Ideæ Machin. human. anatom. phyſiol. Sect. 5. p. 36.* Inteſtina fibris qvibusdam veluti laciniis aut appendiculis diſtincta luteis in hominis ſuſpenſi cadavere ſectô ſe obſervâſſe, refert Marcus Aurelius Severinus *de recond. Abſceſſ. Natur. Lib. 4. cap. 9.* §. 9. *p. 192.* *Diviſio.*

§. 5.

Circa hanc Inteſtinorum diviſionem ratione Inteſtini cœci adhuc notandum venit, â plerisqve Anatomicis pro Inteſtinô *An cœcum ad craſſa pertineat?*

cœcô haberi appendicem illam lumbricalem circa principium Inteſtini Coli; qvæ tamen ſententia aliis tam Veteribus, qvàm modernis Autoribus diſplicet, ſiqvidem juxta Thom. Bartholin. *Anatom. renov. Lib. 1. cap. 11. p. m. 90.* Veteres per Inteſtinum cœcum globoſam illam & capacem partem ad principium Coli, intellexerunt. Item Henricus Smetius *Miſcellan. medic. Lib. 10. p. 539.* inqvit: Non poteſt meô judiciô pro cœcô inteſtinô haberi appendix illa, qvæ in modum craſſiuſculi contortiqve lumbrici principiô Coli in dextrô Iliô annata conſpicitur, qvum tam exiguus ejus ſit meatus, ut vix ſpecillum craſſiuſculum admittat, tantum abeſt, ut in illô excrementum alvi craſſius primô formari poſſet. Adde qvòd cœcum non tenuioribus Inteſtinis, ſed craſſioribus annumeretur. Iſta autem appendix tenuibus longè tenuior & gracilior exiſtit, neqve eſt pervia. Et Philippus Verheyen *Anatom. Corpor. hum. Tr. 2. cap. 10. p. m. 80.* ſcribit: Inteſtina craſſa ſtatuuntur tria: cœcum, colon & rectum. Qvid verò per Inteſtinum cœcum intelligi debeat, inter Autores non convenit. Egreditur ex Inteſtinô craſſô, ferè ubi Ileon ipſi connaſcitur, qvædam appendix longitudine qvinqve digitorum transverſorum circiter, craſſitie digitô minori inferior, qvæ ſuper Inteſtinum craſſum ſe ad inſtar Vermis contorti ſternit. Hanc appendicem multi habent pro Inteſtinô cœco, ſed, me judice, perperam. Omnes enim cœcum Inteſtinis craſſis annumerant; iſte verò proceſſus ſeu appendix nullô fundamentô craſſum dici poteſt. Qvocirca meliùs cum veteribus cœcum nominabis partem illam globoſam Inteſtini craſſi, qvæ ab inſertione Inteſtini Ilei deorſum pendet, ſitam in dextrâ Ilei regione, Reniqve ejusdem lateris annexam. Eſt enim hoc verè craſſum atqve omnium Inteſtinorum ampliſſimum, at longitudinem qvatuor transverſorum digitorum vix attingens. Eſt etiam cœcum, qvia parte inferiori clauſum eſt, ſuperiori Inteſtino Colo continuatum. Idem Autor etiam *p.*

84.

84. non modò Inteſtinum cœcum ſed etiam Proceſſum vermiformem depingit & *p. 90. ſq.* hunc Proceſſum a cœcô inteſtinô ratione uſûs hôc modô diſtingvit: qvia majori difficultate præcluditur via flatibus, qvàm materiæ craſſiori, idcircô, ne facilè ex Colô ad tenuia Inteſtina regurgitent, opponitur proceſſus vermiformis, in qvem materia flatulenta à pariete finali Inteſtini cœci repercuſſa, tanqvam in proximum hoſpitium divertitur. Rem autem ſic ſe habere docet experientia; qvippe ſi ex partibus Coli remotioribus fæces (qvibus in cadavere ordinariè flatûs ſunt adjuncti) verſus ejus principium adigas, illæ orificium Ilei ſuper valvulam præterlabentes, in Cœci cavitatem usqve ad notabilem ejus diſtentionem colligentur, appendice Vermiformi interim ſolô flatu turgidâ. Ejusdem qvoqve ſententiæ eſt Stephanus Blancardus *Anatom. reform. Part. II. cap. 21. p. 24.* Excipit, inqviens, Inteſtinum Ileum aliud, cœcum dictum, craſſorum primum, ad inſtar ſacculi propendens, & exitum alterô extremorum non habet: Duplex dicitur, nempe qvod jam explicuimus, & propriè pro cœcô habendum, ſemper ferè ſtercore repletum, ſatis amplum in hunc uſum fabricatum videtur, ut excrementa, qvæ a Colô, ab aliis excrementis infarctô, admitti non poterant, in cœcum diverticuli gratiâ tranſeant, donec tandem Colon ſe ab hôc onere per anum liberaverit. Alterum ſecundum vix cœci nomen meretur, cùm inſtar Vermis juxta hoc Inteſtinum propendeat: ab inteſtinorum numerô ferè excludendum eſt, qvia vix Capacitatem notabilem habeat &c. Secundum Petri Dionis *Anatom. Corpor. hum. Demonſtrat. 2. p. 163.* craſſorum Inteſtinorum primum eſt cœcum: ſic dicitur, qvoniam ſacci formam referens unicum habet orificium, qvod ipſi eſt pro ingreſſu & egreſſu. In Hypochondrio dextro ſitum eſt inferiùs, qvàm ren dexter, ubi Peritonæo ſtrictè annexum eſt. Appendicem habet figuræ oblongi vermis, ex trium ligamentorum Coli junctione

ctione conflatam. vid. etiam Gothofr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 12. p. 216.* Joh. Riolon. *Enchirid. anat. Lib. 2. cap. 18. p. 110.* Et juxta Verba Johannis Gottfr. Bergeri *Phyſiolog. cap. 7. p. 143.* Inteſtini Ilei Corpus anteqvam in Colon explicetur, ex latere proceſſum illum vermicularem, multis intus refertum glandulis, qvem complures hodie monoculum cœcumve Inteſtinum nominant, ſed inter craſſa immeritò referunt, emittit. Fridericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. p. 49.* Inteſtinum, vulgo cœcum dictum, appellat Proceſſum vermiformem. De ſupra allegatâ atqve diſtinctâ Inteſtinorum denominatione ita ſcribit Realdus Columbus *de Re anatom. Lib. II. cap. 5. p. m. 419. ſq.* Veteres Anatomici Inteſtina in ſex partes diſtinxêre, diſtinctisqve ſingulas nominibus appellavere. Ego vero, ſi poſt tot ſeculorum recepta vocabula novi aliqvid in medium proferre fas eſſet, Inteſtina duo eſſe dicerem, qvorum alterum tenue eſt, craſſum alterum. Plura vide infra §. 39.

§. 6.

Longitudo Inteſtinorum. De Inteſtinorum Longitudine conſtat ex Anatomicis, qvod ſi â Meſenteriô, cui annectuntur, diſſoluta atqve extenſa fuerint, facile ſextuplò vel ſeptuplò longiora ſint, qvam ipſe homo, ſeu ſubjectum illud, de qvô deſumpta ſunt; qvanqvam interdum adhuc longiora deprehendantur; Inqvit enim Johannes Riolanus *Anthropogr. Lib. II. cap. 14. f. m. 100.* ſemper obſervavi, qvod ſcriptum eſt â Recentioribus, reſecta in Pylorô & Podice Inteſtina ſepties corporis longirudinem æqvare, & ſi deſit aliqvid, adde Oeſophagum, menſuram iſtam invenies. Interdum etiam obſervavi, non tantùm ſepties, ſed etiam novies Corporis longitudinem æqvâſſe. Archangelus Piccolominus vult, eſſe metienda pro totius corporis menſurâ & altitudine, multiplicatis pedibus per ſex; ut ſi corpus ſit qvinqve pedum, Inteſtina ſint triginta pedum, palmo uno minùs ſemiſſe, qvodſi corpus ſit ſex pedum, Inteſtina triginta ſex pedum ſint, palmô unô minus ſe-

miſſe.

miſſe. In feminâ ob Infanticidium capite plexâ Inteſtina ulnas viginti duas cum dimidiâ longa ſe obſervaſſe refert Adamus Brendelius *Obſ. anat. Dec. II. Obſ. 4. p. 15.* De Inteſtinorum longitudine ita ſcribit Coſmopolita *Hiſt. nat. p. 178.* Inteſtina hominis hunc in finem Natura fabricavit longiſſima, qvò diutiùs fæces alvinæ retineri poſſent, ac homo gulæ non nimium inſerviret; cùm plura animalia reperiantur eſſe voracia, qvæ Inteſtina minùs longa obtinuêre.

§. 7.

Inteſtina para.

Interim tamen etiam qvandoqve breviora longè reperiuntur Inteſtina, v. g. in Baroniſſâ, qvæ ſæpius & multa in unô die comedere cogebatur, Inteſtina tantum tria apparuerunt, jejunum, Colon amplum ſolitôqve craſſius, & rectum; horumqve longitudo non qvatuordecim ulnarum Patavinarum, ſecundum Spigelium, ſed tantum trium viſebatur, juxta Antonium de Pozzis *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 30. p. 31. ſq.* Monſpeſſuli diſſectus qvidam voraciſſimus unicum habuit Inteſtinum ampliſſimum in S Romani modum inflexum ſine ullâ aliâ revolutione. Plura ejusmodi exempla jam ſuprà *Cap. I. §. 14.* allegavimus. Ex tali autem Inteſtinorum parvitate nonnulli Voracitatem derivant, unde etiam ſcribit Petrus Dionis *Anat. Demonſtr. 2. p. 156.* qvòd, ſi unicum Inteſtinum habuiſſet homo, indeſinenter edere coactus fuiſſet, ut ſolent Lupi cervarii & corvi aqvatiles, eò qvòd breviſſima habeant Inteſtina. In Monſtrô hermaphroditico Inteſtina omnia fuerant æqvalia, præter rectum magis vaſtum; mirum verò in modum ſibi erant implicita & convoluta, nec non faciem Inteſtinorum ferè glirium aut murium præ ſe ferebant. juxta *Act. Medic. Berolin. Vol. IX. p. 64.*

§. 8.

Inteſtina nimis anguſta.

Qvandoqve Inteſtina in ſtatu præternaturali modò nimis coarctantur & anguſtantur; modò excesſivè expanduntur & diſtenduntur. Exempli gratiâ Inteſtinum jejunum in Nobili

Yyy qvodam

qvodam pigrâ alvô vexatô in apertione Cadaveris ita anguſtum & cartilaginoſum eſt deprehenſum, ut vix per illud Chylus deflueret, uti ex Balloniô refert Thomas Bartholinus *Cent. 4. Hiſtor. 40. p. m. 320.* In hydropicô Capitaneô Inteſtinum duodenum diverſis in locis tam arctè coalitum erat, ut gyrata ejus anguſtia vix Calamum ſcriptorium admitteret, juxta annotationem Ambroſii Stegmanni *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 168. p. 382.* Nobiliſſimus Eqves, Carolus Nuvolanus, jam in ſeniô conſtitutus alvi ſuppreſſionem incurrit, qvam neqve medicamentis, nec Clyſteriis arcere poterant Medici, qvi poſt mortem Inteſtinum rectum in parte ſuperiori ita per digiti transverſi longitudinem coiviſſe ac coaluiſſe invenerunt, ut vix tenuioris funiculi craſſitudinem æqvaret, utrinqve in confiniô inteſtini partibus in tumorem qvendam veluti glanduloſum elevatis. vid. Marcell. Donat. *de Medic. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 10. p. 350. ſeq.* Monialis cujusdam & alvum non niſi decimô qvoqve die reddentis Inteſtina altiore collô conſtricta adeò anguſtum iter relinqvebant, ut dejectiones ægrè transmitti poſſent, teſte Antoniô Beniveniô *Obſ. medicin. cap. 34. p. 188. ſeq.* Imò plenarium Inteſtinorum coalitum obſervavit Johannes Rhodius *Centur. 2. Obſ. 82. p. 95.* Scilicet Militi cuidam Patavii Dyſenteriâ laboranti mutuô utriusqve lateris ulcerati contactu Inteſtina coaluêre; unde Venter ſuppreſſus tandem mortem accivit. v. etiam Ant. Beniven. *l. a. cap. 32. p. 184. ſeq.* Sæpe etiam plenarius Inteſtini recti coalitus alviqve conſtipatio occurrit, ita ut excrementa per aliam viam egerantur, de qvâ excretione paulò inferiùs agemus.

Coalita.

§. 9.

Nimis expanſa.

Nimis econtra expanſorum Inteſtinorum exempla varia annotârunt etiam Medici; e. g. ad brachii magnitudinem Inteſtina tenuia elevata in Parochô qvodam annotavit Johannes Michael Fehr, *v. ipſius Tract. de Abſinth. p. 131.* In Guilelmi Fabricii, Hildani,

Hildani, Infante ſeptendecim dierum poſt mortem apertô, omnia Inteſtina, exceptô cœcô, flatibus extenſa ſunt conſpecta, non ſecus ac laniones inteſtina qvadrupedum, cùm illa conſervare ſtudent, inflare ſolent. v. dicti Guil. Fabric. Hild. *Obſ. chir. Cent.3.Obſ.74.Oper.f.257.* Sartor qvidam ſex & triginta circiter annorum tenuisqve texturæ, Ventris flatu per inferioris gutturis rimam proruptûrô, ſed ob præſentiam honoratiorum hominum ex intempeſtivâ verecundiâ cohibitô atqve ſuppreſſô, primò in Colicam incidebat & mox abdomen in inſolentiorem attollebatur intumeſcentiam. Poſt hujus obitum factâ, adactô in abdomen cultellô, levi ſaltem inciſione, illicò magnô ſtrepitu, fœtidiſſimum flamen ipſiſſimum malè olentem Ventris crepitum æmulans proripuit, qvô confeſtim abdomen totum concidebat, Ventriculus autem unâ cum omnibus omninò inteſtinis immane qvantum inflatiſſimi utriculi ad inſtar diſtentus erat, annotante Georgiô Abrahamô Mercklinô *M. N. C. Dec. III. An.3. Obſ. 142. p. 254.* In puerô circiter decem annorum, qvi aliqvot ante obitum annos continuè de dolore in ſiniſtrâ abdominis parte univerſôqve ventre conqveſtus fuerat, Petrus Pawius Ventriculum admodum exiguum, Inteſtina autem omnia mirum in modum diſtenta & veluti inflata, reperit. v. Paw *Obſ. anat. 4. p. 8.* In Maniacô Inteſtina, rectum & colon, tantæ molis & magnitudinis fuëre, ut omne reliqvum occuparent abdominis ſpatium, teſte Theodorô Zwingerô *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 234. p. 543.* Item in puerô, qvi ingentibus ventris inferioris tormentis cruciatus obierat, Inteſtina omnia occurrerunt vacua, & ita ventô diſtenta, tanqvam ſi vi qvapiam externâ, ut exſiccarentur, inflata fuiſſent: atqve acqviſitâ per diſtentionem hanc mole & duritie ita compreſſerant Hepar, ut manifeſta eorum ſibi impreſſa gereret veſtigia. Attamen utrobiqve in duodenô & in rectô loca qvædam trium transverſorum digitorum magnitudine ventô vacua ita conciderant, ut parietes Inteſtinorum ſibi

 agglu-

agglutinati viderentur, nec flatum transmitterent, juxta Theodor. Kerckring. *Spicileg. anatom. obſ.50 p. 170.* In filiolô unius anni à Colicis doloribus & flatibus per aliqvot dies miſerè afflictô demumqve mortuô Ventriculus maximè â flatibus erat diſtentus, atqve omnia Inteſtina tam pellucida transparebant, ut etiam multis in locis compuncta ſtatim conciderent, obſervante Theophilô Boneto *Sepulchret. Lib. III. Sect. 14. fol. 892. ſq.* ubi plurima ejusmodi exempla congeſſit. Inteſtina tantopere diſtenta, ut femoris craſſitiem certis in locis adæqvare viderentur, atqve ex compreſſione diſrumperentur, in puerô hydropicô obſervavit Felix Platerus *obſ. med. Lib. 3. p. 657. v. inſuper M. N. C. Dec. II. An. 10. obſ. 394. ſqq. p. 401.*

§. 10.

Cæcum expanſum. In ſpecie Inteſtinum ſic dictum cœcum ſive proceſſus vermicularis interdum nimium expanditur, illudqve in Virô ſexagenariô majori ad pugni magnitudinem diſtentum obſervavit Auguſtinus Hermannus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 173. p. 273.* In Muliere qvadragenariâ hydropicâ Inteſtinum cœcum Paulus Moth adeò expanſum obſervavit, ut Infantis trium annorum brachium ſupra cubitum æqvaret; & apertum materiâ glutinoſâ ſcatuit. vid. Thom. Bartholin. *Act. Haffnienſ. Vol. I. Obſ. 8. p. 34.* Cùm eqvum generoſum & validum, Rege Daniæ, & aliqvot Proceribus Spectatoribus, deartuaret atqve ad ſtructuram Sceleti eqvini exoſſaret Simon Pauli, ex abdomine illius, machinis tormentariis ſuſpenſi & moribundi, diſſectô ſponte prorupit Inteſtinum ſtupendæ magnitudinis, craſſitie ſuâ truncum aut caudicem imum Pyri aut Mali annoſæ arboris æqvans, longitudine ulnam integram Seelandicam cum dimidiâ ſuperans; qvod cùm Simon Pauli accuratiùs luſtraret ac tractaret, id cœcum eſſe Inteſtinum obſervavit. vid. Sim. Pauli *Qvadripart. Botanic. Claſſ. II. p. 84.* Item Conradus Peyerus in eqvâ recens mortuâ diſſectâ Inteſtinum cœcum & Colon abdominis

præ-

præcipuam implere partem obſervavit, vid. ejusdem ſeu Pæon. & Pythagor. *Exercitat. anat. 28. p. 153.* In Caſtoris fœminini ſexûs anatome Inteſtinum cœcum manûs latitudine, longitudine Ulnæ majoris & amplius obſervatum legimus in Juſti Schrader. *Obſ. anat. med. Dec. II. Obſ. 9. p. 212.* In Mure Alpinô Inteſtinum cœcum capacitate ſuâ proportionem reliqvorum nonnihil excedere annotavit Guilelmus Fabricius Hild. *Obſerv. Chicurg. Cent. VI. Obſ. 97. fol. 630.* *in Caſtore.* *in Mure Alpino.*

§. II.

Pariter etiam Inteſtinum Colon â variis cauſis nimium qvantum extenſum reperitur. v. g. Ruſtici cujusdam filius a tenerâ infantiâ per duas hebdomadas alvi laborabat obſtructione, atqve poſt hoc tempus ſeqvebatur ejusdem apertura; qvâ peractâ denuò alvus obſtruebatur, & finitis duabus ſeptimanis eadem iterum ſoluta officium ſuum faciebat. Qvô malô cum variis ſymptomatibus ad annum decimum octavum continuatô, debitum naturæ in florente ætate ſolvit. Inciſô abdomine Inteſtinum Colon a fine cœci ſenſim paulatimqve ampliatum, & qvâ infra Ventriculum excurrit, maximè expanſum formam fermè novi Ventriculi referebat &c. vid. Adam. Brendel. *Obſ. anat. Dec. I. Obſ. 20. p. 11.* Imprimis â flatibus Inteſtinum Colon diſtendi ſolet; hinc ſcribit Johannes Fernelius *Patholog. Lib. 6. cap. 10. p. m. 159.* cohibendi flatûs conſvetudine non paucos ſe animadvertiſſe, qvibus dilalatum Colon Inteſtinum brachii amplitudinem adæqvârit. Tales etiam plures vidit Dominicus Panarolus, ſed aliqvando hanc magnitudinem in Juvene febre putridâ mortuô ſuperâſſe obſervavit, in hoc enim vincula ſeu faſciæ ipſius Inteſtini relaxatæ ad immenſam molem Colon creſcere reliqverunt. vid. Dominic. Panarol. *Pent. 4. Obſ. 26. p. 126.* In puerpera Inteſtinum Colon ita expanſum deprehendebatur, ut filô tres partes Ulnæ longo vix comprehenderetur, obſervante Philippo Jacobo Hartmanno *M. N. C. Dec. III.* *Colon.*

An.9. & 10. Obſ. 102. p.189. De Inteſtinô Colô mirum in modum â flatibus diſtenſô ita ſcribit Johannes Petrus Albrechtus: Remotis abdominis integumentis, uter qvaſi globoſus mirè â flatibus expanſus cum impetu proſiliebat, primôqve intuitu nihil fermè de cæteris Inteſtinorum partibus vidimus; ita namqve ille ſuperiorem abdominis regionem vaſtâ ſuâ mole adimpleverat. Hunc igitur globum flatulentum dum accuratiùs ſcrutaremur, admirandi anſa dabatur, præſertim, cùm ſolam, qvæ factô ſub Epate flexu transverſim ſub fundô Ventriculi pergit, Inteſtini Coli portionem, tam intenſè dilatatam eum produxiſſe, reliqva verô Inteſtina ſana ac ita extenuata conſpiceremus, ut flatûs, qvi in illis forſan commorari potuiſſent, ad dictum diverſorium qvaſi omnes refugiſſe viderentur. A nimiâ diſtenſione tunica exterior in nonnullis locis rupturam Gangrænamqve minabatur. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 11. p. 34. ſq.* Simile exemplum admirandæ magnitudinis Inteſtini Coli & recti ab alvi obſtructione, recenſet Theodorus Zwingerus *l. a. Obſ. 234. p. 542.* Scilicet in nobilis Juvenis mente capti Ventre apertô Inteſtina rectum & Colon omne occuparunt Abdominis ſpatium. Inteſtinum rectum ab inferiore ſui parte, ubi ſtupendô hiatu terminabatur, ad Colon usqve fecibus alvinis compactiſſimis ita infarctum & oppletum fuit, ut mera Cloaca videretur, & hoc filô menſuratum Ulnam cum tertiâ qvadrantis parte craſſum erat. De mirâ dilatatione & prolapſu Coli, & aliis ſymptomatibus Epiſtolam ad Joh. Mariam Lanciſium ſcripſit Januarius Jannelius. *v. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. & X. App. p. 509. ſq.* Hactenus allegata Exempla ſeqventem Obſervationem in memoriam mihi revocant: Generoſiſſimus Comes de C. poſt largum prandium eqvum aſcenſurus ex alterô latere in terram, lapidibus ſtratam, prolapſus, per aliqvot dies de abdominis intumeſcentiâ, flatibus incarceratis & borborygmis, præcordiorum anxietate alviqve conſti-

Obſervatio.

patione

patione pertinaci conqverebatur, qvibus Symptomatibus ſæpiſſimè ſuffocationis metus ſuperveniebat. Primis eqvidem â lapſu diebus alvus Clyſteribus ſtimulata reſpondebat, poſtmodum verò neqve flatus, neqve feces per Enemata vel alia Medicamenta interna provocari vel educi poterant, qvamvis etiam pro meliori Clyſterum operatione tubulus extraordinariæ longitudinis applicaretur; ut ita dictus Comes ex nimiâ, inæqvali tamen, abdominis intumeſcentiâ poſt aliqvot dies qvaſi ſuffocaretur. In cujus diſſectô abdomine ratione Ventriculi & Inteſtinorum ſeqventia obſervata digna occurrebant: 1) Ventriculus non in ſitu conſvetô, ſub diaphragmate transverſim, ſed deorſum verſûs ſuper Inteſtinis tenuioribus ultra umbilicum & verſus hypogaſtricam ſiniſtri lateris regionem ſitum ſuum habebat. 2) Inteſtina, aliàs tenuia dicta, admodmodum erant inflata, ut etiam brachium, non admodum craſſum, circa carpi regionem, æqvarent. 3) Inteſtinum Colon incredibiliter ferè diſtentum erat, ſiqvidem in dextrô latere ab Inteſtinô cœcô, ſeu proceſſu Vermiformi pariter nimiûm inflatô, aſcendens duabus ſpithamis comprehendi non poterat, nihilominus ad diaphragma accedens, taliter expanſum, totum totum ſub pectore & ſternô ita latitabat, ut, anteqvam vi protraheretur, ne tantillum qvidem hujus Inteſtini conſpectui ſe offerret, usqve dum in latere ſiniſtrô denuò eâdem & ferè majori dilatatione iterum apparens verſus Inteſtinum rectum deſcenderet, circa qvem locum ligamentum ſeu vinculum Coli, ejusdem cellulas firmans & continens, æqve ac in Obſervatione, modò ex Dominicô Panarolô allegatâ, laxatum vel disruptum erat; unde dictum Inteſtinum ibidem adeò diſtendebatur, ut inſtar tibiæ utricularis ab illâ Inteſtini recti parte ſeu principiô, usqve ultra Umbilicum & ad Epatis usqve regionem recurreret. Et ſanè dubium mihi non eſt, talem ligamenti laxationem vel rupturam â Caſu ab eqvô ortam in cauſâ fuiſſe, qvod â dictô Comite

mite neqve flatus, neqve excrementa legitimè expelli, neqve Medicamentis & Clyſteribus ad excretionem ſtimulari potuerint. Porro etiam in hac Sectione notatu dignum erat, qvod Diaphragma in anteriori parte non circa Cartilaginem enſiformem, ſed paulò altius & ferè in mediô Sterni, qvod in hoc ſubjectô nimis erat longum, implantatum fuerit, unde non mirum, qvòd tam expanſum Inteſtinum Colon ſub eadem abſcondi potuerit. Inſolita autem hæc Diaphragmatis annexio absqve dubio a prima conformatione derivanda erit.

§. 12.

Inteſtinorum ſitus mutatus.

Ventriculum qvandoqve ſitum naturalem mutare, non ſolummodò hac recenſitâ obſervatione, ſed etiam jam ſuprà Capite ſextô pluribus exemplis probavimus; hôc autem locô Inteſtinorum mutatus ſitus, cujus pariter ſuprà brevibus mentionem fecimus, conſiderandus erit. Talem verò ſitum Inteſtinorum aliorumqve viſcerum præternaturalem utplurimum â gravidarum matrum impreſſione dependere, ſeqventia docent exempla. Uxor cujusdam lanii, qvi Inteſtina mundata cum annexis viſceribus vendit, peperit infantem integrum & perfectum, ſed mortuum, cui Inteſtina cum Omentô per umbilicum ex ventre propendebant, involuta & tecta membranis iis, qvibus vaſa umbilicalia involvuntur, teſte Philippo Hœchſtettero *Obſerv. medic. Decad. 6. Caſ. 5. pag. 699.* Textrix qvædam peperit filiam tam malè affectam, ut per triduum vivere non affirmâſſes; portentoſô enim & undeqvaqve periculoſiſſimô morbô vexabatur; qvia in regione umbilici pars cutis & muſculorum deficiebat, ita ut ampliſſimum hiatum rotundum aſpiceremus, ex qvo inteſtina profluebant; ſolum Peritonæum, ne penitus laberentur, prohibebat, juxta verba Dominici Panaroli *Pentecoſt. II. Obſ. I. p. 33.* E tenerô Embryonis corpuſculô Epatis parenchyma cum potiſſimâ Inteſtinorum parte Pæritonæo incluſa extra Umbilicum procidiſſe, ex Horſtiô allegat

allegat Daniel Sennertus *Pract. Medicin. Lib. IV. Part. 2. Sect. 4. cap. 7. p. 316.* Anno 1639. ab Uxore Civis Svinfurtenſis editus eſt fœtus, cui pars Hepatis, inuſitatæ magnitudinis, Ventriculus & Inteſtina inflata, & omnia nuda per rimam magnam paulò infra umbilicum extra abdomen propendebant &c. vid. Joh. Laurent. Bauſch. *Schediaſmat. de Ætite pag. 5.* De Infante, cui Inteſtina circa Pectus ex apertô corpore longè dependebant, vid. Joh. Georg. Schenck. *Hiſt. monſtr. p. 84. ſq.* Inteſtina univerſa flatibus immanè diſtenta, immenſè turgida, mirè contorta, circumvoluta, complicata, confuſa & extra naturalem ordinem ac ſitum penitus exturbata, in artis pharmacevticæ diſcipulô obſervavit Guſtavus Caſimirus Garliep. *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 172. p. 305.* Anno 1610. d. 17. Julii Pragæ Bohemorum natus fuit puellus, qvoad reliqvas partes integer, at inteſtinis, jecore, ventriculô & liene extra abdomen (cujus tamen cutis divulſa non fuit) propendentibus. Cauſa fuit matris imaginatio, dum vix tribus ante partum menſibus vitulum mactari & ex ejus abdomine diſſectô partes prædictas propendere vidiſſet, vid. Mich. Döring. *de Medicin. & Medicis Lib. I. Part. 2. Sect. 3. cap. 2. p. m. 97.* Uxor Vietoris Francofurtenſis paulò poſtqvam porcum mactare vidiſſet, infantulum enixa eſt, cujus infimi Ventris partes extra abdomen propendebant, teſte Ludovicô Hornicæo apud Gvilelm. Fabric. Hild. *Obſ. chirurg. Cent. VI. obſ. 65. oper. fol. 580.* Situm extraordinarium Inteſtini jejuni in Virgine Colicâ graviſſimâ ſpasmodicâ cum Inteſtini dicti incarceratione defunctâ annotavit Johannes Gvilelmus Widmannus *Ephemer. Acad. N. C. Cent. VI. Obſerv. 99. p. 378. 381.* Excurrens nimirum per Ileum ſiniſtrum Inteſtini Coli portio ex ſitu ſuo naturali nonnihil deturbata atqve verſus lumbos repreſſa deprehendebatur â ſuperincumbente ejusdemqve locum occupante portione Inteſtini jejuni, eum tamen in modum extenſi, ut conſvetam capacitatem plus duplô ſuperaret. Diſtenta

hæc præter Naturam Inteſtini portio infra Ventriculum ſtatim ſitum ſuum obtinens, non tantùm in Cavitatem pelvis usqve protendebatur, ſed & ibidem in arcum infra Veſicam & Uterum Inteſtinô rectô incumbentem inflexa, in alterô, dextrô ſcilicet, latere juxta Inteſtinum Colon rurſus aſcendebat, donec tandem anguſtior & naturali ſimilis redditus illius Inteſtini canalis juxta conſvetam naturæ legem in ſuos gyros inflecteretur. De Infante, cujus Inteſtina extra Ventrem ſita erant, qvia Mater geſtationis tempore viſum & cogitationes in mactatam conjecerat ſuem, extra cujus Ventrem Inteſtina profluxerant, vid. Corn. Stalp. van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. poſter. Obſ. 33. Schol. p. 367.* qvô locô etiam ex Stephanô Blancardô infantis meminit, qvi Inteſtinis extra abdomen propendentibus natus erat, qvia Mater qvodam ante partum tempore per plateam obambulans felem viderat, cujus corpus curru qvodam ita erat protritum, ut extra abdomen propenderent Inteſtina. Item ex eodem Autore memorat exemplum de mirandô qvodam & inſolitô pueri cujusdam exomphalô, è cujus umbilicô propendebat funiculus, qvi longitudinem Ulnæ qvadrantis cum ſemiſſe, digitiqve minoris æqvabat craſſitiem, in cujus extremitate globulus qvidam rotundus, qvi duplicis pugni magnitudinem excedens tenui obductus erat membranâ, per qvam motus Inteſtinorum periſtalticus optimè animadverti poterat. De fœtu, cui Viſcera extra Corpus propendebant, vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 110. p. 210.* Aurifabri cujusdam uxor gravida aliqvot jam antea liberorum mater facta, poſtqvam vituli exenterationem in macellô non ſine horrore contemplata fuiſſet, filiolam mortuam partu admodum difficili poſtmodum excluſit, cujus pars dextra abdominis non procul ab Umbilicô ad ſpithamæ longitudinem ferè dehiſcebat, lateribus divulſionis ſignum non præbentibus, ſed callô qvaſi obductis: è qvô hiatu Inteſtinula propendebant, juxta relationem

Lucæ

Lucæ Schrœckii *vid. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 232. p. 342.* Cor cum Epate, Ventriculô & Inteſtinis extra cavitatem thoracis prominulum, poſtqvam ancilla tempore graviditatis mactatum vitulum attentè exentenari conſpexerat, annotavit Fridericus Lachmundus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 103. p. 166.* Roſinus Lentilius Anno 1678. in Curlandiâ vidit puellum recens natum, ad cujus Umbilicum erat globus qvantitate caput Infantis æqvans, qvem cùm intueretur, vidit Peritonæum eſſe, & per illud transparere Inteſtina omnia. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. App. p. 118.* Seqventes tres Obſervationes recenſet Antonius Benivenius *Obſ. med. cap. 5. p. 144.* Mulierem, inqviens, vidimus ſexagenariam, cujus Inteſtina ex Venâ umbilicali ſubitò prolapſa ſunt, tertiâ die Vitam finiſſe. Vidimus & aliam, de cujus Vulvâ pariter disruptâ Inteſtina omnia profluxerant, paucis item diebus occubuiſſe. Inſuper & tertiam novimus, cujus Inteſtina, perfractâ eorum tunicâ, â ſummâ Umbilici cute tanqvam in ſacculô dependebant in Vulvam. Hæc autem miſeram qvidem, ſed tamen longiorem vitam ducens unâ cum hôc malô conſenuit. De Infante ex fortiſſimâ Matris, frumenti per agrum hinc inde ſparſos manipulos colligentis, atqve ſub eorundem unô reptantium viperarum acervum ſubitò animadvertentis harumqve & motum & figuram, umbilicali regioni ſuperimpoſitâ manu, ſtrenuè ſibi imaginantis, impreſſione, monſtroſâ umbilici relaxatione ac Inteſtinorum extra Corpus propendentium prolapſu natô. vid. Eberhard. Gockelii Obſervatio *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 126. p. 263.* Hanc Obſervationem refert etiam, & qvidem ex communicatione Johannis Georgii Gockelii, Johannes Scultetus *Armamentar. Chirurg. Part. 2. Obſ. 60. p. 87.* De monſtrô humanô, dont les Inteſtins de Couleur rouge ſe montroient â nud hors du nombril, vid. Jean Palfyn dans le Traité de Monſtres, *Addit. p. 311.* De Inteſtinô cœcô & Colô per Umbilici foramen anguſtum extra abdomen

 fœtûs

fœtûs ſub malâ conformatione protruſis, pro Sarcomatis ſpecie viſis & â Chirurgi manu temerè reſectis videatur Obſervatio Johannis Chriſtiani Mentzelii *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 183. p. 286.* Anno 1597. Menſe Auguſtô, Noribergæ Infans prognatus fuit cum Ventre apertô & Inteſtinis propendulis, porcelli jugulati inſtar, referente Johanne Helwigiô *Obſ. 11. p. 31.* In Infante duos Menſes natô Meſenterium cum Inteſtinis ſuper Cor & Pulmones expanſum in Thoracis cavitate cônſpexit Carolus Holt. *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1702. p. 124. ſq.* Anno,

Obſervatio. qvô hæc ſcribo, 1722. d. 21. Januarii, Civis Dresdenſis atqve Mercatoris frumentarii, Uxor poſt diuturnam Uteri Hæmorrhagiam infantem pariebat immaturum, & qvidem puellum absqve Ungvibus & capillis, ut vix partus videretur ſeptimeſtris; præterea hinc inde circa collum & alibi, Epidermis ſeceſſerat, atqve in abdomine maculæ nigræ atqve gangrænoſæ apparebant, indeqve fœtus per aliqvot jamjam dies defunctus videbatur; qvi tamen facillimô partu â puerperæ ſocru ſupervenicnte excipiebatur. Ob puerperæ autem debilitatem, ex prægreſſâ hæmorrhagiâ ortam, egò reqviſitus inter alia qvoqve fœtum aſpiciens proximè infra ipſius Umbilicum foramen, ad minimi digiti immiſſionem, extra abdomen autem omnia Inteſtinula nigricantia, qvaſi ex iſtô foramine progreſſa, deprehendebam. Inſuper circa podicem propendebat, qvoad primum aſpectum, Membranula qvædam nigricans, ad Ulnæ qvadrantis longitudinem & pennæ anſerinæ craſſitiem, qvæ tamen membrana immiſſô flatu cava deprehendebatur, atqve circa anum nimis expandebatur, flatum autem ad Inteſtinum rectum non admittebat. Qvæſita proinde â me puerpera, utrum fortè ante aliqvot dies vel ſeptimanas vituli vel porci mactationi adſiſtens propendentia ipſorum inteſtina magnâ attentione & impreſſione adſpexerit, indeqve fœtui vehementi Imaginatione talem ſtatum præter naturalem impreſſerit? ipſa qvidem prius,

qvoad

qvoad mactationem & Inteſtinorum aſpectionem, affirmabat, de impreſſione autem tantâ non recordari referebat. Qvandoqve tamen ipſa Inteſtina in abdomine deprehenduntur, ſimulqve externè Excreſcentia carnea, Inteſtina referens, apparet, juxta Obſervationem Joh. Frider. Weismanni *Ephemer. Cent. 8. Obſ. 18. p. 279. ſq.*

§. 13.

Huc pertinent etiam omnes Herniarum Species, umbilicales & ſcrotales; item, qvando Inteſtina in Vulvæ labia prolabuntur, qvod in puerperâ obſervavit Nicolaus Blegny; huic ſcilicet Inteſtinum ad Vulvæ labium ſiniſtrum deſcenderat, qvod dictus Blegny pugni craſſitie prominens in locum naturalem reduxit, uti ex ejusdem Tractatu de Herniis refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſervat. rarior. Cent. I. Obſ. 57. Schol. p. 244.* Aliqvot etiam ejusmodi exempla mihi ipſi in fœminis adultis, tum â partu difficili, tum ab oneribus elevatis, obſervare licuit. Notatu autem dignum videtur, qvod in gemellis recens natis Generoſi Domini a B. filiabus annotare mihi contigit: altera nimirum in alterô tantum, altera verò in utroqve vulvæ labiô (neſcio an a Matris imaginatione, qvod ipſa qvidem negabat) ejusmodi patiebatur Inteſtinorum deſcenſum; unde labia qvandoqve â flatibus nimis qvantum intumeſcebant, donec repoſita Inteſtina idoneis Emplaſtris & ſubligaculis in locô naturali retinerentur.

In Herniis.

Obſervatio.

§. 14.

Sæpiſſimè etiam in præliis militum abdomina ita vulnerantur, ut Inteſtina extra Abdomen propendeant, uti tragica teſtantur exempla, qvorum unum vel alterum tantùm allegare libet. Vir qvidam in extremâ Helſingiâ, nomine Starkotterus, in conflictu cum pugilibus novem, qvos ſolus proſtravit omnes, vulneribus ſeptendecim adverſô corpore ſic laceratus, ut prolapſa Inteſtina undiqve de Ventre propenderent, obligari tamen

a Vulneribus.

 ſibi

ſibi vulnera nec â præcone, ignavô qvæſtu vivere ſolitô, nec ab ancillâ ſervituti & verſandis molis addictâ, voluit, tanqvam eſſet gravius, ſuam his debere Starkotterum valetudinem, qvàm in acerbiſſimis doloribus ſpiritum trahere: ſed agricolæ curandum ſe dedit; qvi non fomentis delicatulis, nec pendente manu, verùm fortiter, ut volebat Starkotterus ipſe fortis, neqve ut mulieri, ſed viro bellicoſo militiqve prolapſas Inteſtinorum partes priſtinis locis repoſuit, vulneraqve nexili viminum ligamine occluſit, atqve ita Starkotterum priori valetudini reſtituit. Item Tono Jernskiold in præliô vulneratus graviter, ſic ut ſciſſô Ventre Inteſtina plurimùm eſſent evoluta, Rolfoni Weſtro-Gothorum Regi, ex jacente ſub qvercu in ſylvâ proximâ qværenti, qvomodo haberet ſeſe, num graviter vulneratus eſſet? voce alacri reſpondit, vulnus videri non magnopere curandum. Ab Rolfonis enſe cutem leviter habere perſtrictam, ejusqve rei exiguam apparere notam. Qvæ bina exempla Johannes Schefferus *de Memorabil. Svetic. Gent. cap. 18. p. m. 130. ſeq.* patientiæ exemplis annumerat. Sic Capitaneus qvidam glande è manuariô tormentô emiſſâ in diaphragmatis parte carnoſâ vulneratus & transfoſſus octavô demum ab acceptô vulnere menſe è vivis exceſſit. In cujus Cadavere apertô animadverſum fuit, magnam Inteſtini Coli partem flatu multô turgidam ipſi per Diaphragmatis vulnus in thoracem irrepſiſſe. vid. Ambroſ. Paræi *Oper. Chirurg. Lib. 9. cap. 30. fol. 230.* Poſt vulnus Diaphragmatis maximam partem Coli in thorace apparuiſſe, ſcribit etiam Stephanus Blancardus *Anat. pract. Obſ. 1. p. 4.* De Ileô diſciſſô & extra Abdomen dependente ſeqventem obſervationem communicat Johannes Adamus Gœritzius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 16. p. 42. ſeq.* his verbis: Ante ſex annos, & qvod excurrit, hîc Ratisbonæ a multis hominibus conſpiciebatur Margaretha Nißlin, Sigenburgô veniens, cui extra Abdomen Inteſtinum dependebat; Miſera hæc cùm & à me

Colon in Thorace.

me peteret eleemoſynam, hanc hiſtoriam retulit: ſe ante tria luſtra gravidam diu geſtâſſe fœtum mortuum, tandem ad latus umbilici dextrum abdomine ruptô in conſpectum veniſſe Embryonis pedes, qvibus extractis ab obſtetrice imperitâ putridis, reliqvum corpus remanſiſſe, & fruſtillatim demum intra decem hebdomades extractum fuiſſe ſub fœtore intolerabili. Prodiiſſe tunc temporis ſimul Inteſtinum qvoddam, hoc obſtetricem, cùm haberet pro ſecundinis, per medium diſſecuiſſe, cujus partem breviorem retractam fuiſſe intra Abdomen, longiorem verò adhuc extra abdomen conſpiciendam eſſe, per qvam qvindecim annis naturam ſe purgâſſe & nil amplius per Inteſtinum rectum excreviſſe. Hoc Inteſtinum pars Ilei fuit ad longitudinem dimidiæ ulnæ; de Meſenteriô autem & pingvedine parum vel nihil habens, qvod pannis calidis involvere, & bis in die mundare ſtudebat, aliàs mirum in modum â Colicâ torqvebatur. Similia exempla paulo infra Capite IX. de Stercoris Viis præternaturalibus videbimus. Fœmina qvædam ex deliriô melancholicô cultellô qvôdam marſupiali mucronatô qvidem, ſed nullâ ferè acie præditô abdomen in dextrô latere infra umbilicum tantô vulnere confodit, ut ſtatim ad qvatuor Ulnarum longitudinem Inteſtina prolaberentur, uti annotavit Johannes Andreas Uſenbenzius *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. 7. Obſ. 60. p. 122. ſeqq.*

§. 15.

Interdum Inteſtina extraordinariè aliis partibus adhærent atqve annexa reperiuntur v. g. Inteſtini dorſo alligati meminit Johannes Rhodius *Mantiſſ. anat. obſ. 19. p. 14.* Annô ſcilicet 1627. Hieronymô Sabiano ſecante Corpus virile ſub Ilei finem in conſpectum venit apophyſis ligamentô qvodam præter conſvetum naturæ modum dorſo conjuncta. In Cadavere fœmininô, Reni exulcerato adnatum Inteſtinum Colon perpetuum pus per rectum Inteſtinum deturbâſſe legimus. vid.

Inteſtina aliis partibus adhærentia.

David.

David. von Hoogſtrat. *Diſſertat. epiſtol. de hodiern. Medicin. ſtat. pag. m. 17.* In puellâ ſex annorum Inteſtina multis in locis Peritonæo ac muſculis abdominis, mediante membranâ craſſâ, arctiſſimè connexa obſervavit Johannes Sebaſtianus Otto. *vid. M. N. Dec. II. An. 7. Obſerv. 15. p. 25.* Medium Inteſtini Coli ſiniſtro Reni & toti lateri arctè alligatum in puellô octo dierum ani clauſurâ defunctô obſervavit Johannes Rudolphus Salzmannus *Obſ. anat. p. 62. ſq.* Item viri decollati Colon in dextro latere ad exitum ſuum pertinaciter adhærebat, & adnatum erat Peritonæo, juxta eundem Salzmannum *p. 53.* Inteſtina tenuia Peritonæo circum Umbilicum ſpatio orbis, qvalis menſis imponitur, adhærentia & adnata, plurimisqve fibris extremitatibus ſeu circuitui affixa, ſed qvò magis meditullium ſive umbilicum dictæ adhæſionis accedebant, eò firmiùs annexa atqve unita vidiſſe, dicit Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. 1. Obſ. 58. p. 250.* In puerô trienni Phthiſicô & hydropicô Inteſtina in dextrô Hypochondriô, mediante craſſô validôqve ligamentô Diaphragmati, Hepati atqve Peritonæo adnata vidit Theod. Zwingerus *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſerv. 276. p. 628.* Peritonæum Inteſtinis arctè adligatum ſeu potiùs adnatum in virô, ſimul feces per umbilicum reddente, conſpectum legitur apud Georg. Hieron. Velſch. *Epiſagm. Obſ. 48. p. m. 28.* Inteſtina Omento & Peritonæo adnata obſervavit etiam Caſparus Bauhinus *Parerg. I. App. Hiſtor. ad Franc. Raſſet. de Part. cæſar. pag. 271.* Inteſtinum Colon cum Membranâ Peritonæi cohærens in puellô, cujus Meconium per Urethram Penis evacuabatur, obſervavit Daniel Kinner, vid. Nov. literar. German. *A. 1703. Menſ. Aug. p. 290.* Inteſtinum jejunum aliqvâ ſui parte Hepati ſtupendæ magnitudinus adhærens obſervavit Georgius Fridericus Francus de Franckenau *vid. M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 122. p. 203.* In Matronâ qvadam Illuſtri febre lentâ hecticâ defunctâ Ilei Inteſtini portio inferiùs dimiſſa cum cœcô proximô inteſtinô Utero cohæſit.

hæſit, juxta Obſervationem Johannis Mauricii Hoffmanni, *vid. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ. 27. p. 294. 296.*

§. 16.

Variæ qvandoqve in Inteſtinis obſervantur excreſcentiæ, ſiqvidem Verrucas & qvidem Mirmecias aliqvot millenas circa Epar, Menſenterium & Inteſtina Montiſpeſſuli in Virgine, qvæ decimum octavum annum agens moriebatur, poſtqvam per integrum annum Atrophiâ laborarat, obſervavit Philip. Salmuth *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 5. p. 4.* In Viri cujusdam Phthiſi extincti cadavere Inteſtinis majoribus excreſcentiæ qvædam carneæ, inſtar auricularum muris, adnaſcebantur; hujusmodi cùm plurimæ fuerint, ex utroqve Inteſtinorum, Coli & recti, latere, ad certa qvaſi ſtadia, inſtar ramorum arboris, geniellæ prodibant, juxta Obſervationem Thomæ Willis *Patholog. Cerebr. cap. 9. p. m. 514.* ubi ſimile qviddam in tabidô olim reperiſſe addit. Hujus rationem hanc reddit, qvòd in phthiſicis nutritio (licet circa partes ſolidiores & exteriores deficiat, aliqvando tamen) interiùs prope ſucci nutritii fontes plus debitô perficitur, proinde ut epiphyſes non naturales & ſuperfluæ excreſcant. In Militis Pyrobolarii, Dyſenteriâ cruentâ defuncti, Corpore Inteſtinum Colon & rectum, rarô ſpectaculô, magnâ Excreſcentiarum verrucoſo-criſtoſarum copiâ fuiſſe ornata, referunt Acta Berolinenſium Medic. *Vol. IX. n. 7. p. 68. ſeqq.*

In Inteſtinis Verrucæ.

Excreſcentiæ.

§. 17.

Scirrhum Coli manifeſtum in Monachô Caſſinenſi A. 1623. cum Adrianô Spigeliô ſe obſervâſſe ſcribit Johannes Rhodius *Cent. 2. Obſ. 76. p. m. 93.* Advocato cuidam, nomine Gillot, Colum, qvâ parte vicinum eſt Reni ſiniſtro, collectâ veluti Cartilagine durâ in Scirrhum obduruerat, interiore Cavitate eô tumore interceptâ, ut nihil transcurreret. vid. Jacob. Holler. *de Morb. intern. cap. 93. Schol. p. 119. b.* De Tumore ſcirrhoſô Inteſtini recti â ſanatis hæmorrhoidibus exortô vid. Jul. Cæſ.

Scirrhus.

 Clau-

Claudin. *Conſultat. 97. p. m. 714. ſeq.* Ex Scirrhô & Ulcere in cœci Inteſtini fundô exortam paſſionem Iliacam in puerô annotavit Gvilelmus Fabricius, Hildanus, *Obſ. Chir. Cent. 1. Obſ. 61. fol. 49.* Scirrhoſam Inteſtini recti incraſſationem & miram coarctationem in amicô poſt Dyſuriam obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 95. p. m. 121. ſeq.* in dictâ autem perſonâ Inteſtinum rectum in univerſum ita incraſſatum deprehendit, ut pollicis craſſitiem ferè ſuperaret, & ita induratum, ut anceps hæreret Ruyſchius, an carnoſum, an verò Cartilaginoſum eſſet dicendum. Similem inteſtini recti incraſſationem idem Autor Obſervatione ſeqventi *p. 123.* adduxit.

§. 18.

Inflammatio, Gangræna, ſphacelus.

Inflammationem, Gangrænam & Sphacelum Inteſtinorum ſæpius Praxis Medico-Chirurgica experitur, & qvidem â variis cauſis; exempli gratia, ab ipſô ſangvine ejusqve impetu & acrimoniâ, in dyſenteriâ, item â lapſu, læſione, contorſione, induratione, & herniis, &c. In Viri cujusdam febre malignâ laborantis diſſectô cadavere omnia viſcera nigricantia erant & ſphacelata, qvin & ipſe Ventriculus adeò computruerat, ut ſine rupturâ & læſione digitis attrectari neqviverit; qvocunqve enim digitorum attactu disrumpebatur, cavitasqve relinqvebatur manifeſta, uti ex Jacobi Heilmanni relatione recenſet Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. 3. Hiſt. 68. p. 136. ſeq.* Et *Cent. 6. Hiſt. 38. p. 262.* in muliere ſexagenariâ Inteſtinum Ileum in mediô Gangrænâ obſeſſum & putridum fuiſſe repertum meminit. Inteſtina ab Herniâ inteſtinali inflammata poſteaqve ſphacelata in fœminâ & juvene qvodam ſe obſervaſſe ſcribit Daniel Sennertus *Pract. Lib. III. Part. 2. Sect. 1. cap. 9. p. m. 234. ſeq.* Viduus qvidam literatus, qvadragenariô major, melancholicæ & valetudinariæ conſtitutionis, Anno 1670. ſolitô plus conqveſtus eſt de ructibus auſteris, inappetentiâ & dolore Ventriculi, nec non Renum & dorſi. Subſecutæ dehinc ſunt obſtructiones

alvi

alvi, noctes inqvietæ & ſæpe inſomnes, doloresqve obſcuri, gravativi circa Ilia, iiqve in ſiniſtrô latere ſupra ventriculum qvaſi aſcendentes. Febris apparuit nulla, major tamen nonnunqvam ſub veſperam, qvam interdiu, Lumborum Dorſiqve incaleſcentia. Urinæ pallidiores plerumqve & craſſiores deprehenſæ, cum ſedimentô copioſô, nonnunqvam tartareô rubrô, ſæpius albô mucoſô. Pulſus indies debilior, ab initiô tardior, verſus interitum celerior. Supervenit his omnibus Vomitus ſangvinis nigricantis, in grumos majores tenaciſſimos maximam partem concreti, qvi, cùm intra triduum copioſior aliqvoties rediiſſet, Ægro, exhauſtô virium theſaurô, Lypothymias freqventiores ipſamqve demum mortem acceſſivit. In demortui abdomine apertô inter alia Inteſtina in ſiniſtrô latere fermè bene conſtituta, in dextrô verò livida, nigricantia, ſphacelata, Vaſaqve Meſaraica in Inteſtina deſinentia, Sangvine nigricante turgida occurrebant, juxta Obſervationem Friderici Ortlobii *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 143. p. 319. ſeq.* In virô qvadragenariô Inteſtina in pelvi materiæ albicanti, purulentæ, putridæ ac fœtenti ſphacelata & valde corrupta innatantia obſervavit Johannes Daniel Dorſtenius *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 60. p. 149. ſeq.* Raram Obſervationem de Inteſtinis ex herniâ in Virgine gangrænoſis recenſet Jean Palfyn *des Parties de la femme p. 68. ſeqq.*

§. 19.

Sæpiſſime etiam Inteſtina â Lumbricis perforantur, qvale exemplum refert Johannes Muraltus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 104. p. 318.* de milite, in cujus Cadavere Inteſtinum duodenum binis locis perforatum & â vermibus qvinqve longis rotundisqve eroſum obſervavit. In fœminæ cujusdam defunctæ ſectô Cadavere totum abdomen fecibus undiqvaqve interſertis lumbricis ſcatens repertum fuit, egreſſis utrisqve per foramen in Inteſtino jejuno factum. vid. Georg. Wolffgang. Wedel. *Amœnitat.* *Inteſtina â Lumbricis perforata.*

nitat. Mater. medic. Lib. 2. Sect. 2. cap. 8. p. 372. In puellâ novem annorum Inteſtina, præſertim Colon, â Lumbricis, in inferiori Ventre repertis, perforata, & in ejusdem puellæ ſorore ſeptenni non ſolùm Inteſtina exeſa & â vermibus transfixa, ſed etiam Cor & Hepar ab iis corroſum vidit Lazarus Riverius, *cujus vid. Obſervat. Cent. 4. Obſervat. 13. pag. m. 81.* Juvenis viginti octo annorum, Johannes Mengel, fructus horarios in magnâ copiâ devorans, aliqvando â laboribus defeſſus ac æſtuans potu frigidô ſe invitabat, unde tumorem duriuſculum in Ingvine ſiniſtrô magnitudine Ovi gallinacei ſentiebat, absqve tamen dolore vehementiori. Medicus & Chirurgus in ſubſidium vocati Herniam ſubeſſe judicant, & Medicamenta infelici eventu opponunt; Tumor enim in diem augebatur, ut regionem umbilicalem & hypochondrium ſiniſtrum cum variis ſymptomatibus occuparet. Applicatis autem ab aliô Medicô emollientibus & ſuppurantibus, ſuppuratus abſceſſus & ruptus ingentem qvantitatem materiæ purulentæ fundebat cum inſigni levamine. Diebus autem ſeqventibus Lumbrici, longitudine fere cubiti ex abſceſſu ſeqvebantur, & ipſisſima alimenta paulò antè aſſumpta, cruda partim & ſemicocta. Hic tamen æger priſtinæ ſanitati reddebatur, vid. Chriſtian. Vateri *Diſputat. de Bubon. ingvinal. 1693. Witteb. habit.* Filioli Nobilis bimuli Inteſtinum duodenum â Lumbricô tereti perforatum & exeſum erat ita, ut Vermis adhuc vivus extraheretur, juxta Steph. Blancard *Oper. med. Tom. II. p. m. 46.* Et pag. ſeqventi idem Autor pueri octo circiter annorum meminit, in cujus diſſectô abdomine Vermibus non tantum ſcatebant Inteſtina, ſed aliqvibus in locis hi eadem qvoqve perterebraverant adeò, ut abdominis cavitatem replerent; Plura exempla allegat Gothofredus Mœbius *Fundam. Medicin. Phyſiolog. cap. 12. p. 223.* vid. etiam *M.N.C. Dec. I. An. I. Obſ. 146. p. 322. Et Append. p. 35. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 7. p. 263.* Talia exempla qvoqve Helmintologia noſtra cum tempore ſuppeditabit.

§. 20.

§. 20.

Porrò varias Inteſtinorum ſciſſuras, fiſſuras atqve rupturas annotârunt Autores; ſiqvidem ſeqventes Obſervationes refert Antonius Benivenius *Medicin. Obſ. cap. 76. p. m. 244.* Corpulenta qvædam mulier, cùm modò ſupra, modò infra Umbilicum intolerabili premeretur dolore, nec ullus hinc inde ſpiritus erumperet, adeò agitata eſt, ut ſciſſô tandem Inteſtinô Vitam finiverit. Qvod niſi inciſâ mortuâ pluribus innotuiſſet, neſcio an citra mendacii ſuſpicionem â me ſcribi potuiſſet. Sed & ruſticum novimus, pergit idem, qvi cùm poſt longiores torſiones & Ventris diuturnas inflammationes diem obiiſſet, & mortui incideretur corpus, longior in Inteſtinô fiſſura inventa eſt; ex qvâ etiam recentes uvas, qvas paulò antè comederat, prorupiſſe conſpeximus. Item ſeptennis puella Diarrhœâ correpta, qvum per dies complures ſubalbidam ac putrem olidamqve materiam indolenter alvô redderet, diuturnitatis fluoris ejusmodi pertæſa ejus avia, conſilium de cohibendô cum aliis mulierculis cepit. In eam rem Cydoniatô longâ manu exhibitô, ſic eſt ejus eſu alvus repreſſa, ut eô die & ſeqventi nocte nil omninò reddiderit, ſed excitatis ſæviſſimis Ventris doloribus & torſionibus eousqve intumuerit, ut hydropica derepente evaſiſſe putaretur. Tandem invaleſcentibus doloribus cum crebris animi deliqviis atqve liqvidioris ſtercoris vomitione intra biduum miſerabiliter extincta eſt. Apertô corpore cœcum Inteſtinum coanguſtatum conſtrictumqve adeo ab hæreſcente interioremqve ductum obturante Cydoniatô deprehenſum eſt, ut illac nullô modô prorſum qvicqvam poſſet pervadere: unde accidit, ut acris illa & corrupta materia, meatu prohibita, objectâqve morâ reſtagnans, inuſitatam ſibi viam in abdominis ſpatium patefecerit, paulo ſupra obſtructum locum pereſô perforatôqve Inteſtinô, &c. vid. Joh. Fernel. *Patholog. Lib. 6. cap. 9. p. m. 157. ſeq.* Lethalem Inteſtini Jejuni laceratio- *Fiſſura & rupturа.*

 nem,

nem,integrô abdomine,in Juvene qvodam octodecim annorum, ſtaturæ juſtæ, robuſtô & carnoſô, qvi obortis, inter compotationem & luſum chartis luſoriis, litibus ab Aurigâ rhedariô magnâ vi humi proſtratus pedibusqve conculcatus fuerat, obſervavit Johannes Jacobus Wepfferus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 170. p. 290.* In hujus Juvenis poſt obitum diſſectione mox flatus fœdisſimus, ſtercus & cadaver redolens, cum impetu erupit ſimulqve aliqvid liqvoris cum laciniis paucis pingvibus membranoſis extrudebatur. Inteſtina tenuia omnia flatibus erant diſtenta, Ventriculus & Colon flaccida, minusqve flatibus turgebant. In Inteſtinis dorſum verſus portio Inteſtini tenuis occurrebat lacera & foramine amplô prædita, ex qvô preſſis Inteſtinis tenuibus ſupernis & infernis vicinis, prodierunt chyloſa, pallida & bilioſa. &c. Item Inteſtini Ilei rupturam integrô abdomine in Nautâ obſervatam prolixè recenſet idem Wepfferus *l. a. Obſ. 171. p. 297. & 301.* Qvi tamen hiatus, magnitudine apicis digiti,non æqve â rupturâ,qvàm à Lumbricis ortus mihi videtur, cùm magnus horum cumulus circa eundem meatum reperiretur. Porrò aliam Inteſtini Ilei, lacerationem ſine abdominis Vulnere,idem Wepferus *ibid. Obſ. 172. p. 331.* refert. In Juvenis cujusdam ſedecim annorum Corpore apertô Inteſtinum Ileum ruptum deprehendit Johannes Rudolphus Salzmannus *v. Obſervat. anat. p. 68.* Inteſtinum Colon non procul ab Inteſtino rectô ſphacelatum tunicasqve disruptas annotavit Paulus Barbette *Prax. med. Lib. 4. cap. 7. p. m 170.* De gravioribus Inteſtinorum perforationibus ſponte naturâ curatis ſeqventes Obſervationes vide *M. N. C. Dec. III. Obſ. 10. p. 19. ſq.* Ruſticus qvidam poſt ingentem ceraſorum una cum nucleis devoratam copiam, in alvum tam adſtrictam incidit, ut nullô eam negotiô reſolvere poſſet. Nuclei autem iſti, hoſpitii ſui pertæſi exitum inde qværentes abdomen in Ingvine dextro perforârunt, atqve unô impetu, qvâ data porta proruperunt. Foramen â lapillo-

rum

rum egreſſu ſponte ſuâ coaluit, neqve ullum inde ruſtico remanſit incommodum. Anno 1682. ſeqvens Caſus accidit: Homo ſortis mediocris, poſtqvam Paduæ bene jentâſſet, rus tetendit; mediô itinere ex inſidiis bombardulâ impetitur, & globus, non procul ab umbilicô abdomen penetrat, non autem tranſit. Sauciatus ad Chirurgum defertur, qvi vulnus ſtylô explorat, globi autem nulla ſentit veſtigia, vulnere deligatô patientem qvieti & Diætæ committit; die abhinc tertiô infirmus ad ſedem cogitur, globumqve unà cum excrementis egerit, ac brevi deinde convaleſcit &c. Exemplum Inteſtini Ilei & Coli ab externô & vehementi abdominis illiſu disrupti, recenſet Henricus Vollgnadus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 21. p. 82. ſeq.* Annô 1659. in Venatione Cervorum accidit, ut ſervum venatorium Cervus de improviſô impeteret; ille ſodalium auxiliô deſtitutus ſe poſt arborem denſioris trunci recipit, hac ratione Cervi inſultûs eluſurus; ſed Cervus fortè agilior Venatore, eum â tergô cornibus petens, primò arbori impetuoſè ac abdominetenus illiſit, mox cornibus ſublatum per aliqvod ſpatium deportavit, donec tandem miſerum ſibiqve gravitate moleſtum onus ſuper terga in terram projiceret. Chirurgus luſtratô undiqve corpore nullius noxæ inveſtigare potuit indicium, niſi qvòd ſiniſtra natium apice cornu cervini ad mediocris pollicis profunditatem adactô vulnerata eſſet. Verùm paucis abhinc horis Vita hunc hominem reliqvit, in cujus abdomine, cùm Peritonæum primâ inciſione perforaretur, ſtatim inde aqva cruenta, velut è Syringâ propulſa altiſſimè proſiliit, & in Inteſtinô Ileô & Colô qvinqve foramina rotunda Groſſum argenteum Miſnicum capientia inventa ſunt. Paulò aliter hanc Obſervationem ex Parentis ſui Collectaneis refert Fridericus Wilhelmus Clauderus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 182. p. 345.* Qvandoqve etiam in partu difficili vel propter perverſum infantis exitum, vel ob nimiam ejus molem, vel ob culpam etiam

Ob-

Obſtetricis, Inteſtinum rectum dilaceratur, qvô in Caſu frequentem adſtringentium ac detergentium Clyſterum uſum commendat Nicolaus Tulpius *Obſervat. medic. Lib. 4. cap. 40. p. 360. ſeq.*

§. 21.

Inteſtina conſumpta. Qvandoqve etiam Inteſtina non modò perforantur, vel â variis cauſis disrumpuntur, ſed ferè qvoqve penitus conſumuntur, qvod in Sectione Cadaveris cujusdam Capillamentarii Gallici hîc Dresdæ obſervare mihi licuit. *Obſervatio.* In hujus enim ſummè emaciati abdomine, in præſentiâ D. Prettenii & Chirurgi noſtratis Weberi aliorumqve adſtantium apertô, nil niſi ingentem ſecum liqvidarum ac fœtidarum, multorumqve lumbricorum teretium mixturam, reperire licebat; ipſaqve Inteſtina non perforata aut gangrænoſa, ſed penitus ferè, imprimis tenuia, in putrilaginem redacta magnamqve partem conſumpta erant, adeò, ut tantummodò aliqvot eorum partes ad Ulnæ circiter dimidiæ vel unius & ultra, magnitudinem ex ſaccô hoc ſtercorariô extrahere liceret. Præterea etiam vix aliqvod Omenti atqve Meſenterii veſtigium reſtabat, ut ideo impoſſibile mihi videretur, in miſerrimô hoc ſtatu dictum hominem tamdiu ſupervivere potuiſſe, niſi mihi ipſius Medicus & Chirurgus ſupra nominati, atqve defuncti domina, omnesqve domeſtici ſanctè affirmâſſent; vix ante bihorium vivere hunc Gallum deſiiſſe. Qvod ſanè magnô ſæpius ſtupore miratus ſum. Plura autem in hoc ſubjectô indagare fœtor impediebat abominabilis. De muliere absqve Inteſtinis vivente ſeqventem Obſervationem refert Alardus Mauritius Eggerdes *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 205. p. 413. ſeq.* In Oppidô, inqviens, Sancti Wendelini inveni mulierem ſeniculam, qvæ multô tempore Herniâ inteſtinali in Ingvine dextrô laboraverat. Inteſtina prolapſa, ſuperveniente ante duos annos Paſſione Iliacâ, Gangrænâ infecta, accedente demum Sphacelô, unà cum conti-

nente

nente ſacculô deciderunt. Per relictum in Ingvine foramen cuncta Inteſtina fruſtatim unà cum fæcibus alvinis ſponte ſubſecuta ſunt. Ipſe etiam Ventriculus ſe per Abdominis cavitatem vacuam adeò inclinavit, ut orificiô ejus inferiori per dictum foramen ad duorum digitorum latitudinem, inſtar Colli lagenæ vitreæ proſtaret; hanc ob cauſam miſera patiens ſemper Corpore incurvatô decumbere cogebatur, ne ſcilicet retractô Ventriculô ſordes in Cavum Abdominis elaberentur, & miſeræ mulierculæ, uti aliqvoties jam contigerat, ſummum fœtorem excitarent. Notabilem Hiſtoriam ſuppeditant Petrus Vietor & Theobaldus Fettich, Medici Wormatienſes, apud Helv. Diethericum de Acidulis Schwalbacenſibus *p. 44. ſq.* Ex qvô & eandem repetiit Zeillerus *Cent. 3. Epiſt. 78.* uti refert Georgius Franck de Franckenau *Satyr. med. 7. p. m. 128.* vid. etiam Matthiæ Moron. *Director. med. p. 245.*

§. 22.

Inteſtinorum Lumbrici.

Cùm hactenus aliqvoties Inteſtinorum â Vermibus perforatorum mentio facta ſit, non incongruè etiam hôc locô de Vermibus ſeu Lumbricis in Inteſtinis nidulantibus adhuc pluribus eſſet dicendum. Qvia verò inteſtinales lumbrici non modò in Infantibus, ſed etiam adultis occurrunt, atqve de hac materiâ in Helminthologiâ noſtrâ prolixius agemus, potiùs ad Inteſtinorum Calculos progredimur.

§. 23.

Calculi.

Scilicet non modò in Renibus & Veſicâ, verùm etiam in aliis & omnibus ferè totius Corporis partibus Calculi deprehendi ſolent, uti in Lithologiâ noſtra prolixe monſtrabimus; hoc loco ſolummodò qvosdam in Inteſtinis repertos Calculos adducturi, qvorum nonnulli per alvum excreti, vel ex anô extracti, vel etiam in defunctorum Inteſtinis deprehenſi fuerunt. Sciendum enim, freqventiùs, qvàm vulgo ægrotantes perſvaderi

deri poſſunt, in Inteſtinis Calculos diverſari, variaqve Symptomata cauſari; qvorum alii ex folliculô bilis deſcendunt, alii in ipſis Inteſtinis concreſcunt. Exemplum prioris generis recenſet Thomas Mermannus *Conſult. med. Lib. 4. Conſult. 10. f. m. 259.* de Illuſtri qvodam Ictericô, qvi poſt incredibiles dolores circa regionem hepatis & hypochondrii dextri Calculum ſatis magnum excrevit, qvem globuli oblongi, Olivæ ferè magnitudinis, coloris ſubviridis, molles inſtar paſtæ figulinæ ſeqvebantur. Juxta relationem Johannis Ferdinandi Hertodti, Celſiſſima Princeps icterica ultra centum grandines flavas inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 99. p. 102. ſq.* De Calculis Inteſtinalibus ita ſcribit Fridericus Ruyſchius *Theſaur. anat. II. p. m. 82.* Qvantumvis inter Medicos reperiantur, qvi aſſentire nolint, Calculos per alvum excerni, Veritati tamen conſentaneum eſſe nullus dubito; qvandoqvidem expertus ſum, mulierem Judaicam inter cætera mala, fluore uterinô, Colicâ Stomachi &c. laborantem poſt uſum hauſti purgantis Calculum rejeciſſe ingentem. De Lapide magnô candeſcente in Inteſtinô jejunô repertô totumqve Inteſtinum obſtruente, vid. Conr. Victor. Schneider. *de Catarrh. Lib. III. cap. 7. p. 240.* Nobilis Vir Calculum duas ferè uncias pendentem dejecit, juxta Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 74. p. m. 92.* De Lapide magnitudine pugnum ferè æqvante, oblongô, durô & ponderoſô, *vid. M. N. C. Dec. II. An. 5. Obſ. 197. ſq.* Calculum ad Ovi magnitudinem â Frizimelica, Colico dolori obnoxiô, excretum vidiſſe teſtatur Hieronymus Capivaccius *Prax. Medic. Lib. 3. cap. 15. p. m. 601.* Calculum, magnitudine pomi majoris, cui qvaſi Cacodæmonis facies erat inſculpta, â Lithotomô ex anô exemptum in Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Obſ. 47. f. 237.* legimus. In Colô cujusdam hominis Romæ diſſecti Calculum Ovi anſerini magnitudine atqve formâ reperiſſe Nicolaum Larcheum, ſcribit Marcus Aurelius Severinus *de Abſceſſ. cap. 28. p. 260. ſeq. &c.*

Plu-

Plurima ejusmodi Calculorum in Inteſtinis repertorum exempla in Lithologiâ noſtra reperies.

§. 24.

Sæpius ſæpiſſime in Inteſtinis â variis cauſis oriuntur Ulcera ſeu Abſceſſûs, qvorum aliqvot tantùm exempla afferre volumus. Rariorem ex Inteſtinorum læſione excitum Abſceſſum recenſet Johannes Paulus Wurffbainius *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 31. p. 266. ſqq.* Mercatoris ſcilicet Uxor An. 1686. ad finem Menſis Junii, Gallum Gallinaceum magnum veru ferreô transfodere laborat, veruqve ingvinibus imponendo gallum fortiter adigit, dolorem ſentit, qvem inter occupationes parum æſtumat, qvi verò poſt aliqvot ſeptimanas augetur, ut in cauſam ejus inqvirat, & tuberculum qvoddam Nucis avellanæ majoris magnitudine ſentiat, qvod tum per integrum Menſem emollientibus variis diſſipare fruſtra tentavit, dolores adeò exacerbati ſunt, ut lecto affigeretur; Cùm verò tumor cum rubore & inflammatione magis magisqve protuberaret, Medicus dictus ejus rupturam prædicit, qvæ circa finem Septembris ſubſecuta eſt, cum inſigni materiæ purulentæ & ſeri tandem flaveſcentis effluxu, Conſolidationem hujus abſceſſûs pertinaciter ſatis diu inhibentis, travmaticis licet, tam internè aſſumptis, qvàm externè per ſiphunculum immiſſis, ita ut vulnuſcundum non niſi poſt trimeſtre ſpatium perfectè fuerit clauſum. A. 1693. die 22. Aprilis hæc femina feliciter peperit puellam, at dum vix ſex a puerperiô præterfluxêre Menſes, rediit hic tumor, & ſimilem, ut primâ vice, materiam fudit, in paucâ tamen qvantitate. Recruduit tamen hic abſceſſus nondum abſolutô bienniô, Annô nempe 1695. Menſe Juliô, ſed puris locô lympham flaveſcentem & bruni interdum coloris, qvandoqve craſſiuſculam & ſpumoſam, excrementis Diarrhœâ biliosâ laborantium ſimillimam, ſine tamen fœtore, copioſiſſimè effundebat; una vice qvartam menſuræ partem æqvantem, ut vix ad eam excipien-

Ulcera.

dam ſæpe linteamina ſufficerent. Excrevit aliqvando, remotô Emplaſtrô, viride qvid, cum hac materia, qvod Medicus particulam eſſe, folii lactucæ, qvam in Cœnâ heſterna comederat, agnoſcebat; id qvod etiam foliolis Braſſicæ & Petroſelini diebus ſeqventibus contigit. Retulitqve ægra, ſe, qvoties bibat & edat, liqvida præſertim, aqvam qvaſi calidam paulò pòſt ad abſceſſum hunc defluentem ſentire, moxqve effluxum materiæ ante dictæ ſeqvi, qvæ ſæpius, Medicô ipſo audiente, cum ſibilô, & ſpumoſa ſimul excreta fuit, conſolidatô tamen poſtea vulnere. De Abſceſſu Tunicæ inteſtinalis glanduloſæ videatur Obſervatio Johannis Ludovici Apini *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 179. p. 315. ſq.* Bina exempla recenſet Johannes Jacobus Waldſchmid *Epiſtol. 2. ad Joh. Dolæum p. m. 37. ſq.* Matrona Noribergenſis â Conceptionis primordiô Menſe qvintô malè incepit habere, & octavô Menſe periit; Conqverebatur de magnô ſub hepatis regione dolore, inventum eſt Colon Inteſtinum hac in parte denigratum & putrefactum. vid. Volcher. Coiter. *Obſervat. anat. p. 121.* Ejusmodi Inteſtinorum eroſiones & Exulcerationes plures adducere nolumus.

§. 25.

Vulnera. Vulnerum Inteſtinalium hactenus jam aliqvas ſpecies, nimirum, de Inteſtinis ſphacelatis, â Lumbricis perforatis, fisſis & ruptis, atqve de ipſorum Ulceribus adduximus, nunc etiam de illis ipſorum læſionibus, qvæ armis, & qvidem vel per inciſionem, vel per puncturam, vel etiam per rupturam & contuſionem, verbi gratiâ, ſclopetorum globulis, infligi atqve propriè Vulnera appellari ſolent, exempla recenſenda eſſent; qvia autem tales Caſûs qvotidie in Praxi medico-chirurgicâ occurrunt, & apud Autores in magnâ copiâ reperiuntur, ad alia progredimur, videlicet ſicuti

§. 26.

Inteſtina duplicia. Duplicis in Homine obſervati Ventriculi ſuprà Capite ſextô

ſextô mentionem fecimus; ita pari qvoqve modô qvandoqve duplicia Inteſtina tum in homine, tum in brutis annotârunt Anatomici, v. g. binum Ventriculum, qvorum qvilibet ſua habebat Orificia, & ſuperiora, & inferiora, ſingula inferiora in propria & bipartita protracta. Inteſtina duodena & jejuna, qvæ tandem circa initium Ilei unita concreſcebant, & in unum deſinebant Ileum, Cœcum, Colon & rectum, in Monſtrô bicipiti obſervavit Carolus Raygerus *v. M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 7. p. 26.* Imprimis autem Inteſtinum Cœcum ſive proceſſus vermicularis qvandoqve duplex reperitur, uti in pueruli cujusdam Corpore vidit Wolffſtrigel, qvorum unum locô ordinariô, alterum verò jejuno Inteſtino fuit annexum, juxta relationem Georgii Sebaſtiani Jungii *l. a. Obſ. 29. p. 100.* Licet autem duplicia Inteſtina rariſſimè in homine obſerventur, ſæpius tamen in animalibus brutis & avibus, imprimis Inteſtina cœca duplicia occurrunt. Uti paulo infra §. 41. de Inteſtinô cœcô monſtrabimus; de ſingulis enim Inteſtinis ſecundum earum diviſionem in ſpecie adhuc nonnulla dicenda reſtant.

Cœcum.

§. 27.

Primum ſcilicet gracilium ſeu tenuium Inteſtinorum Anatomicis duodenum, Græce δωδεκαδάκτυλον, â duodecim digitorum longitudine vocatur, qvamvis rariſſimè vel nunqvam tantæ ſit longitudinis, niſi Pylorum, â qvô principium habet, ſimul comprehendatur. In hoc Inteſtinum duo hiant ſeu inſeruntur meatus ſive foramina, tanqvam extremitates duorum ductuum, qvorum alter, Pancreaticus dictus, certum liqvorum ex qvadam glandulâ magnâ, ſub Ventriculô ſitâ & Pancreas dictâ, alter verò, cholodochus ſive biliarius dictus, bilem in Epate ſecretam, in hoc Inteſtinum vehunt. Ductûs hujus pancreatici Inventor eſt Johannes Georgius Wirſungius, natione Bavarus, qvi Anno 1642. cùm porum biliarium ad ſolennem demonſtrationem præpararet, in hunc ductum Pancreaticum incidit.

Inteſtinum duodenum.

Ductus pancreaticus.

Cholodochus.

incidit. vid. Godefr. Mœbii *Phyſiolog. cap. 12. p. 213.* Joh. Mich. Fehr. *de Abſinth. p. 167.* Joh. Vesling. *Obſerv. & Epiſt. no. 57. p. 183. ſq.* Ductûs hujus, qvi veteribus, ante Virſungium, Venæ ſtructurâ & ſpecie impoſuit, Magnitudo prope Inteſtinum duodenum Calami ſcriptorii minoris craſſitiem habet, eumqve Regnerus de Graaf *de Succ. Pancreat. Cap. I. oper. p. m. 514. ſeq.* prolixè deſcribit atqve delineat, item Vopiſc. Fortunat. Plemp. *Fundam. medic. Lib. 2. Sect. 5. cap. 8. fol. 130.* In bove autem ſeu vaccâ eum adeô magnum eſſe, ut digitum minorem facile admittat, & ſi infletur, pollicem æqvare, atqve â meatûs bilarii ingreſſu penè Spithamas duas diſtare, ſcribit Gerardus Blaſius *Anat. Animal. p. m. 9.* vid. etiam Nathan. Highmor. *Anat. Lib. 1. cap. 8. fol. 42.* Ut plurimum hic ductus exiſtit ſimplex, qvandoqve tamen tum in homine, tum in brutis duplex deprehenditur; Commemorat enim Regnerus de Graaf *l. a. p. 516.* ſe in hominibus & canibus eundem aliqvando inveniſſe duplicem. Et Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. II. cap. 3. p. 266.* refert, Blaſium Virum qvadraginta annorum aperuiſſe, in qvô præter alia notatu digna occurrebat Ductus Pancreaticus duplex, diſtinctô locô Inteſtino connexus; famelicus omni tempore, dum in vivis erat, fuerat defunctus. Item in Vetulâ à Franciſcô Sylviô diſſectâ duplex erat inſertio Ductûs Pancreatici in Inteſtinum tenue, alter ramus erat in locô aliqvantulùm ſuperiore, & erat minor, alter, qvi major erat, inſerebatur eô in locô, in qvô erat exitus ductûs bilarii, qvæ duplex inſertio, ut freqventiſſima eſt in brutis, canibus præſertim, ita rariſſima eſt in homine, ut ſibi nunqvam aliàs eam viſam diceret Sylvius. Pariter etiam hic Ductus Pancreaticus tantæ erat capacitatis, ut ſtylum Calami ſcriptorii craſſitie admitteret. Immiſſô tubulô in ductum & inflatô, attollebatur tota ſubſtantia Pancreatis, juxtà relationem Johannis Henrici Brechfeldi *Act. Hafn. Vol. II. Obſ. 14. p. 30. ſq.* Duplex Pancreas cum duplici

Magnitudo.

Pancreas duplex.

plici Ventriculô in Monſtrô bicipiti obſervavit Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 1. obſ. 7. p. 26.* Pancreas ſcirrhoſum ad inſtar aliarum glandularum in puerô novem annorum, Atrophiâ extinctô, annotavit Gerardus Blaſius *Obſerv. anat. p. 127.* Ibidem etiam & pagina ſeqventi dictus Autor non modò duplicem Ductum Pancreaticum, ſed etiam duplicem ductûm Cholydochum obſervare ipſi contigiſſe refert. De rariſſimâ ductus Cholodochi Intusſuſceptione vide paulò infrà de Inteſtinô Ileô. *Scirrhoſum.* *Duplex ductus cholydochus.*

§. 28.

Ratione Ductus Cholodochi etiam notandum, eundem non ſemper in Inteſtinum duodenum, ſed qvandoqve etiam in Ventriculum implantari, ut ita â bilis in Ventriculum regurgitatione ejusdem dolor & vomitus bilioſi, vel etiam interdum nimia fames atqve voracitas oriantur. Ventriculi enim dolore diu premebatur immaniter faber qvidam lignarius, qvi bilioſi humoris vomitu levabatur. Malum bienniô rediit in orbem, remediis minimè ſuccumbens. Excretum erat bilioſum & continuò oris patiebatur amarorem; tandem inflammatione Ventriculi oppreſſus triduô extinctus eſt. Diſſectô & apertô Corpore, & inveſtigatâ origine impliciti mali, vas cholidochum ad Ventriculi fundum implantatum non ſine adſtantium celebrium Medicorum admiratione inventum. Meatus ergo, qvi regurgitat in Inteſtina bilem, naturâ ſuâ ad imum Ventriculi locum implantabatur, juxta Zacut. Luſit. *Prax. Medic. admir. Lib. II. Obſ. 1. Oper. Tom. III. fol. m. 40.* *Cholodochi Inſertio in Ventriculum.*

§. 29.

Qvoad Inteſtinum duodenum monendum, qvod, qvamvis & qvidem ſecundum qvosdam Autores ob cavitatem ſeu capacitatem ſuam, ad tenuia Inteſtina referatur, qvandoqve tamen etiam nimis extenditur, uti in Theologi cujusdam, cachexiâ deploratâ defuncti, cadavere obſervavit Jo. Lechelius, *M. N. C. Dec. II.* *Duodenum expanſum.*

An. 2. Obſ. 76. p. 186. Inteſtinum duodenum humore bilioſô repletum, adeoqve dilatatum erat, ut qvaſi burſam referret, qvæ humoris libram ad minimum continere potuiſſet; Cùm enim ſectione præproperâ aperiretur, plus qvàm dimidium humoris craſſioris flavonigricantis effundebatur, & nihilominus in ipſô ſupererant decem ampliùs Cochlearia. Scribit etiam Joh. Veslingius *Syntagm. Anat. cap. 3. p. m. 43.* laxitate interdum & amplitudine inſigni præditum eſſe Inteſtinum duodenum, ut majori Ventriculo minorem alterum addat. Ad qvæ verba ita commentatur Gerardus Blaſius: Largius hoc Inteſtinum vidit Patavii Bartholinus, & ſimile depingit Aqvapendens, ſine flatu turgidum, qvale illud fuit, qvod plures lapides nucis moſchatæ magnitudine plumbeô colore continebat apud Trafelmannum.

§. 30.

Jejunum. Inteſtino duodeno jungitur ſecundum tenuium, Jejunum dictum, qvamvis ſecundum Hieron. Fabric. ab Aqvapend. *oper. anatom. phyſiol. de Inteſtin. Hiſtor. fol. m. 140.* nullum diviſionis veſtigium inter hoc & illud appareat, hinc Johannes van Horne *Microcoſm. §. 22. p. m. 42.* duodeni terminum, atqve Jejuni principium ponit, ubi in gyros volvi incipit Inteſtinum, finem autem ſtatuit, ubi cum rubedine turgidulum eſſe deſinit. Vocatur autem Jejunum, qvia, juxta *A. Cornel. Celſ. de Medicin. Lib. 4. cap. 1. pag. m. 195.* nunqvam, qvod accepit, continet, ſed protinus in inferiores partes transmittit. vel juxta Petr. Dionis *Anatom. Demonſtr. 2. p. 160.* qvia cæteris minùs plenum ſemper deprehenditur, ob ejus innumeras venas lacteas, qvæ chylum indeſinenter excipiunt. Secundum verba Isbrandi a Diemerbroc. *Anatom. Lib. I. cap. 8. fol. m. 37.* Jejuni nomen obtinet, qvia plerumqve vacuum invenitur, tum propter Vaſorum lacteorum illud ingredientium maximam copiam; tum propter Chyli à bile ſuccôqve pancreaticô, per ſuos ductûs proprios, proximè influentibus, promptiorem efferveſcentiam, ſeu â fæcibus ſepara-

ſeparationem & in Vaſa lactea ingreſſum: Imò à bilis atqve ſucci pancreatici in Inteſtinum duodenum vel circa Jejuni principium factam permixtionem absqve dubiô Chylus cum excrementis craſſioribus adhuc citiùs ad inferiora deſcenderet, niſi rugis & ſinibus parte ſuâ interiore criſpatum hoc eſſet, ad illum retinendum, ejusqve fluxûs tantam violentiam inhibendam. Tales rugæ ſive juga aliis Valvulæ conniventes vocantur juxta Laurentii Heiſteri *Compend. anatom.* §. *210. p. m. 60.* Primus autem Theodorus Kerckringius his Valvulis conniventium nomen ideò imponit, qvia non claudunt ita Inteſtinum, ut totam ejus cavitatem oppilent, ſed mediam circiter ejus capacitatem ſic occludant, ut ſingulæ parte alterâ latiores, paulatim anguſtiores fiant, & rurſus paulò inferiùs ab aliâ, qvæ latior eâ parte, qvâ præcedens erat anguſtior, talem Inteſtino dent Conſtitutionem, ut fæces delabi qvidem poſſint, ſed non præcipitari unicô qvaſi lapſu ad inferiora. Tales autem Valvulas per Inteſtinum jejunum diſpoſitas reperiri, refert idem Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 39. p. 85. ſq.* Ejusmodi Valvulis conniventibus Inteſtinum Jejunum eſſe refertiſſimum, ex Inteſtinis hominis ætatis provectioris inflatis & Balſamô conſervatis monſtrat Fredericus Ruyſchius in Muſæô anatomicô ſive Catalogô Rariorum Obſervationum Centuriæ annexô *p. 100. vid. etiam p. 80.*

Valvulæ conniventes qvid ſint?

§. 31.

Tertium tenuium Inteſtinorum Ileon ſeu Ilium vocatur, qvia in Oſſis Ilii regione ſitum ſuum habet. Eſt autem hoc omnium Inteſtinorum longiſſimum, & juxta Thom. Bartholin. *Anatom. Lib. I. cap. 11. p. m. 88.* viginti unum palmos admodum æqvans, vel ſecundum Petri Dionis *l. a. p. 161.* viginti pedum ad minus longitudinem habens. Diverſam tamen tam in Inteſtinô Jejunô, qvàm Ileô, longitudinem obſervavit Laurentius Heiſterus *Compend. Anat.* §. *210. p. 60.* ubi Inteſtinum jeju-

Ileum.

num in diverſis ſubjectis modò longius, modò brevius fuiſſe, atqve nunc tantùm tredecim, nunc ſedecim ſpithamas æqvâſſe; Ilei verò longitudinem qvandoqve vix qvindecim, qvandoqve verò viginti ſpithamas excediſſe ſcribit. Propter ſummam longitudinem hoc Inteſtinum tam crebris circumvolutionibus debuit implicari, ideo etiam a circumvolvendo vel ἀπὸ τοῦ εἰλεῖσθαι, denominationem ſum accepit. vid. Joh. van Horne *Microcoſm. §. 22. p. m. 42.* Utrum in Inteſtinô Ileô Valvulæ reperiantur, affirmare primâ fronte videtur Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 39. p. 85.* cujus inſcriptio ita ſonat: in Colô & in Ileô plurimæ reperiuntur Valvulæ, qvas conniventes appellamus. Qvia verò in totâ Obſervatione nulla Inteſtini Ilei fit mentio, ſed potiùs Coli atqve Jejuni Valvulæ ibidem demonſtrantur, facile hôc locô ſphalma Typotheticum ſubeſſe apparet; ſiqvidem in Ileô nullæ deprehenduntur Valvulæ; unde etiam Laurentius Heiſterus l. a. Ilei principium ponit, ubi Valvulæ Jejuni vix ampliùs conſpiciuntur; Ileum verò nullas habere valvulas ait. Qvod etiam confirmat Fridericus Ruyſchius *Muſ. anatom. ſive Catalog. Rarior. Obſervat. Annex. Thec. I. p. 100.* ubi hominis ætatis provectioris Inteſtina omnia Meſenterio cohærentia in ſuô naturali ſitu, leviter inflata & Balſamô conſervata ſiſtit, in qvibus exacta diſtinctio obſervatur inter Jejunum & Ileum: Jejunum enim valvulis conniventibus eſt refertiſſimum, Ileum verò nullas habet. Idem Ruyſchius eqvidem ibidem *p. 54.* in Inteſtini Ilei humani portione Valvularum conniventium vaſcula ſangvinea monſtrat, & *p. 52.* in Hominis Inteſtini Coli & Ilei portione Valvularum Inteſtini Ilei naturalem conſtitutionem ſiſtit; per has tamen potiùs Valvulas Coli intelligere videtur, unde *p. 52.* eas nominat Valvulas Inteſtini Ilei, aut, ſi mavis, Coli.

Valvula.

§. 32.

In Ileo diverticulum.

Varia qvandoqve Medicis in Inteſtinô Ileô obſervanda occurrunt,

currunt, e. g. Inteſtini Ilei humani portionem, in qvâ diverticulum ſatis magnum & præternaturale fuit repertum, delineat Fridericus Ruyſchius locô modô allegatô *p. 63.* Sacculos in eodem obſervavit Lucas Schrœckius, in Juvene duodecim annos natô, qvi An. 1716. repentinâ morte, incertum qvô caſu, obierat, poſtqvam ultra qvadriennium ſæpius doloribus Abdominis non procul ab Umbilicô correptus fuiſſet, cum Capitis artuumqve Convulſionibus. In hujus defuncti Abdomine Viſcera omnia ſana comparuerunt; Inteſtinum autem Ileum non procul â cœcô tres tumores membranoſos per longitudinem Canalis inteſtinalis proximè ſe contingentes, ejusdem ferè cum membranis inteſtinalibus craſſitiei, & feces liqvidiuſculas continentes exhibuit, qvorum primus & tertius ejus capacitatis fuerunt, qvæ mediocrem nucem juglandem recipere potuiſſet, medius verò paulò minor exſtitit; Aperturæ autem ſingulorum in Cavitatem Inteſtini ad pollicis amplitudinem hiabant. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. VIII. Obſ. 5. p. 331. ſq.* In Muliere ſexagenariâ Caſparus Bartholinus totam Inteſtini Ilei partem inferiorem ita coalitam obſervavit, ut nihil hac viâ pertranſire potuerit. v. Thom. Bartholin. *Cent. VI. Hiſt. 38. p. 262. ſq.* *Sacculi.*

§. 33.

Sæpius in hoc Inteſtinô apparet Tumores ſeu nodi, qvales tres in puellâ qvadam, qvæ in excernendis fecibus, etſi liqvidis, ſummam ſemper & talem qvidem paſſa fuerat difficultatem, ut ex conatu nimiô & reſpiratione retentâ totâ facie nigreſceret, obſervavit Matthæus Franciſus Hertodus *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 126. p. m. 284. ſeqv.* Scilicet in dictæ puellæ exenteratione poſt mortem, â Convulſionibus ex dentitione ortis, omnia viſcera erant ſana præter Inteſtinum Ileon, in qvô tres nodi unâ ferè ſpithamâ inter ſe diſtincti viſebantur. In horum qvolibet magna portio Inteſtini, ipſi Meſenterio non ad- *Nodi.*

hærens, abſcondita latitabat. Atqve hoc malum ab ipſâ ſtatim conformatione eveniſſe, non ſine ratione ſtatuit Autor allegatus.

§. 34.

Reduplicatio. Non raro etiam in Praxi medicâ occurrit Affectus, Suſceptionis, Introſuſceptionis, vel Inſertionis unius partis in alteram, Deſcenſûs, Revolutionis, Reduplicationis, Ingreſſûs mutui, Subingreſſûs, Intruſionis ſive Invaginationis Inteſtinorum Volvuli & Convolvuli, & Nodi nomine veniens; qvando nimirum pars Inteſtini tenuis, imprimis Ilei, in partem proximam, v. g. inferior in ſuperiorem, vel ſuperior in inferiorem ingreditur, ſive Inteſtinum inſtar digiti Chirothecæ reduplicatur. Qvam Reduplicationem omninò fictitiam dicit Gvido Patinus, & qvidem ideò, qvia ipſe eam nunqvam videre potuit. vid. Gerard. Blaſii *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. Anatom. cap. 3. p. m. 45.* Qvam debile autem hoc Patini argumentum ſit contra multorum Medicorum avtopſiam, per ſe elucet; Siqvidem Blaſius *l. a.* hanc Inteſtini Reduplicationem bis terve in Cadaveribus diſſectis, cum Præceptore ſuo Walæô ſe vidiſſe addit. Et ipſe Johannes Walæus *Medicin. pract. cap. 18. Oper. pag. m. 189.* ſcribit, feces interdùm non exire, qvia Inteſtina ſe mutuò intrant. In ancillæ cujusdam Altenburgenſis, qvæ Buſones vomuerat, Inteſtinô Ileô pariter tres nodi apparebant, dimidii digiti longitudinem æqvantes, & nonnullâ intercapedine a ſe diſtantes, qvi accuratiùs perluſtrati erant duplicaturæ Inteſtini in ſe retracti, qvæ licet levi tactu tenſæ, non difficulter ex ſe recedebant. Infuſa aqva non penitus eqvidem præcludebatur, veruntamen veluti guttatim ſaltem transmittebatur, teſte Henrico Volgnadô, *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 103. p. 236. ſq.* Imò dubium adhuc eſt, annon in præcedente Paragrapho Hertodus ſub nomine nodorum pariter Reduplicationes intelligat.

§. 35. Plura

§. 35.

Plura ejusmodi Exempla in ſubjectis utriusqve ſexûs atqve differentis ætatis apud Autores Medicos annotata legimus. v. g. In Cadavere Infantis ſex annorum Atrophiâ mortui, tribus in locis Inteſtinorum erat infarctus, qvalis efficitur, ſi Chirothecarum digitum in ſeipſum intromittis, unus in Inteſtinô Jejunô, bini in Ileô, qvorum unus integri digiti longitudinem ingreſſus tanqvam in vaginam, magna cum admiratione extrahebatur. Subingreſſa verò ſimul erat tota adhærens Meſenterii portio. Nulla interim hîc erat inflammatio, neqve Ilei metus, cùm puer perpetua diarrhæâ laborâſſet, juxta Relationem Chriſtophori Guntheri Schelhammeri *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 88. p. 110.* In puerô Hydropicô & Phthiſicô decem circiter annorum Inteſtina tenuia tribus in locis Convolvulus diſtinxerat; unius portio intruſa duos, alterius unum & dimidium, tertii unum articulum longitudine emetiebatur. Educi facilè poterat illapſa pars, ſed in unô locô præ alterô faciliùs, &c. ſecundum obſervationem Philippi Jacobi Hartmanni *ibid. An. 5. & 6. Obſ. 207. p. 471.* Diſſecuit Vopiſcus Fortunatus Plempius mulierem Volvulô mortuam in eâqve unam ſuperiorem Inteſtini partem inferioris partis cavitatem ſubintrâſſe invenit. *vid. ejusdem Fundament. medicin. Lib. 2. cap. 8. fol. m. 128.* In filiolô triennî, qvi ex Lumbricis ægrotâſſe putabatur, unam tenuis inteſtini partem intra ſe contractam ac involutam, qvaſi in ſe infarctam, ut duritiem qvandam, tanqvam tumoris ſpeciem repræſentaret, vidit Henricus Smetius. Imò qvod ſesqvi pollicem longitudine æqvabat, dum involutum eſſet, id leniter evolutum duos ferè palmos implebat. vid. Henric. Smet. *Miſcellan. medic. Lib. 10. p. m. 579.* Animadvertit etiam Realdus Columbus *Tract. de Re anatom. Lib. 15. p. m. 487.* Inteſtinorum tenuium mutuum ingreſſum, ſpatiô ampliore, qvàm ſit digiti longitudo, præſertim in nonnullis, qvos dolor Iliacus enecaverat.

Reduplicationis Exempla.

verat. In puerô, ex graviſſimâ Paſſione Iliacâ, mortuô, invenit Gvilelmus Fabricius Inteſtinum cœcum contractum in Inteſtinum Ileum ſeſe inſinuâſſe idqve oppleviſſe adeò, ut nihil ex ſuperioribus Inteſtinis ad Colon permeare poſſet. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Obſervat. Chirurg. Cent. I. Obſ. 61. Oper. fol. m. 49.* Refert etiam Dominicus Panarolus *Pentec. I. Obſ. ult. p. m. 30.* ſe in ſectione Juvenis cujusdam ex Volvulô defuncti, Inteſtinum in Cavitatem Inteſtini deſcendiſſe, annotâſſe. Portionem Inteſtini Ilei qvatuor digitos transverſos longam, plurimùm verò contractam & anguſtatam intra proximæ portionis ſuperioris Cavitatem prorſus abſconditam in muliere qvadam ruſticâ obſervavit Johannes Conradus Peyerus juxta ipſius *Exercitat. de Glandul. Inteſtin. Part. poſter. cap. 9. p. 80.* vid. etiam Clerc & Mangett *Bibliothec. Anat. Part. I. fol. 127. Et folio ſeqventi* dicti Autores in Juvenis cujusdam, annos triginta duos nati, Cadavere apertô Inteſtini Coli (qvod rariſſimæ eſt Obſervationis) portionem duabus præter ptopter â rectô ſpithamis diſtantem, octo Uncias longam, nigerrimam panderoſam, Inteſtini portionem proximam, non qvidem ſuperiorem, ſed inferiorem, qvatuor digitis ſubeuntem reperiſſe teſtantur. In pueri undecennis vividi & alacris, ex eſu fructuum Vomitu alviqve torminibus tentati, tandemqve Lethargô exſpirantis, Cadavere tenuia Inteſtina qvatuor diſtinctis in locis nodoſa fuerant. Configuratio autem nodorum talis: coarctata Inteſtini tenuis portio triuncialis vicinam partem Inteſtini dilatati intraverat, ita ut ibi tanqvam limax in domunculâ ſua latitaret, aut veluti in Vaginâ gladius. Inteſtina etiam è latibulis iſtis niſi vi qvadam extrahi, nodive ſolvi non potuerunt, ſecundum modò allegati Johannis Conradi Peyeri *Exercitat. anat. medic. 17. p. m. 85. ſq.* ubi tertium ſe tunc tales Inteſtinorum nodos obſervaſſe addit. Item Gerardus Blaſius talem Inteſtini Ilei Intusſusceptionem in Infante non unô, poſtqvam Iliaci interierint, ſe obſervâſſe, imò etiam in

puerô

puerô qvatuordecim annorum eandem, & qvidem duplicem, ſic ut unô locô pars Inteſtini inferior ſe inſeruerit in ſuperiorem, alterô pars ſuperior in inferiorem, annotâſſe refert *Obſerv. medic. Part. 2. Obſ. 3. p. m. 37.* Medicus qvidam ex Jamaicâ reverſus Olao Borrichio retulit, Iliacam paſſionem malum illic endemium crudeliter regnare, ſeqve in aliqvot ejusmodi Subjectis obſervaſſe, Inteſtina non in ſe invicem ſpiræ modô contorta arctari, cæterum duplicata in ſe involvi, haud aliter ac gladius Vaginæ inſeritur, aut Vitrum anguſtius capaciori ſolet includi vid. Thom. Bartholin. *Epiſtolar. medic. Cent. IV. Epiſt. 92. p. 528.* In binis Nobilis cujusdam Viri filiolis, torminibus & Diarrhœâ mortuis, infarctum talem fuiſſe obſervatum, ſcribit Georgius Wolffgangus Wedelius *Pathalog. med. dogmat. Sect. 3. cap. 12. p. 653.* In Civis & Sartoris Arnſtadienſis filioli ſeptennis, torminibus mortui, Inteſtinô Ileô ſepties diſtinctis in locis ingreſſum partis ſuperioris Inteſtini in partem ejus inferiorem obſervavit Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 8. p. 63. ſeq.* cujus Schema ibidem depingit. Inteſtini Ilei portio, è Cadavere pueri octo circiter annos nati, in qvâ Suſceptio apparet, id eſt, portio Inteſtini portionem inſeqventem ſuſcipit, reperitur in Frid. Ruyſchii *Theſaur. anat. I. p. 27. v. etiam Theſ. II. p. 9. Theſ. V. p. 13. & Theſ. VII. p. 12.* Ejusmodi Intruſionem cum impeditâ fecum alvinarum excretione in puerô decenni ſe annotâſſe refert Jacobus van Hervelt *in de Geneeskundige Aenmerkingen Obſ. 82. p. m. 155.* Et Johannes Jacobus Harderus triplici in locô Inteſtini Ilei portionem intra alterius cavum redeuntem, ſive Introſuſceptam, vel inferiorem in ſuperiorem ejusdem partem intortam annotavit *Apiar. Obſ. 64. p. 253.* Puerum fæces alvinas per Os reddentem, cujus Inteſtina Volvulô erant impedita, & invicem implicata, vidiſſe ſe dixit Thomas Bartholinus *Hiſtor. anatom. Cent. 4. Hiſtor. 47. p. m. 333.* Binis in locis Intromisſionem ſeu Introreceptionem Inteſtini Ilei

(qvam

(qvam Invaginationem alii vocant) in filiô torminibus Abdominis acerbiſſimis & Vomitibus crebris obnoxiô tandemqve Convulſionibus denatô obſervavit Michael Bernhardus Valentini *Emphemerid. Acad. N. C. Cent. II. & IV. Obſ. 1. p. 1. ſq.* Inteſtini jejuni Incarcerationem poſt Colicam ſpasmodicam graviſſimam Annô 1715. in Virgine qvadam honeſtâ obſervavit, additâqve figurâ communicavit ibidem *Cent. V. & VI. Obſ. 89. p. 378. ſeq. 382.* Johannes Gvilelmus Widmannus. Puella circiter novem annos nata ex ſcalâ delapſa poſt acerbos dolores Ventris in pertinacisſimam Alvi incidebat obſtructionem, qvam mox ructus, excrementa redolentes, conſeqvebantur. Poſt diem pharmacis vomitu rejectis, Convulſionibus exagitata obibat. Inciſô Abdomine Omentum verſus Ventriculum retractum ac veluti ſugillatum erat. Inteſtina fecibus ſcatebant, Ileum verò tribus in locis in ſeſe, & qvidem pars ſuperior in inferiorem profundè deſcenderat, qvæ tam arctè cohærebant, ut difficulter diſtrahi poſſent, juxta Adam. Brendel. *Obſerv. anat. Dec. I. Obſ. 3. p. 13.* Et *Decad. III. Obſ. 7. p. 17.* exemplum Ilei lethalis, ex ſaltu orti, idem adducit in Virô, qvi foſſam latam ſaltu transſcendere nitebatur, inter ſaliendum verô in terram proſtratus Abdomen vehementer percellebat; unde poſt varia Symptomata diem obire ſupremum cogebatur. Sectô Cadavere, Inteſtina maximam partem ſugillata viſa ſunt, ſigillatim Jejunum in Ileon ſemel, hoc vero bis in ſemet ipſum deſcenderat, & qvidem ſupernè, ac ſatis profundè, adeò ut nullâ arte in ſtatum naturalem reponi potuerint. *Obſervatio.* Ejusmodi Inteſtini Intruſionem etiam mihi ante aliqvot annos in Viri cujusdam admodum Reverendi filiô ſeptenni, ex Pulmonum Scirrhoſitate defunctô, obſervare licuit; qvippe in cujus apertô Cadavere Inteſtinum Ileum tribus in locis, & qvidem ad ſpithamæ circiter longitudinem â ſe invicem diſtantibus, a parte ſuperiore ultra digiti longitudinem inferiori cavitati erat intruſum; qvod poſtmodum leniter

niter extractum ſpithamæ æqvabat longitudinem. Ubi tamen notandum, dictum filium nunqvam de Paſſione Iliacâ, nec torminibus Abdominis, neqve de ullô vomitu, multò minùs ſtercoreô, neqve etiam de talismodi ſapore conqveſtum fuiſſe. Annon autem talis Ilei in Ileum ingreſſus ſeu inſertio â Clavô ferreô ante longum temporis ſpatium ab hoc puerô deglutitô, atqve fortaſſe per Inteſtina exitum naturalem qværente, occaſionem ſumpſerit, dubitare nollem. Plura ejusmodi paulò infrà Cap. IX. §. 19. de Paſſione Iliacâ, occurrent Exempla.

§. 36.

Talis Inteſtinorum partis in alteram intruſio non modò in homine, ſed qvandoqve etiam in animalibus brutis & volucribus obſervatur, qvalem in Gallinâ Iliacâ â ſe annotam delineat Philippus Jacobus Hartmannus *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 29. p. 64. ſeqq.* his verbis: Gallinam, qvæ & per ſuperius & per inferius guttur ſangvinem ejecerat, cultro anatomico ſubjeci. Inteſtina è regione extremitatum cœcorum intuens, ubi duritiem adverto, deglutitum qvidpiam ſuſpicor: atqve incidenti corpus globoſô Capite, cum hiatu obſcurô, piſciculum imitans, qvod mucô ex coagulatô ſangvine interioris tunicæ obductum erat, ſeſe offert; qvòd autem educenti minimè obſeqveretur, oppoſitam partem patefeci; hinc qvando adnatum qvoddam corpus videbatur: reduplicationes enim intruſi preſſe adjacebant, ut unum idemqve continuum Inteſtinum jurâſſes. Denuò divellere ab invicem malè connexa tentanti ſupernum qvidem ceſſit aliqvantùm, infernum verò priſtinam retinebat ſedem: Qvare & Corpus, qvod piſciculum imitabatur, ſecandum veniebat, atqve tunc demum manifeſtò ante oculos ponebatur 1) Inteſtini cum parte Meſenterii integerrimâ ſesqvi articulum longa intruſa portiuncula; 2) alia portiuncula ejusdem longitudinis inverſa, rubicunda & mu- *In aliis animalibus.*

 coſa;

coſa; 3) Reduplicatio recti arctè ſuperficiei alterius adhærens, ac ſi adnata fuiſſet.

§. 37.

In ductu cholodocho. Rariſſimam etiam non qvidem de Inteſtinorum, ſed ductûs cholodochi Intusſuſceptione obſervationem communicat Jobus a Meekren *Obſ. med. chir. cap. 46. p. 196. ſeq.* in puerô ſex annorum, qvi, poſtqvam per aliqvot menſes in Noſocomiô decubuerat, abſceſſu Cubiti enormi laborans, novô qvodam eoqve inauditô morbô correptus eſt, ex qvo etiam inqvietudine, dolore, ejulatu, ſudore plurimùm debilitatus poſt biduum interiit. Doloris, de qvo valde conqverebatur, qvamdiu in vivis erat, locus imprimis Hypogaſtrium erat regioqve umbilicalis. In Cadavere apertô nullam hujus doloris invenire licebat cauſam, præter humoris biliofi ventriculo & inteſtino incumbentis copiam, ejusdem ventriculi cum inteſtinis inflammationem, imò variis in locis ſyderationem, nec non omenti putrefactionem, veſicam etiam felleam ruptam bileqve vacuam; Accedebat ductûs cholydochi, Inteſtinum duodenum accedentis, mox ſub veſicæ cervice Intusſuſceptio, ſimilis omninò ſuſceptioni illi, qvæ in Inteſtinis reperiri ſolet, ubi pars una alteram ingreditur. &c.

§. 38.

Ilei ſtrangulatio. Inteſtinum Ileum qvaſi laqveô ſtrangulatum annotavit Johannes Conradus Peyerus in muliere qvadam, diros ante obitum ventris cruciatûs, Cordis anxietates, dejectiones cruentas tandemqve vomitus perpeſſâ. Patefactô enim ejusdem Abdomine Ileon alicubi planè conſtrictum ac velut injectô laqveô ſtrangulatum erat: v. Peyer *de Gland. Inteſt. p. 81.* qvæ tamen obſervatio pariter ad Intusſuſceptionem, de qvâ modò egimus, & ad Paſſionem Iliacam pertinet. Inteſtini Ilei complicationem *vid. cap. ſeq. §. 20.* De Inteſtini Ilei vulnerati curatione ſeqventem obſervationem recenſet Medicus Baſileenſis Maichanqvez

Vulnus.

M. N. C.

M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 176. p. 332. Sartoris Uxori maritus in Hypochondriô dextrô ſupra os Ileon intempeſtivâ nocte cultrô vulnus inflixerat; Vulnus obligatum eſt, manè dum Chirurgus Emplaſtrum removet, fæces alvinæ ſubſeqvuntur; dilatatô parumper vulnere apparet Inteſtinum Ileum læſum; Placuit in caſu deſperatô periculum facere, nec ægra viginti qvinqve annorum dolores recuſabat, modò vita donaretur, Inteſtinum cautè acu alligari cuti curat dictus Medicus, recentisqve laridi lamellâ interpoſitâ, ut fæcibus alvinis pateret tranſitus, cutem jungere jubet, potiones præſcribit vulnerarias, qvibus ad ſtuporem curata, binosqve liberos poſtea enixa eſt.

§. 39.

A tenuibus Inteſtinis ad craſſa pergimus, qvorum primum vocatur cœcum. Qvid autem propriè per Inteſtinum cœcum intelligatur, & utrum ad tenuia vel craſſa ſit referendum? hactenus diſceptârunt Anatomici, uti jam ſupra §. 5. pluribus diximus: alii nimirum hoc nomine vocant proceſſum illum Vermiformem ſive tenuem Appendicem circa finem Inteſtini Ilei ſitum, unicum habentem orificium, qvod ipſi pro ingreſſu & egreſſu inſerviat. Adſcribit eqvidem Tobias Knoblochius *Diſput. anat. phyſiol. 4. p. m. 119.* huic Inteſtino duo orificia, unum, per qvod attrahat, alterum, per qvod expellat. Illud autem, per qvod expellat, non ſit, ſicut in aliis, oppoſitè locatum contra primum, ſed ambo locata ſint juxta ſe invicem. Vel juxta explicationem Thomæ Bartholini *Anat. Lib. I. cap. 11. p. 89.* Knoblochius duplex dicit habere orificium, ſeptô membraneô ſecretum, ut per unum ab Ileô excipiat, & per alterum in Colon traducat; ſed nec dum, pergit Bartholinus, id in homine deprehendimus, in qvô unum orificium & remittit & excipit. Eſt enim appendicula qvædam parva inſtar vermis oblongi, qvæ orta ex initiô Coli & fine Ilei, ſupra Colon ſe, contorti vermis inſtar, ſternit, &c. Juxta Joh. de Muralt. *Vademec. anat. Exercit. 8. p. 355.* habet cœcum Inteſti-

Inteſtinum cœcum.

An Proceſſus vermiformis.

teſtinum foramen: in Infante ſacculus eſt utplurimum Mœconiô refertus; in ſene Appendicula Vermiformis. Franciſcus Stockhamer *Microcoſmograph. cap. 3. p. 47.* Inteſtinum cœcum Coli appendicem nominat. Et Margagnus Proceſſum Vermiformem Coli non pendulum, ſed ſemper ſurſum erectum eſſe demonſtrat. vid. Laur. Heiſter. *de Increment. Anat. p. 143.* Exigui lumbrici figuram habere Inteſtinum cœcum, ſtatuit etiam Dominicus de Marchettis *Anatom. cap. 3. p. 32.* Idem ſentit etiam Johannes Veslingius *Syntagmat. anat. Cap. 3. p. m. 45.* Et Gerardus Blaſius Comment. in dictum locum addit: Longitudo eſt qvatuor digitorum, latitudo pollicis, ſed anguſtiſſima capacitas. Inqvit etiam Johannes van Horne *Microcoſm.* §. 22. *p. 42.* priusqvam Colon incipiat, circa dextrum Os Ilium exporrigitur à latere Inteſtinulum qvoddam, craſſis adnumeratum, qvod figuræ ratione dicitur appendicula Vermiformis, à ſimplici, qvem obtinet, meatu, cœcum. Et Johannes Riolanus *Enchirid. Anatom. Lib. 2. cap. 18. p. m. 110.* ſcribit: Inteſtinorum craſſorum primum dicitur cœcum, veteribus Anatomicis, iſtudqve nomen retinet, qvamvis prorſus exiſtat diſſimile ab antiqvâ deſcriptione. Inſtar ſacculi amplum non apparet, nec ſecundi Ventriculi officiô fungitur, ad coqvendas reliqvias chyli nondum perfectè ſubacti, per unicum foramen patet ingreſſus & regreſſus. Nunc ejus locô Appendicula membranoſa extat & demonſtratur, qvæ latior eſt in fœtu & recens editô Infante, qvàm in adultô &c. Inſtar proceſſûs vermicularis Inteſtinum tum integrum, tum inverſum, depingit Johannes Conradus Peyerus *de Gland. Inteſt. Part. 1. cap. 2. Tab. 3. p. 25.* Juxta Caſp. Bartholin. *Specim. Hiſtor. anat. cap. 2. p. 39.* Cœcum in homine qvaſi appendicula qvædam eſt, inſtar vermiculi oblongi, Coli principio juncta.

§. 40.

An ſaccus Coli. Qvamvis autem plurimi ex recentioribus hanc appendiculam Vermiformem pro verô Inteſtinô cœcô agnoſcant, alii tamen,

men, ad mentem Veterum, potiùs ſacculum illum ſeu partem globoſam circa Coli principium pro cœcô habent, uti ſupra §. 5. variis Autoribus demonſtravi, qvorum plures hoc loco allegare ſuperſedemus, niſi qvod refert Isbrandus de Diemerbroc *Anat. Lib. 1. cap. 8. fol. 38.* ſcilicet Veteribus nonnullis cœcum appellari non dictam appendiculam, ſed primum Coli globum, ad ingreſſum tenuis Inteſtini ſitum. Neqve tamen alii hac ſententiâ contenti ſunt, ſed talem proceſſum Vermiformem & Sacculum ſeu globum modò dictum ſimul ſumptos pro cœcô Inteſtinô habent. Inqvit enim Daniel Tauvry *Anat. ration. Part. 1. cap. 2. p. 24.* Qvando Ileon in fine dilatari incipit, Colum appellatur. Principium ejusdem, ſpeciem ſacci fundum clauſum habentis referens, cœcum appellatur, ubi appendix oblonga & cava obſervatur, qvæ inſtar ligamenti eidem inſervire poteſt. Et ſecundum Petri Dionis *Anatom. p. 161.* Inteſtinum cœcum ſacci formam referens appendicem habet figuræ oblongi Vermis, ex trium ligamentorum Coli Junctione conflatam, qvam Bartholinus ipſum cœcum eſſe arbitratur. Item Tobias Knoblochius *l. a.* Sacculum ſeu partem globoſam circa Colon Inteſtini cœci lacunam appellat. Inteſtinum cœcum, ſecundum Laurent. Heiſter. *Compend. anat.* §. *210. p. 61.* incipit, uti Inteſtinum Ileum deſinit, & in appendice ſive proceſſu vermiformi finitur.

§. 41.

Cœcum in ſiniſtro latere.

Circa hoc Inteſtinum paucis adhuc monendum, qvòd, ſi vulgò apud Autores Medicos Obſervationes de Inteſtinô cœcô occurrunt, non tam de Sacculô Coli, qvàm Proceſſu ſeu appendice lumbricali intelligi debeant. v. g. Cœcum Inteſtinum in dextrô latere circa Coli principium ordinariè reperiri, Anatome docet, illud tamen in ſiniſtrô latere Viri decollati atqve die qvarto Februarii 1614. diſſecti ſe inveniſſe ſcribit Johannes Rudolphus Salzmannus *Obſerv. anat. p. m. 53.* his verbis:

Cœcum, qvod aliàs dextrum latus & exteriora reſpicere ſolet, hîc introrſum reflexum truncum Venæ Cavæ deſcendentem attigit, atqve non ex dextrâ Coli principii parte, ſed ſiniſtrâ Originem ſumpſit, qvod etiam in Canibus fieri ſolet.

§. 42.

Duo & plura cœca. Idem etiam de pluralitate Inteſtini cœci locum habet, ſiqvidem duplicia talia Inteſtina qvandoqve in homine, ſæpiſſime tamen in brutis, reperiri ſupra §. *26.* diximus; Imprimis autem in Avibus occurrunt. Cum enim Simon Pauli An. 1656. Gruem ob aſperæ arteriæ ſingularem & admirandam ſtructuram rimari clementiſſimô Regiô Mandatô juberetur, in eô non unum ſed duo Inteſtina cœca, ſingula longitudinem qvadrantis Ulnæ Seelandicæ cum dimidio ſuperantia invenit. vid. Sim. Pauli *Qvadripart. Botanic. Claſſ. II. p. 85.* qvô locô etiam ex Piccolhominô refert, iis animalibus, qvæ admodum voracia ſunt, duplex cœcum eſſe conceſſum. Juxta Dan. Tauvry *Anatom. Part. I. cap. 2. p. 39.* Struthio bina habet Inteſtina cœca figuræ ſpiralis, ac maxima pars volatilium bina inſignia poſſidet. In Aqvila Inteſtinum cœcum duplex ab utroqve latere Inteſtini unum, ſed minutum & vix digitum transverſum longitudine æqvans reperit Thomas Bartholinus *vid. Act. Hafnienſ. Vol. I. Obſ. 2. p. 8.* De Cygni Inteſtinis ita ſcribit idem Bartholinus *Diſſert. de Cygni Anatom.* §. *24. p. m. 35. ſq.* Inteſtina valde longa ſunt, & multô, etiam pollicem craſſô adipe, qvi vicem omenti obit, intecta. Qvæ cùm multis anfractibus aut gyris haud ſint intricata, ſed ſimplici tantùm mediâ ſpirâ in ſe revolutione reflexa, huic malo volens mederi Natura, cœca duo inter anum & ipſorum initium interjectô rectô Inteſtinô appendit, qvæ anfractuum inteſtinorum defectum compenſarent. In Columbâ duplex Inteſtinum cœcum, ſed raræ fabricæ vidit Olaus Borrichius. *vid. Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 96. p. 187. ſeq.* item in Ciconiâ, *ibidem Vol. V. Obſ. 94. p. 248.* In Gallinis geminum Inte-

Inteſtinum cœcum prælongum exiſtere monſtrat Johannes Conradus Peyerus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 85. p. 205.* In Anate Inteſtinum cœcum duplex eſt, longum valde & tortuoſum aliqvô modô, inſtar duplicis Lumbrici Inteſtino recto, membranoſi vinculi ope, connexum, vid. Gerard. Blaſ. *Anat. Animal. Part. 2. cap. 2. p. m. 151.* in Noctuâ qvoqve bina Inteſtina cœca ſatis longa adeſſe obſervavit Emanuel Kœnig. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 34. p. 88.* Cuniculum & Porcellum Indicum duplici & utroqve peramplô Inteſtinô cœcô gaudere, refert Franciſcus Gliſſonius *Tract. de Ventricul. & Inteſtin. cap. 11. vid. Bibliothec. Anat. Part. 1. fol. 96.* Plura de pluribus Inteſtinis cœcis Joſephus Zambeccarius *v. M. N. C. Dec. III. An. 4. App. p. 108. ſqq.* ubi trium, qvatuor, ſeptem, octo, ſedecim & viginti cœcorum Inteſtinorum mentionem facit, inſuper etiam animalium Inteſtinô cœcô carentium exempla recenſet.

§. 43.

Meatûs ab Inteſtinô cœcô ad Veſicam tendentis meminit Johannes Petrus Albrechtus *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 78. p. 186.* *Meatus a Cœco ad Veſicam.* Diſſectio ſcilicet Viri, ob maleficia decollati, inſtituta eſt Francofurti ad Viadrum A. 1667. â Medicô Colbergenſi D. Garliep. Adfuit Spectator Conradus Veſenfeld, Profeſſor Academiæ Viadrinæ, acutus rerum naturalium rimator, in cujus Manuſcriptis majuſculis literis ſeqventia notata communicat dictus Albrechtus: Caſu factum, ut offenderemus aliqvot ductûs ab Inteſtinô cœcô deorſum ad Veſicam vergentes. Per hos ergo meat materia lotii potatoribus tam ſæpe & copioſè excernendi, hi autem ductus inveniebantur abradendo pingvedinem, circa cœcum Inteſtinum ſitum. De qva tamen Urinâ potûs in Urologia noſtra D. v. pluribus agemus.

§. 44.

Ratione uſûs Inteſtini cœci, ſive Appendicis lumbriciformis, variæ ab Autoribus foventur ſententiæ, dum qvidam nullum *Cœci uſus.*

lum planè ipſi concedunt, vel eundem ſe neſcire fatentur, è qvibus Johannes Jeſſenius a Jeſſen *Anatom. Pragenſ. p. m. 34. b.* ita ſcribit: qvod cœco Inteſtino munus aſſignem non habeo, ſed libenter hic ingenuum illud verbum, neſcio, neſcio, uſurpo; alii Inteſtinum cœcum flatuum inter coctionem & præſertim ex flatulentis Cibis genitorum naturale & neceſſarium receptaculum eſſe ſtatuunt. v. Sim. Pauli *Qvadrip. Botan. Claſſ. II. p. 83. ſeq. 85. ſqq. & Claſſ. III. p. 247.* Alii adhuc alios ipſi adſignant uſûs, qvos congeſſit Thomas Bartholinus *Anatom. reform. Lib. I. cap. 10. p. m. 90. ſeq.* vid. etiam Job. a Meekren *Obſ. 53. p. 237.* Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 4. p. 270. ſq.* Nathan. Highmor. *Diſqviſit. anat. Corpor. hum. Lib. I. Part. 2. fol. 28.* Franciſc. Gliſſon. *Tract. de Ventric. & Inteſtin. cap. 11.* in Bibliothec. anat. *Tom. I. fol. m. 96. &c.* Petr. Dionis *Anatom. Demonſtr. 2. p. 161.* Jo. Guil. Pauli *Annotat. in Joan. van Horne Microcoſm. §. 22. p. 54.* Gothofr. Mœb. *Phyſiolog. Cap. 11. p. 217.* Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. 1. c. 18. p. 92.* Albert. Kyper. *Anthropolog. Lib. 1. c. 9. §. 21. p. m. 106.* Imprimis autem Jacobus de Sandris *de Ventricul. p. 272. ſq.* ita ſcribit: Inteſtini cœci officium ita abditum & denſis tenebris obvolutum eſt, ut omnes Anatomicorum conatûs inanes usqve adhuc reddiderit. Dixerunt eqvidem Ventriculo ſuffragari, ulterius alimenta concoqvens: Secundò excrementa recipere & figurare: Tertiò excretionem contentô fluidô per inferiora promovere: Sed demum conjicimus nos, innumeris glandulis, qvibus præditum eſt, oleoſam materiam parare, qvæ in fœtu, in qvô inſignem habet capacitatem, humidiores alimenti partes & fæces viſcidiores redderet, ut illæ faciliùs adhærendo nutrirent, hæ ſegnius deſcendendo minùs incommodam præſtarent excretionem: Sed ſemper in obſcuris ſumus. Johannes Baptiſta van Helmont in hôc Inteſtinô fermentum ſtercoreum latitare ſcribit *Sextupl. Digeſt. Aliment. hum. §. 81. fol. 138. de qvo vid. Cap. ſeq.*

§. 45.

§. 45.

Qvandoqve varia in Inteſtinô cœcô deprehenduntur, e. g. in ſubjectô qvodam in Noſocomiô publicô Amſtelodamenſi in gratiam Studioſorum diſſectô globulum ſclopetarium minoris magnitudinis obſervare ſibi datum fuiſſe, refert Job a Meekren *Obſ. med. chir. 53. p. 237.* Et in Virginis cujusdam annos circiter triginta natæ, cujus Cadaver An. 1676. Genevæ aperiebatur, Inteſtinô cœcô magna nucleorum ceraſorum valdè nigrorum qvantitas reperta eſt. v. Bibliothec. anatom. *Part. I. f. 97.* *In cœco globulus repertus.* *Nuclei Ceraſorum.*

§. 46.

Secundum Inteſtinum craſſum â cœcô principium habens anfractuoſô ductu ſurſum ad Epar & dehinc transverſim ſub Ventriculô ad latus ſiniſtrum procedit, dehinc ad finem Oſsis Ilii deſcendit, indeqve rurſus usqve ad ſummum Oſſis ſacri aſcendit, ibidemqve, facto priùs circumflexu ad inſtar literæ S inverſæ in Inteſtinum rectum deſinit; atqve Colon dicitur, â Græco Verbo κωλύω, retardo, qvòd ratione ſuarum Cellularum feces remoretur; vel â κόλον, qvod Jonicè eſt magnum: legitur etiam κῶλον nonnulli etiam Colon â κολάζεσθαι, a torqvendo, derivant, qvòd in eô fiant tormina Colica, vel qvòd gyris variè tortuoſum conſpiciatur, &c. *Colon.*

§. 47.

Coli autem gyrationes atqve cellulæ ab ejusdem ligamentô vel vinculô efformantur. Hôc enim ſolutô dictum Inteſtinum non modò, cellulis planè obliteratis, ad duplam longitudinem facilè extenditur; ſed etiam, juxta Obſervationem ſupra §. 11. de nimiâ Coli expanſione & rupturâ hujus ligamenti, in Comite de C. obſervatis, adductam, nimium qvantum extenditur. *Coli Ligamentum.*

§. 48.

Annotantur etiam â Medicis in Inteſtinô Colô Valvulæ, qvarum imprimis nota eſt illa magna circa Ilei finem & Coli initium locata, & qvidem ideo, ut excrementorum & conten- *Coli Valvulæ.*

torum ex Inteſtinis craſſis ad tenuia regreſſum impediat. Hujus Valvulæ detectio vulgò eqvidem Caſparo Bauhino, ab aliis tamen Conſtantio Varolio, item Salomoni Alberti., Anatomico Wittebergenſi, adſcribitur, de cujus Inventione, Structura, & Uſu plura apud Anatomicos reperies v. Thom. Bartholin. *Anatom. Lib. I. cap. 11. p. 92. ſeq.* Gothofr. Moeb. *Phyſiolog. cap. 11. p. 218. ſq.* Johann. Riolan. *Anthropol. Lib. 2. cap. 14. Oper. f. 104.* Frid. Ruyſch. *Theſ. Anat. III. p. 62.* Joh. Maur. Hoffmann. *Obſ. in M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 224. p. 412.* Theodor. Kerckring. *Spicileg. anat. Obſ. 39. p. 85.* Jsbrand. de Diemerbr. *Anat. Lib. 1. cap. 8. fol. m. 38.* Eman. Kœnig. *Regn. anim. Sect. I. Art. 18. p. 92.* Vopiſc. Fortun. Plemp. *Fundam. Medicin. Lib. 2. Sect. 5. cap. 8. fol. 126.* Act. Eruditor. Lipſ. *An. 1719. Octobr. p. 443. ſeq.* Georg. Franc. *Bon. nov. anatom. §. 51. Satyr. medic. p. 648.* Joh. Vesling. *Syntagm. anat. cap. 3. p. 46.* item ejusdem Commentator Gerard. Blaſ. *ibid.* Philip. Verheym. *Anatom. Corp. hum. Tr. 2. cap. 10. p. m. 82. & 90. ſeq.* Caſp. Bauhin. *Theatr. anat. Lib. 1. cap. 17. p. 63. ſeq.* ubi ſcribit, ſe ab Anno 1579. in omnibus ſuis Anatomiis, anteqvam ullum legerit, qvi hujus meminerit, demonſtrâſſe &c. Valvulam Bauhini depingit etiam Johannes Conradus Peyerus *Exercit. de Glandul. Inteſtin. Tab. 3. p. 25.* Joh. van. Horne *Microcoſm. §. 22. p. 43.* & Joh. Guilelm Pauli *Annot. in eund. loc. p. 48.* Circa hanc tamen Valvulam Bauhini notandum, Anatomicum qvendam Taurinenſem, nomine Bianchum ſingulari Diſſertatione, cui Titulus eſt de Ingreſſu Ilei in Colon, ſeu de ſuppoſitâ hucusqve Inteſtinorum Valvulâ, Obſervatio nova; Valvulam illam celebrem, ab Anatomicis deſcriptam, prorſus negare & confictam proclamare; cui tamen Autori Laurentius Heiſterus *Diſſertat. anatom. de Valvulâ Coli. Clariſſ. Bianchii de ſuppoſita hucusqve Inteſtinorum Valvulâ contradicit valvulamqve defendit*, *vid. Act. Erudit. Lipſ. An. 1719. Menſ. Jul. p. 325.*

p. 325. ſeqq. it. 443. In diſſectione Muris Alpini nullam Valvulam circa Inteſtinum Colon invenit Gvilhelmus Fabricius *v. Cent. VI. Obſ. 97. f. 630.*

§. 49.

Præter hanc Inteſtini Coli Valvulam majorem, aliæ etiam minores, conniventes dictæ, qvarum jam ſupra mentionem fecimus, in eôdem obſervantur Valvulæ, qvibus nomen conniventium impoſuit Theodorus Kerckringius *Spicileg. Anatom. Obſ. 39. p. 85. ſeq.* De harum Valvularum ſtructurâ & uſu ita ſcribit Johannes Fridericus Ortlob *Hiſt. Part. Diſſert. 7. §. 16. p. 56.* in eô Conformatio Inteſtinorum plurimum juvat, qvatenus valvulæ conniventes Kerckringii ita conſtructæ ſunt, ut impediant, ne, qvod jam protruſum eſt fæcum, in priorem locum iterum relabatur, ſed objectô qvaſi obice firmetur, ut novô impetu accedente ulterius ferri valeat. Atqve ſic neceſſariô plures & eminentiores & firmiores deſiderabat Colon, qvòd illud aſcendendo ex dextro Ingvine ſub Ventriculô feratur, atqve ſic contenta hîc magis magisqve indurata facilè retrò agerentur & ad inferiora deſcenderent, niſi valvularum ope retinerentur. Has valvulas conniventes cum cellulis depingit Theodorus Kerckringius *l. a. p. 88.* & Joh. Conrad. Peyerus *l. a. p. 24.* vid. etiam Frid. Ruyſch. *Catalog. Rarior. p. 69.* qvô locô Inteſtini Coli & Ilei portionem ſiſtit, in qvâ Circulos Coli ſemilunares, ſeu valvulas conniventes triplices eſſe, ex triplici ligamentô monſtrat. *Valvulæ Coli conniventes.*

§. 50.

Colo deniqve annectitur Inteſtinum rectum, & qvidem ita dictum, qvia nullas habet gyrationes ſeu curvaturas, ſed rectô ductu vel lineâ rectâ medio Oſſis ſacri & Coccygis incumbens in anum deſinit, ibidemqve Sphinctere ſeu muſculô rotundô vel circulari, ejusdem extremitatem ambiente, occluditur & aperitur, talisqve finis Anus ſeu Podex nominatur, *Inteſtinum rectum.*

 de

de qvô videantur Autores hactenus allegati. Plura de eôdem ejusdemqve vitioſâ tum in Veſicam, tum in Vulvam inſertione &c. de Procidentiâ in Capitibus ſeqventibus videbimus. Inteſtini autem recti tunicæ craſſisſimæ ſunt, longèqve cæteris minorem relinqvunt capacitatem, qvandoqve etiam extraordinariè ita anguſtatur hoc inteſtinum, ut fecibus vix concedatur permeatus, ſiqvidem in ſeſqviannorum infante, qvi â nativitate dolores & conatûs deſidendi urinamqve mittendi magnos patiebatur, â ſuperiore vulvæ parte prominebat Caro qvædam ſpongioſa nucis magnitudine conatus deſidendi urgens & ſenſim ſenſimqve, Inteſtinum rectum protrudens ejusqve cavitatem ita anguſtans, ut vermis ad inſtar, tenuia excrementa exierint, ac non niſi lacte enutriri, coacta fuerit infans referente Philippo Wilhelmo Virdung, *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 169. p. 341.* De totali Inteſtini recti coalitu vide Obſervationem Roſini Lentilii *M. N. C. Dec. II. 7. Obſ. 139. p. 268.* In Recti Inteſtini ſuperficie internâ plures canaliculos in cavitatem ipſius hiantes, ordinatè diſpoſitos & ad ſtraminis latitudinem â ſe invicem diſtantes in Cadavere virili demonſtraſſe Fredericum Ruyſchium, inqvit Juſtus Schraderus *Obſ. anat. Dec. I. Obſ. 8. p. 197.* In Inteſtino rectô Valvulas ſemilunares ſæpe adeſſe obſervavit Morgagnus, qvas & delineavit, qvæ ſphincteris muneri ſuccurrere poſſunt. In eodem etiam rectô ductus ſæpe vidit ſtylum tenuem admittentes & in Veſiculas deſinentes, ex qvibus liqvorem exprimi poſſe docet Laurentius Heiſterus *de Increm. anat. p. 142.*

§. 51.

Inteſtinorum Uſus. Circa hactenus conſideratorum Inteſtinorum uſum ex Capite ſextô eſt repetendum, ipſis nonnullos Autores Chylificationem adſcribere, ita ut alimenta in Ventriculô tantùm diſſolvantur, in Inteſtinis autem, imprimis tenuibus, verus Chylus elaboretur. Alii verò Chylificationem in Ventriculô inchoari,

choari, in Inteſtinis autem perfici ſtatuunt; hinc dicit Daniel Sennertus *Inſtitut. med. Lib. 1. cap. 9. p. m. 58.* Generatus Chylus per inferius orificium ſeu Pylorum emittitur, qvi ab Inteſtinis primò accipitur, & â vi concoctrice ipſorum, qvam ob communitatem cum Ventriculô obtinent, nonnihil adhuc elaboratur & perficitur: & ita in Inteſtinis prima coctio, qvæ in ore incipiebat, terminatur & abſolvitur. Sic Johannes Conradus Peyerus *Merycolog. ſive de Ruminat. lib. 2. cap. 1. p. 86.* inqvit: Ventriculus & Inteſtina Chylum præparant atqve perficiunt; & *p. 88.* certum eſt, Chylum in Inteſtinis demum perfici. Item *p. 90. & 91.* pergit: Antiqvitus Chyli officina ſtatuebatur Ventriculus, qvô non contenti novatores Inteſtina in muneris ſocietatem pertraxerunt, optimè perſvaſi, Chylum non poſſe meritò perfectum dici, anteqvam ſit a fecibus & alvi purgamentô liberatus, cui ſententiæ album Calculum in exercitatione de Glandulis Inteſtinorum (*vid. Part. poſter. cap. 1. p. 28.*) adjeci, ratus, Chylum reapſe perfici, dum per Inteſtina tranſit in Venas meſaraicas aut lacteas, purus & ſeparatus à qvisqviliis, qvibus antea confuſus erat & contaminatus &c. Et ſecundum verba Caſparis Bartholini *Specim. Hiſtor. anat. cap. 2. p. 31.* certum eſt, alimentorum Maſſam, qvæ jam â Ventriculi fermentô ſubacta eſt, aliqvam â bilis & ſucci pancreatici affuſione in Inteſtinis pati mutationem, ita ut pars generoſior & ſangvini alendo apta abeat in Chylum, qvi per vaſa lactea diſtribuitur. Id confirmat etiam Johannes Bohnius *Circul. anat. phyſiol. Progymn. 10. p. 151. ſq.* Nolit, inqviens, ſibi qvis perſvadere, ſolum Ventriculum Chylificationi vacare, prout â plerisqve hactenus factum, ſed Chylificationem in Ventriculô inchoatam in Inteſtinis continuari atqve abſolvi, qvatenus ratione non minùs ſubſtantiæ ſolidæ, ſeu tunicarum, qvàm fluidæ ſeu lymphæ affluentis, hæc Ventriculus revera continuatus exiſtunt. Sic Philippus Nenterus *Phyſiol. med. Cap. 4. p. m. 219.* Chylificationem

an Chylificent?

totam in Ventriculô non abſolvi, ſed in Inteſtinis per varios humores affluentes ulterius perfici ſcribit. vid. etiam Petr. Linſing *Inſtit. med. p. 76.* Joh. Gothofr. Berger. *Phyſiolog. med. cap. 7. p. 133.* Item Autor qvidam Gallicus inqvit: Ces deux liqveurs, la Bile & le ſuc pancreatiqve ne ſont pas des Excremens, comme on le pretend d'ordinaire, mais plûtoſt des diſſolvans, abſolument neceſſaires pour épurer & perfectionner le Chyle, qvi n'eſt qv'ebauché dans la bouche & dans l'eſtomac. *vid. le Journ. des Sçavans Memoires p. 219.* Imprimis autem Inteſtino duodeno hanc Chyli elaborationem adſcribit Michael Alberti *Introduct. in Univerſ. medic. Theor. cap. 7. p. 80. ſq.* inqviens: Inteſtinum duodenum craſſitie ſuâ proximè connexa Inteſtina ſuperat, qvia adhuc paſtam & maſſam alimentorum nondum ſufficienter concoctorum plurimum continet. In hoc Inteſtinum in hominibus unô oſtiô & ductus Cholydochus & Pancreaticus ingrediuntur; duplicatô verò oſtiô in brutis. Per hos ductûs affluit intra hoc Inteſtinum Bilis & ſuccus Pancreaticus. Mediantibus hiſce humoribus ſecunda & ultima Concoctio ſive Digeſtio ciborum per modum intimioris fermentationis abſolvitur. Inteſtinis tenuibus Laurentius Heiſterus *Compend. Anat. §. 211. p. 62.* pariter hunc uſum adſcribit, ut Chyli elaborationem promoveant, ſecretiones ejus perficiant, fæcesqve ad craſſa propellant.

§. 52.

Autoris dubium.

Utrum verò per tantillum temporis ſpatium, qvantillum ad Chymi, ſive Ciborum, in Ventriculô per contractionem & triturationem poſt longam moram digeſtorum, per Inteſtinum duodenum tranſitum reqviritur, nova Chylificatio ſive concoctio ſperanda ſit, dubius adhuc hæreo, niſi, juxta Johannis Conrad. Peyeri modò alleg. locum, per talem in duodeno peractam Chyli perfectionem, ſolam Chyli â fecibus ſecretionem & depurationem intellectam velis. Qvæ tamen differentia nullius

lius eſt momenti, unde etiam Elias Camerarius *Medicin conciliatric. cap. 4. p. 87.* eandem ſeqventibus Verbis conciliat: Diſputant nonnulli, an Chylus perficiatur in Ventriculô, an verò in Inteſtinis demum abſolvatur, verùm controverſia eſt minùs neceſſaria; Ventriculus enim & Inteſtina non conſideranda ſunt tanqvam res adeò diverſæ & contradiſtinctæ, licet is paulò amplior aliterqve conformatus ſit; concedendum omnino eſt in Inteſtinis adhuc ſub morâ illâ & affluxu ſuccorum ex Hepate & Pancreate, qvandam Chylo ulteriorem, ſi ita vocare velis, perfectionem accedere: qvam etiam ita potes concipere, qvòd Chyli purior meliorqve portio ſic ſeparetur, & qvaſi præcipitetur, qvò multum confert bilis ſubtili ſuâ acrimoniâ, qvæ non modò hanc ſeparationem utilis ab inutili, ſeu præcipitationem chyliqve attenuationem, pro faciliori in vaſa lactea tranſitu, ſed & protruſionem fecum exhauſtarum ſtimulô ſuô promovebit &c.

§. 53.

Utraqve horum tam tenuium, qvam craſſorum Inteſtinorum actio, qvarum illa, uti dictum, in Chyli purificatione atqve ad vaſa lactea ſeu chylifera derivatione inſuperqve fecum ad craſſa Inteſtina propulſione, hæc autem in Scybalorum collectione demumqve ſuô tempore expulſione conſiſtit, minimè præcipitanter, ſed ſucceſſivè, & qvidem mediante peculiari qvodam motu vermiculari ſeu teſtudineô, Anatomicis Periſtalticô dictô, fieri ſolet; cui ſcopo etiam Valvulæ, Theodoro Kerckringio *Specileg. anat. Obſ. 39. p. 85.* conniventes dictæ, plurimum conferunt, qvippe qvæ, in Inteſtinô Colô ita ſunt conſtructæ, ut impediant, ne feces jam protruſæ iterum in priorem locum prolabantur. Imprimis autem huc pertinent certæ Inteſtini Coli cellulæ copioſiſſimæ, qvæ materiis & fecibus, per podicem exituris, aliqvandiu retinendis inſerviunt, ne nimis freqventer alvi exonerandæ neceſſitas homini incumbat.

Motus periſtalticus.

§. 54.

§. 54.

Deſcriptio. Dictus autem Inteſtinorum Motus periſtalticus, qvi juxta Michael. Albert. *Introduct. in Univ. Medicin. cap. 7. §. 88. p. 81.* non alius eſt Motus, qvam ſecundum longitudinem & latitudinem conſtrictorius aut contractorius (à περιςέλλω, contraho, arcto) per momenta remittens & repetens, non modò in viviſectorum, ſed etiam in nuper defunctorum animalium tractu inteſtinali facillimè obſervabilis, ab ipſô Oeſophagô, ubi qvidem adhuc obſcurus eſt, jamjam incipit, atqve per Ventriculum (pro alimentis in illô concoctis per dextrum ipſius orificium propellendis) â ſuperiori ſive ſiniſtrô Orificiô ad fundum Ventriculi ſerpit, iterumqve â fundô ad Pylorum & Inteſtina totumqve eorundem Canalem, pro variô ſcopô, tam ratione Chyli, qvam Excrementorum, continuatur, â carneâ imprimis Ventriculi & Inteſtinorum tunicâ dependens, cujus fibrarum continuatâ, & alternis vicibus, inſtar reptantis Vermis, factâ contractione perficitur.

§. 55.

Formalitas. De hujus Motûs periſtaltici formalitate varii Autores differentes fovent opiniones, qvorum tamen verba hoc loco non recenſebimus, Benevolum Lectorem potius ad ipſorum ſcripta remittendo. Evolvi autem de hac materiâ poteſt Johann. Bohn. *Circul. anatom. phyſiol. Progymn. XI. p. 161. ſeq.* Dan. Tauvry *Anatom. Part. I. cap. 2. p. 40.* Joh. Viridet. *de prim. Coction. Part. 2. cap. 1. p. 234. ſeq.* Philipp. Verheyen *Anatom. Tr. 2. cap. 10. p. m. 86.* Diſſertatiunculam de mechanicâ ratione periſtaltici Inteſtinorum Motûs, â Gvilelmô Cole in latinam lingvam verſam, ipſius Tractatui de Febribus intermittentibus annexam reperies. Nicol. Blegny *Zodiac. Med. Gallic. An. II. Menſ. Jun. Obſ. 5. p. 125.* Joh. de Muralt. *Clav. Medicin. Exercit. p. 351.* Raymund Vieuſſens *de Mixti Princip. & Ferment. cap. 148. ſeq.* Thom. Cornel. Conſent. *Progymn. phyſic. 6. p. 234.* Joh. Bapt. du Hamel *Reg. Scientiar.*

entiar. Academ. Hiſtor. Lib. 1. p. 148. Motum hunc periſtalticum a Corde provenire credit Dominicus deMarchett. *Anatom. cap. 3. p. m. 31.* vid. inſuper Act. Erudit. Lipſienſ. *An. 1699. Menſ. Mart. p. 113. ſeq.* Joh. Brœn. *de duplic. Bile Veter. cap. 13. p. 195. ſeq.* Nicol. Tulp. *Obſerv. med. Lib. 2. cap. 41. p. 168.* De hoc Inteſtinorum Motu periſtalticô & antiperiſtalticô ita ſcribit Petrus Dionis, *Anat. p. 157.* motus periſtalticus per fibrarum circularium & rectarum ſupernè deorſum contractionem perficitur, ut vice verſâ motus eorum antiperiſtalticus per earum contractionem infernè ſurſum contingit. Sæpius obſervavi in vivis animalibus, qvæ aperui, ut in iis Chyli diſtributionem ſpecularer, contractionem, qvæ contingit in motu periſtalticô non eſſe omnium Inteſtini partium ſimul ac ſemel, ſed aliarum poſt alias ſucceſſivè. Motus iſte ſupernè deorſum ſemper procedit, tum ad Chyli per lacteas venas diſtributionem, tum ut craſſiores materias foras protrudat. In motibus vice verſâ, qvi infernè ſurſum fiunt, materiæ ſurſum remeant, & per os egrediuntur, cum deberent uſitatum ſuum curſum ſeqvi. Et juxta verba Autoris Gallici de Louis Belleſontaine *dans la Medicine dogmat. mechaniqve Exercit. 18. p. m. 77.* le mouvement periſtaltiqve eſt celui, par leqvel le Ventricule & les Inteſtins, de puis l' entrée de l' Oeſophage jusqv' à l' anus, ſans ceſſe & ſucceſſivement ſe retirent & ſ' etreciſſent, comme en rampant, en maniere de Ver tout autour de leur propre Subſtance. Ce mouvement eſt fait par les fibres longitudinales & annulaires de la ſeconde tuniqve de ces parties, agiſſant ſucceſſivement les unes prez les autres; car étant remplies d' eſprits animaux, elles ſ' enflent & ſ' acroiſſent de la même maniere, qve nous voyons ramper les ſerpens: & cela inceſſamment, tout ainſi qve la cauſe du flux des Eſprits animaux du cerveaux vers l' eſtomac & les Inteſtins perſiſte toûjours. Je croy, qve la bile jaune irrite continuellement les fibres

Ffff nerveuſes

nerveuſes par ſon acrimonie, & cauſe ce flux d'eſprits: ce qvi fait, qve ce mouvement ne depend en rien de nôtre volonté. L'uſage du mouvement periſtaltiqve dans l'Oeſophage eſt, qve les aliments ſoient conduits dans le Ventricule, en celui ci pour l'etrecir & diminuer ſa capacité, & dans les inteſtins l'entrée du Chyle dans les veines lactées, & pouſſer les féces vers les gros inteſtins. Et Johannes Gvilielmus Pauli *Annot. in Joh. van Horne Microcoſm.* §. 22. *p.* 52. inqvit: Motus Inteſtinorum periſtalticus, qvô Chylus nunc ab unô Inteſtinô ad alterum diſtribuitur, nunc ab oſculis venarum lactearum exceptus glandulas Meſenterii verſus propellitur, nunc lympha etiam glandularum internarum exprimitur, fæcesqve demum è Corpore eliminantur, â carneis potiſſimum circularibus ſive ſpiralibus peragitur fibris.

§. 56.

Motus inverſus. Præter Motum Inteſtinorum periſtalticum Paragraphô hoc eqvidem etiam Motûs ipſorum antiperiſtaltici ſeu præternaturaliter inverſi meminimus, qvô Excrementa per anum extrudenda ab inferioribus Inteſtinis ad ſuperiora & ex his ad Ventriculum & Oeſophagum protruduntur, tandemqve per Os expelluntur, de qvô paulò infrà pluribus agendum reſtat; ejusmodi tamen motum inverſum Inteſtinis, tenuioribus in ſtatu etiam naturali adſcribit Johannes Conradus Peyerus *Exercitat. de Glandul. Inteſtinal. Part. poſter. cap. 4. p. m. 42. ſq.* *an in ſtatu naturali?* Silentio, inqviens, non prætereundum, qvod de Motu Inteſtinorum probabiliter concipio; nempe mihi videntur Contractiones fibrarum periſtalticæ, non tantùm a parte ſuperiore verſus inferiorem conſtanti ſerie progredi; ſed in ſtatu qvòqve naturali (qvoad Inteſtina ſaltem tenuia) motu reciprocô, nunc ſurſùm, nunc deorſùm, blandè ferri; idqve eum in finem, ut tùm liqvores fermentativi agitatione hac Ciborum colliqvamento penitiùs immiſceantur, tum ut Chyli in Vaſa lactea διάδοσις ex-

pditiùs

peditiùs ſuccedat. Huncqve de Motu Inteſtinorum conceptum mihi probabilis ratio ac deinceps ocularis ſuggeſſit inſpectio. Etenim ut ciborum liqvamen è Ventriculô tenuibus Inteſtinis infuſum Chyli Naturam induat, morâ aliqvâ ſive manſione unius alteriusqve horæ opus eſt. Moram vero hanc planè qvietam eſſe neqve Chyli genius, qvi torpendo mox vitium contrahit, neqve Inteſtinorum fert patientia. Proinde neceſſe eſt, fibrarum carnearum corrugationes ultrò citroqve fieri, ut una eademqve pars Maſſæ modò deorſum, modò ſurſum conjiciatur &c. Hanc eqvidem Peyeri ſententiam Theodulus Kemperus, vel potiùs Johannes Erneſtus Richelmannus, Diſſertatione peculiari de Valvularum Structura & Uſu *cap. 2. §. 4.* rejicere voluit, & qvidem ſeqventibus verbis: Valvularum conniventium in Jejunô & Ileô uſus eſt, ut remorentur alimenta, ne citò nimis præterlabantur, ſed ut intra duas ubiqve illarum contignationes, tanqvam Ventriculum ſingularem, ulterius ſolvantur, digerantur (qvare & hic maxima Glandularum copia adeſt) & ut Chylus in Vaſa lactea eò commodiùs exprimatur. Harumqve intuitu non opus eſt, ut cum Peyero heîc motum periſtalticum naturæ ſtatutô ſurſum qvoqve ferri ſtatuamus; qvippe αὐτοψία etiam refragatur. Ipſe tamen Peyerus hujus Richelmanni rationibus contradicens ſententiam ſuam ampliùs defendit *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 100. p. 197. ſq.*

§. 57.

Naturalis autem motus Inteſtinorum periſtalticus non modò in viviſectis & paulò antè occiſis animalibus, obſervatur, uti ſupra dixi, ſed etiam in hominibus tum defunctis, tum vividis adhuc, vulneratis tamen ita, ut propendeant Inteſtina aliqvando annotatur. Refert enim Dominus Mery *Hiſtor. Acad. Reg. Scient. Pariſ. An. 1699. p. 70.* ſe fœminam ſecâſſe difficili partu enectam, cui cùm operationem cæſaream adhibuiſſet, animadvertit Inteſtina motu periſtalticô & vermiculari adhucdum

Motus poſt mortem obſervabilis.

 moveri

moveri ſatis ſenſibiliter, licet Cor jam & Pulmones omnimodè immoti jacerent. In Mendicô qvodam, majori Catapultæ glande circa ſiniſtrum renem trajectô, cui Inteſtini Coli pars ſemipalmô longior ex Ventre propendebat, Franciſcus Bouchardus motum iſtius inteſtini periſtalticum multoties obſervavit, adeò ut palmi longitudine modò protendi, deinde verò craſſiorem in truncum cogi, fecibus nimirum excretis, videretur, nulla tamen ex parte introrſum reconderetur. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 8. p. m. 13.* In Lanionis cujusdam Uxore, qvatuor filiorum Matre, poſt violentam fœtus mortui & Secundinarum per Umbilici abſceſſum fruſtillatim factam extractionem Inteſtina ſimul rupta per eundem propendebant; & poſtqvam dictus abſceſſus poſt paucas ſeptimanas Naturæ beneficiô ſanatus & cum Inteſtinis propendentibus conſolidatus eſſet, obſervavit in hac fœminâ Johannes Menradus Vorwaltnerus magnam Ilei portionem, ac qvaſi truncum per umbilicum prodeuntem, in duos ramos diviſum, qvorum unus ad partem dextram reclinans, farciminis inſtar infarctus longitudine decem, craſſitie qvatuor digitos transverſos facilè ſuperabat, nulla tamen excrementa emittens; alter tenuior qvidem, ſed inæqvalis magnitudinis, Vermis inſtar modò contractus, modò ad qvartam partem Ulnæ Bavaricæ exporrectus, continuò liqvida & flava alvi fœdi exſpuebat, ita ut curioſum valde eſſet intueri motum Inteſtinorum periſtalticum, tam conſpicuum & manifeſtum &c. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 106. p. 222. ſeq.* Motum hunc periſtalticum in Inteſtinô Ileô diſciſſô & extra abdomen propendente annotavit etiam Johannes Adamus Gœritzius *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. 7. Ob. 16. p. 42. ſeq.* cui miſera qvædam fœmina Ratisbonæ eleemoſynam petens hanc hiſtoriam retulit: ſe ante tria luſtra gravidam diu geſtâſſe fœtum mortuum, tandem ad latus umbilici dextrum abdomine ruptô in conſpectum veniſſe embryonis pedes, qvibus extractis ab Obſtetrice

in vulneratis.

ſtetrice

ſtetrice imperitâ putridis, reliqvum corpus remanſiſſe, & fruſtillatim demum intra decem hebdomades extractum fuiſſe, ſub fœtore intolerabili. Prodiiſſe tunc temporis ſimul Inteſtinum qvoddam, hoc obſtetricem, cùm haberet pro ſecundinis, per medium diſſecuiſſe, cujus partem breviorem retractam fuiſſe intra abdomen, longiorem verò adhuc extra abdomen conſpiciendam eſſe, per qvam his qvindecim annis naturam ſe purgaſſe, & nil amplius per Inteſtinum rectum excreviſſe. Re altius expenſâ, cum multa viderentur paradoxa, ut oſtenderet mihi, pergit Gœritzius, hoc Inteſtinum petii, qvod liberè fecit. Fateor horrui primô adſpectu motum periſtalticum hujus inteſtini, & ſordes fœtidæ nauſeam mihi creârunt; hinc illam alterô die magis mundam redire juſſi. Qvo factô, corpore detectô, Inteſtinum hoc ſummâ cum admiratione perluſtravi, qvod inſtar vermis ſe movens excrementa evomebat, qvâ occaſione & glandulas Inteſtini & motum periſtalticum obſervare licuit. &c.

§. 58.

Hunc motum Inteſtinorum periſtalticum, nonnulli Franciſcum de le Boe Sylvium primum annotâſſe ſtatuunt, qvi etiam hinc inde, imprimis *Prax. Lib. 1. cap. 11. §. 9. ſeqq. pag. Edit. Amſtel. 172. ſeq.* ejusdem meminit; alii vero v. g. Johannes Viridetus *de prim. Coct. Part. 2. cap. 1. p. 234.* Galenum jamjam *de Natural. Facultat. Lib. 3. cap. 7.* eundem deſcripſiſſe, ipſiqve alium uſum aſſignâſſe, defendunt; hunc etiam in pediculô oculis armatis obſervari notat Nicolaus Hartſœcker *Continuat. Conject. phyſic. vid. Act. Eruditor. Lipſienſ. An. 1709. Menſ. Febr. p. 84.* *Inventor.*

§. 59.

Hoc proinde modô periſtalticô in Inteſtinis tenuibus â fecibus depuratus atqve ſecretus chylus per certa vaſa ſubtilia, chylifera ſeu lactea, vulgò etiam venæ lacteæ, dicta, atqve perexiguis oſtiolis in tenuium Inteſtinorum tunicas & cavita- *Uſus.*

 tem

tem hiantia, ad Meſenterium in eoqve latentem magnam glandulam, Pancreas Aſellii appellatam, atqve dehinc ad Receptaculum lumbare, â Johanne Pecqvetô inventum (qvod ad Meſenterii radicem & ſupra Lumborum Vertebras ſitum eſt, totamqve muſculorum Pſoas intercapedinem complet) ſub lactis colore vehitur atqve deponitur; Ex qvô Oceanô ſeu Receptaculo communi, per certum ductum ibidem emergentem, atqve per ipſum Thoracem in ſiniſtrô latere interiùs prope ſpinam rectô ferè tramite aſcendentem, atqve ſubclaviis venæ cavæ ramis implantatum, Ductûs thoracici nomine Anatomicis venientem, prope jugulares externas in dictorum ramorum rivulos ſeſe promptè exonerat, atqve maſſæ ſangvineæ infunditur.

§. 60.

Chyli color albus. Chylum in venis lacteis, uti modò diximus, albeſcere, confirmant etiam alii Autores. Inqvit enim Johannes Viridetus *de prim. Coction. Part. 2. cap. 5. p. 282.* Chylus in venis lacteis ſemper albeſcit & candicat, qvod non accidit in Ventriculô, ubi ingeſtorum colorem æmulatur; nam in qvibusdam avibus, ut ſturnis, ſuccum illum nigrum, ob fructum ejusdem coloris abſorptum, conſpexi; In brutis, herbis aut foliis veſcentibus, viridis eſt. In hominibus & canibus &c. albicantis & gryſei eſt Coloris, ob ingeſta ad hunc colorem accedentia. Verum eſt, qvòd in his Color magis albeſcat, ſed in venis lacteis intenſè candicat, qvod in illis particulæ homogeneæ heterogeneis non permiſceantur, ideoqve & liqvor majorem albedinem & nitorem ſplendentiorem poſſidet. &c. Ad qvæſtionem: cur chylus in Ventriculô ſit cineritius, in lacteis autem albus? ita reſpondet Daniel Tauvry *Anatom. cap. 3. p. 52. ſeq.* colorem cineritium ordinariè produci â ſulphuribus impuris, cum multis particulis ſalinis permixtis, unde fit, ut lumen paulò minùs ibi reflectatur, qvàm in albô aliàs contingit: atqve fermentô ventriculi copioſis particulis ſalinis imprægnatô exiſtente, alimentis

tis verô ſulphuribus impuris ſcatentibus, mixturam cineritiam produci debere, credo. Qvoniam verò in venas lacteas non niſi pars ſubtilior & puriſſima pervenit, lumen minùs abſorbetur, illeqve liqvor illud integrum reflectit. &c. Qvòd omnis generis alimenta, imò ipſum vinum rubellum in chylum album mutentur, ex eô fit, qvod oleoſa, qvalia qvotidie aſſumimus, cum aqvoſis miſta, dent liqvorem lacteum, qvale qvid videmus in Emulſionibus & aliis Medicamentis oleoſis & aqvoſis, ſimul mixtis & conqvaſſando unitis, juxta explicationem Erneſti Heinſii, *de Purgant. validior. Abuſ. in Febrib. p. 13.* Ad Qvæſtionem: cur Chylus albicantem referat colorem? reſpondet Theodorus Craan *Oeconom. animal. Part. I. Qv. 24. p. 18.* hoc non fieri per nugatoriam qvandam facultatem aſſimilatricem, qvalem vulgares Medici excogitârunt; ſed hoc fit actione mechanieâ. In Pharmacopoliis videmus, pingvia oleoſa cum aqvoſis mixta exhibere lacteſcentem colorem; ſic & in noſtrô Ventriculô alimentorum eſſentia extracta nobis repræſentat oleum, ſeu pingve aliqvod, & potus, aqvam; (noſter potus fere aqva eſt) Qvid mirum ergo eſt, ex harum confuſione lacteſcentem oriri colorem, id eſt, chylum fieri album. Et qvemadmodum in confuſione olei & aqvæ paululum Sacchari, qvæ ſpecies ſalis eſt, reqviritur, ut faciliùs miſceantur, ita & in alimentis noſtris multum adeſt ſalis. Et ſecundum Isbrand. de Diemerbroc *Anatom. Lib. 1. cap. 7. fol. m. 24.* Color Chyli lacteus ſeu ſubalbicans eſt, propter particulas ſulphureas, unà cum ſalſis diſſolutas & fermentô acidô Ventriculi permiſtas, Nam qvilibet liqvor ſulphure & ſale volatili aut ſale optimè diſſolûto impr
ægnatus, illicò lacteſcit, ſi humor aliqvis acidus affundatur. Exemplo ſunt præparationes lactis ſulphuris & Extractorum vegetabilium reſinarum; item Spiritus Cornu Cervi, aut fuliginis, qvi liqvori acido aut aqvæ ſimplici confuſus illicò lacteſcit.

§. 61.

§. 61.

Non ſemper. Qvandoqve tamen Chylum non modò in Ventriculô, verùm etiam in venis lacteis non candidum, ſed alterius Coloris repertum legimus; ſcribit enim Gothofredus Mœbius *Phyſiolog. cap. 10. p. 193.* lacteæ venæ ex omnibus Inteſtinis, maximopere tamen ex ſuperioribus, chylum purum eumqve albisſimum, relictis ſcybalis, exſugunt. Admiranda eſt Natura, qvòd ceu prudentiâ qvadam prædita è maſſâ miſtâ ſolum albeſcentem, eumqve bonum ſuccum per lacteas eligat, ſcoriis & *â Crocô tinctus* vaporibus fœtidis contemptim habitis. An tamen omnis Chylus è qvovis cibô confectus albus ſit, hæſitare nos jubet Crocus, Rhabarbarum aliaqve Urinam manifeſte tingentia. Vinum *ruber* de Alecante rubrum educit ſudorem, ſuccus, qvi ex Opopuncia ſeu ficus Indicæ fructu exprimitur, purpureas ciet urinas, teſte Pecqveto. Qvi autem Color vel in Urinâ, vel in ſudore, is antea qvoqve in Chylo affuerit, neceſſe eſt. Ita qvoqve ſi carnes cum embammate nigrô è ſangvine brutorum, (ut anſeris, leporis, &c.) & ſuccis fructuum nigricantibus parata aſſumimus, perfectè album ex iis Chylum confici vix credibile. Præter Mœbium dubitat etiam Gerardus Blaſius *Comment. in Joh. Vesling. Syntagm. anat. cap. 3. p. 33.* inqviens: Chylum ſemper candidum eſſe, minimè verum eſt, qvin ex rubris aſſumptis rubrum, ex viridibus viridem &c. obſervavit primus oculatiſſimus Anatomicus Johannes Walæus, & comprobant qvotidianæ Corporum diſſectiones. Valentinus Andreas Mœllenbroccius *de Varis cap. 3. p. m. 39.* inqvit, qvòd propriè ſic dictus & ab excrementis ſeparatus Chylus â Rhabarbarô vel Crocô croceum acqvirat colorem, Urina oſtendit. Qvalem enim Urina colorem habet, is qvoqve in Chylô antea adfuerit, neceſſe eſt. Refert etiam Johannes Viridetus *l. a.* in Canis diſſectione, vitellum Ovi antea abſorptum ſuô genuinô colore in venis lacteis, qvæ tunc flaveſcebant, unâ vice ſibi viſum fuiſſe,

fuiſſe, hac experientiâ poſtea incaſſum pluries tentatâ. Huc pertinet etiam Obſervatio Joachimi Georgii Elsneri de Albedine Chyli rubedinem tegente, ſive qvòd in Chylô ſangvinea vel potiùs rubicunda lateat tinctura; qvam *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 61. p. 159.* communicat, hoc, inqviens, Experimentum caſu oculis meis ante aliqvot annos, dum Pariſiis viverem, ſeſe obtulit: dum occupatus eſſem cum Carolô Reygerô circa Experimenta nonnulla anatomica in diſſectô cane vivô, cujus abdomine apertô, cùm Vaſa lactea ſuccô chyliferô turgida egregiè apparerent, ligaturâ illis injectâ motum Chyli ad ductum thoracicum impedire tentavi, ut poſtea illa amico tunc abſenti commodè poſſem demonſtrare; in qvibus ita ligatis poſt aliqvot horas cum amicis inveni liqvorem rubicundisſimum, ſangvinis inſtar locô Chyli, manifeſtô indiciô, hunc colorem antea intus latitâſſe. Qvod Experimentum, pergit idem Elsnerus, poſtea ſæpius reiteravi, raro tamen obſervavi Chylum ita retentum inclinâſſe tractu temporis ad rubedinem, interdum tamen rutilantem vidi. Cujus cauſam fuiſſe opinor, qvod Chylus iſte magis rubedine ſaturatus fuerit â reliqvis. Aliàs non dubius animô ſum, in qvolibet Chylô rubedinem iſtam latere, qvæ forſan ex admixtione alicujus ſalis in corpore latentis ſe prodit. Exemplo nobis ſit transmutatio Coloris, qvam ex ſulphure poſſumus habere communi, qùæ â nullô aliô dependet principiô, qvàm ex commixtione diverſorum ſalium. Nam extracta iſtius cum ſale Tartari Tinctura, uti rubicundiſſima, ſic præcipitatione cum acetô deſtillatô abit in pulverem albicantem, qvi Lac Sulphuris â Colore vocatur. Qvi pulvis ſi de novô ſolvitur in aqvâ admixtô ſale alkali cujusdam plantæ, videbis rubedinem Sulphuris modò latitâſſe, priſtinum enim acqvirit colorem.

§. 62.

Plura eqvidem de ipſô Chylô ejusqve motu ſeu Circulô & *De Chylo ejusqve motu.*

vaſis juxta Veterum & recentiorum Autorum opinionem differentibus, item de Pancreate Aſellii ſeu Receptaculô Chyli & lymphæ & inde aſcendente ductu thoracicô, item de Meſenteriô, dicenda reſtarent, qvæ tamen ob evitandam prolixitatem prætereundo B. Lectorem ad hos & alios Autores remittimus; videri autem poſſent Joh. Bohn. *Circul. Anat. Phyſiol. Progymn. XII pag. 164. ſeqq.* Eman. Kœnig *Regnum animal. Sect. I. cap. 4. pag. 11. 12.* Joh. van Horne *Microc. p. 44. 45.* it. Joh. Gvilielm. Pauli *Annotat. in eund. loc. p. 50. ſeq.* Et *p. 273.* reperitur Joh. van Horne Diſſert. de novo Ductu Chylifero. Georg. Franc. de Francken. *Bon. nov. anatom. §. 22. ſeq. in Satyr. medic. p. 618. 620.* Joh. Conr. Barchuſ. *Acroamat. Diſſert. 22. p. 248. ſeq.* Thom. Bartholin. *de Lacteis thoracic. a. p. 1. ſeqq.* Joh. Pecqveti *Experimenta nova de Chyli Receptaculo & Vaſis lacteis.* Sibold. Hemſterh. *Meſſ. aur. p. 1. ſeqq. 254 ſeqq.* Laurent. Heiſter. *Compend. Anat. §. 212. ſeq. p. 63. ſeq.* Joh. de Muralt. *Vademec. ſeu Experiment. Exercit. I. pag. 6 ſeqq. 20. 47.* Thom. Wharton. *Adenograph. cap. 7. & 8. pag. 23. ſeq. 33. ſeq.* Isbr. de Diemerbr. *Anat. Lib. I. cap 11. ſqq. fol. 47. ſeq.* Dilucidationem Valvularum in Vaſis lymphaticis & lacteis edidit Fridericus Ruyſch. De Chyli motu Epiſtolam ad Johannem Caſparum Fauſium ſub titulo: Examen Anatones Anatomiæ Billſianæ perſcripſit Antonius Deuſingius. vid. inſuper Anton. Nuck. *Adenograph. curioſ. cap. 2. p. 31. ſeq. 146. ſeq.* Jacob. de Back *Diſſert. de Cort. Sect. 2. cap. 3. ſeq. p. 98. 114. 124.* Franc. de le Boy Sylv. *Diſp. 8. §. 12. p. 36.* Joh. Fridr. Ortlob. *Hiſt. Part. Diſſ. 8. §. 1. ſeq. p 57.* Gvalth. Charleton. *Oeconom. Exercit. 3. de Galaxia ſive Itinere Chyli p. 22. ſeq.* Ductum chyliferum in thorace diviſum non ſemel ſe reperiſſe ſcribit Gerardus Blaſius *Obſ. anat. p. 121.* Recptacula duo duosqve ductus thoracicos prope exortum ſeparatos, in progreſſu verò conjunctos in Cadavere humanô Lugduni obſervavit Johannes de Muralto *l. a. p. 9.* Interdum duo rami tumidiuſculi ex Receptaculô adſcendunt,

qvos

qvos tamen in mediô ſub arteriâ magnâ ita unitos, ut ſuperiore parte tantùm unus foret ductus, ſe vidiſſe ſcribit Isbrandus de Diemerbr. *l. a. cap. 12. f. 50.* ubi addit, in humanô Corpore interdum, licet rarò, duo vel tria inveniri Chyli receptacula, atqve tunc ex ſingulis ſingulos exſurgere ductùs, qui in progreſſu uniti tandem unô ductu ad ſubclaviam ſiniſtram vadant. Johannes Pecqvetus edidit Experimenta Anatomica nova, qvibus incognitum hactenus Chyli receptaculum & ab eô per thoracem in ramos usqve ſubclavios vaſa lactea deteguntur, item de Chyli meatu Eduard Petrus Wium Hafniæ 1717. publicavit Diſſertationem de viâ alimentorum & Chyli, in qvâ novam & mirabilem Ductùs thoracici ex homine delineationem ſiſtit. vid. Laurent. Heiſter. *de Increment. Anatom. p. 110.* Refert etiam Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. med. Cent. I. Obſ. 30. p. 31. ſeq.* in ſuâ & totius Facultatis medicæ Monspeſſulanæ præſentiâ Johannem Pecqvetum hoc receptaculum demonſtrâſſe. Canalem autem Pecqveti antea Thomæ Bartholino ab Anglô qvodam communicatum haud improbabiliter Gliſſonium aſſeruiſſe, refert Gvilelmus Cockburn. *Oecon. animal. p. m. 25. ſeq.* Chyli receptaculum non Pecqvetum, ſed ante ipſum jam Jacobum Mentelium Pariſienſem inveniſſe, docet Georg. Francus *l. a. p. 619. & p. ſeq.* ductum thoracicum â Pecqvetô & Johanne van Horne eodem tempore inventum jam ante centum annos ante hos Autores a Bartholomæo Euſtachio obſervatum & evulgatum fuiſſe monſtrat. De ductu thoracicô Joh. van Horne *Oper. præfat. p. 17. Oper. p. 273.* Chylum per venas meſaraicas ad maſſam ſangvineam ferri, v. Godofr. Klaunig. *Noſocom. Hiſtor. 8. p. 4.* vid. etiam Hermann. Bœrhav. *Inſtitut. med. p. 28. ſeq. 32. ſq.* Thom. Bartholin. *Spicileg. de Vaſis lymphat.* Joh. Walæi *Epiſtol. I. Oper. 221. 227.* Carol. Drelincurt. *Experim. Anat. p. 34. ſq. 47. 65. ſeq.* Caſp. Aſellius *de Lactibus ſive Vaſis lacteis.* Lactearum myriades â Pylorô ad extremum Ileum decurrentes, ſed numeroſiores â

duodenô & jejunô, pauciores autem ab Inteſtinô tenui, qvod Ileum eſt, ſcaturire in Moloſſô ſe obſervaſſe ſcribit Carolus Drelincurtius *Experiment. anat. Canicid. II. p. 35.* de Venis lacteis varios Autores allegat Georgius Francus *l. a. p. 615. ſq.* De novâ Perraltiorum, inſertione ductus thoracici *vid. Act. Erud. Lipſ. An. 1721. April. p. 147. ſeq.* Theodorus Craan. *Oeconom. animal. Brev. Delineat. p. 250.* de Itinere Chyli ita ſcribit: poſtqvam alimenta in fluidisſimum Chylum fuêre converſa, illa ſenſim per pylorum ſive dextrum Ventriculi orificium amandantur ad Inteſtina, in qvibus innumera hiant vaſcula lactea, qvæ chylum albicantem ob ſolam particularum cum oſculis convenientiam excipiunt, & ad ciſternam ſive Chyli receptaculum tranſportant. Et *pag. ſeq.* de continuatione Itineris Chyli ita pergit: Chylus ex Iteſtinis per Vaſa lactea defertur ad Pancreas Aſellii in centro Meſenterii ſitum, ex hoc porrò per vaſa lactea ſecundi generis defertur ad ciſternam ſive receptaculum Chyli commune, Pecqvetianum dictum, ab ejus inventore Johanne Pecqveto, Medico Gallô, qvi illud Anno 1651. detexit. Ex hac autem Cyſternâ, qvæ ſita eſt intra tendines Diaphragmatis ſupra vertebras à ductu thoracicô defertur ad venas ſubclavias ſiniſtras, ubi chylus cum ſangvine ex venâ axillari verſus cavam deſcendentem, ſicqve impellitur in dextram Cordis auriculam, & ex hac in ipſum thalamnum dextrum cordis diffunditur.

§. 63.

Pontifex per aniſtergium mortuus.

Ratione Inteſtinorum paucis adhuc referendum, Pontificem qvendam per podicem venenatum fuiſſe â papyrô, qvam illi tribuit Camerarius, ut poſt ſeceſſum ſe mundaret, uti ex Platina narrat Caſparus à Reyes *Camp. Elyſ. jucund. Qvæſt. 61. n. 30. p. 802.*

CAPUT

CAPUT IX.

De Excrementis alvinis eorumqve Excretionis Viis tum naturalibus, tum præternaturalibus.

§. 1.

POſt primum Inteſtinorum uſum, Chyli nimirum â fecibus admixtis ſecretionem, ejusqve in Vaſa Meſaraica ſeu lactea certosque ductûs ad ſangvinis usqve masſam propulſionem nunc etiam ad alterum eorundem uſum, fecum ſcilicet alvinarum, ſive ſtercoris humani, in inferioribus ſeu craſſis Inteſtinis collecti, per Inteſtinum rectum & Podicem dejectionem progredimur. Non immeritò autem ſtatim ſub initiô hujus Capitis cum Johanne Baptiſtâ van Helmont *Tr. Sextuplex digeſtio alimenti human.* §. *35. fol. m. 132.* dicendum mihi duco: Parcite teneriores aures, qvòd de ſtercoribus agere debeam. Poſt Chyli enim in Ventriculô & Inteſtinis abſolutam præparationem atqve ſecretionem reliqvæ ciborum vel aſſumptorum particulæ crasſiores ſuccesſivè ad Inteſtinum rectum protruſæ ibidem colliguntur, donec, apertô ejusdem Sphinctere, ope Diaphragmatis & Muſculorum abdominis, motûsqve inteſtinorum periſtaltici, Stercoris humani ſeu ſcybalorum nomine, extra corpus ejiciantur. *Stercoris Excretio.*

§. 2.

Variis autem Nominibus latinis Excrementa hæc alvina venire ſolent, aliis enim dicuntur Stercus, fæces alvi, onera alvi, impuritates alvinæ, egeſtiones & dejectiones (potiùs egeſta & dejecta) Homerda &c. v. Hieron Mercurial. *de Excrement. Lib. 2. cap. 2. p. m. 139.* Gerard. Blaſ. *Medicin. curator. p. m. 16.* *Nomina.*

 aliis

aliis excrementum alvinum, cibi incoctæ reliqviæ audit, qvod tamen, niſi â primariâ & maximâ parte denominationum deſumptum explicemus, nullatenus defendi poſſe, docet Albertus Kyperus *Anthropol. cap. 20. p. m. 513.* Stercus etiam materiam naturaliter alienam ex neceſſitate materiæ in corpore noſtrô provenientem appellat Irenæus Vehr *Diſput. de Anim. fœtid.* §. 22. Aliis, præſertim Theophraſto Paracelſo, audit ſulphur occidentale, vid. Dan. Becker. *Microcoſm. med. Lib. 1. cap. 10. p. m. 62.* qvod ideò non immeritò fieri dicit Michael Ettmüllerus *Oper. med. Tom. I. fol. m. 788.* qvòd juxta Glauberum in ſtercore humanô ſit ſulphur, ſulphuri communi minerali omninò ſimile. Porrò audit etiam Zibethum occidentale & Oletum humanum, vid. Moyſ. Charas *Pharmacop. chymic. Lib. 2. Part. 3. cap. p. m. 167.*

§. 3.

Meconium. Qvoad fœtûs recens nati Excrementa poſt partum Inteſtinis adhuc inhærentia demumqve poſt, qvandoqve etiam ante partum, provenientia, ob aliqvam cum Meconiô ſeu Papaveris ſuccô condenſatô (de cujus præparatione vid. Joh. Conrad. Barckhuſ. *Orat. de Nepenth. in Hiſtor. medicin. p. m. 622.*) Coloris & conſiſtentiæ ſimilitudinem pariter Meconium vocari ſolent. Eſt autem Meconium Infantum, juxta Martin. Liſter. *de Humorib. cap. 48. pag. m. 442.* velut qædam mellago inſpiſſata, fortè ex Salivâ degluditâ cum bilis vapore tantillùm colorata atqve ex morâ in ultimis Inteſtinis incraſſata. Johanni Sophronio â Kozack in Infante recens natô hoc eqvidem valdè mirabile videtur, qvomodo nempe cacare poſſit, cùm tamen nullum cibum ore deguſtârit; vel unde illa fæx alvi in Inteſtinis colligatur qvoniam ex ſtomachô nulla eò derivari poſſit; ſed hinc, omnibus etiam aliis rationibus abſentibus, probari, imò qvaſi ad oculum demonſtrari poſſe putat venarum meſaraicarum in corpore officium, qvòd nempe non deferendo

Chylo

Chylo in hepar, ſed excernendis fæcibus ex venis totius Corporis per hepar diſperſis vel in hepate qvaſi concentratis, deſtinatæ ſint. v. Joh. Sophr. Kozack *de Sale cap. 1. Sect. II. p. m. 28.* Cùm autem juxta recentiorum opinionem nutritio fœtûs in uterô maternô adhuc detenti, non tantùm per funiculum umbilicalem ſed etiam per Os fiat, facillimè Johanni Sophronio Kozack ad hæc reſponderi poterit. Ex hoc Meconiô etiam Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Part. poſter. Obſ. 32. Schol. pag. m. 340.* pro fœtûs in uterô maternô ſuctione ſeu alimenti per Os aſſumtione argumentum deſumit, non levis, inqviens, ponderis demonſtratio ex Hippocrate, qvæ de fæcibus, ſive Meconiô, qvod in infimis recens natorum reperitur Inteſtinis, deſumitur, petitur argumentis. Certum enim Chylificationis in Ventriculô peractæ ſignum eſt. Negare eqvidem nolim, pergit idem, ad productionem Meconii Inteſtinorum, multum, etiam aliôs humores, ſalivam, bilem ſuccumqve Pancreaticum, conferre; ab hujusmodi autem materiarum (& ſpectatim ſucci pancreatici) commixtione hancce provenire nigredinem, vix eſt ut credam: ſi enim hæc ab illô, aut â bile, in Inteſtina embryonum immiſſis, oriretur, multò magis in adultis animadverteretur, qvibus humorum ſecretio, propter majorem nutrimenti uſum, copioſior, nec non humores acriores ideoqve ad tingendum aptiores ſunt. Certum etiam eſſet, ſuccum Pancreaticum, ſi nigredinis Meconii cauſa eſſet, ex particulis acidis auſterisqve conſtare, qvales tamen in hôc embryonum non obſervatur ſuccô, ſaporis enim eſt expers; qvapropter libentiùs ego hujusmodi nigredinem â diutinâ Meconii in Inteſtinis morâ ortam crediderim. Illud enim in qvatuor aut qvinqve menſium embryonibus viridiuſculum, in trium verò menſium fœtibus flaveſcens repertum eſt. Verum qvidem eſſe poterit, embryonum Meconium pedetentim nigrum evadere ex eô, qvòd bilis intra veſiculam felleam

nigra

nigra vulgò conſpiciatur, qvia propter externæ liberæqve inſpirationis aëris defectum paucas in ſe particulas habet nitroſas, qvæ aliàs non tantùm bilem flavam, ſed & totam maſſam ſangvineam, qvæ nigrior in Embryonibus apparet, intenſè rubram reddere poteſt: ita ut bilis iſtius nigricantis embryonum parva qvantitas per vices in duodenum ejecta Chylo & fœcibus, qvæ poſtea ſeqveſtrantur, nigriuſculam Meconii producat tincturam. Econtra verò Mauritius van Reverhorſt *Diſſert. de Mot. Bilis circular.* §. *42. p. m. 34. ſeq.* Meconium maximam partem ex bile conſiſtere ſcribit: nemo, inqviens, negabit, Bilem maximam Meconii conſtituere partem; ſed qvis nobiscum etiam non videt, longè majorem Bilis qvantitatem ex fœtûs Hepate in Inteſtinum deferri, qvàm qvidem illud Meconium, in eodem Inteſtinô obvium. Concipiamus modò, ſingulis diebus tantùm Unciam dimidiam in Hepate ſecretam Inteſtinum verſus amandari, neceſſariò ſeqvetur, ſingulis menſibus Uncias qvindecim, & novem menſium ſpatiô libras undecim cum Unciis tribus Inteſtinum ſubingredi; cùm tamen Meconii dicti totus Inteſtinorum tractus vix libram unam aut alteram continere poſſit; hinc neceſſariò recurrendum ad circularem Bilis motum, in fœtu, æqve ac in adultis obvium; illâ tamen cum differentiâ, qvòd particulæ Bilis craſſiores in jam natis qvotidie ab alvô cum excrementis deponantur: in fœtu verò eædem terreſtres & craſſiuſculæ Meconium conſtituant &c. Utramqve hanc opinionem, tam ratione aſſumti liqvoris Membranarum fœtûs qvàm Bilis deſerit Michael Alberti, aliumqve Meconii ortum in ipſis inteſtinis qværit *Introduct. in Univerſ. Medicin. Phyſiolog. cap. 2.* §. *105. ſeq. p. m. 39.* Ambit, inqviens, fœtum in ſuis tunicis aqva mucilaginoſa, ſalina, turbida, qvâ embryo non per Os nutritur, qvia excrementitia eſt, qvæ ex ſuperficie corporis fœtûs ſucceſſivè transſudat. Neqve hoc alimentô indiget fœtus, cùm ſufficienter materia alimentoſa cum

ſangvine maternô advevatur, ex qvô interdum planè ſuperflua obſervatur: interim recrementitia materia in Inteſtinis fœtûs hærens, per ſucceſſivam internam ſecretionem, intra inteſtina factam, generatur, neqve ex hujus aqvæ ſuctione deducenda eſt.

§. 4.

Ab hôc Meconiô fœtûs Inteſtina replente partûs cauſam & horam derivat Carolus Drelincurtius *de Concept. Perioch. 60. p.m.153.* Idem defendit alius Autor Gofey *de Format. fœt.* inqviens: Veri partûs dolores â ſolâ matrice deducendi ſunt, ſiqvidem illa pars eſt membranoſa ac fibroſa, qvæ motibus ab infante productis facilè irritatur & agitatur, qvi nihil aliud ſunt, qvàm motûs ac dolores colici violenti magnam partem â Meconiô in Inteſtinis acidô & qvaſi putrefactô orti, qvi ſimiles motûs violentos in omnibus artubus, tam brachiis, qvàm pedibus excitant, qvibus membranæ fœtum involventes rumpuntur ac dilacerantur, unde aqvæ profluxus doloresqve lacerantes ac violenti in ipſô pariendi actu ſentiuntur &c. Ad qvæ tamen Daniel Hoffmannus *Annot. in Hypotheſ. Goveyan. p. 100.* ita reſpondet: Meconium diu ante partum adeſt, cur ergo non priùs ſtimulat ad calcitrandum aqvasqve propellendas & effundendas, nec illæ effunduntur fœtu ſæpe vehementer ob tormina vel ob ſpasmodicos motûs rotatô ac commotô, vagis commotionibus ac gyrationibus ipſis matribus valde moleſtis & dolorificis. *à Meconiô partus.*

§. 5.

Bene autem notandum Meconium ſtatim poſt partum, niſi robore naturæ ſufficienter evacuetur, ob varia metuenda ſymptomata, tormina, Convulſiones & Epilepſiam, expurgari debere; qvod confirmat etiam Carolus Raygerus *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 201. p. 296. ſq.* ita ſcribens: Cum Anno 1674. Viennæ eſſem, Mercatoris cujusdam filio la viginti qvatuor ſe- *à Meconio Epilepſia.*

 ptima-

ptimarum per aliqvot dies alvi profluvium bilioſum cum torminibus clamoribusqve die ac nocte paſſa, ſvaſu adſtantium fœminarum, licet ſatis debilis, purgata fuit: Circa veſperam poſt unam vel alteram operationem ad extremè debilitatam in conſilium vocor; vidi ſtatim fatalem inſtare terminum, & cum Epilepſiâ vitæ finem prædixi, id qvod & factum. Nam mediâ nocte ſupervenère convulſiones epilepticæ per tres horas durantes, & alterô die manè mors. Simili planè fatô ante annum ejusdem ætatis obiit ipſi filiolus. Hinc avidns ſciendi morbi cauſam Parens petiit, ut intereſſem apertioni corpuſculi; nihil autem in apertô cadavere invenimus, niſi inteſtina inflata, diſtenta, vacua & paucô excrementô bilioſô, liqvido, hinc inde fluctuante repleta. Ventriculus inflatus continebat materiæ pituitoſæ ſpumantis, & qvaſi adhuc fermentantis, qvantum binis cochlearibus excipi potuiſſet. In hanc materiam Pater & Chirurgus cauſam funeſtæ Epilepſiæ conjiciebant, qvos in ſententiâ reliqvi. Mihi vero veriſimilius viſum Infantem hunc & præcedentem, ut & pleroſqve omnes multô Meconiô bilioſô, qvod omnibus recens natis ſolenne, & â me ſtudioſè ſolet expurgari, abundâſſe, qvâ ſaburrâ bilioſâ inſeqvens nutrimentum fuiſſet corruptum, & lac coagulatum, unde tormina; &, propter exhalantes ad caput vapores malignos, Epilepſia. Obſervavi namqve ſæpius, ſi excrementum hocce connatum ſtatim poſt partum, vel robore naturæ, vel medicamentis bene expurgetur, infantes præſervari, ſin nimùs, morbô hôc vel vexari, vel enecari penitus. Unde autor fui, ut, ſi in poſterum ipſis naſceretur infans ſtatim parum vel de ſirupo Roſarum, vel de Electuariô de Mannâ exhiberetur. Id qvod feliciter etiam ſvaſi præfatis Parentibus, qvippe binis infantibus, qvos poſtea habuère, nihil tale qvid evenit, ſed ſalvi & incolumes vixerunt.

§. 6.

§. 6.

Ejuſmodi Infantum, aliqvot ſeptimanas habentium, Excrementa viridia qvidam viri eruditi derivant â particulis & moleculis herbaceis, qvæ vaſa nutricum lactea ſubirent, dein ad mammas delatæ cum lacte ex papillis exſugerentur; qvæ vim ventriculi infantum eludentes ſuum adhuc in inteſtinis contextum ſervarent; cumqve craſſiores ſint, ut per puellorum orificia lactea ingredi qveant, in Inteſtinis remanerent; unde Excrementis colorem viridem impertirent. Huic tamen ſententiæ contradicit Johannes Viridetus *de prima Coction. Part. 2. cap. 5. p. m. 278.* qvia ipſi hæc ſententia exigvitati capillarium prædictorum convenire non videtur; dein moleculæ hæ ſi forent herbaceæ, tanta ventris tormina non parerent, uti ſolent infantes infici, cùm hæc viridia Excrementa rejecerunt. Tertiò addit, ſe expertum eſſe, viriditatem hanc Excrementorum non ab herbaceis provenire, qvia nutrix domi remanens per duodecim dies nullas herbas comederat, & tamen puella qvotidie viridia egeſſerat. **Excrementa viridia.**

§. 7.

Non autem tantummodo ex ciborum vel aſſumptorum reliqviis, ſed aliorum qvoqve liqvorum, aliunde ad Inteſtina delatorum, particulis craſſioribus & excrementitiis conſtat Homerda, qvæ juxta Gerardi Blaſii *Inſtitut. medic. phyſiolog. Part. 3. cap. 2. p. m. 27.* eſt Excrementum alvinum in Inteſtinis craſſioribus maximè, ex iis, qvæ â Ventriculô, Pancreate, Veſicâ felleâ totoqve Corpore afferuntur, congregatum. Imò ex qvinqve diverſis in communem cloacam corrivatis conſtare Homerdam, ſcribit Johannes Anton. van der Linden *Meletemat. medic. Hippocrat. Part. Phyſiol. §. 115.* habere qvippe â ſcoriâ ciborum qvantitatem & conſiſtentiam; â potûs ſerique ſuperfluô mollitiem fluidam; â pituitâ cohæſionem glutinoſam; â bile colorem luteum; â glocibus ſeu fecibus ſangvinis fuſcum; ab omnibus fœtorem ſtercoreum. **Stercus unde conſtet.**

§. 8.

Fœtor. Hunc Stercoris fœtorem alii Medici, præſertim veteres, â copiâ, varietate & qvalitate ciborum derivant, vid. Hieron. Mercurial. *de Decorat. cap. 29. p. m. 40. it. de Excrement. Lib. 2. cap. 5. p. 153. ſeq.* Dan. Beckher. *Microc. medic. cap. 10. p. m. 62.* Johannes Muraltus hunc fœtorem â ſeparaitone partium vivarum, cæleſtium & nutritivarum deducit, *vid. Colleg. anatom. Lect. 3. p. m. 58. & Experim. anat. Exerc. 3. p. 101.* idem inqvit, bilem cum ſuccô pancreaticô junctam Chylum â ſterore liberare, fœcibus alvinis fœtorem conciliare & colorare. *vid. etiam p. 154.* Alii talem fœtorem Sulphuri adſcribunt, ſiqvidem juxta Theophraſt. Paracelſ. *Tom. I. Opp. Tract. de Tartar. Lib. 2. cap. 2. Annot. fol. m. 398.* Stercus aliud non eſt, niſi Sulphur & ventus, qvi exit, accenditur & ardet, ſicut Sulphur, & Stercus qvoqve. Sulphur ergo qvoddam eſt in ſtercore; nam non eſt aliud ſtercus, niſi ſulphur ardens. Item hunc Stercoris fœtorem ab abundantiâ ſulphuris impuri, in ipſô contenti derivat Carolus Lancilottus Tractatu Italico: *Gvida alla Chimica Part. 3. cap. 18. p. m. 32.* Il fetore, inqviens, del Sterco humano è coſi grave per l'abondanza del Solfo impuro, che in ſe contiene. Michael Ettmüllerus *Oper. medic. Tom. I. fol. m. 214.* fœtorem dictum ob luxurians Sulphur cum alcali votatili exoriri ſtatuit; *& fol. 788.* ex Glauberô allegat, qvod in ſtercore humanô ſit Sulphur, Sulphuri communi minerali omninò ſimile. Item Johannes Hiskias Cardiducius, **Stadt- und Land-Apotheck.** *Tom. 4. p. m. 392.* hujus fœtoris originem præcipitationi Chyli adſcribit, qvalis fœtor in præparatione Sulphuris Antimonii vel Lactis Sulphuris obſervatur. Ob Sulphur in ſtercore humano latitans, idem nonnullis Sulphur occidentale & fœtidum appellari, dubium non eſt. Admodum autem ſulphureum eſſe hoc excrementum, præter alias rationes teſtatur experientia, ſiqvidem flatus ſtercoreus, ſi per gut-

tur inferius prorumpens per flammam candelæ transmittitur, transvolando reverà accenditur, flammamqve diverſi coloris ad inſtar Iridis exprimit. Qvod confirmat etiam hiſtoria, qvam Philippus Jacobus Sachs â Leebenheim *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 77. Schol. p. 182.* ex Licetô adducit: Cùm ſcilicet Chirurgus candenti ferrô excreſcentias carneas adoleſcenti ſuccubo circa nates inureret, flatus ex anô in ferrum ignitum erumpens flammam repente concepit, non ſine adſtantium riſu. De homine, cujus excrementa alvina adeò calida fuerunt & pingvia, ut è feneſtrâ projecta flammam conceperint, vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Medic. Gallic. An. IV. Menſ. Mart. p. m. 95.* ubi etiam flammæ in latrinâ excitatæ meminit. Qvale etiam refert Daniel Sennertus *de Chymic. Conſenſ. cap. 11. p. m. 158.* Memini, inqviens, hîc in Cloacâ ſeu Angvillam, ſeu aliud qvid latitare, qvod camarinam illam qvandoqve ita commovebat, ut fœtor per totam domum moleſtus eſſet. Cùm ergo candelâ accenſâ demiſſâ explorare vellent, qvidnam id rei eſſet, ſubitò tota Cloaca flammam concipere viſa eſt. Qvæ res etſi adſtantes non parùm conſterneret, ſubitò tamen iterum flamma evanuit. Qvod accidit procul dubiô vaporibus illis ſulphureis in Cloacâ agitatâ accenſis. Ad qvam tamen Cloacarum accenſionem non modò ſulphureas ſtercoris humani exhalationes, ſed Urinæ qvoqve ſal volatile reſolutum ſeu Spiritum ſua conferre, dubium mihi non eſt. Porrò Medicamenta ex ſtercoribus parata non ſolùm propter Sal, ſed etiam cumprimis propter copioſi Sulphuris, qvô abundant, penetrabiliſſimam efficaciam æſtimanda eſſe, ſtatuit Chriſtianus Langius *Patholog. animal. Annot. in cap. 30. §. 8. p. m. 327.* De excrementorum particulis nitroſis ſulphureisqve v. Joh. Conrad. Peyer *de Glandul. inteſtinal. Part. 2. cap. 5. in Bibliothec. anat. Part. 1. fol. m. 121.* Certos autem Cibos Excrementis conciliare putorem v. g. allium, poma, Ova, cæpas, raphanum, napum, plebejorum firmat experientia; pariter

uti in Magnatibus cibi cibis ſuperingeſti variâqve multitudine luxariantes putredinemqve accelerantes hanc fœtidatem adaugent, v. Chriſtian. Frid. Garmann. *de Miracul. Mortuor. Lib. 2. Tit. 8. §. 56. p. 658.*

§. 9.

An a fermento ſtercoreo.

Ratione Secretionis fecum alvinarum earumqve fœtoris Johannes Baptiſta van Helmont *Sextupl. Digeſt. Aliment. hum. §. 81. fol. m. 138.* fermentum qvoddam ſtercoreum præſupponit, idqve non ab aliqvô viſcere aut facultate vitali procedere, ſed in Inteſtinô cœcô ſedere ſcribit, hinc etiam tale Inteſtinum neceſſarium receptaculum omnis ſtercoris nominat. Cui tamen Helmontii ſententiæ contradicit Johannes Bohnius *Circul. anatom. Phyſiol. Progymn. 11. p. m. 160.* Vix, inqviens, concipi poteſt, qvomoda â naturâ, corruptionem nunqvam intendente, corruptivum ſeu ſtercorificum fermentum expectari qveat, & eô ipſô, dum feculentiæ hæ in tenuibus jamdum inteſtinis fœtent, anteqvam ad cœcum pertingant, & chylo laudabili dum adhuc immixtæ ſunt: non peculiare fermentandi & in ſtercora commutandi jus vel cœco, vel reliqvis inteſtinis concedi poteſt, ſed â Ventriculô potiùs fracedinem hanc induere videntur, dum humiditate ſuâ in ingeſta agit, ſeparatqve inde ſeparanda. Qvemadmodum itaqve hujus humoris pro animalium diverſitate ſpecierum ſpecificam indolem eſſe, ex diverſitate illorum, qvæ appetunt ac digerunt hæc præ illis, colligimus; ſic eundem v. g. panem aliam fracedinem in canis, aliam in hominis Ventriculô, digeſtione induere, probabile eſt; imò animalium diverſæ ſpeciei Ventriculi, Inediam paſſi, ſi diſſecantur, diſparem graveolentiam exhalant. Cadit ergo & hac ratione, pergit ibidem Johannes Bohnius, ætiologia præcipitatoria, dum per eandem bilis alcalicæ in Chylum acidum activitatem fœtorem inteſtinorum contentis conciliari, nonnulli ſuſpicantur: pari circiter modô, ac lac ſulphuris, ſi cum acetô deſtillatô præcipitetur.

Scilicet

Scilicet obſtat huic fracedo Ventriculi ingeſtis impreſſa, & acoris Chyli falſum ſuppoſitum: qvibus accedit, qvod ſulphura tantum ſimpliciora præcipitando adeò ſenſibilem fœtorem emittant, reliqva verò concreta & de ſulphure aliqvantulum ſaltem participantia minimè: Ergo nec alimenta, utpote qvæ haud tota ſulphurea.

§. 10.

Licet autem Stercora hominum hominibus non bene oleant, dari tamen animalia, qvibus fæces noſtræ ſvaviſſimè olent, v. g. Canes & Pantheras, (qvibus addere liceat Porcos, ſues) ex Galeno & Alexandro adducit Hieronymus Mercurialis *de Excrement. Lib. 2. cap. 4. p. m. 144.* In Inſulis Solor & Timor & locis circumjacentibus naturaliter creſcit Lignum inſtar humani excrementi fœtidum. vid. Henric. Oldenburg. *Act. Philoſoph. Anglic. p. m. 724.* *Stercus animalibus gratum.*

§. 11.

Hominem ratione fœtoris antecellunt nonnulla animalia bruta, v. g. Mus Alpinus, in cujus beſtiæ excrementis nullus fœtor eſt, juxta Gvilh. Fabric. Hild. *Cent. 6. Obſ. 97. fol. m. 630.* qvi etiam, cum in diſſectione muris Alpini nullam valvulam circa Inteſtinum colon inveniret, eandem inutilem judicavit, cùm præcipuus ejusdem uſus ſit, ut obſtet, qvò minùs putridi flatûs ex Colô ad ſuperiora aſcendere Chylumqve inqvinare poſſint, unde ſe non videre inqvit, ad qvid profuiſſet valvula. Felis qvoqve Zibethicæ, Capræ, Moſchiferæ, Soricis, Gliris moſchati, & muſcarum Piſanarum, excrementa nacta ſunt odorem plane acceptiſſimum & ad fucos qværſitum. Item vaccarum excrementa, nuper tam graveolentia, ubi certum digeſtionis gradum attigêre, vel Moſcho faſtum faciunt, & imbuendis odore linteis alibi ſervire ſolent, juxta Joh. Nicol. Pechlin. *Obſerv. phyſ. medic. Lib 2. Obſ. 10. p. m. 329. ſeq.* v. etiam Chr. Frid. Garmann. *de mirac. mort. p. 655. ſeqq.* An autem ſecundum *Stercore non fœtentia.*

eundem

eundem Pechlini locum in Joſephô Scaligerô, domeſticorum teſtimoniô, excrementa, nimirum ejus ſudores & alvi Scybala, non reliqvorum hominum more fœdum qvid, ſed roſam & moſchum oboluerint, affirmare nolo. Qvòd vero è brutis, & ſi forſitan contingeret hominibus, qvidam odorata recrementa egerunt, id peculiari fermenti Ventriculi, ut & Inteſtinorum ſtercorei diatheſi ſecundum Chr. Garm. *l. a. p. 658.* veniet adſcribendum.

§. 12.

In Stercore Salia corroſiva.

Hactenus de fœtore & ſulphure Excrementorum alvinorum egimus; magnam etiam ſtercoribus humanis, inprimis per longum temporis ſpatium Cloacæ incluſis, ineſſe qvantitatem ſalium corroſivorum, teſtantur & experiuntur Foricarii, ſeu illi, qvi latrinis expurgandis vitam ſuſtinent, ſiqvidem utplurimum Ophthalmiâ laborant. Id qvod Bernhardo Ramazzino, ut ipſe fatetur, Tractatum ſuum de Morbis Artificum conſcribendi occaſioni fuit. Scilicet cum domi ſuæ Cloaca expurgaretur, contemplatus unum ex Operariis iſtis in antrô illô choronæo magnâ anxietate ac ſolicitudine opus ſuum peragentem, miſertus tam improbi laboris, ipſum interrogavit, cur tam ſollicitè laboraret, & non pacatius id ageret, ne ex nimiô labore in multam laſſitudinem incideret, tunc miſer ex antrô illô oculos attollens atqve Ramazzinum intuens, nemo, inqvit, niſi expertus, imaginari poteſt, qvanti conſtet, plus qvàm qvatuor horis in hoc locô morari, idem enim eſt, ac cœcus fieri. Illô poſtmodum è Cloacâ egreſſô, oculos ejusdem attentè contemplatus eſt Ramazzinus, eosqve non parùm rubore ſuffuſos ac obnubilatos obſervavit. Ramazzinô rurſus ſciſcitante, ecqvam medelam pro more haberent Foricarii huic affectui adhibere? non aliam, inqvit ille, qvàm ut actutum, uti modò faciam, domum ſuam repetant, in conclavi obſcurô ſe recondant, ibiqve ad alterum usqve diem immorentur, oculos aqvâ tepidâ

tepidâ identidem abluendo, qvô pactô ſolamen aliqvod oculorum dolori reperiunt. Ruſſus ab eodem qvæſivit Ramazzinus, num in faucibus ardorem ullum perſentiant, difficultatem aliqvam reſpirandi patiantur, Capitis dolore tententur, num ardor ille nares percellat, nauſeam pariat? nihil horum, reſpondit ille, neqve pars ulla in hôc opere mulctatur, præter oculos, ac ſi opus iſtud ulteriùs proſeqvi velit, propediem cœcus fieret, ut aliis contigerit. vid. Bernh. Ramazzin. *de Morb. Artific. cap.14. p.m.77.ſqq.* ubi ſe poſtmodum cumplures operarios id genus vel luminibus ſemicaptos, vel prorſus cœcos, per civitatem ſtipem emendicantes obſervâſſe addit, atqve illud, qvod hujusmodi Camerina commota exſpiret, acidum volatile eſſe arbitratur, qvod etiam aliis rationibus ibidem confirmat. Imò Foricarios, ſeu ejusmodi Operarios in Cloacas deſcendentes, ſubitô qvandoqve exſpirare, exemplô probat Elias Camerarius *Diſſert. phyſ. medic. Epiſt. 2. p. m. 32.* cujus rei cauſam Dominus Dionis pariter acrimoniæ, ipſe Camerarius verò narcotico cuidam halitui, Spiritûs illicò lethali ictu ferienti ac immobiles qvaſi reddenti, ibidem adſcribit.

§. 13.

Sicuti autem inutilium horum alvi excrementorum dejectione ordinariâ, atqve utplurimum qvotidianâ, Corpus noſtrum in ſtatu naturali conſervatur, ita econtra ab ipſorum retentione diuturnâ variis qvandoqve ſymptomatibus affligitur, qvod literati & meditabundi, item hypochondriaci experiuntur; ſiqvidem juxta Joh. Nicol. Pechlin. *Obſervat. med. phyſic. Lib. 3. Obſ. 12. p. m. 418.* vulgare eſt, homines ſubtilium rerum contemplationi addictos Corporis actiones habere qvàm ſegnes, & hinc etiam neceſſariorum ipſiusqve alvi, niſi materiæ pondus ſollicitet, obliviſci: adeò mirandum non eſt, illorum plurimos ob averſam imaginationem ſpiritûsqve abſtractos ex obſtructione laborare, & deſvetam alvum vel medicinis aut re- *Alvi obſtructio diuturna.*

 miſſô

miſſô cogitationis genere denuò provocandam eſſe. Interim negandam non eſt, dari etiam diuturnæ, ſine tamen notabili incommodô, obſtructionis alvinæ exempla. Eſſæos enim ob victûs parcitatem conſveviſſe ſemel in hebdomade emittere Alvi purgamenta, ex Euſebio & Porphyrio adducit Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. 1. Obſ. 55. Schol. p. m. 236.* Nobilis qvidam cùm ſcabie laboraret, aſſumpſit Pilulas, qvas Medicus pro purgando Corpore præſcripſerat, & non niſi poſt qvadrageſimum diem excrevit, nullâ interim effatu dignâ noxâ perceptâ vid. Marcell. Donat. *de Medic. Hiſt. mir. Lib. 4. cap. 10. p 353.* ubi plura exempla. De fœminâ bene valente & optimæ ſanitatis, qvæ non niſi ſemel in ſeptimanâ alvum evacuare conſveverat, poſtea autem gravida facta perpetuis cruciatibus & torminibus ventris divexata alternis diebus aqvæ laxativæ hauſtu alvum ſolvebat, vid. Paul. Spindler. *Obſ. 46. Schol. p. m. 80.* Singulis ſeptimanis ſemel tantum, & qvidem ſemper die Jovis, alvum exonerabat Civis qvidam Serveſtanus, qvotidie inebriatus; nec â potatione alvus, qvod pleriſqve potatoribus aliàs contingere ſolet, laxior reddebatur, juxta Philipp. Salmuth. *Obſerv. medic. Cent. 2. Obſ. 65. p. m. 90.* qvi Autor etiam *Obſ 98. p. 110.* honeſtæ cujusdam fœminæ meminit, cui familiare fuit, ut intra duas vel tres ſeptimanas ſemel tantùm alvum deponeret. Fœmina octoginta annorum, non ſolùm à decem jam diebus nullas alvi fæces excreverat, tunc temporis ægra, ſed iſta etiam cunctatio ipſi ab infantiâ ſine ſanitatis diſpendiô perpetua fuerat, ita ut â ſeptuaginta annis & ultra non niſi octavô aut nonô, qvandoqve etiam duodecimô die, Ventris onus depoſuerit, cujus meminit Olaus Borrichius *Act. Hafnienſ Vol. IV. Obſ. 60. p. m. 146 ſq.* Juvenem etiam aliqvando per novem, interdum per duodecim dies nihil excrementorum ab alvô emiſiſſe, licet optimè valens eqvô qvotidie veheretur, ex Braſſavolo refert Cornelius Stalpart van der Wiel *l. a. p. 232.* Fœmina qvædam

ſine incommodô.

qvædam Norimbergenſis triginta annorum Alvo ſemper erat obſtructa, qvam duarum ſeptimanarum ſpatiô ſemel liberabat. Oſſa prunorum deglutita plurima per ſedes non dejiciebat, nil tamen inde incommodi ſentiebat, valetudine ſubinde integrâ uſa, annotante Johanne Georgio Vollckamero *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 265. p. 479.* Senem novit Martinus Liſter, ſibi amiciſſimum, ſex & octoginta annorum, qvi ſanus & liberaliter comedens, ex plurimis annis ſemel tantùm in ſeptimanâ, & interdum etiam ad qvatuordecim dies dejiciebat. v. Bernh. Ramazzin. *de Princip. Valetud. tuend. cap. 11. p. m. 105.* Nobiliſſimi cujusdam ſenis ea erat conſvetudo, ut ſanus, appetens, comedens bibensqve optimè ſine ullô incommodô ad decimum duodecimumqve usqve diem alvum haberet ſeratam, qvâ ſolutâ onus magnum, copioſum, fœtidiſſimum deponebat, â qvô opere ſemper decendium aut duodecendium intercedebat ad aliud. v. Philipp. Hœchſtetter. *Obſ. med. Dec. 9. Caſ. 10. p. m. 376.* Et Johannes Fernelius *Pathol. Lib. 6. cap. 10. p. m. 162.* qvendam ſe noviſſe, ait, qvi non niſi decimô qvoqve die excrementa fæcesqve dejecit, & aliqvando citra manifeſtum Corporis functionumqve detrimentum dies totos qvadraginta nihil prorſus ab alvô reddidit. Illuſtriſſimas & formoſiſſimas Dominas, qvæ cætera ſaniſſimæ & qvotannis uterum gerentes nunqvam niſi vigeſimô, vel ſeriùs, die alvinas fæces deponebant, nec qvicqvam inde incommodi, etiam puerperæ, ſentiebant, ſe noviſſe ſcribit Henricus ab Heer *Obſ. 29. p. m. 249.* qvô locô etiam refert, ſe cum ſacerdote religioſô vixiſſe, qvi nunqvam niſi poſt vigeſimum qvartum diem alvi beneficium â puerô ſenſerit, ſaniſſimus, nec ullum unqvam expertus pharmacum. De Virgine Nobili, qvæ integrô bienniô omnibus Naturæ beneficiis fuit deſtituta, tam qvoad alvi excretionem, qvam Urinæ & Sudorum, ſuppreſſis etiam Menſibus, cæterum ſana, vid. Joh. Udalr. Rumler *Obſ. 68. p. 40.* In puerô octo annorum Variolis

laborante indemnem atqve diuturnam, integras ſcilicet octodecim dies durantem alvi, obſtructionem obſervavit Chriſtianus de Helwich, *v. Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Dec.1. & 2. Obſ. 144. p. 299.* Nobilis Germanus Corpore validô dies qvatuor & viginti nihil per alvum reddidit, ſine omni valetudinis offenſâ, Ventriculô tam firmô, ut jam pranſus medium Capum abſumeret, juxta Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 81. p. m. 95.* ubi etiam ex Heurnio puellæ meminit, qvæ trimeſtri ſpatiô vix ſemel alvum poſuit. Et ejusmodi indemnis obſtructionis alvinæ, imprimis in ſexu ſeqviori, qvotidie in Praxi occurrunt exempla.

§. 14.

Alia Exempla cum variis ſymptomatibus & cauſis.

Sæpius tamen ejusmodi diuturnam & â variis cauſis ortam alvi obſtructionem varia comitantur Symptomata e. g. per integram ſeptimanam & ultra Alvi contumaciam cum intenſiſſimô cruciatu experiebatur Chymicus qvidam inſignis Herniâ laborans, ſecundum Obſervationem Michaëlis Bernhardi Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 87. p. 188.* Uxor cujusdam Aurifabri, triginta qvinqve annorum, tamdiu, qvamdiu ſe hominem eſſe novit, alvum non niſi intra qvindecim, ſeptendecim & plures nonnunqvam dies depoſuit, & qvidem ſemper tantô cum ejusdem fluxu & torminibus, ut vires inde non parum proſternerentur, juxta Viti Riedlin. Fil. *Obſerv. med. Cent. Obſ. 47. p. m. 110. ſq.* Alvi Obſtructionem per duas hebdomadas & ultra durantem cum Ventris tumore, calore p. n. & aliis gravioribus ſymptomatibus annotavit Ehrenfrid Hagendornius *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 26. p. 43.* Periodicam alvi per duas qvasqve hebdomadas obſtructionem, ejusdemqve poſt illas ſubſecutam dejectionem in ruſtici filiô ab inſolitâ Coli ſtructurâ, annotavit Adamus Brendelius *Obſerv. Anat. Dec. I. Obſ. 2. p. 9. ſq.* Illuſtrem Virum, qvi intra duarum vel trium ſeptimanarum ſpatium ſemel tantùm alvum exonerabat, & qvidem ſemper tantô nixu, ut etiam ſangvis è naribus proſiliret, novit Philippus

lippus Salmuth *vid. Obſerv. medic. Cent. 3. Obſ. 26. p. m. 125. Et Cent. 2. Obſ. 98. p. 110.* Servæ cujusdam meminit, qvæ per plures menſes adſtrictâ alvô eſſe ſolebat, ita ut qvintô vel ſeptimô menſe vix ſemel excerneret. Comedebat qvidem ſed admodum parum. Caput perpetuô dolebat, & excrementa ita exſiccabantur, ut ſemper poſt aliqvot menſes enematibus prolicienda eſſent emollientibus. Stypticitatem alvi ad tertiam ſeptimanam durantem, ſoloqve Seri caprini copioſè aſſumpti uſu curatam, recenſet Henricus â Moinichen *Obſ. 5. p. m. 20.* De Monachô ex torminibus Ventris per dies qvatuordecim conſtipato cum metu contracturæ vid. Auguſt. Thoner. *Obſerv. med. Lib. 3. p. m. 163.* De puerô qvatuordecim annorum, qvi de tantâ alvi tarditate qverebatur, ut per qvinqve menſes absqve Clyſterum ſolutione nihil aut vix qvicqvam exprimeret, vid. Henr. Smetii *Miſcell. med. Lib. 10. p. m. 561.* Adoleſcens qvidam octodecim annorum cum Ventris tumore & Aſthmate per duodecim dies alvum habebat conſtipatam. v. Mart. Ruland. *Curat. empir. Cent. 5. Curat. 61. p. m. 336. v. etiam Centur. 6. Curat. 26. p. 423.* De alvi, in ſene qvodam & ſupra annos nonaginta natô, conſtipatione per totum menſem, cum febre, diſpnœâ, Anorexiâ, ſiti, dyſuriâ, Pervigiliisqve *v. Cent. 5. Curat. 90. p. 352.* Francofurti ad Viadrum Anno 1665. in Xenodochium delatus qvidam eſt, qvi adeò cibô exſatiari non potuit, ut ab utroqve latere mulieres panem certatim ori injicientes Stomachum famelicum explere non poſſent, & tamen is plurium & octodecim hebdomadum ſpatiô alvum non dejecit, teſte Daniele Hartnacciô *Admirand. phyſic. Lib. 9. cap. 3. p. m. 654.* Maniaco cuidam, catenis triginta annis in carcere detento, ultimis annis alvus conſtipari cœpit, ut, qvam prius ſingulis ſeptimanis exoneraret, tum per qvatuor vel qvinqve ſeptimanas retineret, imò hæc alvi obſtipatio ſæpe decem, duodecim ad qvindecim & ſedecim usqve ſeptimanas duravit, juxta Theodum Zwingerum

M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 234. p. 541. Monacha qvædam ob ſpe-ctri terrorem, dum noctu ad campanas pulſandas adiret, in ventris obſtructionem incidit, ita ut per qvatuor menſes nil ex alvô reddiderit, &c. vid. Caſp. a Reies *Camp. Elyſ. jucund. qvæſt. 87. p. m. 1134.* Scybala in Illuſtri qvadam Perſonâ hypochondriacâ, cum tenſione & tumore Hypochondrii ſiniſtri per ſesqviannum retenta obſervavit Philipp. Salmuth *Cent. I. Obſ. 24. p. 16.* Procidentiam Inteſtini recti volvuliqve motûs in Sartoris cujusdam uxore ſæpius per plurimos dies pertinaciſſimâ alvi conſtipatione, omnibus remediis refractoriâ, obſervavit Paulus Spindlerus *Obſ. 46. p. 80.* Vidua ſexaginta ſex annorum per viginti annos tam ægrè & duriter cacaturiebat, ut ſæpe totô menſe adſtricta ſolô Enematum uſu demiſſis ſtercoribus veriſſimos calculos, inſtar avellanæ aut jugulandis podice egereret. v. Obſerv. C. Bauhin. in Franc. Roſſet. *de Part. Cæſ. p. m. 193.* De Fœminâ ob tumorem ultra ſex libras civiles pendentem, pelvim barbitonſorum replentem, peculiari membranâ incluſum, Inteſtino recto incumbentem, alvum liberare non poterat, vid. Laurent. Strauſſ. *de Fœt. Muſſipont. p. 62.* Mulier qvædam, qvoties poſt diuturnam alvi obſtructionem fæces deponebat, in febrem incidebat; qvoties verò per dies duos eſſet conſtricta, ſana & incolumis vivebat, teſte Thoma Bartholinô *Cent. 4. Hiſt. 40. p. m. 319.* ubi etiam Monachi meminit, qvi alvum exonerans adeò delaſſabatur, ut cibô reſtaurante neceſſe haberet; nam extrema omnia inſtar morientis frigebant & artûs vacillabant. Mulier triginta ſex annorum â qvatuor ſeptimanis alvi pertinaciſſimâ duritie laborabat, eamqve tantô cum labore reddere cogebatur, ut ſangvinem ſimul per anum exprimeret, juxta Roſin. Lentil. *Miſcell. med. pract. Tom. I. p. m. 80.* Typographi cujusdam Uxor tam diris alvi vexabatur obſtructionibus, ut per aliqvot dies alvum non exoneraret; ſi verò tandem vi ac medicamentis illam ad excernendas fæces irritabat, tam vehementiſſimis cum

ſangvinis

ſangvinis profuſione corripiebatur doloribus, ac ſi in puerperiô conſtituta eſſet. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theor. pract Obſ. 47. Schol. §. 3. p. m. 636.* Baro ille Sileſiacus, cujus ſupra inter ſtrenuos Potatores *ex M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 98. p. 228.* mentionem feci, cùm in ſeniô aliqvando per plurimos dies maximam ſentiret alvi ſtipticitatem, nullis remediis, etiam robuſtiſſimis cedentem, ſed præcluſô arctè inferiore gutture, omnia medicamenta vanô cum ſucceſſu verſus ſuperiora regurgitarent, & nil niſi certiſſimum inſtaret mortis periculum, Dictus Baro in his anguſtiis conſtitutus, conſilio tamen promptus exclamat; hem! cùm Ars me deſtituit & mors approximat, ipſemet ultimum tentabo remedium; unde vocato qvôdam è famulis, jubet opportare cochlear ligneum majuſculum, hoc inverſum & acutum redditum, ut is ano fortiter intrudat, ſeriô injungit. Paret ille, novum hoc & ligneum ſuppoſitorium fortiſſimè intrudit, tantâ qvidem violentiâ, ut ſangvis ſtillaret; nihilominus, ut ſtrenuè pergat & ſecurè, hortatus Dominus, tandem cum Obſtaculum qvoddam in Inteſtinô inveniretur, tamdiu cochleari hinc inde agitat, donec tandem ſæpius concuſſa materia ſecederet & exiret Spithamæ longitudine, compacta & adeò tenaciter cohærens, ut nec acuta ſecuri in particulas dividi potuerit. Simile fèrè exemplum recenſet Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 44. p. 74.* Nobilis ſcilicet Marchicus laborabat obſtructione alvi contumaci, dabantur medicamenta generoſiora, absqve Euphoriâ, penèqve res videbatur deſperata. Nobilis, ut erat vitæ cupidus, arripit ſucculam (einen langen eiſernen Spanner) intrudit in anum cum violentiâ, qvantum vires admittebant, ita etiam ut ſangvis profluxerit. Hac glande ferreâ anus irritatus ſuo ſatisfecit officio cum ægri levamine. Virginem novi, qvæ poſt largiorem *Obſervatio.* prunorum eſum, deglutitis ſimul eorundem lapillis, diuturnam alvi patiebatur obſtructionem, nullis medicamentis ſolubilem,

donec

donec ipſa filis ferreis, pro conficiendis tibialibus adhiberi ſolitis (Stricke Nadeln) lapillos iſtos Inteſtino recto firmiter intruſos alvumqve conſtipantes ſummô cum dolore ſibi ipſi ſucceſſivè effoderet, reliqvisqve fecibus viam panderet.

§. 15.

Alia Exempla. Juvenis qvidam contumaci alvi ſtypticitate laborans maximum in anô ſenſit impedimentum, qvod fæcum expulſionem retardabat; immiſſô in anum digitô, obſtaculum illud aliqvô modô amovens aliqvam egredientibus fæcibus patentem relinqvebat viam; attamen pauca materia ſtercoris reſpectu qvantitatis apparebat. Ex qvô in totum prorſus mutatus, macilentus, pallidus, facie cadavereroſâ, hominum conſortia fugiebat, brevi mortem expectaturus. Jam enim ab adſtantibus percipiebatur halitus ipſius qvid fœtidi & graveolentis, ut ſtercus, redolens. Tandem cùm res ferè deſperata eſſet, qvadam die, acſi mulier fuiſſet prægnans, cum inſigni crùciatu expulſit primò pilam ſtercoream ingentis magnitudinis, & maximæ duritiei, tanqvam feſtucis & paleis intertextam, qvâ ejectâ incredibilis fæcum qvantitas ab alvô exonerata eſt fœtidisſimi odoris, & brevi dierum ſpatiô convaluit. vid. Dominic. Panarol. *Pentecoſt. III. Obſ. 28. p. 85. ſeq.* Fabri lignarii ſervus, viginti trium annorum, poſt ſumptum ſemen Colocynthidis in Paralyſin Inteſtini recti incidit, ut nec feces amplius egerere, nec, anô ſemper patente & Inteſtino rectô fecibus infarctô, ſuppoſitorium aut Clyſma retinere neqviret. Miſerè hoc modô vitam per ſextiduum trahens digitis ano immisſis alvi feces extrahebat, referente Johanne Davide Mauchartô *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. 5. Obſ. 34. p. 57. ſq.* Religioſa qvædam mulier Inteſtinorum doloribus multis jam menſibus urgebatur, & alvus nil niſi ægrè & durum, idqve tantum decimô qvoqve die reddebat. Cùmqve nullis conferentibus auxiliis diu multumqve hôc malô vexata tandem naturæ conceſſerit, in mortuæ Corpore

Corpore inventa ſunt Inteſtina altiore collo conſtricta, adeôqve iter anguſtum relinqvebatur, ut dejectiones ægrè tranſmitti poſſent, juxta verba Antonii Benivenii *Obſerv. Medicinal. cap. 34. p. 188. ſq.* Uxor qvædam annorum circiter viginti ſex, obeſa, genas perpetuò habens rubentes, parum bibens, parum comedens, perpetuis penè vexata Capitis doloribus, palpitatione Cordis laborans ſubinde, ructibus vexata, omnimodam alvi patiebatur obſtructionem, qvam nunqvam ſponte ſuâ vel per ſex & ultra annos depoſuerat; imò nec ad excretionem ſtimulum ullum unqvam percipiebat, cùm tamen circa præcordia angeretur, ut non raro qvaſi in animi deliqvium incideret, teſte Johanne Schmidiô, *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 53. p. 136. ſeq.* Textor qvidam annorum circiter qvadraginta 1656. Montbelgardi deceſſit. Is autem tribus annis nihil niſi potulenta & liqvida aſſumere valens, de dolore abdominis continuô qverebatur; cujus cauſam ſerpentes & alia ibidem concluſa veneficiô animalia dicebat eſſe. Mirandas enim Inteſtinorum agitationes & circumvolutiones freqventes cum murmure & ſibilis ſentiebat, imprimis cùm vel tenue juſculum ſumeret, vel biberet. Qvæ alvô excernebat, aqvea utiqve & qvaſi filtrata erant, totô trienniô. Apertô ejus poſt mortem abdomine, nuclei Ceraſorum ex Colô Inteſtinô ruptô, ſphaceloſô exibant, ita diſtentô, ut inſtar chartæ duplicatæ attenuatum illud eſſet. Fartum autem erat & omninò repletum Ceraſorum & Prunorum nucleis in ſeſe valde compreſſis, & trium plus minusve librarum pondus æqvantibus, qvi alvinæ regionis excrementis, niſi tenuiſſimis & percolari aptis, meatum prorſus denegabant. Interrogata vidua, inventam mortis manifeſtam cauſam ignorans, annon recordaretur, qvô tempore maritus inſignem Ceraſorum & Prunorum copiam comediſſet? Triennium inde elapſum eſſe, reſpondit, &c. vid. Joh. Nic. Binninger. *Obſerv. Curat. Cent. 2. Obſ. 20. p. 143. ſeq.*

Alvi ſuppresſionem cum ſubſeqvente Tympanite & Morte ex ulcere mali moris in Inteſtinô rectô Eqvitis generoſi obſervavit Georgius Chriſtophorus Petri *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 77. p. m. 149.* In fœmina, qvæ omnimodâ alvi ſuppresſione & Iſchuriâ ægrotabat, ita ut urina diu Cathetere prolicienda eſſet, ac fæces Clyſteribus educerentur, inter Inteſtinum rectum & vaginam uteri abſceſſus latebat ovi anſerini magnitudine; qvô poſtmodum ruptô pureqve in rectum inteſtinum effuſô, alvi beneficium mox obtinuit, juxta Johannem Jacobum Wepfferum, *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 167. Schol. p. m. 301. ſeq.* Summè difficilem fæcum, etſi liqvidarum, excretionem â tribus nodis in Inteſtinô Ileô â primâ ſtatim conformatione in filiolâ qvadam obſervavit Matthias Fanciſcus Hertodus, *ibid. Dec. I. An. I. Obſ. 126. p. 284.* Diuturnam & omnimodam ferè Alvi obſtructionem â ſcirrhoſâ Inteſtini recti, poſt Dyſuriam â Calculô Renum, incraſſatione, & plenarium ferè coalitum, qvi vix ac ne vix qvidem ſtilum, graminis craſſitie, in univerſum admiſit, unde miſer qvidam juvenis ægrotans nec urinam, nec fæces alvinas excernere potuit, niſi guttatim, obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſerv. 95. p. m. 121. ſeq.* item *Obſ. 96. p. 123.* Aliud exemplum apud Jacobum Hollerium, *de Morb. intern. Lib. 1. cap. 39. Schol. p. m. 119.* legimus de Advocatô qvôdam, cui Colon, qvâ parte vicinum eſt Reni ſiniſtro, collectâ veluti Cartilagine dura, in ſcirrhum obduruerat, interiore cavitate eô tempore interceptâ, ut nihil transcurreret. Diuturnam & periodicam alvi per duas qvasqve hebdomadas durantem obſtructionem, ejusdemqve poſt illas ſubſecutam dejectionem communicat Adamus Brendelius *Obſervat. anatom. Decad. I. Obſ. 2. p. 9. ſeq.* & qvidem de ruſtici filiô, octodecim circiter annos natô, qvi â tenerâ infantiâ per duas hebdomadas alvi obſtructione & poſt illas ſubſecuta ejusdem dejectione periodicâ cum variis conflictabatur ſymptomatibus, qvæ â mirabili planeqve inſolitâ Coli

ſtructu-

ſtructurâ dependebant, ſiqvidem illud modò admodum ampliatum maximèqve expanſum, atque figuram novi Ventriculi referebat, modò in fine ampliationis ſuæ rurſus coarctatum, robuſtum ibi annulum fibroſum ad inſtar Pylori habebat, &c. Vir qvidam miſeriâ, paupertate ac morbô mortiferô compreſſus, Chriſtophorus Dellinger, Iliacâ paſſione laborans, per hebdomadas octodecim alvum ex totô ſuppreſſam habuit, referente Martinô Rulandô *Curat. empyric. Cent. 10. Curat. 99. p. 728.* Poſt viſcerum Intemperiem & gravem morbum per octodecim dies Pincerna Regis Daniæ alvum habuit ſuppreſſam, cui ter injecti Clyſteres, ſed in ventre non reſtitantes, & alia medicamenta exhibita non potuere ad obſeqvium ſollicitare. Tandem cùm omnia videret eſſe conclamata, nec ullam ſupereſſe ſanitatis vitæqve diuturnioris ſpem, amicos convocat, inſciisqve Medicis aliqvot Vini Rhenani cyathos ebibit, ſolitas delicias, ultimum Vale ita illis dicturus. Dehinc tamen poſt vini hauſtum ſiccatosqve calices murmure in ventre obortô liberaliter ſoluta alvus, ægerqve Medicis ſtupentibus celeri pede ad ſe & ſanitatem rediit, diuqve ſuperſtes inter amicos pancraticè vixit, uti refert Thomas Bartholinus *Cent. V. Hiſtor. 40. p. m. 93.* Ridiculam alvi excretionem communicat Johannes Michael Fehr *M. N. C. Dec. II. An. 3. obſ. 2. p. 20.* de fœminâ ſiniſtri lateris paralyticâ, qvæ urinam ſæpius & plerumqve præter voluntatem emiſit, ſed alvum neqvaqvam exonerare potuit, niſi ægra priùs ad riſum excitaretur; levi namqve jocô aut re delectabili excitata profuſè in cachinnum & alvum ſolutam proruit. Et Princeps qvidam Venuſinus nunqvam alvum depoſuiſſe dicitur, niſi verberatus â ſervô, ad id aſcitô, uti Chriſtianus Warlizius *de Morb. biblic. cap. 6. p. m. 190.* ex Thomâ Campanella refert. vid. ipſe Thom. Campanell. *Medicinal. Lib. 3. Cap. 4. Artic. 12. p. m. 111.* Hydropem ex Colica & nimiâ alvi obſtructione ſe vidiſſe ſcribit Johannes Dolæus *Encyclop. medic. Lib. 3. c. 9. p. m. 505.* De

Abortu propter conſtipationem alvi vid. Gvilh. Fabric. Hild. *Cent. 6. obſ. 62. fol. m. 576.* Mihi ipſi qvoqve plurimas alvi obſtructiones contumaces obſervare licuit, è qvibus ſeqventia tantum exempla recenſere libet. *Obſervatio.* Virgini cuidam viginti præter propter annorum poſt terrorem & ſubſeqventem excandeſcentiam cum maximis torminibus alvus ultra qvindecim dies non reſpondebat, neqve purgantibus, nec lenientibus ſeu lubricantibus, v. g. Oleo olivarum & Amygdalarum, in ſat magnâ qvantitate aſſumptô, neqve ſalinis, nec inſeſſibus, clyſteribus aut ſuppoſitoriis, ſed deniqve ſolâ Mannâ in lacte ſoluta ſolvi poterat. *Alia.* Ab irâ Alvi conſtipationem, ultra decendium durantem, cum tanta abdominis inflatione, inſtarqve tympani diſtenſione, ut ferè crepaturam metuerem, patiebatur Dresdæ in carcere publicô famoſa illa perſona, qvæ ante aliqvot annos ſe Principiſſam Indicam, Magni Mogolis filiam malitioſè fingebat, atqve pro confirmandâ ea fraude in mammâ ſiniſtrâ ſtellæ ſignum, ſuper impoſitâ coronâ regiâ, elegantisſimè inuſtum monſtrabat. *Alia.* Aliud adhuc pariter incarceratæ fœminæ, cui ab eadem cauſâ per ſex ferè ſeptimanas ne ſemel qvidem alvus aperiebatur, exemplum ante aliqvot annos annotavi. Plura diuturnæ alvi obſtructionis exempla & cauſas collegit Johannes Schenk *Obſ. medic. Lib. 3. fol. m. 387. ſeq.* Marcell. Donat. *de medic. hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 16. p. m. 350.* Matthias Moron. *Director. medic. p. m. 10. ſeq.* Lazar. River. *Obſ. med. Lib. 3. Obſ. 6. p. 189.* Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 13. fol. m. 875.* Ephem. *Cent. IX. & X. Obſ. 64. pag. 372.*

§. 16.

Obſtructio lethalis. Nonnunqvam alvus adeò pertinaciter obſtruitur, ut Mors ſuccedat. Hôc mortis genere celeberrimi viri Rivetius & Rappoltus obiere. vid. Caſp. Theoph. Bierling. *Theſaur. theoret. practic. Obſerv. 47. Schol. §. 3. p. m. 636. ſeq.* Lethalem alvi adſtrictionem in milite qvodam Patavii Dyſenteriâ laborante, cui

mutuô

mutuô utriusqve lateris exulcerati contactu Inteſtina coaluerant, annotavit Johannes Rhodius *Cent. 2. Obſ. 82. p. 94.* Talem qvoqve obſtructionem in Sutore, qvi per menſem & ultra fæces alvi non excreverat, reperimus in Sam. Form. *Obſ. 18. Lazaro Riverio communic. p. m. 333.* A tumore cartilagineô inſtar ovi gallinacei in Inteſtinô colô repertô Chyliqve ad interiora tranſitum impediente, cum ſuperveniente ſphacelô mortem in fœminâ qvadam obſervatam refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſerv. Cent. I. Obſ. 56. p. m. 237.* A Caſeô alvi obſtructionem lethalem obſervavit Chriſtianus Menzelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. p. 423.* A ſuppresſis Hæmorrhoidibus lethalem alvi conſtipationem in fabrô ferrariô vidiſſe refert Salomon Reiſeilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 117. p. 276. ſeq.* v. etiam Theoph. Bonet. *l. a. &c. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 211. p. 383.*

§. 17.

Cùm varia hactenus de diuturnâ Alvi ſuppresſione indeqve exortis ſymptomatibus ipſâqve morte adduxerimus, talis autem conſtipatio maturè impedienda ſit, liceat mihi, qvid de Phantaſiâ in Corporis excretionibus moderandis judicaverit Johannes Nicolaus Pechlinus, ex ipſius Obſervat. *phyſ. med. Lib. 3. Obſ. 12. p. m. 417. ſeqq.* hoc loco inſerere: Illa autem, inqvit, imaginandi vis qvid in Corporis noſtri actiones, qvid in excretiones valeat, haud facilè qvisqvam credat, niſi exemplis perſvaſus; qvæ etſi obvia ſunt, familiaritate tamen vileſcunt; qvare ut eorum aliqva ſeveriùs excutiam, ut puto, licebit. Sed mirum primò videbitur, tantam ſæpe eſſe imaginandi efficaciam, ut, qvod in corpore anima vult, eadem exeqvatur, & defecturas alias actiones ſola ſuſtentet. Plurima, qvæ initiò ab imaginatione ſunt profecta & qvotidianô habitu freqventata, in ſpeciem tranſeunt conſvetudinis, & cùm tranſiêre, non ab imaginatione ampliùs aut iteratâ ſpirituum determinatione, verùm â conſvetudine aut principiô, neſcio qvô, repeti ſolent.

Imaginationis vis ad obſtructionem.

Excretiones autem Corporis noſtri geminam agnoſcunt cauſam, eamqve concurrentem, naturalem & animalem. Naturalis eſt, qvæ a materiâ eſt excernendâ, animalis, qvæ â ſpirituum fluidô aut indefinitæ voluntatis imperiô; atqve hæc ipſa tam potens ſæpe eſt, ut priorem illam ſegnem aut laborantem corrigat & triumphet; qvod cumplures, qvi imaginandi viribus polluêre, magnô ſuô commodô experti ſunt. Sanè qvi pueris naſcentibus ab hac parte induuntur mores, plurimum debent excitatæ Phantaſiæ. Nutricularum proprium eſt, tonô qvodam aut ſibilô infantum erigere attentionem & tardam aliàs alvum provocare, & utut non ſemper illa ad cantum ſive carmen mores gerat, ſive qvòd materia lentior ſit, qvàm ut a ſpiritibus ſubigi poſſit, ſeu qvòd imaginatio non ſatis pro neceſſitate commota ſit, micturitio tamen, ut qvæ fluidæ & obſeqventioris materiæ eſt, rariſſimè fallet. Jam hæc conſvetudo lentè inducta tandem ſic mechanicè Ventrem diſponit, ut pòſt etiam ætate provectâ, ſvetis jam influere ſpiritibus, niſi alia interveniant, eundem ſervet morem & certis de die horis ſemel vel bis reſpondeat. Intervenit autem vel Corporis valetudo aut aliena cogitatio; & illâ qvidem efficitur, ut vel materiæ contumacia aut ſpirituum imbecillitas imaginationem, etiam fortem, moretur; hac ipſâ autem, ut in illam imaginationis partem abrepti Spiritûs â neceſſariâ actione deficiant. Vulgare eſt, homines ſubtilium rerum contemplatione addictos corporis actiones habere qvàm ſegnes, & hinc etiam neceſſariorum, ipſiusqve alvi, niſi materiæ pondus ſollicitet, obliviſci; adeò mirandum non eſt, illorum plurimos ob averſam imaginationem ſpiritûsqve abſtractos ex obſtructionibus laborare, & deſvetam alvum vel medicinis aut remiſſô cogitationis genere denuò provocandam eſſe. Et hac ratione novi, qvi mutatô vitæ ordine & redditâ ſibi imaginatione ad ordinariam qvoqve & juſtam excretionem pervenêre. Notæ mihi ſunt aliqvæ hiſtoriæ hominum cum pertinaci alvô

confli-

conflictantium, qvibus poſt fruſtratum remediorum ſucceſſum nihil aliud profuit, qvàm nova attentio & ſtatô tempore in ſellis Patroclianis deſidendi voluntas, & â voluntate determinatus ad alvum ſeu Inteſtinorum ſyſtolen ſpirituum influxus; qvamvis enim initiô ſemel iterumqve imaginatio falleret, tandem tamen in actum deducta inqve habitum mutata magnô faſtidio moleſtiâqve ægros liberavit. Qverebatur apud Capitaneum Sacerdos caſtrenſis, â nulla ſibi re majus creari incommodum, in iſtâ vitæ militaris inconſtantiâ, qvàm ab alvô obſtructâ, ſæpe enim ſex, ſeptem & plures dies tranſire, anteqvam exonerare eam poſſet, & remediis tantum abeſſe, ut hoc vitium emendetur, ut contrà nulla major ſit & contumacior obſtructio, qvàm poſt eorum uſum. Cui Capitaneus, non miror, ait, neglectam alvum, qvæ voluntatis imperium ſeqvi debebat, nunc tandem rebellem eſſe, neqve medicamentis amplius aut optantis votis reſpondere. Cogenga ea eſt & Spirituum imperiô temperanda; qvodſi minus tibi, pergit, æqvum accidit aut credibile, qvin age exemplo meo, neqve enim aliô â triſti & moleſtâ obſtructione liberatus ſum. Diem ventri dicito, nec vadimonium ille deſeret, ſcio. Qvid ergo? inqvit Sacerdos; cui alter, imaginare tibi, inqvit, alvum obſeqventem, &, ut ſit, ipſe operam da; qvære de die & ſtatis horis ſellas, idqve animo penitus intentô, & aſſeqveris, qvæ ego aſſecutus ſum, alvum nimirum qvotidie fluidum. Novô exemplô animatus Sacerdos vitæ hunc ordinem tenet, & matutinô deſidendi conatu hoc efficit, ut alvus tempeſtivè reſpondeat, inqve eô tempore longè etiam poſt perduret. Tantum eſt imaginationis Viribus nutantibus corporis functionibus ſuccurrere, & voluntatis imperium in excretiones qvoqve transferre. Itaqve probandum eſt eorum conſilium, qvi valetudinis ſervandæ cauſâ ſemel aut bis de die horas obſervant, & alvum vel invitam imaginatione tandem diſponunt, ut in con-

ſvetu-

ſvetudinem res abeat, neqve voluntatem noſtram ampliùs expectet. In purgationibus, pergit Pechlinus. manifeſtè notavi, liberum debere eſſe animum, neqve vel profundis ſtudiis aut triſti cogitationi deditum, ita enim ſemper alvum minùs reſpondere; & vel repentinô peregrinæ rei objectô aut nunciô etiam â ſpiritibus, qvi ad excretionem neceſſarii ſunt; planè deſeri.

§. 18.

Obſtructionis alia cauſa. Præter recenſitas autem Alvi Obſtructiones duplici præſertim adhuc modô impeditur fecum alvinarum excretio, & qvidem vel a præternaturali Inteſtinorum, imprimis tenuium, ſtatu, e. g. in Paſſione Iliaca, vel ex vitiô ſeu Clauſurâ ani ſeu Podicis; ita ut in priori Caſu ſtercora utplurimum per Os, in poſteriori verò per alias qvoqve vias exitum qværant.

§. 19.

Iliaca paſſio. Sicuti enim Motus periſtalticus in ſtatu naturali Chylum atqve feces ex Ventriculô ad Inteſtina, ſordesqve demum ad Inteſtinum rectum protrudendo atqve per anum expellendo ſanitatem noſtram promovet & conſervat, ita econtra dictus motus â variis cauſis impeditus atqve antiperiſtalticus ſeu retrogradus factus affectui maximè doloroſo, ſordido, ſæpeqve mortali, Paſſioni ſcilicet Iliacæ, ſeu Volvulo & nonnullis Miſerere dicto, occaſionem præbet. De hôc Ileô, ex mente Johannis Conradi Peyeri *de Glandul. Inteſtinal. Part. poſter. cap. 9. p. 79.* planè conſtat, horrendam eam & commiſeratione vere dignam affectionem, â vehementi qvoqve ſpirituum animalium, fibras Splanchnicas incolentium, excandeſcentiâ oriri: Ob qvam illi contenta Inteſtinorum deorſum pellere non valentes eadem magnô cum impetu & viâ præpoſterâ ſurſum projiciunt. Qvemadmodùm autem remoræ, deſcenſu contenta prohibentes, variæ eſſe poſſunt; ita non prorſus â ratione alienum eſſe, arbitratur Peyerus, aſſerere, ſerum in plexibus glandulofis ali-

qvan-

qvando; craſi ejus vitiatâ, indolem auſteram, ſtypticam atqve Tincturæ Gallarum æmulam ſortiri: proinde ut manipulus circularium Inteſtini fibrarum, ejusmodi Tincturâ imbutus, factâ pertinaci conſtrictione, neqve excrementitiæ ciborum parti, neqve flatibus tranſitum largiatur. Unde his in molem illic adgeſtis, ac perpetuô ſtimulô ad excretionem ſolicitantibus, fecum ciborumqve excretio per ſuperiora, extremò Naturæ conatu tentatur. Juxta Franc. de le Boi Sylv. *de Method. med. Lib. 1. cap. 4. Edit. Amſtelod. in 4. p. m. 95.* eſt Ileus violenta ac inverſa, adeoqve perverſa ac præternaturalis aſſumptorum regurgitatio ſurſum, ut & cæterorum humorum ad tenue Inteſtinum exoneratorum bilis ſucciqve Pancreatici propulſio ad Ventriculum, qvæ nunqvam contingit, niſi propter Inteſtini tenuis Motum periſtalticum ſupernè deorſum tendentem, inverſum, ac infernè ſurſum perperam factum, & contenta ſua eò adigentem; unde in Conſenſum tractus Ventriculus patitur ſimiliter motum inverſum è Pylorô verſus Orificium ſuperius ad Oeſophagum & Os. Et Autor qvidam anonymus in Tractatu Gallicô: L'Anatomie du Corps humain avec ſes maladies, in qvô Motum Inteſtinorum periſtalticum explicat, notat, qve ſi l'Eſprit animal, qvi coule dans les fibres circulaires, comme dans un tuyau entortillé autour des Inteſtins, rencontre un obſtacle invincible, qui l'empeſche de deſcendre & de continuer ce mouvement periſtaltiqve en faiſant les contractions des fibres de haut en bas, il rebrouſſe chemin, & par une eſpece de repercuſſion, il remonte & fait le mouvement antiperiſtaltiqve, en faiſant les contractions de fibres de bas en haut, ce qvi cauſe les divers & cruels ſymptomes du Miſerere. *vid. Journal des Sçavans Tom. 8. p. m. 95.* Qvamvis etiam nonnulli Autores v. g. Dominus Hagvenot & de St. André Paſſionem Iliacam non â Motu periſtalticô inverſô ſeu antiperiſtalticô, ſed potiùs à motu muſculorum Abdominis

violentô derivent, ipſis tamen ſatis contradicunt Acta Medica Berolinenſia *Dec. II. Vol. 4. No. 1. p. 8. ſqq. 77. ſq.*

§. 20.

Cauſa. Variæ autem dicti Inteſtinorum eorumqve fibrarum Motûs periſtaltici inverſi, ſive Paſſionis Iliacæ cauſæ, utplurimum in Inteſtinô Ileô, (â qvô denominationem habet) qvandoqve etiam in Inteſtinis craſſis latentes, apud Autores occurrunt, qvarum tamen, juxta Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obſ. 61. Oper. fol. 49.* præcipua eſt conſtrictio & coarctatio; dictus enim *Inflammatio.* Fabricius hujus rei indagandæ cauſâ diverſa cadavera inſpexit; & qvamvis utplurimum fœtor adeò teter erat, ut vix poſſent *Gangræna & Sphacelus.* exqviſitè omnia conſiderari, id tamen in omnibus obſervâvit, principium & originem hujus morbi fuiſſe circa Inteſtinum cœcum hoc eſt, ſacculum, qvi in fine Ilei & Coli principiô conſpicitur. Qvamobrem exiſtimat, Valvulam, qvam Caſparus Bauhinus in principiô Coli invenit, primùm ex Inteſtini cœci inflammatione adeò contrahi & conſtringi, ut planè nihil excrementorum permeare poſſit: ſicqve accreſcere inflammationem, ut tandem totum Inteſtinum Ileum, imò & circumjacentes partes Gangrænâ & Sphacelô corripiantur. Gangrænam ipſamqve comitantem Inteſtini corrugationem & coarctationem tantam, ut fæcibus tranſitus deorſum omnis denegaretur, qvin eædem ad regreſſum ſurſum, adeoqve per Vomitum egreſſum miſerandum cogerentur, ſe obſervâſſe ſcribit Franciſcus Sylvius *l. a. cap. 15. §. 17. p. 191.* Honeſta matrona plus qvàm qvinqvaginta annos nata, procellis agitata, ſeptem integris diebus nihil dejecerat. Domum reverſa petiit a Medicô purgans, qvod cum aliis, ſeqventibus diebus aſſumptis, Vomitu rejecit. Morbi vigeſimo primô die dicebat, Inteſtinum aliqvod crepâſſe, mens nihilominus optimè conſtabat. Vigeſimô ſecundô fatis ceſſit, in cujus Cadavere diſſectô neqvicqvam vel circa Ventriculum vel in Inteſtinis tenuibus reperiebatur,

qvod

qvod morbi cauſam indicaret; ſed Inteſtinum Colon non procul ab Inteſtinô rectô ſphacelatum tunicæqve diſruptæ offendebantur, teſte Paulô Barbette *Prax. med. Lib. 4. cap. 7. p. m. 170.*

§. 21.

Sæpe Paſſio Iliaca â Suſceptione ſeu Reduplicatione, de qvâ *Reduplicatio.* Capite antecedente §. 32. ſeq. egimus, oriri ſolet, qvando nimirum Inteſtini tenuis coarctati pars in partem proximam priùs expanſam vel flatu turgidulam ingreditur, unde ſimiliter alvinis fecibus tranſitus ad alvum omnis præcluditur, conſeqvente mox earundem regreſſu & adſcenſu ad Ventriculum cum miſerabili ipſarum evomitione, vid. Franc. Sylv. *l. a.* Malum hoc a Suſceptione ſeu Ingreſſu Inteſtini unius in aliud provenire, non eſſe dubitandum, ſeqve bis publicè idem demonſtrâſſe, inqvit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 92. p. m. 117.* qvô locô etiam ejusmodi Ingreſſûs figuram delineat. Pariſiis Anno 1675. in Noſotrophiô la Charité in cujusdam affectu Iliacô defuncti Cadavere apertô triplici in locô portionem Inteſtini Ilei intra alterius cavum rediiſſe ſive intro ſuſceptam, vel inferiorem in ſuperiorem ejusdem partem intortam fuiſſe, annotavit Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 64. p. 253.* In pueri cujusdam ex graviſſimâ Iliacâ Paſſione mortui apertô corpore Inteſtinum cœcum contractum in Inteſtinum Ileum ſeſe inſinuaſſe, idqve oppleviſſe adeò, ut nihil ex ſuperioribus Inteſtinis ad Colon permeare poſſet, obſervavit Gvilelmus Fabricius Hild. *Cent. 1. Obſ. 61. fol. 49.* Talia exempla collegit etiam Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 14. fol. 910. ſqq.* Plura etiam paulô ante de Inteſtinorum Intusſuſceptione, adduximus, ex qvorum nonnullis patet, qvandoqve talem infarctum ſeu ſuſceptionem absqve Paſſione Iliaca & Vomitu ſtercoreô obſervari.

§. 22.

A Conglobatione, Complicatione & Circumvolutione Inteſtini Ilei ortam Paſſionem Iliacam, (qvæ propriè Convolvulus *Complicatio.*

 dici

dici poſſet) obſervarunt Medici, v. g. Lazar. Riverius; ſcilicet in Conſiliarii cujusdam, qvi citra dolorem ad ſeptimum usqve diem juſcula & potulenta, cum materiâ bilioſâ, pituitoſâ & ſtercoroſâ Vomitu excernebat, apertô Cadavere inventum eſt Inteſtinum Ileum tribus complicationibus convolutum & qvaſi compactum in unam maſſam circa finem illius; tota autem illa Inteſtini portio complicata Gangrænâ affecta erat cum portione Meſenterii. Præterea Inteſtinum Gangrænâ infectum perforatum erat ſupra complicationem. vid. Lazar. River. *Obſerv. med. Cent. 3. Obſ. 26. p. 205. ſeq.* Et ſecundum Pauli Barbette *Prax. med. Lib. 4. cap. 7. p. 170. ſq.* pauperrimus qvidam Walo morbô hôc, Miſere mei dictô, ſummô cum dolore periit. Apertô Cadavere ſeptem diverſis in locis Inteſtinum Ileum ita fuit convolutum, ut Cibis, potui, fecibus omnis neceſſe fuerit denegari tranſitus. Puella qvadrima verminoſa, qvæ poſt Epilepſiam ileoſa facta eſt, per os & vermes, & alvina excrementa depoſuit. In hujus diſſectô Cadavere, circa finem Ilei, qvinqve Inteſtini complicationes inveniebantur maximæ, ita ut ad longitudinem digiti in qvalibet Complicationum Ileum eſſet convolutum; atqve hîc inferne ſurſum repebat, alibi ſupernè deorſum implicabatur, ſecundum annotationem Henrici ab Heers *Obſ. 24. p. 214.* Meâ tamen ſententiâ Obſervatio hæc non ad Complicationem ſeu convolutionem, ſed ad Invaginationem & Suſceptionem pertinet. Iliacâ Paſſione demortui corpus cùm aperiiſſet Godofredus Klaunigius, omentum vidit verſus dextrum Hypochondrium, Inteſtini Jejuni portioni bis circumvolutum, & forti amplexu illud conſtringens, ut laboris eſſet hoc explicare; in alterô hypochondriô idem Inteſtinum valde turgidum Sphacelô qvaſi conſumptum, & ex unâ parte laceratum, fæcibusqve, qvæ ultra progredi non poterant, exitum concedens. Seqventia Inteſtina verè jejuna & adeò vacua deprehendit, ut ne mucum qvidem continerent. *vid. Act. Erudit. Lipſ. An: 1718. Menſ. Decembr. p. 555. ſq.*

De

De hac autem Inteſtini tenuioris Circumvolutione ſeu Contorſione, an ſc. ſit poſſibilis, ita ſcribit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 91. p. m. 119. ſq.* Qvalis ſit affectus Ileos, (qvem vulgo etiam Miſerere mei vocant) qvæqve propriè ejusdem cauſa, haud ſatis convenit inter Medicos. Nonnulli credidêre, in eodem Inteſtini tenuioris fieri circumvolutionem ſeu contorſionem (Belgicè een Krimkel in't Gedarmte) ſicuti in farciminum præparatione deprehenditur. Alii econtra pernegant, Inteſtina poſſe in nodum circumvolvi, qvamdiu Meſenterio ſunt annexa. Putrefactô verò Menſenteriô (qvale ſemel atqve iterum me vidiſſe memini) idem utiqve evenire poſſe arbitramur. &c.

§. 23.

Exulcerationes grandes ab humoribus acribus, & alias læſiones dicto malo occaſionem præbere, non dubitant Practici: Inqvit enim Fridericus Deckers *Annot. ad Paul. Barbett. Prax. med. l. a. p. 162.* aliqvando Pituitam (ut Hippocrates *Lib. de Glandulis Text. 9.* probat) exulcerationes grandes humoresve acriores, flatûsve &c. miſerabilis hujus affectûs cauſas exiſtere perſe, qvis non videt? Qvò pertinet etiam bilis acrior & Ira juxta Joh. Jac. Waldſchmid. *Prax. Med. p. m. 79. & 484.* Uxor Mercatoris, dolens acerbè circa Umbilicum, ob bilem præ Iracundiâ, liberaliùs in tenuia Inteſtina effuſam, incidit ilicò in inſignem præcordiorum anguſtiam, ſitim immenſam, alvum tardam & præter crebrum ac exilem arteriæ pulſum in tantum gutturis ardorem & tam indefatigabilem vigiliam, ut die tertiô refrixerit ipſi Corpus univerſum, cum viſcidô madore, vomitu bilis æruginoſæ, & tandem lethali omnium nervorum contractione. vid. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 2. cap. 41. p. 167. ſq.* Sutoris cujusdam Uxor qvadraginta annorum, Epilepſiâ hyſtericâ â multis jam annis freqventer correpta An. 1696. Ventre flatibus ſubmurmurante, magnâ in copiâ ructus, cibum, pituitam & bilem evomuit, ſuperveniente alvô contumaciſſimè obſtructâ. Ceſſante vomitu,

Exulceratio, & alia.

 alvô

alvô autem adhuc adſtrictisſimâ ardor Ventriculi ingens cum anguſtiâ præcordiali maximâ ſubſeqvebatur: Qvod animadvertens Johannes Melchior Welſchius, Medicus, Vomitum recidivum fore dixit. Et en! die ſeptimô unâ cum tribus Lumbricis maximis ſtercus fœtidiſſimum ad aliqvot Menſuras ſucceſſive egeſtum fuit. Hoc in Caſu deſperatô ægra ad ſeptimum usqve diem relicta ſentiebat tumorem Ventris, anxietates auctas, jactationes inqvietas, vigilias, reſpirationem difficilem, calorem, ſitim intolerabilem, lipothymias, & cum ſudore frigidô totius corporis frigus. Uno verbo: adſtantibus valedicebat, & de vitâ jam eſſe actum unà cum omnibus credebat. Sed mirum! die ſeptimô Vomitu aliqvantulum remittente, fortè ægra qvatuor ſedes experitur, atqve materiam, fecis inſtar Cereviſiariæ, cujus etiam colorem referebat, uti hactenus Vomitu rejecerat, alvô reddit, atqve ita ſenſim valetudinem recepit, v. Roſin. Lentil. *Miſcell. Med. pract. Part. III. p. 300. ſq.* Iliacam pasſionem ab Ulceribus Inteſtinorum cum inflammatione potiùs, qvàm eorum intortâ convolutione oriri defendit Theodorus Kerckringius *Spicileg. anat. Obſ. 42. p. m. 93.* ubi ſeqventem Obſervationem recenſet: Die 29. Septembris Anni 1668. Amſtelodami Vir qvadragenarius moritur, qvi ab aliqvot jam annis, qvaſi tabe conficeretur, marcebat, & inter dubia vitæ mortisqve vota miſeram trahebat animam. Tandem febri correptus fuit decimô qvartô ante fatalem ſibi diem: poſt decimum nihil excrementorum per inferiora dejecit, tertiô fæces per os fœdum in modum ejecit, qvas triduò pòſt anima ſeqvebatur. Laborabat is omnium opinione Volvulô; & revera is erat morbus, cui peritiores Medici, vel qvòd æger victus doloribus ſe convolvat ſæpius, vel qvòd flatus in Ventre qvaſi volvantur, etiam hoc nomen indi non abnuerunt. Ego inter ſecandum convolutionem inteſtinorum nullam, ſed ea circa Coli principium arctiùs compreſſa atqve inflammata reperi; & ubi cautâ, leniqve

incisione

inciſione ea aperueram, ulcus inveni, qvod tranſitum ad inferiora fæcibus negabat, & hinc, qvæ deorſum vergebant, vacua, qvæ ſurſum, excrementis plena, qvin ipſe Ventriculus iis infectus, fœdum viſu, grave odoratu ſpectaculum erat. De Ilei dolore ex venenô aſſumptô, vid. Petr. Foreſt *Obſerv. medicin. Lib. 21. Obſ. 23. fol. m. 346.* Anno 1675. Pariſiis miles ictu gladii profundiore & in abdominis cavum penetrante vulneratus biduô pòſt malô Iliacô miſerè vexatus interiit: Cadavere apertô inteſtina tenuia, ileon præprimis, læſum gangrænatumqve deprehendebatur, teſte Johanne Jacobô Harderô *Apiar. Obſ. 64. p. m. 253.* Lanius Ulmenſis profectus tempore æſtatis decidit ex eqvô ſuper ſaxum, & exinde conqveſtus eſt de tolerabili qvidem Ingvinis dextri dolore, nec non vomitu omnium aſſumptorum qvartanô. Hunc dolorem & vomitum dictus lanius per trimeſtre parvi faciens freqventer eqvitavit; poſt vomitum autem continuantem marcore obiit. Cujus abdomen poſt mortem aperuit Johannes Scultetus, & diligenter in locum affectum inqvirens partem Ilei, qvæ cœco inteſtino proxima eſt, invenit adeô contractam, ut cavitate ſuâ vix digitum pueri auricularem admitteret. Dicta Ilei pars ob ſolam contractionem anguſtior longitudinem decem digitorum transverſorum adæqvavit, reliqvum verò inteſtini bene compoſitum aut ſatis dilatatum comparuit. vid. Johann. Scultet. *Armament. Chirurg. Part. 2. Obſ. 61. p. m. 88.* ubi hujus contractionis cauſam explicat, ſcilicet inteſtinum ſaxo contuſum, citra inflammationem, intumuiſſe primò vomitumqve excitâſſe, & reſolutô tumore, demum fibras ſuas (cùm natura jam motui periſtaltico eſſet aſſveta) contraxiſſe, non aliter ac ventriculus pauciſſima aſſumens, veſica calculo irritata, & uterus fœtu excluſô paulatim contrahi ſolet. De puerô duodecim annorum â graviſſimô in os ſacrum lapſu ex Ileô mortuô *vid. M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſ. 29. p. 65.* Annotavit etiam Caſparus Bartholinus, mulierem

rem Germanam Patavii, robuſtam & corpulentam, nonnihil pingvem ſexagenariam nil excreviſſe per alvum ſpaciô novem dierum, nec tamen clyſterem admittere voluiſſe, incidiſſe tandem in febrem malignam cum vomitu bilioſô, & transactô biduô obiiſſe. Apertô abdomine ventriculi tunica interior inflammata, Inteſtinum Ileum in mediô gangrænâ obſeſſum & putridum reperiebatur, ut inopinatô contactu disruptum eſſet; Item univerſa pars ſupra Ilei gangrænam interiore tunicâ erat inflammata, ut ſupra modum venæ meſeraicæ eſſent turgidæ, pars verò Ilei inferior tota coaluerat, ut nihil hac viâ pertranſire poſſet. vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 6. Hiſtor. 38. p. 262.*

§. 24.

Herniæ. Ex variis qvoqve Herniarum ſpeciebus Iliacam paſſionem ortum ſumere qvotidiana docent exempla: v. g. Ileon ex Omphalô in muliere admodum annoſâ ſeptuagenariâ ferè valdeqve obeſâ & craſſâ annotavit Petrus Foreſtus *Obſ. med. Lib. 21. Obſ. 21. fol. m. 341.* dicta ſcilicet mulier Exomphalô ſive umbilici rupturâ laboraverat, ut Inteſtinum ſæpe in eandem rupturam illapſum ad magnitudinem capitis exomphalon extra propenderet. Tandem Inteſtinum in rupturam illapſum pulvinaris inſtar ex ventre propendebat, atqve ſtercore induratô malum ita increvit, ut omnia ſurſum ferrentur, & cibi potusqve portio regurgitaret & ſubitò per os exſiliret, vomitu continuô & pituitoſô, deinde etiam valde bilioſô ſubſeqvente, deniqve per tres dies continuos excrementa fœtida & malè olentia per os rejiciebat: fuitqve podex ita adſtrictus, ut neqve ſpecilli extremum recipere poſſet. Alia fœmina qvinqvaginta annorum, herniâ inteſtinali per aliqvot annos laborans, poſt vomitum fæcum alvinarum fato ceſſit, annotante Vitô Riedlinô *Obſ. 76. pag. m. 175. ſeqq.* Fabri cujusdam lignarii uxori trigeſimô annô ætatis, tertiô partu exomphalus natus, qvi triginta ſeqventibus annis, qvô tempo-

tempore, præter alios tres, illa undecim infantes peperit, ita crevit, ut adulti hominis caput magnitudine longè ſuperaret, adeò ut inteſtina hôc tumore concluſa externâ parte aptè ſentiri poſſent. Illa nec flatus nec fæces per alvum emittere poterat atqve dehinc adeò obſtipatâ alvô erat, ut occluſo verſus inferiora tranſitu per os ſe erumperent excrementa. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. rarior. Centur. prior. Obſ. 53. p. m. 224.* Et *Obſ. 57. p. 243.* Anûs cujusdam meminit, qvæ diu non ſine dolore indies accreſcente ingvinali laboraverat Herniâ. Cùm jam illa qvodam tempore ad ipſum usqve femur extenſa eſſet, inſecuta fuit poſt gravem cardialgiam ipſorum excrementorum vomitio, cui paucos tantùm dies ſuperfuit. Ejus cadavere apertô magnâ jam parte emortuum apparuit Ileum. Item matrona qvædam qvadraginta circiter annorum, â multis annis herniâ inteſtinali, ex partu difficili contractâ, laborans de ſubligaculô nunqvam fuit ſollicita; Cum autem Inteſtinum in illam cavitatem delapſum fuiſſet, poſt maximos dolores ſupervenit vomitus ſtercoreus & bilioſus. Et licet poſt Clyſterem & ſacculos emollientes excrementa multa ſimulqve fruſtum inteſtini ſemiputridi, digitum longum, qvod inteſtinum cœcum eſſe videbatur, ejicerentur, ſeqventi tamen die obdormivit, juxta Gvilel. Fabric. Hild. *Obſerv. Chirurg. Cent. 6. Obſerv. 37. Oper. fol. m. 545.* Ejusmodi infelices, qvi ſæviente morbô fæces per os excernunt, multoties in Enterocele hoc modô mortuos ſe vidiſſe ſcribit Dominicus Panarolus *Pentecoſt. 5. Obſ. 49. p. m. 174.* vid. etiam Joh. Jacob. Waldſchmid. *Prax. Caſ. 30. p. m. 78. & 484.* Affectum Miſerere mei cum ſingultu vehementiſſimô ab Enterocele annotavit Johannes Fridericus Allmacherus *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 79. p. 67.* Vidua qvædam ſexagenaria & hernioſa frigori ſeſe exponens atrociſſimos circa umbilicum & ingvina patiebatur dolores, ſuperveniente tandem ſcybalorum per os rejectione; qvæ tamen conſiliô Johannis Schmidii, Phyſici

Gedanenſis reſtituebatur. *vid. M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 94. p. m. 153. ſeq.* Aliud ejusmodi Ilei ſanati exemplum in puerperâ duplici herniâ, umbilicali & ingvinali, laborante obſervavit etiam Johannes de Muralto, *ibidem Dec. II. An. 1. Obſ. 118. p. 300.* Uxor ſcilicet triginta octo annos nata Herniâ duplici laborans, alterâ umbilici ab infantiâ, alterâ Ingvinum â partu difficili, & pede ligneô claudicans, jamqve duarum ſeptimanarum puerpera, cùm Menſe Julio Anni 1681. alvi excrementa & clyſteres vomitionibus crebris rejeciſſet, ingentia ventris tormina percepit, cunctaqve revomuit. Demum alvô & ore editi fuerunt lumbrici complures vivi; Qvibus excretis dolores, ſitis & vomitiones remiſerunt, ægraqve ſanitati fuit reſtituta. In Fœminâ Paſſione Iliacâ defunctâ Inteſtini Ilei portio digiti articulum vix ſuperans cum particulâ omenti in proceſſum Peritonei dextrum delapſa deprehenſa eſt â Georgio Abrahamo Mercklino. *v. M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſ. 193. p. 376.* Iliaci hernioſi ſectionem vid. etiam ib. *Dec. II. An 2. Obſ. 93. p. m. 242.* Paſſionem Iliacam graviſſimam ab Herniâ inteſtinali in Ingvine excitatam, & Mercuriô vivô mediante proſperè devictam annotavit Alphonſus Rhonius *M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 79. p. 147. ſeq.* Bina exempla Ilei lethalis ex Herniâ in Studioſô, Scrotali & umbilicali in nobili fœminâ annotavit Gregorius Horſtius *Oper. Tom. II. Lib. 4. Obſ. 15. fol. 173. ſeq.* Vir qvidam ſexagenarius ſubligaculum ex linteis malè confectum aliqvandiu geſtârat, qvod tamen prolapſum Inteſtinorum ſemper prohibere non valebat; ſiqvidem ille decem circiter ante obitum diebus Inteſtina ſubitò prolabi denuò expertus eſt, atque elapſis aliqvot diebus cum aſſumptis fæculenta ejecit, ſubſeqventiqve febre & deliriô proſtratis viribus emigravit. vid. Joh. Jacob. Harder. *Apiar. Obſ. 64. p. m. 253. ſeq.* Idem Autor etiam in Scholiô ejusdem Obſervationis *p. 257.* ex Sponii literis ſeqventem Obſervationem curioſam recenſet. Anno 1675. inſignis Juriſperitus Ente-

rocele

rocele à pluribus annis obnoxius præcautionis ergò ſubligaculum geſtare conſveverat: cùm verò per aliqvot dies illud abdicaſſet, ecce repentè in bubonocelem gravem incidit: accerſitus Chirurgus ſatis ſolers Inteſtinum omni ope reponere ſatagit, verum fruſtra; qvinimò ſupervenit poſtridie Ileus cum freqventi vomitu. Poſt varia medicamenta fruſtrà adhibita Conſilium cogitur Medicorum & Chirurgorum; Decernunt ſectione artificioſâ partis factâ Inteſtinum in abdominis capacitatem reponere; Dum ſua arma hunc in finem properè qværit & expetit Chirurgus, ſvadet qvidam, fotu ſupra partem denuo adhibitô, ægrum pedibus ſuſpendere: Rem ergò moliuntur, moxqve inteſtinum, qvò optabatur, regreditur. Qvod ubi factum vident, gratulantur certatim aſſidentes, ac ſi res eſſet in vadô: Verùm ab eô tempore ſymptomata eadem perſeverant; Vomitus, ſingultus, dolor ad ingven ſine tumore, enemata citra ullam excrementorum alvinorum admiſtionem rejecta, unde magna inceſſit ſuſpicio, inteſtinum præ nimiis compreſſionibus Ecchymoſes paſſum in Gangrænoſin, niſi jam de factô concepta ſit, devergere, qvod etiam ſectio, ægrotô mortuô, inſtituta confirmavit. Non tamen, ſecundum allegatorum Medicorum atqve Chirurgorum Intentionem, inſtituendam Operationem Chirurgicam fruſtraneam ſemper eſſe, exemplo Ileoſi in agone mortis Celotomiâ reſtituti probat Emanuel Kœnig *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 95. p. 200. ſq.* Lugduni, inqviens, Gallorum Viro ex herniâ diutinâ Ileô correpto plurima exhibita & adhibita fuêre medicamenta, verum iis nihil juvantibus omnibusqve mortem intentantibus, Sacerdoti fuit commiſſus, qvi extremam unctionem ipſi adminiſtravit, ægerqve jam de bonis ſuis diſpoſuit, ut adſtantes de ejus ſalute deſperârint. Contigit autem, ut Chirurgus qvidam de miſerô ipſius ſtatu certior redderetur, qvi ægrum viſitans extremum remedium adhuc tentari poſſe ipſi ſignificavit, Celotomiam ſci-

licet, ſeu apertionem Ingvinis, qvâ inteſtina reponi, ſicqve fecibus alvi exitus procurari poſſit, id qvod hactenus fruſtrà aliis remediis tentatum. Æger moribundus ſuſtinere hanc operationem in tali ſtatu animum recolligit, parumqve fecit difficultatis. Chirurgus igitur ipſum dextrè locans inciſionem facit ex arte tutam, circa foramen ovale Peritonæi, per qvod inteſtina ſtercoribus repleta in ſcrotum prolapſa ſunt, hæcqve ſurſum dextrè reponit, rupturam ritè claudit, ſic ut poſtea injectô Clyſtere è lubricantibus & carminativis, feces duræ ſubſiſtentes per alvum ejectæ fuerint, ægerqve è faucibus orci ereptus. Simile exemplum recenſet Johannes de Muralto *M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 135. p. 271. ſeq.* de Cive Lauſanenſi, qvi a geſtatione & elevatione oneris gravioris Bubonocelem ſeu tumorem magnum & durum & ad tactum immobilem in Ingvine nactus erat. Huic Chirurgus Lauſanenſis impoſuit Cataplaſmata, poſt Clyſteres exhibuit fortiores, immiſit ægrum balneo, & Inteſtini in locum ſuum reductionem variis artibus tentavit, ſed invanum omnia, adeo ut Symptomata aucta, ſingultusqve moleſtus & metus Gangrænæ adfuerit. Qvare in conſilium vocavit qvosdam Medicos, iisqve nil niſi Operationem manualem reſtare ſibi innuit, qvam cùm æger anxiè poſtularet, hôc modô celebrata fuit: Ægrum elevatis diductisqve femoribus â famulis ſuis ſuſtentatum altiùs in lectô repoſuit Chirurgus, ipſe verò integumenta communia ſupra tumorem digitis prehenſa, qvantum potis erat, elevavit, cultellôqve usqve ad Peritonæi productionem ſeu proceſſum (qvem juxta longitudinem aliqvantum aperire debuit) incidit, tum Inteſtinum naturalem ſuum colorem mutaſſe conſpexit, & indice ſiniſtræ manûs proceſſum intra vaginam dilatandô ad muſculi obliqve aſcendentis abdominis annulum pervenit; dextrâ verò Inteſtinum in locum naturalem repoſuit: Inſimul femoribus elevatis Inteſtinum feliciſſimè ſedem nativam ingreſſum eſt. Suturam vulneri poſtea qvatuor in locis Integumen-

tis

tis atqve Peritonæo adhibuit, & mediâ poſt horâ Enema applicuit, qvod cum copiâ Excrementorum fœtentium brevi rejectum eſt, ægerqve placidè dormire cœpit, antea qvatriduô integrô vigil exiſtens atqve tribus ſeptimanis reſtitutus eſt. vid. etiam §. 39.

§. 25.

Aliqvot etiam Paſſionis Iliacæ ab Herniis modò ſcrotalibus, modò Ingvinalibus & Umbilicalibus ortæ exempla plerumqve tamen triſtis eventus, in utroqve ſexu obſervare mihi licuit. *Obſervatio.* Qvamvis enim qvibusdam maribus adultis hôc in malô ſtatim in principiô Vomitûs ſtercorei Celotomiam ſvaderem, nimis tamen crudele Conſilium hoc ipſis videbatur, & potiùs alia tamdiu expetebant auxilia, usqve dum Gangræna & incipiens Sphacelus inſtarent; qvibus præſentibus poſtmodum ægrotantes qvandoqve hanc eqvidem Operationem manualem, nimis tamen ſerò, admittere conſentiebant. Qvid mihi verò *Obſervatio.* ante aliqvot annos in ſexu ſeqviori annotare licuerit, paucis recenſere volui. Scilicet per aliqvot annos Colicâ ſpasmodicâ ſeu Paſſione ſic dictâ hyſtericâ ſæpisſimè & per intervalla laborarat Secretarii cujusdam Uxor, qvæ ante aliqvot ſeptimanas poſt vehementiorem excandeſcentiam, cui nimis dedita erat, omnimodam alvi ſuppresſionem, cum maximis torminibus, & crebiores Vomitus, qvandoqve fœtentes & ſtercoreos, experiebatur. Ad qvam cùm vocarer, ſtatim, an hernioſa eſſet, ſive an circa Umbilicum vel circa Ingvina protuberantiam qvandam ſeu tumorem tactu ſentiret? ex ipſa qværo; qvod ultimum ipſa jam aliqvot annos in ſiniſtrô Ingvine habuiſſe affirmabat, dictum tamen tumorem ſæpius iterum evanuiſſe, nec unqvam adeò diu duràſſe, neqve tam diros cruciatûs vomitusve fœtentes induxiſſe addebat. Poſt ordinata Medicamenta Abdomen hactenus per aliqvot horas nimis tumidum, emisſis plurimis ructibus, eqvidem detumeſcebat, alvus tamen non ſolvebatur, ſed

cuncta alimenta & medicamenta propinata, imò Clyſteres applicati cum excrementis per Os rejiciebantur, donec tandem poſt continuatum Medicamentorum uſum tumor iſte ingvinalis ſenſim decreſcere, atqve Clyſteres per viam ordinariam regredi inciperent; qvô factô dicta femina, obſervatâ poſtmodum debitâ Diætâ ſucceſſivè ſanitati in tantum reſtituebatur. Huic feminæ deinde Conſilium dedi, ut vel idoneô ſubligaculô ulteriorem Inteſtinorum prolapſum impediret, vel periti Artificis, ſi haberi poſſet, manuali Operationi, ſive Herniæ ingvinalis ſectioni ſe ſubjiceret; qvalem ante octo & viginti annos in Feminâ non incelebri, & adhuc vivente, tunc temporis qvoqvoqve Herniâ ingvinali a lapſu è ſcalâ laboranti, licet ipſius Vomitus nondum eſſent ſtercorei, ab Operatore Helvetico, cui Nomen Dithelmus Scherer, meô ſvaſu & Dei benedictione, feliciſſimè peractum memini.

§. 26.

Ileos in Infante. Referri huc etiam poteſt Obſervatio Johannis Chriſtiani Mentzelii de puellâ recens natâ Iliacâ Paſſione laborante, qvæ Berolini vix ſpiritum ducere inceperat, cùm jam Meconium evomeret, poſteaqve lac, qvod avidè ſugebat, & pultem, qvâ alebatur, cum fœtore, uti etiam feces alvinas vomitu redderet, per anum verò nihil egereret, licet ſuppoſitoria & Clyſteres varii adhiberentur. Qvidam Chirurgi Gallici, tumorem parvi pugni magnitudine, qvem infans in Ventre, eo locò, qvô Umbilicus eſſe ſolet, habebat, perluſtrantes, illum ex Umbilicô provenire ſatis deprehendebant atqve Sarcoma qvoddam, neceſſariò exſcindendum, eſſe concludebant. Dictum factum, Operatio ſine procraſtinatione inſtituitur, atqve Sarcoma illud, qvemadmodum illi putabant, novaculâ abſcinditur ſine ullâ notabili ſubſeqvente hæmorrhagiâ, vulnusqve optimè ligatur. Infans vero per triginta ſex horas poſt operationem valde debilis erat, & omnia ingeſta, more ſuô, Vo-

Vomitu reddebat, poſtea Convulſionibus correpta mortem cum Vitâ commutabat. Diſſectô puellæ defunctæ abdomine, magna copia congrumati ſangvinis adſpectui ſe offerebat, Inteſtinaqve tenuia integra & ſatis ampla, ita ut duos digitos faciliimô negotiô caperent; & fœtidâ amurcâ repleta reperiebantur; nulla vero aderant Inteſtina craſſa, exceptô rectô; nam Inteſtina, cœcum & Colon, per Umbilici anguſtum foramen, in conformatione fœtûs, exierant atqve tumorem Sarcomati non abſimilem formaverant, & â Chirurgô reſecta erant. Qvia verò foramen valdè anguſtum erat, ideo Inteſtinum Ileon eô locô, ubi craſſa incipiunt, ob anguſtiam foraminis & compreſſionem adeò coalitum erat, ut nihil liqvoris in craſſis Inteſtinis deſcendere potuerit, qvæ cauſa fuit Iliacæ Paſſionis. Inteſtinum autem, â qvô Colon abſciſſum erat, adeò parvum reperiebatur, ut vix magnitudinem Calami anſerini referret. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 83. p. 286. ſq.* De Muliere, qvæ poſt partum difficilem tumorem in Ingvine ſiniſtrô habens primò odorem ſtercoreum ex ſtomachô ad Os aſcendere ſentiebat; deinde ſummô cum faſtidiô fæces alvinas per Os continuò rejiciebat, tandem tamen excretis per dictam Herniam disruptam fecibus dictis, convaleſcebat, juxta Alardi Mauritii Eggardes Obſervationem *vid. M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſerv. 9. p. 18. ſeq.*

§. 27.

Qvandoqve etiam alvi Obſtructio & Paſſio Iliaca ab Inteſtinorum Obſtructione oritur, qvam vel Excrementa indurata, vel deglutita Oſſa, ſimiliaqve ſolida vel adſtringentia inferunt. Uxor enim Mercatoris cujusdam a fecibus induratis undecim continuis diebus, alvum habebat obſtrictam. Qvod etiam evenit Virgini cuidam, qvæ fruſtula aliqvot panni deglutiverat, juxta relationem Pauli Barbette *Prax. Lib. 4. cap. 7. p. m. 171.* De contumaci Alvi, â potu aqvæ frigidæ orta, Obſtructione, exqvi-

Ab Excrementis induratis.

qviſitiſſimis Ventris torminibus & Vomitu ſtercoreô vid. Samuel. Ledelius *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 98. p. 155.* Ex Caſtanearum crudarum ingluvie multâ qvidam in omnimodam incidit fæcum retentionem, ita ut Ventris tumore doloreqve immani oppreſſus, circa Umbilicum globulum veluti ſphæram habere videretur, ab implicitis & circumvolutis, chordarum modò, inteſtinis enatam. Hic cùm in agone eſſet & frigidô ſudore madidus, Stercus per Os ejecit, vid. Zacut. Luſit. *de Prax. medic. admirab. Lib. II. Obſ. 34. fol. m. 49.* Fœmina qvædam ab infantiâ Caſei & eorum, qvæ ex illô conficiebantur, abſtemia fuit, ſed â Generô ſuô perſvaſa didicit eundem comedere, verùm Belgarum qvorundam more, fruſto ſcilicet panis oblongi, butyrô illito & Caſeô Hollandicô deſcobinatô conſperſô, atqve inſuper portione acetarii de lactucâ, vel Endivia impoſitâ. His illa ſæpiſſime & avidè nimis in prandii principiô & extra prandium fruiſcens, poſt tempus aliqvod in difficultatem alvi, anorexiam, paſſionem Iliacam inſignem, cum Pectoris anguſtiâ, Ciborum & deniqve excrementorum vomitione continuâ inciderat, & qvintô morbi die frigidum ſudans mortua eſt, referente Johanne Helwigiô *Obſ. 90. p. 269. ſeq.* in cujus Obſervationis Scholiô monſtrat Lucas Schrœckius, â Caſei indurati eſu Obſtructiones atqve Paſſionem Iliacam oriri poſſe. Puellæ ſeptenni, Diarrhœâ per aliqvot dies correptæ, ipſius avia diuturnitatis fluoris pertæſa Cydoniatum largâ manu exhibuit, ſicqve ejus eſu alvus ita eſt repreſſa, ut eô die & ſeqventi nocte nil omninò reddiderit, ſed excitatis ſæviſſimis Ventris doloribus & torſionibus usqve eò intumuerit, ut hydropica derepente evaſiſſe putaretur. Poſt irritum Medicamentorum uſum invaleſcentibus doloribus cum crebris animi deliqviis tandemqve liqvidioris ſtercoris vomitione intra biduum miſerabiliter extincta eſt. Apertô Corpore cœcum Inteſtinum coanguſtatum conſtrictumqve, adeò obhæreſcente

inte-

interioremqve ductum obturante Cydoniatô deprehenſum eſt, ut illac nullô modô prorſus qvicqvam poſſet pervadere; unde accidit, ut illa materia meatu prohibita objectaqve mora reſtagnans inuſitatam ſibi viam in abdominis ſpatium patefecerit, paulòqve ſupra obſtructum locum pereſô perforatôqve Inteſtinô excidens abdominis totam cavitatem repleverit, juxta Joh. Fernel. *Patholog. Lib. 6. cap. 9. Oper. Tom. II. p.m. 157. ſeq.* vid. etiam Godofr. Mœbii *Phyſiolog. Cap. 11. p. 221.*

§. 28.

Plura Paſſionis Iliacæ â variis cauſis exortæ exempla congeſſit Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. III. Sect. 14. Obſ. 19. ſqq. fol. n. 907. ſq.* Johann. Schenck. *Obſerv. med. Lib. III. f. 365.* Matth. Moron. *Director. med. pract. p. 240. ſq.* Paſſionem hanc ab Ictu Scorpionum his verbis annotavit Franciſcus Evangeliſtius: ſcilicet Eliſabetha de Turſanis ſub fine Menſis Junii 1692. cùm ſeſe ad latrinam ſ. h. in locô præhumidô ſitam contuliſſet, â Scorpione ibidem latente icta fuit circa ultimas recti Inteſtini plicas. A re inopinatâ perterrita me accerſitum voluit, ut prædicta narraret. Petii ab eâdem, num eſſet certa, qvod verè ictus Scorpionis fuiſſet? qvem ſtatim mortuum mihi oſtendit, qvia ab inflictô Vulnere illum calceamentis contriverat. Interea ut mortem, qvam imminentem arbitrabatur, evaderet, medica poſcebat præſidia. Unde præcepi, ut locum ſauciatum cum eodem Scorpione optimè tritum fricaret, qvod non permiſit. Qvapropter ſuffumigium cum eodem animali perficiendum commendavi, qvod factum fuit; qvamvis pudibunda dilatationem puncturæ operâ Chirurgi peragendam renuiſſet. Interea nulla ſæviora Symptomata apparebant. Poſt duas horas â maximâ viſcerum commotione, vomendi ſtimulô, ſudore frigidô & qvadam veluti Lipothymiâ infeſtatâ denuo ad Viſitationem adſtantes me vocant. Ego Indicatione ſumptâ â Venenô repente ad ſuperiora, Hirudines ad locum ſauciatum,

Ilei Exempla.

A Scorpionis Ictu.

unam poſt aliam, apponendas conſului, & interim ſpecifica Alexipharmaca aſſumenda præſcripſi, qvæ omnia integra peracta fuerunt. Poſt ſex horas incidit in adeò perverſum Inteſtinorum motum, ut omnia, qvæ per Os aſſumebat, ſtatim evomeret. Unde cùm per ſuperiora non poſſet dari medelæ locus, Clyſteribus, fomentis &c. uſi fuimus. Primus Clyſter vix injectus fuit, cùm jam per ſuperiora redderetur, de certitudine Volvuli nos certiores faciens. Interea pluries animi deliqvia ipſam apprehenderunt, & poſt horas aliqvot convulſa obiit. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 20. p. 39.*

§. 29.

Ani Clauſura.

Deniqve præter adductas Alvi Obſtructiones indeqve impeditam fecum alvinarum excretionem naturalem, (qvâ in ſtatu ſanô poſt laudabilium & chyloſarum particularum ex aſſumptis factam ſeparationem ultimò ſordes mediante motu periſtalticô atqve Muſculorum abdominis contractione ſimulqve Diaphragmatis compreſſione, per Inteſtinum rectum ſeu podicem, tanqvam viam naturalem extra corpus eliminantur) hinc inde proſtant Caſûs partim eorum, qvi ob plenariam Inteſtini recti ſeu Ani clauſuram, absqve manu Chirurgicâ, alvum nunqvam deponere ſeu feces per has vias excernere poſſunt, ſed morte præmaturâ obeunt, partim etiam eôrum, in qvibus ex iisdem vel aliis cauſis Stercora præternaturales ſibi vias qværere ſolent.

§. 30.

Clauſuræ tres Species.

Occluſionis autem Ani variæ, imprimis tres apud Practicos reperiuntur ſpecies; primò ſcilicet nimia Inteſtini recti anguſtia ſeu Conniventia, ita ut eqvidem non penitus ſit imperforatum, ſed aliqvid tantum humoris pertranſire permittat, qvale exemplum refert Johannes Scultetus *Armamentar. Chirurg. Part. 2. Obſ. 71. p. 103.* Anno ſcilicet 1640. Jacobo Neubronnen Civi ac pannorum tonſori Ulmano natus eſt filiolus

cum

cum anô adeò anguſtô, ut vix aciculæ communis cuſpidem admitteret. Vocatus Scultetus propoſuit Chirurgiam, *ibidem Tabul. 45. figur. 8.* depictam, qvam Parentes noluerunt concedere, qvapropter neceſſariam ani ſtrictiſſimi dilatationem tentavit penicillis, ex Radicibus Gentianæ præparatis, qvos Oleô priùs imbutos anguſtiſſimo Ani orificio impoſuit ibiqve reliqvit, donec tumefacti illud ſufficienter dilatarent. Raram etiam Ani clauſuram, absqve dubiô ab imaginatione Matris ortam, annotavit Johannes Adamus Lospichlerus *Ephemerid. Academ. N. C. Cent. I. & II. Obſ. 150. p. m. 313.* de Prænobili qvadam fœminâ; hæc ſcilicet aliqvarum jam prolium Mater noviter imprægnata eodem, qvô ſemper uterô, gerens, correpta fuit Capitis dolore graviſſimô, repetitim affligitur, nullô tum temporis medicamentô remedibili, qvam ob rem præmiſſis præmittendis uſus fonticulorum proponitur; admittitur unus & doloris reqvies ſeqvitur ex hac parte; applicatur & alter, ſicqve totum caput liberatur; Interim tempore debitô hora partus inſtat, & qvidem feliciſſima, parturit enim feliciter, at infantem fœminei ſexûs, cujus nates invicem tam firmiter cohærebant & connectebantur, ut debita partium diviſio nulla, locô ani conſveti verò in planô non niſi foramen parvulum ad inſtar fonticuli ſignatum obſervaretur. Ipſiſſima autem recens nata jamjam hydropica & ſummè debilitata paucas poſt horas fatis ceſſit. Infans qvatuor Menſium adeò anguſtam ani aperturam habebat, ut per ſe feces exprimere non poſſet, ſed Mater digitis eadem exſculpere qvaſi tenebatur. Cùm autem infans poſtmodum præter lac pulmenta & alia ſolidiora aſſumeret, tenues eqvidem ſordes a Matre exprimebantur, â craſſioribus verò relictis varia oriebantur ſymptomata; qvare Heinricus a Roonhuyſen Inteſtinum rectum Lancetta atqve Forcipe magis aperiebat ſtatimqve magna Excrementorum copia ejiciebatur. vid. Henr. Roonhuyſ. *Obſerv. Part. 2. p. 144.* Meminit

etiam Johannes Wierus *Obſ. med. Lib. I. Oper: p. m. 944.* anum infanti recenter nato concreviſſe, veſtigiô tamen exiguæ fiſſuræ liqvori transmittendo idoneæ relictô. Hoc ſepimentum ad juſtam naturalis hiatûs diviſionem forficulâ, cujus inferiorem cuſpidem per dictum foramen immittendum prius abrumpi obtundiqve, ne læderet acies, oportuit: deinde interpoſitis exſiccantibus facilè abſolvi potuit curatio. Miram Inteſtini recti coarctationem in Melancholicô qvodam obſervavit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 95. p. 121. ſq.* huic ſcilicet dictum Inteſtinum in totum fere coaluerat, vix enim ac ne vix qvidem ſtilum ſtraminis craſſitie in univerſum admittebat, unde miſer nec urinam nec fæces alvinas excernere potuit, niſi guttatim, & qvidem continuè ichoroſâ & purulentâ materiâ remixtas aſſiduisqve cruciatibus. Aliud exemplum de infante §. ſeq. reperies.

§. 31.

Clauſura per membranam. Deinde apparet Anus planè imperforatus, atqve foramen ordinarium membranâ qvadam diverſæ craſſitiei, modò tenui, modò denſiori, qvandoqve etiam prædurâ vel etiam Carne occluditur, inqve tali caſu interdum circa locum ordinarium ani macula qvædam livida apparet, qvô locô apertura Lancettâ facienda qvaſi digitô monſtratur, ſiqvidem absqve inciſione feces, per podicem excernendæ, motu periſtalticô inverſô ad Inteſtina ſuperiora & Ventriculum regreſſæ, uti modo de Paſſione Iliacâ diximus, per Os rejiciuntur, vel talismodi recens natus infans paucos dies ſupervivere poteſt. Meminit eqvidem Johannes Scultetus *l. a.* ſe noviſſe Obſtetricem Patavinam, qvæ anum recens natis totaliter occluſum aciculâ communi perforare & factum dein foramen impoſitis ex Gentianâ turundis ampliare ſolita fuiſſet, id qvod tamen non in qvolibet ejusmodi caſu ſuccedere poteſt, cùm interdum membrana ſit nimis craſſa, uti ex ſeqventibus exemplis patebit.

§. 32. Na-

§. 32.

Natus fuit A. 1602. qvarto Decembris in Noſodochiô Argentinenſi puerulus, qvi octavô ejusdem obiit, is poſt partum, aliorum infantum more, bene & comedebat & ſugebet, interim tamen nihil, nec per alvum, nec per Veſicam excrevit. Hujus poſt mortem apertô Abdomine Inteſtina omnia flatibus admodum diſtenta erant; præſertim autem Inteſtinum rectum, qvod præter flatus etiam excrementis liqvidis plenum erat, & ſacculi inſtar valde diſtentum. Fæcum autem retentionis hujus cauſa erat occluſio extremitatis Inteſtini, ita arcta, ut ne veſtigium qvidem tranſitûs appareret; foris qvidem podex apparebat, absqve tamen, ad Inteſtinum rectum, ullâ viâ, juxta Johannis Rudolphi Salzmanni *Obſ. anatom. p. m. 20. ſq.* qvi etiam *p. 62.* aliud exemplum refert de puellô, qvi octavô poſt partum die obiit; in cujus apertô corpuſculô Inteſtinum rectum pugni inſtar amplum flatibus & materiâ ſangvinolentâ nigricante, qvalis â nuper natis primò excernitur, repletum, prope podicem occluſum erat, & ita qvidem, ut ne veſtigium tranſitûs appareret. Non ſolùm bina ejusmodi exempla & qvidem puerorum, ſcalpellô & ruptione membranæ craſſæ curatorum, ex aliorum relatione annotavit Petrus Borellus *Obſ. med. Phyſ. Cent. I. Obſ. 77. p. m. 82.* ſed tertium qvoqve ex propriâ obſervatione annectit de puerô, qvi A. 1648. podice imperforatô natus erat; Cùm autem foraminis illius defectus tardè animadverſus fuiſſet, anteqvam Operatio chirurgica celebrari poſſet, puer è vitâ diſcesſit. Et *Cent. 3. Obſ. 9.* Agni absqve Podice nati, apertione tamen curati exemplum recenſet. A. 1653. die 13. Martii cujusdam Serarii Svinfurtenſis uxor abortivit filiolum ſeptem menſium, cui anus imperforatus erat; Venter verò ſeu abdomen in inſignem molem intumuerat. Vixit ferè horam dimidiam. vid. Joh. Laur. Bauſch. *de Lapid. Ætit. p. m. 4.* Et A. 1639. die 20. Septembr. Uxor paupercula ex pagô Suinfurtenſium Zell, Suinfurti Ge- *Exempla.*

 mellos

mellos peperit, filiolam pulcherrimam & bene conſtitutam, ac filiolum, cui penis qvidem erat, ſed teſtes & ſcrotum nullum, anus clauſus & imperforatus, imò ne veſtigium qvidem ani, &c. vid. Idem *ibid. p. 7.* In ſuburbanâ Vratislaviâ villâ A. 1669. Menſe Octobri, fabro cuidam lignario naſcebatur puellus, cætera optimè conformatus, præterqvam qvòd anus penitisſimè clauſus eſſet, ac veluti conſutus, nec niſi levisſimum ac vix ab acutiore oculô ritè diſcernendum indicium foraminis, qvod lineola ſubtiliſſima, veluti calamô inſcripta, deſignabat, juxta Henr. Vollgnadum *v. M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 11. p. 33.* Meretrix qvædam in carcere detenta peperit Gemellos maſculos, qvorum unus erat ſanus & bonæ conſtitutionis, alter habebat anum clauſum, crura diſtorta & tumorem ſpongioſum in ultimâ vertebrâ dorſi. Ani apertio â Chirurgô feliciter peragebatur excrementaqve alvi naturaliter iterum fluebant; ſed poſt aliqvot dies infans moriebatur, juxta Johannis Petri Albrechti annotationem, *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 83. p. 195. ſeq.* Infantulus qvidam clauſô anô natus jam usqve ad ſextum ætatis diem cum maximô angore torminibus cruciabatur, & in vitæ periculô verſabatur Venter enim inflatus diſtentusqve erat, Leipothimiæ & ſudores frigidi aderant, anus obductus erat membranâ prædurâ, in qvâ nullum ferè indicium aut veſtigium ani, præterqvam macula nonnihil livida apparebat. Illic factâ parvâ inciſione (ne Sphincter læderetur) novaculâ linteis juxta aciem involutâ, deinde immiſſô ſpeculô ani, & qvod reliqvum dilatatô, ſtatim ejecta eſt excrementorum colluvies. Hinc Venter confeſtim ſubſedit. v. Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obſ. 73. f. m. 54.* ubi addit hunc puerum factâ cicatrice plenisſimè convaluiſſe, ſanumqve & incolumem ad annum ætatis decimum octavum vixiſſe, niſi qvòd alvum utplurimum ſiccam habuerit. Antonius Benivenius duos vidit pueros ab uterô matris natos naturalibus clauſis: horum alteri caro qvædam in anô altiùs increverat,

adeò

adeò ut Inteſtini exitus percipi nullô modô poſſet: qvô factum, ut paucis diebus vitam finierit. Alteri verò membrana qvædam ipſius tantùm ani ori opponebatur, ſed eâ acutiore ſcalprô præciſâ ſanatus eſt puer. v. Anton. Beniven. *Obſ. med. cap. 30. p. m. 183.* Anno 1688. Menſe Februariô Mercatoris cujusdam Auguſtani Uxor enixa eſt puerum ſine podice, unde Parentes anxii â Medicis petierunt, ut clauſa porta pér Chirurgum aperiretur. Sublatis linteolis inveniebant anum qvidem imperforatum, ſed ab ipſô lineam ad radicem penis procedentem, in extremitate cum aliqvô foramine piſum medioris magnitudinis æqvante, pęr qvam viam alvinas fæces, modò tenuiores, modò craſſiores, paucas tamen, cum conatu, non rarò cum ſibiliô flatuum, depoſuit infans. Re â Medicis & Chirurgô ſeriò penſitatâ & manifeſtâ ſpe lactati oſtium hujus viæ minùs qvidem ſolitæ, magis ac magis ſucceſſu temporis dilatatum iri, actuali manus operationi inducias dederunt; intruſâ tamen ad dilatandum qvadantenus hiatum illum, qvò liberior conciliaretur fæcibus alvinis exitus, turundâ è Radice Gentianæ paratâ. Interea tamen, cùm excrementorum excretio creſcente puerulô, qvi cæteroqvin edendo &c. ſanum ſe eſſe probabat, difficiliòr fieret, & abdomen intumeſceret, inſtantibus Parentibus Chirurgus B. S. die 22. Aprilis, præſente Medicô, intruſô in foramen ſtylô argenteô, ſecundum lineæ aut canalis longitudinem exploravit, num tendat ad locum ani conſvetum: cognitâ digitô qvoqve externè non levi rei certitudine, clauſuram hanc neqve â conniventiâ, neqve â coalitu, ſed ſolum modò per membranam eſſe, impoſitô prius cauteriô potentiali, per Lanceolam via reſerata eſt, cum modicâ ſangvinis profuſione & fæcibus in momentô exeuntibus: ab illô tempore puer porrò comedit, bibit, digeſſit, excrevit. Dejectiones autem alvinæ duplicem, per novum utpote ſimulqve prius oſtium, habuerunt exitum, juxta Obſervationem Georgii Tobiæ Durrii *M. N. C. Dec. II. An. 7.*

An. 7. Obſerv. 62. p. 111. Anum imperforatum & cuti integræ ſimilem, ſine ullo ſigno aperturæ cicatriſatæ vel concluſæ in filiolô obſervavit Salomon Reiſelius. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 151. p. 334.* Anno 1698. Menſe Octobri obſervavit Joſephus Lanzonus puerum qvendam ſine Anô, â ruſticâ bonæ temperiei, annorum ætatis viginti novem ortum, qvæ ipſi faſſa eſt tres ſe jam peperiſſe filios & omnes ſine anô. Arte eqvidem apertus eſt anus, ſed ſecundô â vulnere die mortuus eſt. vid. ib. *Obſ. 282. p. 635.* Anno 1672. ad Civis cujusdam primarii Hafnienſis filiolum vix viginti qvatuor horas natum, vocatus fuit Caſparus Kœlichen, eumqve faſciis involutum in gremiô obſtetricis jacentem & qvaſi animam agentem invenit, ut ab adſtantibus etiam mortuus crederetur. Hujus debilitatis & Lipothymiæ cauſam credit reqviſitus Medicus anum, qvem in miſellô illô imperviųm comperiebatur, obſervans præterea, qvoties filiolus ille reſpiraret, materiam excrementoſam in anô latentem exitum vi qvadam moliri. Itaqve advocatus Chirurgus expeditæ manûs inſtrumentô inciſoriô tunicam illam, qvæ anum claudebat perforavit; qvô factô ilico materiæ excrementoſæ, atramenti craſſioris inſtar, ſatis magna copia exiit; ſublevatus inde paulum bonus ille puſio liberiùs reſpirare cœpit, ſeqventi tamen die fatis conceſſit, qvia, qvamprimùm anus pervius eſſet, etiam per nares materia purulenta effluebat, fortè abſceſſus ibi latentis ſignum. vid. Thom. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 84. p. 167. ſeq.* Aliud exemplum puelli anum imperforati & absqve effectu inciſi annotavit Henricus Roonhuyſen *Obſ. Chir. Lib. I. Obſ. 5. p. m. 18.* Et *Lib. 2. Obſ. 2. App. p. 146.* Inteſtini recti occluſi, atqve ad duorum digitorum latitudinem Lancettâ, ſine tamen effectu, aperti, idem meminit; cui *Obſervat. ſeq. p. 148.* adhuc aliud exemplum annectit, è cujus puelli Lancettâ latâ apertô anô ſex uncias materiæ nigræ excrementitiæ prodiiſſe ſcribit. Poſt inciſionem præcavendæ inflammationis

tionis gratiâ aperturæ turundam ſat magnam, Ungventô albo camphorato illitam, immiſit anumqve cannulâ argenteâ idoneâ, ad conſolidationem & ſanationem plenariam usqve apertum ſervavit. Peculiarem etiam obſervationem cum curâ annotavit Gallicus qvidam Autor, nomine Joſeph Courtial, dans les Nouvelles Obſervations anatomiqves ſur les os, *Svite Obſ.5. p. m. 74.* ſeqventibus verbis: Je fus appellé chez un de mes amis pour viſiter un enfant nouveau né, qvi rendoit les excremens par la bouche, & rien par le fondement. Il avoit le ventre fort gros & fort tendu: je l' examinay & je vis l' anus parfaitement bien formé. Je voulu y introduire une bougie, elle plia, & je ne pus jamais la faire aller qv' un grand travers de doigt au de là du Sphincter. Je le ſondai enſvite avec mon petit doigt; je trouvay un corps épais & membraneux, qvi reſiſtoit, & qve je ne pus dechirer. Cela m' obligea a faire faire ſur l' heure une canule de plomb, qve je fis introduire dans le fondement, le long de la qvelle le Chirurgien pouſſa un petit couteau en forme de biſtouri ou ſiringotome, au moyen du qvel je fis inciſer cette cloiſon membraneuſe, qvi fermoit le paſſage. Au premier coup les excremens ſortirent. Lorsqve l' Enfant fut bien vuidé, je fis introduire dans l' ouverture une tente embue de miel roſat, & je fis appliqver ſur le ventre de l' Enfant, qvi reſtoit gros & tendu, un cataplasme emollient. Cet enfant eſt agé de ſix à ſept ans, & ſe porte parfaitement bien. Inqvit etiam Ludovicus Cœlius, Rhodiginus, *Lection. antiqv. Lib. 4. cap. fol. m. 128.* ſe puerum atretum ſeu imperforatum in patriâ ſuâ natum vidiſſe, qvi diſſectâ parte obductâ, poſtea ſuperſtes manſit. In Nobilis cujusdam Poloni filiolô qvatuor dierum ſanô & optimè formatô orificium ani, qvod circa Inteſtinum rectum ad expellenda excrementa naturaliter apertum eſſe debet, carne & cute obductum erat, qvod tamen Chirurgus acutô ſcal-

 pellô

pellô inſtitutâ ſectione formâ crucis aperuit, ut mox magna copia excrementorum nigrorum & fœdiſſimi odoris exirent, juxta Simonis Schulzii Obſervationem *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 2. p. 3. & 4.* ubi adhuc aliud exemplum de ruſtici cujusdam filiolô octo dierum refert, cui anus naturaliter adeò occluſus fuit, ut nullum veſtigium, ubi ſectio commodè fieri poſſet, apparuerit, cum maximâ ventris intumeſcentiâ. Poſtqvam Chirurgus primùm parvam inciſionem acutô ſcalpellô fecerat, mox ſpiritus vehemens & non nihil fœtidiſſimi humoris exiit, foramine autem forpice magis dilatatô, ingens copia fœdiſſimorum excrementorum partitis vicibus egeſta eſt. Cùm Cerdonis cujusdam puellus qvatuor dierum nihil fecum alvinarum excerneret, abdomen ejus intumeſceret, infans ſugere nollet, & omnia ingeſta vomitu rejiceret, clyſmate inteſtina muneris ſui oblita proluere Chirurgus tentabat, ſed tum fiſtula eburnea profundiùs intromitti non poterat, & qvicqvid vi injiciebatur, regurgitabat, unde de clauſô profundius anô cogitabatur: qvod & exploratio per ſtilum & digitum, cujus articulationem ſeu membrum integrum capiebat introitus Inteſtini recti apertus, facta manifeſtò confirmabat. Tunc cannulam oleô inunctam pro defendendô orificiô ani leniter intruſit Chirurgus, & per ejusdem medium, phlebotomum, qvàm profundè poterat, adegit, effluente largô ſatis ſangvine. Poſt horæ dimidium qvadrantem puellus emiſit ſaltim aliqvot flatus, dilatatôqve per ſuppoſitorium vulnere bis dejecit Meconium aterrimum nunc &c. juxta relationem Johannis Burgii *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 58. p. 139. ſeq.* Plura ejusmodi exempla collegit Johannes Schenckius *obſ. med. Lib. 3. f. 382. ſeq.*

§. 33.

Per coalitum. Tertiò qvandoqve exitus ſeu foramen Inteſtini recti non nudâ membranâ occluſum, ſed coalitu vel excreſcentiâ carneâ, interdum ad aliqvot digitorum latitudinem conſtipatum & adimpletum eſt v. g. puero carnem qvandam in anô altius in-

increviſſe, adeò ut Inteſtini exitus percipi nullo modô poſſet, ex Antonii Benivenii *Cap. 30. p. 183.* paulò antè adduximus. Filiolo Conſulis cujusdam Thorunenſis â Chirurgô clauſus podex, ſed ſine ullô indiciô apertus eſt, nullis excrementis, ſed aliqvot ſangvinis guttis ſubſecutis, puelloqve poſtridie mortuô, in cujus abdomine apertô inventum eſt Inteſtinum rectum longitudine novem digitorum transverſorum ad podicem usqve firmiſſimè & arctiſſimè ad funis modum qvaſi contortum, nullô planè meatu aut hiatu conſpicuô, reliqvis viſceribus ſecundum naturam conſtitutis, teſtante Simone Schultziô *M.N.C. Dec. I. An. 3. Obſ. 2. p. 4. ſq.* Perfectam & profundam Inteſtini recti coaleſcentiam obſervavit etiam Daniel Ludovici *l. a. Obſ. 257. p. 459. ſeq.* in Pellionis cujusdam filiolô, qvi alterô demum poſt partum die imperforatô anô deprehendebatur, inſtitutâ proin inſpectione & collectâ hinc intimâ coaleſcentiâ pro deploratô habitus eſt. Cùm autem Parentes qvidvis experiri vellent priùs, qvàm innocens puſio propriis excrementis qvaſi ſuffocaretur; cordatus qvidam Chirurgus interveniens, factô tamen denuò prognoſticô, lancettâ aperturam aggreſſus eſt, locô rimulæ, non tam oculis, qvàm conjecturâ qvalicunqve conceptô, puellô interim, qvaſi bene ſecum ageretur, qvietisſimô, imò conatum ferè qvendam egerendi adverſus Chirurgi manum oſtendente. Poſtqvam ad articuli penè longitudinem tentô ſurſum pergendo pervenerat, nil verò exiret, deſtitit Chirurgus, donec elapſis aliqvot horis, rogantibus denuò parentibus, inſertâqve iteratò lancettâ exiguâ ſemper cruentatione ſenſim ac ſenſim ad finem coalitûs, qvi longitudine ſuâ duos auricularis digiti articulos (in mediocri virô) facilè æqvavit, perveniretur, & excrementa nuper nati conſveta cuſpidi occurrerent ſatis liqvida. Unde inſertâ turundâ prælongâ meatus ampliùs dilatatus indeqve circumcirca uſualibus medicamentis cicatriſatus eſt: infante bene ingerente,

bene egerente vegetoqve. Demum anniculus diem ſuum inſperatò obiiſſe dicitur. Anum occluſum in Monetarii cujusdam infante pridie natô, obſervavit Salomon Reiſelius *M.N.C. Dec. II. An. 7. Obſ. 8. p. 13.* Item *Obſ. 139. p. 266.* Roſinus Lentilius in adultô Alvi adſtrictionem a coalitu Inteſtini recti obſervavit; ſcilicet Johannes Richter, Pharmacopæus aulicus Eichſtettenſis ex alvi conſtipatione ventrisqve torminibus acerrimis, fruſtra tentatis omnibus remediis, poſt tres ſeptimanas obiit. Apertô ventre Sphincter ani connivebat ejusqve totalis coalitus viſus; interni longanonis parietes contraxerant putredinem: inteſtina ſphacelata &c. An. 1577. Clodiæ natus puerulus, cui Natura anum ita denegaverat, ut nullum foris appareret veſtigium: cùmqve jam per decem dies vixiſſet, nihilqve excerneret, neqve per anum, neqve per virgam, haberetqve abdomen valde inflatum ac tenſum, perinde acſi brevi circa medium rupturam minaretur: tandem duodecimô hujus nativitatis die vocatus Medicus, Georgius Garnerius, ratus pelliculam & cutim ſupernatam eſſe, cauſticum & ferrum, ſed fruſtra, admovit; nam ſeqventi die per Os omnia, qvæ aſſumſerat, alimenta multaqve Excrementa corrupta & fœtida excrevit, & ſuffocatus ſic obiit: Factâ diſſectione reperit Medicus Inteſtina omnia fuiſſe integra, nullum finem eorum reperiens, ſed ita cum Veſicâ ejusqve collo confuſa & annexa, ut vix divelli & ſeparari ab invicem potuerint: Muſculus interea recti Inteſtini totam implebat cavitatem, collum veſicæ comprimens & contundens &c. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 13. Obſ. 11. fol. m. 884.* ubi plura exempla reperiuntur. In filiolô beneformatô & ſanô Wittebergæ natô locum, qvi ordinariò ano debetur, tuberculum qvoddam læve inſtar verrucæ minoris obſidere & planè nullam pro ſtercoribus eliminandis partem adornatam eſſe viderunt Medicus & Chirurgus accerſiti. Qvare cum præprimis infans poſt Syrupum ca-

tharti-

tharticum feces ſubvirides, ſtercoroſas, Meconium referentes, bis vomere cæperat, locum tuberculô notatum ſcalpellô perforare tentavit Chirurgus, & cùm nec flatus, nec excrementa inſeqverentur, profundiùs ferrum ad duas Uncias ferè adegit, ubi pariter præter ſangvinem ſtillantem è vulnuſculô nil qvicqvam prodiit. Stylô immiſſô Inteſtini recti via nondum poterat explorari, qvare turundâ craſſiuſculâ, obductâ Ungventô cicatricem inducente, vulnuſculum deligabatur. Seqventi die Chirurgus vulneri proſpecturus vidit pauca qvædam viſcida excrementa, in imô vulneris ſtabulantia adeò tenacia, ut Volſellâ, præhendere & extrahere opus habuerit. Vomitùs ſtercoreos exceperunt poſt meridiem motûs convulſivi tenellum mirè concutientes corpuſculum ita ut paucis horis poſt animam Deo reddiderit, vid. Georg. Frid. Francus de Franckenau *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 123. p. 206. ſqq.* In filiolô, cujus alvus officio ſuo non reſpondebat, in conſilium vocatus Johannes Georgius Hoyerus ani veſtigium diſcernere vix poterat, coalitâ prorſus carne muſculoſâ. Accerſito itaqve Chirurgo, Lancettâ in locô conſvetô findi curabat, & muſculoſam carnem ad longitudinem articuli pollicis ano obſitam deprehendebat; adeò ut Chirurgus de ulteriori ſectione & perforatione prorſus deſperaret, cauſam interſerens, deficere forſan vel aliorſum tendere Inteſtinum rectum. Enim vero poſtqvam mediante ſuppoſitoriô ex Sapone confectô & vulneri immiſſô citeriorem cavitatem ſciſcitatus erat; ut in operatione pergeret, Chirurgus, urgebat Hoyerus, cùm, portâ hac naturali non repertâ & apertâ, nihiloſecius moriendum ſit infanti. Continuatâ igitur paulò profundiùs fiſſione, & ſuppoſitoriô denuò immiſſô, mox præter morem recens natorum excrementa copioſa cum flatibus plurimis ſenſim ſenſimqve eliminabantur; vomitu ſponte ceſſante & infante convaleſcente. *v. Ephemer. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 69. p. 327. ſq.* Paulò ante exemplum adulti, alvi coalitu laborantis, adduximus

mus, tale etiam communicat Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 92 p. 208.* Scilicet Johannes Reiſner, chartarius Arnſtadienſis, ipſe medens obſtructioni ventris, abutitur Pilulis Francofurtenſibus aloëticis minoribus, & inde occluſâ portâ inferiori penitus retinetur colluvies ſtercorea. Hinc Venter ut ſolvatur, omnis locatur opera; ſed fruſtra. Bibitur, & ſingultus cum Vomitu Excrementorum ſeqvitur, ventre indies creſcente majorem in modum. Pharmaca continuantur vigili curâ, ſed ea reſpuit omninò, & ejulantem ægrotum interficit Ileus. Diſſecto ventre tumidô, ſtercorei halitus fugabant adſtantes. Ventriculus & Inteſtina flatibus & excrementis fluidis extremè reperiebantur diſtenta, gangrænoſa, nonnullis in locis exeſa. Rectum fibris qvaſi tot filis decuſſatim erat conſtrictum, ut neqve ſurſum, neqve deorſum qvicqvam tranſire potuerit. Podicis defectum annotavit Johannes Nicolaus Binningerus *Cent. II. Obſ. 81. p. m. 222. ſeq.* in puerô recens nato, in cujus diſſectô Cadavere non ſolùm podex, ſed totum inteſtinum rectum deficiebat. Colon enim in extremitate omninò conſtrictum qvaſi fune circumligatum erat, cui membranoſum fruſtulum, breviſſimum cis ligaturam appendebat.

§. 34.

Stercus per Penem in pueris.

Qvamvis autem hactenus puerorum utplurimùm, anô imperforatô natorum, exempla adduxerimus, minimè tamen puellæ ab ejusmodi Ani clauſurâ ſunt immunes; tale enim exemplum ex Johannis Jeſſenii à Jeſſen Obſervationibus refert Theophilus Bonetus *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 13. Obſ. 11. fol. m. 884.* Scilicet, vocatus ille ad natæ ante triduum puellæ alvum obſtructam ciendam, nil præter fæcum ſiccitatem ſubeſſe autumans, lenientem ac ſtimulantem injicere nodulum molitur; impulſui ſolidi qvid reſiſtere ſentit, mox ſtylum lenticularum, aridarum fæcum extractioni aptum, indit vehementiùsqve impellit, & ecce Sphincter, cui rectum inſeritur, & vicina natium cutis

con-

connivet: extractus ſtylus nec odoris nec excrementi qvicqvam ſecum evehit: Mox adſtantes de membranâ aut grumô inteſtinum interſepiente, aut laterum concretione Jeſſenius reddit certiores: hinc dubium potiùs, qvàm nullum experiri ſtatuit auxilium; & cùm ſolvendum continuum, ſecante num, an ùrente rectiùs id fiat ferrô, deliberat, tandem, potentiale in omnibus abhorrens, diſtentis qvousqve licet natibus, ferrô teliformi rem aggreditur, ſuccedit, ſolidiorem membranam absqve hæmorrhagiâ transverberat, mox Clyſterem injicit, cujus pars major regurgitans plura ibi latitare ſimilia ſepta argumento erat, unde fatum tertiô â ſectionis die ſupervenit. Apertô epigaſtrio inter alia Inteſtinum rectum bis lateribus concreuerat, bis orbiculari Interſepiebatur membranâ. Aliûs puellæ anô imperforatô defunctæ exemplum idem Autor *l. a. fol. ſeq.* adducit. Plura imperforati Podicis in utrô ſexu annotata exempla coliegit Georgius Francus *Satyr. med. VII. §. 7. p. 118. ſeq.*

§. 35.

Deniqve interdum Inteſtinum rectum, anô clauſô, ex vitioſâ conformatione, Veſicæ implantatur, vel etiam, citra inſertionem Inteſtini recti in Veſicam, materia retenta ſuâ ſponte ſibi viam ex inteſtinis ad veſicam per exùlcerationem ac fiſtulam qværit, ita ut ſtercora per vias urinarias & qvidem in maſculis per Penem, inpuellis autem per vulvam, ſeu Vaginam uterinam prodeant. v. g. Annô 1669. Menſe Octobri Vratislaviæ Fabro cuidam lignario naſcebatur puellus, cui anus penitiſſimè clauſus erat, & licet digitô comprimeretur anus, in Inteſtinô tamen rectô qvicqvam detineri excrementorum, neutiqvam dijudicari poterat. Econtra guttatim ſemel atqve iterum, aliqvando etiam paulò longiùs feces alvinas, modò tenuiores, modò craſſiores, prout paucior copioſiorve urina ipſas diluebat, per Mentulam excernebantur, ex qvâ non rari etiam flatûs cum ſibilô *De puellis.*

bilô prorumpebant. &c. juxta verba Henrici Vollgnadi *M. N. C. Dec. I. An. 1. Obſ. 11. p. m. 33. ſeq.* Et ibidem *A. 2. Obſ. 22. p. 36. ſeq.* Laurentius Wolfſtriegel Infantis maſculi, in partu ſoffocati meminit, in qvô anus deſiderabatur; hujus autem locô eminentia qvædam calloſa ad lineam usqve protenſa erat, contrectatisqve digitis iis partibus, Meconium per Penem prodibat. Poſt aperturam Abdominis inter alia inteſtinum rectum eo loci, ubi aliàs veſica locari ſolet, in appendicem veſicæ æmulam (hæc enim etiam in hoc fœtu deficiebat) dilatabatur, ac tandem non per anum, ſed antrorſum per membrum virile pendulum præputio ſuo munitum referens extra contra finiebatur. Honeſta qvædam matrona Genevenſis filium peperit, qvi clauſô anô excrementa per ductum urinarium ſimul & urinam excernebat. Accerſitô itaqve Medicorum & Chirurgorum Collegiô, nullus in eâ fuit opinione, ut de ani inciſione qvicqvam tentaretur. Tandem, qvum excrementa indureſcerent, nec per ductum illum anguſtum amplius permeare poſſent, inflatus eſt venter, excita eſt febris aliaqve ſymptomata: ita ut decimô ſeptimô ætatis die è vita deceſſerit. Apertô cadavere, inventum eſt Inteſtinum rectum adnatum fundo veſicæ. vid. Gvilhelm. Fabric. Hild. *Obſervat. Chirurg. Cent. I. Obſ. 75. Op. fol. m. 55.* An ſolâ membranâ, an verò coalitu occluſus fuerit anus in puellô Wittenbergenſi, cujus meminit Georgius Fridericus Francus de Frankenau *M. N. C. Dec. III. An. 1. Obſ. 123. p. 206. ſeq.* non liqvet, cùm ejusdem Sectio â parentibus impediretur. Anno 1643. Amſtælodami naſcebatur infans clauſô anô, cui in locô ordinariô â Chirurgis Lancettâ latâ apertura unius digiti tranſverſi lata, duorumqve tranſverſorum digitorum profunda incidebatur; qvâ tamen inciſione Inteſtinum rectum nondum attingebatur. In hoc Infante die â nativitate decimô qvartô mortuô, Franciſcus Sylvius & Heinricus van Roonhuyſen, in ſectione Inteſtinum rectum in fundum

Veſicæ

Veſicæ implantatum offendebant, ita ut feces, naturaliter per Inteſtinum illud & podicem evacuandæ, in dictô infante ad Veſicam depoſitæ fuerint. v. Hein. à Roonhuyſ. *Obſ. Chir. Part. 2. p. m. 146. ſeq.* Daniel Sennertus talem, clauſuram vidit in puero, qvi dies ſeptendecim vixit, anô licet clauſô, fæcem autem cum urinâ reddidit, ſecundum Petr. Borell. *Cent. I. Obſ. 77. p. 82. ſeq.* Infans natus anô membranâ obductô trium menſium ſpatiô excrementa alvina per urinæ vias excrevit, ruptâ autem novaculâ membranâ evaſit feliciſſimè, juxta Zacut. Luſitan. *Prax. medic. admir. Lib. 3. Obſ. 72. fol. m. 112.* De Infante cum podice planè occluſô, ac Cole ita formatô, ut alvi fæces per illum qvotidie excernerentur; qvam tamen abominandam deformitatem nec incidendo, nec proterendo, dilaniandove, licet vel obnixè adniterentur, corrigere potuêre etiam ſagaciſſimi Chirurgi, hærente penitius inſanabilis mali radice, qvam ut humanâ exſtirparetur induſtriâ. vid. Nicol. Tulp. *Obſ. Med. Lib. 4. cap. 35. p. m. 350.* Vratislaviæ Anno 1703. natus eſt puellus anô clauſô, cui poſt partum & baptiſmum manus adhibebatur ad repagulum ani tollendum, ſed irritô ſucceſſu. Extremâ enim Cute inciſâ, tanta renitentia & in Cavitate Inteſtini repletio adhuc ſupererat, ut omnis curatio ſupervacanea videretur. Interim horâ qvartâ ejusdem diei Meconium per Urethram Penis emanavit, ac idem poſtea aliqvoties; & cùm Penis pubesqve paulò fortiùs comprimerentur, in majori etiam qvantitate; nihilominus tamen infans circa horam decimam ſeqventis diei animulam ſuam efflavit. Diſſectô Cadavere Inteſtina tenuia flatu diſtenta erant & ſubflava, Meſenteriô ſuô munita; ſed craſſa omnia eô penitus carebant, & â cœcô per Colon ad rectum usqve contiguâ qvaſi & levi membranâ invicem cohærebant, at mirum in modum contorta & confuſa, ita ut ductus eorum difficulter dignoſci potuerit. Omnia autem hæc Inteſtina craſſa fecibus copioſis referta erant, & eorum

 ultimum

ultimum eâ parte, qvâ aliàs in anum exit, canalem membranoſum tenuem ex ſe emittebat, Veſicam verſus tendentem & in collô ejus ad radicem Penis terminantem, per qvem recrementa Inteſtinorum novâ & inſolitâ viâ fuerunt ejecta. Nam licet Canalis hic pertenuis admodum eſſet, ſtilum tamen facillimè admittebat, & in ipſam Inteſtini cavitatem hiabat, adeoqve ad aliqvalem fecum tranſitum idoneus admodum erat. Cùm autem univerſa excrementorum qvantitas per eum neutiqvam evacuari potuerit, luſui potiùs, qvàm beneficio naturæ adſcribendum, qvicqvid in formandâ hac viâ tentavit eadem: qvapropter & infans fatis cedere omninò eſt coactus. *vid. Nov. Literar. German. An. 1703. Menſ. Auguſt. p. m. 290. ſq.* Lapidicidæ cujusdam Schaphuſani filius clauſô anô natus diebus aliqvot paucis, qvibus ſupervixit, unà cum Urinâ ſtercus per Penem excernebat. Puelli cadavere diſſectô, deprehenſum fuit rectum Inteſtinum non ad nates ferri, ſed veſicæ implantatum, qvæ cauſa fuit, cur cum Urinâ alvi fæces excerneret. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 12. Obſ. 24. fol. m. 874. & Sect. 13. fol. 884.* ubi multa ejusmodi exempla recenſet, vid. etiam Johann. Schenck. *Obſerv. medicin. Lib. 3. fol. m. 382. ſq.* qvo locô in filiô Lapidicidæ Inteſtini recti extremitatem Corpori veſicæ non per obliqvum, uti Ureteres, ſed rectâ, inſertam fuiſſe refert. In Bercau, pagô â civitate Goudanâ miliari diſſitô, puellus naſcebatur anum habens imperforatum atqve totos dies undecim, ſeu tantisper dum animam exhalaret, excrementa per Penem aut ſola perſe, aut unà cum lotiô excernens, juxta Balduin. Ronſſei *Epiſt. med. 14. p. m. 54. ſq.*

§. 36.

Per vulvam in puellis. Qvoad exempla puellarum anô clauſô natarum atqve fæces per vulvam excernentium, notandum, in ejusmodi caſu per diverſos meatûs, modò per ductum urinarium, modò per vaginam uteri, modò per peculiarem ductum, exitum ſuum

habere excrementa. Puella anô imperforatô nata, cui inteſtinum in pudendum deſiit, per qvod fæces nunqvam non excrevit, vitam ultra ſex annos produxit. *vid. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. V. & VI. Obſ. 56. Schol. p. 88.* In puellâ Inteſtinum rectum ad pudendum muliebre protenſum & locum excretionis vicarium inveniſſe refert Georgius Wolffgangus Wedelius *vid. Act. Erudit. 1717. Menſ. Septembr. p. 408.* Fœminæ cuidam poſt partum difficilem, Inteſtina per Uteri Cervicem propendebant, ulnæ unius & ultrà longitudine, qvod cùm ægrè ferret patiens, conſiliô muliercularum, id omne, qvod propendebat, reſcidit; unde mox fæces per Uterum excerni & cum Urinâ prodire cæperunt. vid. Joh. Rudolph. Salzmann. *Obſ. anat. p. 16. 18.* Puellam clauſô ani meatu natam atqve octavô qvôqve die recrementa ex naturalibus dejicientem hocqve malum ad ſextum decimum ætatis annum tolerantem, ſe vidiſſe ſcribit Antonius Benivenius *obſerv. 86. p. m. 255.* Puella Torgenſis, Sartoris filia, novem ſeptimanas nata, gutturis inferioris expers, omnia excrementa per vulvam qvotidie excrevit, uti ex communicatione D. Rheboldi refert Daniel Sennertus *Pract. med. Lib. 4. Part. 1. Sect. 1. cap. 1. p. m. 7.* Puellam, octo circiter ſeptimanarum, cui natura in ani locô maculam tantùm in carne durâ, tanqvam vulneris ſanati veſtigium delineârat, excrementa per vulvam emittentem vidit Zacharias Fürſt, & ita qvidem, ut, cùm diductâ non nihil vulvâ abſterſisqve excrementis, naturæ iſtuc aberrantis compendium accuratiùs perluſtraretur, adverteret, incurvatô flexu Inteſtinum rectum ſuum in Vulvæ parte inferiore ſortitum eſſe exitum, per qvem moleſtam ſemper fæcum Sarcinam expellendo deponeret. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 112. p. 225.* Simile exemplum puellæ ſemeſtris anô imperforatô natæ exhibebatur Philippo Jacobo Hartmanno, cui infanti pariter officium ani labiis pudendi natura crediderat: ubi enim ſubtus vaginam labiorum ambitus ordinariè coit, inibi

orificium Inteſtini recti delitescebat, per qvod fæces alvinæ egredi deprehendebantur. *vid. ibid. An. 10. obſ. 159. p. 249. ſeq.*

Obſervatio. His binis exemplis bina alia, ratione loci excretorii ſimillima, & qvidem alterum in ruſtici, alterum in Nobilis cujusdam, filiabus mihi ipſi obſervare licuit; qvarum utraqve & qvidem prior hebdomadas octo, poſterior ſedecim ſeptimanas nata, Anum non tàm per ſolam membranam, qvàm per excreſcentiam ſeu ſubſtantiam carneam, occluſum habebat, feces verò alvinas per certum meatum ſive inteſtinum rectum, in infimâ Vulvæ parte ſeu circa inferiorem labiorum coitum, apertum excernebat. In utrâqve dictarum puellarum, apertura iſta vix culmi ſtraminei craſſitiem æqvabat, ut adeò excrementa non niſi tenuia & liqvida ferè ſummôqve niſu pertranſire poſſent. Qvamvis autem dictus Zacharias Fürſt. *l. a.* Ani perforationem non immeritò diſſvaſerit, hac additâ admonitione: viderint attendantqve ad ſimilia naturæ aberrantis compendia omnes ii, qvibus hujusmodi obtingunt, ne immaturô nimis conſiliô perniciosas auſpicentur ſectiones. Si verò qvis putet, anô perforatô inteſtinôqve rectô eò deductô vulnus, remanente liberâ alvi excretione, conſolidari commode potuiſſe, ab eô libenter adhuc inſtrui cupio. Licet, inqvam his verbis dictus Medicus operationem aperiendi alvi diſſvadeat, & qvamvis etiam, me in locô podicis ordinariô, hac operatione, eqvidem foramen incidere poſſe, minimè tamen verum Inteſtini recti ſphincterem ibidem eſſe reperturum, optimè ſcirem; nihilominus tamen, qvia in ejusmodi ſubjectis, tempore & mutatô ciborum genere, ſtercora magis inſpiſſata & indurata per ejusmodi anguſtum Canalem extraordinarium tranſire non poſſunt, ſed potiùs, ſecundum hactenus adducta exempla, varia ſymptomata, cum ſubſeqvente morte, cauſantur, aſſiduis parentum ſollicitationibus victus in puellâ ruſticâ An. 1701. per Chirurgum & Operatorem noſtrum T. F. anum ſatis profundè, & usqve ad excremen-

crementorum exitum Lancettâ magnâ perforari primisqve diebus turundam, poſteaqve cannulam ſaturninam cum reliqvis medicamentis externis applicari jubebam, ut dictæ puellæ intra aliqvot ſeptimanas naturalis fecum alvinarum exitus reſtitueretur. An. ſeq. 1702. die 9. Novembr. in puellâ nobili, filiâ ſcilicet Domini â B. per eundem locum, hactenus excrementa, etiam molliora, cum dolore, niſu atqve torminibus excernente, (cujus Parentes prioris exempli inſtinctu id anxiè à me efflagitabant) eandem Operationem per dictum qvoqve Chirurgum inſtituendam curabam, & qvidem tantô cum ſucceſſu, ut puella intra ſex præter propter hebdomadas reſtituretur. Et qvamvis negandum non ſit, in utraqve puellâ tempore dejectionis nonnunqvam feces liqvidiores ſimul per vulvam prodiiſſe, craſſiores tamen per novam aperturam excernebantur. Harum puellarum altera, nobilis ſcilicet, poſt duos circiter ab Operatione annos, mortua eſt, altera autem, qvantum qvidem ſcio, adhuc vivit. Qvòd autem in hac relatione puellam ruſticam nobili præpoſuerim, ex duplici cauſâ factum, primò ratione temporis, cum illa Anno 1701. hæc verò Annô 1702. curæ meæ commendata fuerit: deinde ratione ſoſtri, cùm illius, ruſticæ puellæ, pater, poſt curam aliqvod, licet ſatis tenue, gratitudinis ſignum obtulerit; hujus autem, nobilis ſcilicet puellæ, durante curâ, ſimul febre miliari malignâ laborantis, Parens, etiam admonitus, ad hunc usqve diem ne obulum qvidem pro magnâ labore ſolverit. En! aurea Praxin medicam! Qvandoqve etiam in feminis adultis ani clauſura taliſqve vitioſa excretio obſervatur, de qvibus paulo in infrà. *alia.*

§. 37.

Cùm autem in qvibusdam hactenus de Anô non perforatô recenſitis Obſervationibus ſimul ipſius curam chirurgicam ex Autoribus recenſuerim, placet adhuc Lectorem benevolum, plura de hac operatione deſiderantem, ad ſeqventes Autores *Clauſuræ ani Chirurgia.*

 medico-

medico-chirurgicos remittere. v. g. vid. Hieronym. Fabric. ab Aqvapendent. *Oper. Chirurg. Edition. Patavin. fol. m. 284 Edition. Francofurt. Part. I. cap. 88. p. m. 324.* Ambroſ. Paræi *Oper. Lib. 16. cap. 33. fol. m. 363.* Johann. Scultet. *Armament. chirurg. Part. I. Tab. 14. fig. 18. p. m. 23. & Tabul. 45. p. 109. it. Part. 2. Obſ. 71. p. 103.* Paul. Barbett. *Chirurg. cap. 3. p. m. 37.* Johann. van Horne *Microtechn. §. 15. p. m. 367. & p. 475. ſeq.* Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obſ. 73. p. m. 54.* Cornel. Solingen *Enchirid. Chirurg. Part. 3. cap. 34. p. m. 323.* Henr. Vollgnad. *M. N. C. Dec. I. A. I. Obſ. 11. p. 34. ſeq.* Sim. Schultz. ibid *An. 3. Obſ. 2. p. 3. ſeq.* Joh. Burgius ib. *An. 6. Obſ. 58. p. 139. 140.* Heinric. van Roonhuyſ. *Obſerv. chirurg. Part. I. Obſ. 5. p. m. 18. & Part. 2. Append. Obſ. 1. & 2. p. 144. 146.* Anton. Nuck. *Operation. & Experiment. chirurg. 41. p. m. 141.* Traité des Operations de la Chirurgie de Jean Baptiſte de Verduc. *cap. 27. p. m. 129. 131. ſeq.* Edition. german. â me translat. *p. 92.* Johann. Dolæi *Encyclopæd. Chirurg. Lib. 3. cap. 3. p. m. 710. ſeq. 722. ſeqq.* Chriſtoph. Völters Hebammen-Schul. *Part. 4. cap. 27. p. m. 324.* Job. Meckren. *Obſerv. Chir. cap. 24. p. 114. ſeq.* Cours d'Operations de Chirurgie de Monſ. Dionis *Demonſtrat. 4. p. m. 268. ſeq.* Balduin. Rouſſei *Epiſt. medic. 14. p. m. 54 ſeq.* Daniel Sennert. *Inſtitut. medic. Lib. 5. Part. 1. Sect. 2. cap. 7. p. m. 1005.* Michael. Bernhard. Valentin. *Chirurg. Sect. 2. p. m. 255. ſeq.* Johann Muralt. *Chirurg*iſch. Schrifft. *p. m. 112.* Laurent. Heiſter. *Ephemerid. Academ. Nat. Cur. Cent. III. & IV. Obſ. 193. p. 463. ſeq.* item ejusdem *Chirurgie* oder Wund-Artzeney *Part. 2. cap. 149. p. 681. ſeqq.*

§. 38.

Clauſura in brutis.

Non autem ſolummodò hommines ἀτρήτους, verùm etiam beſtias anum imperforatum habentes interdum reperiri teſtantur Autores. Inqvit enim Ludovicus Cælius, Rhodiginus *Lection. antiqv. Lib. 4. cap. 9. fol. m. 128.* Vaccam fuiſſe Perinthi, accepi-

accepimus, cui cibi excrementum extenuatum per Veſicam transmittebatur; diſſectus anus denuò coaleſcebat properè, nec reſecando evinci potuit vitium. vid. etiam Johann. Georg. Schenck. *Hiſtor. Monſtror. p. m. 105.* De Agnô absqve podice natô vid. Petr. Borell. *Obſerv. Cent. 3. Obſ. 9. p. 203.*

§. 39.

Hactenus de Infantibus egimus, â qvibus ob ani, â primâ conformatione ortam, Clauſuram feces alvinæ per vias urinarias, atqve pro ſexûs differentiâ vel per Penem, vel per vulvam excernuntur. Dantur inſuper aliæ adhuc ejusdem vitioſæ fecum excretionis cauſæ, & qvidem tam in Infantibus, qvam in adultis, nimirum vel â Calculô, vel a fecibus induratis, vel â Scirrhô, vel â vulnere aut ulcere venerô Inteſtini recti & Veſicæ, vel ab aliò naturæ vias obſtruente impedimentô deſumendæ, exempli gratia; Vir qvidam Reverendus Calculô Renum atqve veſicæ laborans ingentem imprimis dolorem circa pubem aliqvandiu paſſus eſt, ita ut tandem alvi excrementa non ampliûs per anum, ſed per Penem tantùm ſummô cum dolore excernere inciperet, qvod ſex circiter menſes duravit, uti commemorat Johannes Jacobus Wagnerus *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 75. p. 159.* ubi addit, veriſimile eſſe, caſum adeò inſolentem ab ulcere qvodam Veſicæ & Inteſtini recti, â Calculô productô, proveniſſe, atqve hinc partem aliqvam Inteſtini recti omnimodè coaluiſſe. Sectô Cadavere Petri de Schardes, re medicâ illuſtris, præter lapides Renum prodigioſos repertos, etiam in rectô Inteſtinô, è regione colli Veſicæ, inventa eſt carnoſitas putris, qvæ ſuâ putrilagine veſicam ita laceraverat, ut Inteſtinorum excrementa ante obitum, unà cum urinâ redderet ad miraculum usqve. vid. Johann. Schenck. *Obſerv. medic. Lib. 3. fol. m. 392.* & Theoph. Bonet. *Sepulchret Lib. 3. Sect. 12. Obſ. 23. fol. m. 874.* Lutetiæ Mercator qvidam alvi fæces diu per Penem emiſit, qvô affectu tandem 1654. obiit. vid. Petr. Borell. *Hiſtor. med. phyſ. Cent. III.*

Stercus per Penem in adultis.

Cent.III. Obſ.16. pag. m. 210. ſeq. Tria ejusmodi exempla recenſet Johannes Schenckius. *Obſ. med. Lib.4. fol 226. ſeq.*

§. 40.

Per Vulvam. In ſexu ſeqviore ejusmodi excretio, ob nimis arctam Inteſtini recti & vaginæ uterinæ connexionem facillimè per vulvam fieri poteſt, ſiqvidem illud interſtitium ſæpe erodi vel perforari, vel etiam partu difficili dilacerari ſolet, ut adeò utriusqve excrementa liberè inter ſe commeare qveant. e. g. Uxor certa, Uterô ac Inteſtinô rectô a fluxu albô cum lue venereâ eroſis, parte anteriore fæces reddidit, poſticâ lotium, ordine naturæ inverſô. vid. Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 91. p. m. 99.* Mulier qvædam poſtqvam diutinô tempore purulenta fœtidaqve, manifeſtiſſima exulcerati uteri ſigna, per pudenda excreviſſet, poſtremò & alvi excrementa per eundem locum demiſit, juxta Anton. Beniven. *Obſ. medicin. cap. 11. Annotat. p. m. 156.* De fœminâ ruſticâ, viginti aliqvot annorum, cujus podex ex vitioſâ conformatione erat occluſus, intus tamen ad vaginam uterinam deſinens, ita ut excrementa alvina per vulvam excerneret, vid. Benjam. Bened. Petermann. *Obſerv. med. Dec. 2. Obſ. 2. p. m. 23 ſeq.* Virginem honeſtam viginti aliqvot annorum excrementa per muliebria, clauſô anô, excreviſſe, refert Martinus Johannes Hæsbart *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 75. p. 132.* Meretrix qvædam ex Venere præpoſterâ Ulcus in Inteſtinô rectô vaginam penetrans cum excretione ſtercoris per vulvam patiebatur; uti refert Petrus de Marchett. *Obſerv. Med. Chir. p m. 138. Obſ. poſthum. 5.* Uxor nobilis viri cùm per qvatuor annos cum lotiô & ſtercore ſangvinem emitteret ac parùm de hac re ſollicita eſſet, qvia nullum dolorem inde perſentiret, tandem corroſis ac perforatis inteſtinis, per vulvam ſtercora miſerè emittere cæpit, qvæ ſic nullô præſidiô conferente, fœdè conſpurcata longam vitam duxit, teſte Amatô Luſitanô *Curat. medic. Cent. 2. Curat. 10. fol. m. 140.* Qvandoqve etiam in partu difficili ab imperitis Obſtetricibus

cibus interſtitium illud inter Uteri vaginam & inteſtinum rectum dilaceratur, ut fæces alvinæ per vulvam prodeant, qvale exemplum de puerperâ Hafnienſi refert Thomas Bartholinus *Cent. 2. Hiſt. 63. p. m. 248. ſeq. item de inſolit. Partûs human. viis Cap. 14. p. m. 114.* item Chriſtoph. Völter. Hebammen-Schul, *Part. 2. cap. 17. Obſ. 3. p. 190. ſeq.* Imò per ipſum uterum fæces excrevit fœmina, cui poſt partum difficillimum Inteſtina per Uteri cervicem ulnæ unius & ultra longitudine propendebant; qvod cùm ægrè ferret patiens, conſiliô muliercularum id omne, qvod propendebat, reſcindebat, unde mox fæces per uterum excerni & guttatim cum ipſa urinâ prodire cœperunt. vid. Joh. Rudolph. Salzmann. *obſerv. anat. p. m. 16.* Vidua qvædam honeſta ſexaginta qvatuor circiter annorum, cùm fluxu hæmorrhoidali aliqvandiu immenſùm laborâſſet, illô tandem exareſcente, in doloroſam ani incidit exulcerationem, qvâ factum, ut illô inflammationem intumeſcentiamqve circum circa ſubeunte ſeqve arctiùs conſtringente fæces per inferius guttur parcius primò ſecederent, donec ſucceſſu temporis prorſus ſufflaminarentur, nihilqve omnino earum amplius per regiam illam viam conſvetâ naturæ lege excerneretur. Unde pertuſô & qvaſi perterebratô, procul dubiô ex acrioribus longiori morâ interea redditis excrementis iſtis, inteſtinô rectô, illa diutius retineri neſcia, qva data porta exitum moliri ſategerunt; qvô aliorſum denegatô, credibile Georgio Abrahamo Mercklino, ea adjacentem qvoqve uterum exediſſe ac penetrâſſe; ex qvô qvin dein foras ſe proripuerint, nullum eſt dubium. Atqve hæc inſolentisſima alvinarum fæcum excretio adeò poſtmodum increbuit, ut cum moleſtiſſimô fœtore & fæminæ perenni cruciatu per integrum annum & qvod excurrebat, indeſinenter duraret. *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. Obſ. 213. p. 360. ſq.* Seqventem Obſervationem annotavit Ido Wolfius *Obſ. chir. medic. Lib. 1. Obſ. 46. p. m. 146. & 150. ſq.* Villici cujusdam uxor per aliqvot annos

 paſſa

paſſa erat menſium fluxum, imò per ſesqviannum continuò ex uterô ſangvis, deinde per aliqvod tempus multum fœtidi puris ſangvine mixti, tandem verò fæces liqvidæ per dimidium, ante obitum ejus, annum profluxerunt, nec ampliùs per ordinariam viam qvicqvam Excrementorum ſeceſſit. Poſt aperturam hujus ſubjecti inter alia Ido Wolfius Inteſtinum colon, qvô locô uterum tangere ſolet, ipſi firmiter adnatum obſervavit. Per longitudinem diſſectum Inteſtinum conſpiciendum dedit foramen vel tres digitos concipiens, qvod cum Uteri cavitate communicans magnam vim putidiſſimi puris & fæcum concluſerat, & excretionis iſtius præternaturalis cauſa fuerat. Paulò inferiùs in Inteſtinô rectô ſimile foramen, ſed anguſtius, idem obſervavit, cum priori reſpondens, & Inteſtinum rectum circa finem, podicem verſus, ſcybalis ita repletum occluſumqve vidit, acſi conſiliô & induſtriâ factum fuiſſet, ne excrementa alvi ampliùs per hanc portam ejicerentur. Mercatoris Dantiſcani filia ſexennis manibus pudenda continuò fricabat, qvæ ob rei turpitudinem â Parentibus ſæpiùs corripiebatur, tandem in malignam incidit Dyſenteriam, qvâ de cauſâ in conſilium vocatus Medicus, Joh. Schmidius, varia propinat, & ex abſtergentibus & conſolidantibus Clyſterem injici curat, cujus pars per pudenda effluebat. Ad rei hujus ſpectaculum obſtupeſcentes parentes dictum Medicum advocant, rem exponunt, monſtrant genitalia; Medicus pudendum totum invenit membranâ carnoſâ obvolutum, ita tamen, ut ſupernè & infernè minutiſſimum tantùm appareret foramen, per qvod mucoſa & cruenta ex Inteſtinis materia evacuabatur. Cùm enim liberum effluxum Urina non haberet, moram circa velamentum trahere opus habebat; acrimonia autem ſeri vel urinæ retenta temporis morâ loca obſcæna rodebat & vellicabat, demumqve Inteſtini recti conciliabat eroſionem; unde per alvum excernenda per genitale, communi factô meatu, exire conſpiciebantur, *v. M. N. C. Dec. I.*

Dec. I. An. 3. obſ. 124. p. 198. & An. 4. & 5. obſ. 157. p. 199. Uxor cujusdam Piſtoris Amſtelodamenſis ob partum difficilem incidit in Vulvæ Inteſtiniqve recti Gangrænam adeò enormem, ut multi, exiſtimarent afflictam brevi è vivis exceſſuram. Poſt Gangrænæ ſeparationem foramen Vulvæ repertum fuit tantum eſſe, ut facillimè nux juglans viridi cortice obducta per illud ad Inteſtini recti cavitatem inſeri potuiſſet: unde fæcibus alvinis dabatur locus, ut ex Inteſtinô rectô ad Vulvam nullô negotiô tranſirent. Id qvod in tali caſu admodum familiare: Vulva enim tam arctè cohæret Inteſtino recto, ut qvaſi continuum ſit Corpus: Itaqve ſit alterutra pars afficiatur, altera neqvit remanere immunis, juxta Freder. Ruyſch. *obſ. 59. p. m. 76. ſq.* In fœminâ adultâ poſt eroſionem vel Ulcerationem feces alvinas per pudendum excretas ſe obſervâſſe ſcribit Georgius Wolffg. Wedelius de Morb. Infant. Cap. 5. p. 14. Plura ejusmodi Stercoris per vulvam egredientis exempla reperies *M. N. C. Dec. I. An. I. Obſ. 110. p. m. 258.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 12. Obſ. 21. f. m. 873. ſq.* Joh. Rhod. *Obſ. med. Cent. 2. Obſ. 91. p. m. 99.* & Joh. Schenck *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 392. ſq.* qvibus annectere libet, qvod mihi ante aliqvot annos in Capillamentarii cujusdam Gallici, nomine Thibaut, uxore annotare licuit. *Obſervatio.* Ipſa ſcilicet per aliqvot dies in Inteſtinô rectô ardorem inſignem, atqve verſus Uterum dolorem gravativum cum diuturnâ alvi ſuppresſione paſſa fuerat, cùm ipſius mater, juſſu meô, immiſſô in ægrotantis filiæ anum digitô rem altius indagans impedimentum aliqvod, tumorem ſcilicet ingentem, totam Inteſtini recti cavitatem ſeu ſpatium adimplentem vel occupantem, ſe offendere diceret: Unde ſtatim per Chirurgum fomentationes, epithemata & cataplaſmata maturantia, Enemata item emollientiâ, applicari curabam, ſicqve poſt aliqvot dies, diſruptô tumore, factôqve in pariete inter anum & vulvam foramine ſatis magnô, alvina excrementa ſimul per vulvam urinaqve per anum

excernebantur. Intra tamen paucas ſeptimanas fœmina hæc plenariè reſtituebatur ſanitati. Hinc verum eſt, qvod ſcripſit Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 14. p. m. 114.* Coaleſcit, inqviens, recto inteſtino Uterus, & invicem non rarò aperiuntur, ut inter ſe excrementa ſua communicent. Et juxta Johannis Fernelii *Patholog. Lib. 6. cap. 14. p. m. 194.* Uteri abſceſſus interdum in directum Inteſtinum penetrat, tumqve fæcis nonnihil ex Uteri cervice profluit.

§. 41.

Per alias vias. Porrò ob plenariam Inteſtini recti, aut etiam Ilei occluſionem aut conſtipationem, vel alias qvoqve ob cauſas, Stercora ſeu fæces alvinæ qvandoqve per alias vias extraordinarias exitum ſibi qværunt, qvalis excretio plerumqve per os & vomitum ſtercorum fieri ſolet, uti hactenus, præſertim de Paſſione Iliacâ monſtravimus, Romæ fuiſſe qvendam, qvi totô ferè vitæ ſuæ curriculô fæces alvi per os expurgavit. vid. Hieron. Mercurial. *de Excrement. Lib. 2. cap. 4. p. m. 145.* Gallum qvendam ſine anô & podice natum, qvi optimè comedit, & poſt debitum tempus fæces probè concoctas per os ejecit, Romæ ſe vidiſſe refert Dominicus Panarolus *Obſ. med. Pentec. 2. Obſ. 5. p. m. 35.* Italus ſine podice & pene natus, indeqve primum Anna dictus, duriores alvi fæces certis periodis finitâqve Ventriculi concoctione per Cornu ori impoſitum evomuit, teſte Thomâ Bartholinô *Anat. reformat. Lib. 1. cap. 11. p. m. 98. & Hiſtor. anatom. Cent. 1. Hiſtor. 65. p. m. 100. ſeq.* Ob inteſtinum rectum prorſus occluſum, exteriore foramine liberô ſatis & naturaliter ſe habente ventris excrementa per os rejecit Comitis cujusdam filiolus, juxta Johannem Poſthium, vid. Reald. Columb. *Anat. p. m. 502.* Vir qvidam juvenis, viginti novem circiter annorum per aliqvot annos certô tempore, per hyemem nempe, â Feſtô Nativitatis Chriſti ad incipiens Ver usqve, â digeſtione ciborum peractâ reliqviarum excretiones non per alvum, ſed per os reddere

Per Os.

dere cogebatur, niſi qvod parum liqvoris ſeroſi per anum exſtillaret, juxta relationem Johannis Caſpari Weſtphali *Ephemerid. Acad. N. C. Cent. I. & II. Obſ. 136. p. m. 279.* Ex Caſtanearum crudarum ingluvie multâ incidit qvidam in omnimodam fæcum retentionem, ita ut ventris tumore doloreqve immani oppreſſus, circa umbilicum globulum, veluti ſphæram habere videretur ab implicitis & circumvolutis, chordarum modô, inteſtinis enatam. Hic cùm in agone eſſet & frigidô ſudore madidus, ſtercus per os ejecit, tandem tamen poſt aſſumtas aliqvot parvas pilulas plumbeas, qvibus ſclopetarii ad enecandos paſſeres utuntur, fæces iterum ritè reddidit. vid. Zacut. Luſitan. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obſ. 34. fol. m. 49.* Intenſâ Hyeme Conſiliarius qvidam in dolorem colicum cum Vomitu ſtercoreô per intervalla incidit, & qvidem ab Inteſtinô Ileo tribus in locis complicatô & ſphacelatô, v. Stephan. Blancard. *Oper. med. Tom. II. pag. m. 46.* Ab Idioſyncraſiâ ortum hoc malum obſervavit Henricus ab Heer *Obſ. 29. p. m. 250. ſeq.* ſcilicet Generoſus qvidam ſub meridiem menſæ opiparæ accumbens comedit & bibit, ſub horam autem primam â menſâ ſurgens pridianum prandium revomuit, retentis accuratisſimè omnibus recens ingeſtis, poſtridie illa, ut heſterna egeſturus putidisſima, atqve ab aliô ſtercore non differentia; Id qvod ultra viginti annos continuavit. Vidua qvædam prominentiâ umbilici grandiori laborans adeò obſtipatâ fuit alvô, ut occluſô verſus inferiora tranſitu, per os ſe erumperent Excrementa, juxta Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. prior. Obſ. 53. p. m. 223 ſq.* Idqvod in aliis herniarum ſpeciebus freqventer occurrit, uti idem Autor *l. a. Obſ. 57. p. 243.* de anu qvadam, magnâ herniâ ingvinali laborante, obſervavit. In matronâ qvadam ſeptuagenariâ ab Ileô & herniâ Scybalorum per Vomitum rejectionem vidit Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſ. 93. p. 153. ſeqq.* & Lucas Schrœckius in Cive qvodam ſexaginta circiter annorum

l. a. An. 9. & 10. Obſ. 93. p. 242. Ab herniâ ſcrotali inteſtinali Sclopetarius in Urbe Franeqveranâ excrementa evomuit, teſte Abrahamô Cyprianô *Epiſtol. de Fœtu tubar. p. m. 82. ſeq.* De qvodam Ephebo Averspergicô, qvi per octiduum ante obitum fœces fætidisſimas vomitu rejiciebat, apertus autem deprehenſus erat in ad ſcrotum prolapſô inteſtinô ſphaceloſus, juxta Marc. Gerbez. *Chronolog. med. pract. An. V. §. 53. p. m. 373.* Ejusmodi exempla in hernioſis utriusqve ſexûs ſæpisſimè occurrunt. vid. etiam Fel. Plater *Obſ. Lib. 3. p. m. 757. ſeq.* Gvil. Fabric. Hild. *Obſerv. Cent. 6. Obſ. 71. fol. m. 590.* Qvalia exempla etiam ſupra §. *22.* adduximus. Ab infelici Herniæ curatione Vomitum ſtercoreum annotavit Henricus ab Heer *Obſ. 22. p. m. 191.* ſcilicet Gallus Agyrta, lithotomum profeſſus herniarumqve curam filô aureô certisſimam pollicens Leodium venit. Huic cùm plurimi ſe crederent, rogatur Heerius â patre alutariô, adſtaret vincturo epiploon filioli ſui in ſcrotum delábens. Adſtat, filum non jam aureum, ſed ferreum Mercuriô crudô oblitum, in ingven pueruli trimi agenti. Videris, inqvit Dominus Heer ad herniotomum, altiùs & juſtô & ſolitô mihi adigere. Cui hic reſpondit: qvæ tua ſunt, cura, ego, qvæ mea ſunt, rite exeqvar; interim filum, ejulante multum puerô, validè torqvet, ſed, qvod commiſeratione dignisſimum, Inteſtinum Ileum in viciniâ cæci unà comprehendit, & ita vincit, ut negatô per inferiora fæcibus exitu, per os ejectis ſtercoribus ileoſus factus puer, periſtalticô Inteſtinorum motu mutatô, animulam inter mille tormenta cum fœtore & cruciatu, die â ligatione qvintâ, ejecerit. Mortui Cadaver aperiens Heerius invenit Inteſtinum, qvâ parte ligatum fuerat, unoqve ſupra infraqve ligaturam digitô, omninò Gangrænâ infectum & jam putre. Diſcant hôc exemplô naſutuli Chirurgi & operatores Medicorum ſpernere conſilia. A pravâ victûs ratione mulier qvædam paupercula in pertinacem alvi incidebat obſtructionem, in tertiam ſe-

pimanam

ptimanam durantem, ita ut fæces alvi, ut in Ileô, rejiceret, & qvidem cum tantâ anxietatis moleſtiâ, ut ventris apertionem deſideraret. Huic tamen ſuccus ex pomis Borsdorffienſibus putridis expreſſus alvum iterum ſolvit, teſte Gottofredo Chriſtianô Wincklero *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 114. p. 153.* De Nobilisſimâ Heroinâ poſt pravam diætam, ſine diuturnâ præcedente aut ſeqvente inexorabili Obſtructione alvinâ, â defluxionum ſeu humorum in femore ſtagnantium metaſtaſi, Vomitûs ſtercoreos per qvatriduum experiente vid. Georgius Hannæus *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 150. p. 236. ſeq.* In Sutoris cujusdam Nordlingenſis uxore qvadraginta annorum, Epilepſiâ hyſtericâ â multis annis freqventer correpta, vomitum ſtercoreum ad ſeptimum uſqve diem durantem, ad ſtercoris fœtidisſimi aliqvot menſuras, obſervavit Johannes Melchior Welſchius. vid. Roſin. Lentil. *Miſcell. medic. pract. Part. 3. p. m. 300. ſeq.* Puellus qvidam Baro, qvatuor annorum dyſenteriâ correptus excrementa excernebat per ſedem cruenta, flava, tandem etiam nigra, ſeptimô & ultimô die, qvæcunqve aſſumebat, revomebat magnô conatu & clamore. Cùm in agone eſſet, ſimilia excrementa flava & nigra evomens exſpiravit. vid. Felic. Plater. *Obſ. Lib. 3. p. 875.* Plura ejusmodi exempla reperiuntur apud Joh. Schenckium *Obſ. medic. Lib. 3. fol. 391. ſeq.* Joh. Georg. Walther *Sylv. med. p. m. 74. ſeq.* Daniel. Sennert. *Prax. Lib. 3. Part. 2. Sect. 2. cap. 9. p. m. 406.*

§. 42.

Per umbilicum exulceratum in Infante cujusdam textoris, ſesqviannum agente, Excrementa egredi vidit Johannes Bilgerus vid. Gregor. Horſt. *Oper. Tom. II. Lib. 9. Obſ. 19. fol. m. 449. ſq.* Adoleſcens cacochymicus, duodecim annos natus, tumore inſigni, durô & dolorificô muſculorum rectorum abdominis ad umbilicum laborabat. Ruptô tumore Excrementa hanc viam iniêre, ut per hebdomadas qvatuor aut qvinqve nihil per al- *Per Umbilicum.*

vum

vum egeſtum ſit. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. 1. Obſ. 51. fol. m. 43.* qvam Obſervationem etiam Stephanus Blancardus *Oper. med. Tom. II. p. m. 46.* paucis tantùm mutatis verbis recenſet. In puerô novenni poſt morbum diuturnum humores in regione umbilicali depoſitos & collectos in apoſtema degenerâſſe ipſumqve umbilicum & inteſtina perforâſſe, ut ſingulis paſtibus aſſumpta alimenta per foramen exeuntia diſcerni poſſent, refert Joh. Baptiſta Lamzwerde *Append. ad Joh. Scultet. Armament. chir. Obſ. 65. p. m. 267.* De Studioſô qvodam, per cujus umbilicum indies qvidpiam fæcibus ſimile liqvidum & fœtens excernebatur, unde non tantùm induſium maculabatur, ſed & odor moleſtus exiſtebat. vid. Philip. Salmuth *Cent. 1. Obſ. 88. p. m. 54.* Vir qvidam per Umbilicum feces reddebat, partem tamen etiam per alvum excernens. Chirurgus pulverem adſtringentem inſperſerat foramini, ratus hôc pactô inteſtinum perforatum conſtrictum iri. Sed apertô in Noſocomiô Patavinô Cadavere, tota ventris cavitas ſtercoribus repleta viſa eſt, & inteſtina diverſis locis perforata apparuerunt, unde excrementa prodibant. Peritonæum qvoqve Inteſtinis arctè adligatum ſeu potiùs adnatum conſpiciebatur. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Epiſagm. Obſ. 45. p. m. 28.* Circa puelli, duodecimô â nativitate die Inſultu epilepticô tentati, idoneis tamen medicamentis reſtituti, Umbilicum, poſt tres aut qvatuor præterpropter ſeptimanas, rubor qvidam, ſine tumore tamen, ſe prodidit. Applicat Chirurgus Emplaſtrum defenſivum, qvotidie bis renovatum. Qvô tertiô die remotô Umbilicus ſimul excidebat, & poſtea, præprimis alvô ſegniori, Stercora per Umbilici foramen patiens excernebat, nihilqve per anum dejiciebat. Hic tamen infantulus intra paucas ſeptimanas reſtituebatur, juxta Obſervationem Melchioris Fribe *M. N: C. Dec. I. An. 3. obſ. 64. p. 110.* Accidit cuidam dyſenterico, ut perforatis inteſtinis, circa umbilicum ortô qvodam apoſtemate, venter fora-

mentô

mentô qvodam patefieret; perviis igitur foraminibus, excrementis alvus ſingulis diebus exonerabatur, juxta verba Alexandri Benedicti *de Re medic. Lib. 20. cap. 36. fol. m. 367.* Puer qvatuor annorum Ventris excrementa per umbilicum exonerabat, Iliacâ Paſſione affectus, â qvâ occiſus eſt. Apertô cadavere ulcus apparuit in Inteſtino Colô, & nonnulli tumores in aliis inteſtinis ac in meſenteriô, juxta Joſephum Lanzonum *v. M. N. C. Dec. III. An. 1. obſ. 46. p. 63.* Ex partu difficili fœminæ cuidam intumuerat Umbilicus, atqve dehinc Inteſtinum ibidem loci fuerat diſruptum, ex qvô tempore fecibus hîc ſeſe exoneraverat alvus, qvas profundiore patinâ, firmiter corpori alligatâ, excipiebat iſta mulier, uti annotavit Ido Wolfius *Obſ. chir. med. Lib. 1. obſ. 32. p. m. 105.* Poſt febrem continuam tumorem non ſine inflammatione ſummoqve dolore ſupra Umbilicum, poſtea tumoris rupturam atqve excrementorum per Umbilicum emiſſionem in binis exemplis ſeqvioris ſexûs obſervavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. I. obſ. 58. p. m. 247. ſq.* Ex Obſtetricis cujusdam ruptô umbilicô excreſcentia infantis caput magnitudine ſuperans, ſimulqve per inteſtini cujusdam aperturam excrementorum pars exibat; fuitqve hoc ulcus ita percuratum, ut apertura tantùm phaſeoli inſtar relinqveretur, per qvam qvotidie alvi exonerabat fæces, ne minimâ qvidem earum parte per anum, imò ne flatibus qvidem emiſſis. vid. Heinr. Roonhuyſ. *Part. I. Obſ. 12. p. m. 46. ſq.* Mulier qvædam ruſtica, cùm ob diuturniorem fæcum retentionem dolore colicô immani vexaretur, ex laborioſô dejiciendi conatu inſperatè, ex ruptione Peritonæi, tumorem immenſum, Herniam ſeu Omphalocelem incurrit; qvam cùm per octodecim annos faſciis convenientibus munitam geſtâſſet, repetentibus doloribus colicis, inflammatio cum ſtercoris vomitu ſucceſſit, ſuperveniente Inteſtinorum & obtegentium partium Gangrænâ, qvæ ſerpendo omnibus integumentis exeſis Inteſtini Ilei ſphacelati

celati portionem excidere fecit. De ſalute deſperans fœmina mariti implorat opem, ut partem inteſtini ſphacelatam forfice abſcinderet. Factâ audaci & intrepidâ duobus in locis operatione & Inteſtini Ilei per transverſum ſectione, mulier non mortua eſt, ſed annos adhuc ſex ſupervivens & ulteriorem progreſſum inflammationis, ex ſvaſu Medicorum, oleo roſarum, Omphacinô, defendens omnia domeſtica munia, minùs tamen laborioſa, exercuit, ab eô tempore nullis per anum redditis excrementis, ſed â Ventriculô ad Inteſtina tendentia & continuò per reſecatas partes manantia eadem plumâ gallinaceâ abſterſit. vid. Joh. Ferdinand. Hertold. *Tartaro-Maſtig. Part. 2. cap. 3. p. m. 213.* Puer qvidam, piſcatoris filius, annorum ſeptendecim, in ſummô æſtu ſe admodùm exercens ita incaluit, ut aqvam frigidam affatim biberet, unde cœpit nonnihil malè habere, atqve hyeme ſeqventi Venter illi intumeſcere, ex umbilicôqve pus effluere; tandem etiam ulcuſculum exiguum illic ſe patefecit, per qvod aliqvot lumbrici interpolatis vicibus erepſerunt atqve excrementorum alvi portiunculæ, qvæ petiis circumligatis adhærebant. vid. Felic. Plater. *Obſ. med. Lib. 3. p. m. 883.* Feminæ, Ratisbonæ Eleemoſynam petentis, cui gravidæ, abdomine circa latus Umbilici dextrum ruptô, Obſtetrix fœtum putridum fruſtillatim, ſimulqve fruſtum Inteſtini Ilei extraxerat, ex qvô poſtmodum diſciſſô omnia excrementa per qvindecim annos fuerunt rejecta, Capite octavô circa Motum periſtalticum ex Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. VII. & VIII. Obſ. 16. p. 42. ſeq.* mentionem fecimus. Puella ſex annorum diu de tumore durô infra umbilicum in ſiniſtrô latere â malâ diætâ antecedente conqveſta, tandem in dolorem impatibilem ventris incidebat. Impoſitô emplaſtrô emolliente anodynô erupit materia purulenta fœtida per Umbilicum, nec non alimenta ſemicocta, interdum vermes ſeu lumbrici teretes ſucceſivè numerô qvatuordecim, modò materia liqvida in non parvâ qvantitate

titate, ſed alvus ſemper fuit libera. Tandem exhauſtis viribus & corpore inſtar ſceleti conſumptô puella obiit; in cujus abdomine apertô Inteſtina circa Umbilicum multis in locis Peritonæo ac muſculis abdominis arctiſſimè erant connexa mediante membranâ craſſâ. Inteſtinum Ileum qvatuor in locis diſruptum excrementa prope umbilicum emittens, peculiari membranâ craſſâ, carnoſa, ſaccum qvaſi formante, ibidem cingebatur, ita ut excrementa in Cavitatem abdominis effundi haud potuerint, ſed maximam partem è foramine Umbilici egredi coacta fuerint, juxta Salomonem Reiſelium *M. N. C. Dec. II. An. 7. Obſerv. 15. p. 24. ſeq. vid. etiam Dec. III. An. 5. & 6. obſ. 106. p. 123.* Gallus qvidam, nomine Mery, duos gemellos maſculos vidit, qvorum amborum unica tantùm erat placenta, funiculus verò umbilicalis & involucra cuiqve propria. In utroqve horum infantum umbilicus extrorſum elevationem trium aut qvatuor linearum formabat ſupra ſuperficiem Ventris & foramine ſeptem aut octo linearum diametri hiabat. Inteſtinum Colon ad hanc prominentiam umbilici terminabatur, eamqve foramine lineæ unius ſemis aperturæ, qvod locô ani infanti erat, perforabat. Fundus Veſicæ itidem foramen habebat, cujus exitus æqve ac ille in Colô, in prominentiam Umbilici terminabatur, ita ut urina immediatè in membranas placentæ exiret. &c. vid. Hiſtor. Academ. Reg. Scientiar. Pariſienſ. *An. 2. p. 281.* vid inſuper Johann. Schenck. *obſ. med. Lib. 3. fol. m. 392.* Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. II. fol. m. 874.* Corn. Stalpart van der Wiel *obſ. rarior. Cent. I. obſ. 58. & Schol. p. 247. 254.*

§. 43.

Ex Ingvine poſt diſſectum ab Herniotomô, qvi ſe Bubonocelem curaturum profitebatur, Inteſtinum tenue totô vitæ curſu alvi feces reddebat ruſticus qvidam, obſervante Johanne Prevotio; vid. Joh. Rhod. *Cent. 2. obſ. 92. p. m. 100.* Et Gvilhelmus Fabricius, Hild. *Cent. I. Obſ. 74. fol. m. 54. ſeq.* refert, ſe *Per Ingvina.*

 adole-

adoleſcentem qvendam, viginti annos aut circiter, natum vidiſſe, cujus abdomen, qvoniam ex altô in cuſpidem pali inciderat, ita læſum erat, ut, ob confoſſos abdominis muſculos peritoneumqve, ipſa inteſtina ad magnitudinem capitis ex vulnere prodirent: & qvoniam ante tertium diem Chirurgus haberi non potuerat, ideô Inteſtina, niſi antè dilatatô novaculâ vulnere, in locum ſuum redire neqviverant; nec tamen reducta intùs retineri potuerant: ita ut paulò ſupra Ingven dextrum ad latus Ilei oſſis, Inteſtinum unam ſpithamam cum dimidiâ longum, ac ejus craſſitiei, cujus eſt brachium juxta carpum, extra ventrem propenderet; qvod ille tamen juvenis pro lubitu aliqvô modò intromittere atqve introrſum adigere poterat. Erat autem hoc Inteſtinum toti vulneris circuitui unitum adnatumqve, nec ab ipſô vulneris initiô Juvenis per anum feces alvi emittebat, ſed per deorſum pendentem Inteſtini portionem excrementa multa, liqvida, viſcoſa, ſpûmoſa & flava, ut & flatûs exonerabat. Hagienſis cujuſdam Civis infans biennis abſceſſu ingvinis laborabat, è qvô ſimul excrementa prodibant. Qvod tamen malum detergentibus ac conſolidantibus tam extrinſecus admotis, qvàm intrinſecus injectis per alvum brevi tempore ſe curâſſe refert Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. I. obſ. 60. p. m. 260.* Ruſticus qvidam per aliqvot annos tumorem in Ingvine nunc oriri, nunc rurſus evaneſcere obſerverat. Cùm verò tempore qvodam cum eqvis in campô degens frigore afficeretur, maxima tormina in abdomine orta ſunt, & tumor conſvetum occupavit locum; conſtans ſcilicet magna Bubonocele orta fuit cum vehementi vomitu tantâqve virium dejectione & incommoditate ex prolapſu iſtô inteſtinorum, ut lectô abſtinere neqviverit; præprimis verò dictis ſymptomatibus obſtructio alvi pertinaciſſima ſeſe junxit. Huic tumori ruſticus cataplaſmata & fætûs, qvibus emolliatur & aperiatur, propriô conſiliô applicat: tandem Cutis nigreſcit, atqve mox pars tumoris palmæ magnitu-

gnitudine partem ſponte ſeparatur, partim ab ægrotante reſecatur. Qvô factô per dictum foramen feces alvinæ per totum tempus retentæ, ſtatim proruperunt & æger liberiùs reſpirare cœpit &c. vid. Ido Wolfii *Obſerv. chir. med. Lib. I. obſ. 45. p. m. 143.* Uxor cujusdam militis herniam in ingvine dextrô moleſtiſſimam per aliqvot annos patitur; tandem nullâ datâ occaſione abſceſſum in locô herniæ experitur, ſponte ſeſe aperientem; effluit ex abſceſſu per dies aliqvot pus album optimè coctum; tandem duo lumbrici ad ſpithamæ magnitudinem ex locô affectô exeunt; deniqve ſcybala inteſtinorum ipſiſſima prodibant, atqve poſtmodum hocce locô natura ad excretionem fecum alvinarum abutebatur, teſte Johanne Schmidio *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 122. p. 194.* Ruſticus qvidam poſt ingentem Ceraſorum unà cum nucleis devoratam copiam in alvum tam adſtrictam incidit, ut nullô eam negotio reſolvere poſſet. Et cùm ex arte nullum ſubeſſe videretur ſubſidium, illud natura ſuppeditavit. Nuclei enim iſti, hoſpitii ſui pertæſi, exitum ſibi inde qværentes abdomen in Ingvine dextrô perforârunt, atqve unô impetu qva data porta proruperunt. Foramen â lapillorum egreſſu ſponte ſuâ coaluit, neqve ullum inde ruſtico remanſit incommodum, juxta Alardum Mauritium Eggerdes *M.N.C. Dec. III. An. 4. Obſ. 10 p. 19. ſq.* Ruſticus è Comitatu Colos, natione Valachus, ex elevatione & in altum ſublatione ponderis, elongatis Abdominis muſculis, qvaſi mucrone ſaucius ingvinis ſiniſtri pungentem dolorem perſentit, qvem cùm nonnullus tumor ſubſeqveretur, varia medicamenta adhibet; qvibus irritis & nil proficientibus pars affecta abit in ſuppurationem, poſt in exulcerationem, &, cum rupturâ Peritonæi, Inteſtini procidentiam. Subjicit ſe curæ Herniotomi, itidem Valachi, qvi exulcerationem curaturus & delapſum Inteſtinum repoſiturus, caſu fortuitô inteſtinum diſcindit; qvod cùm conſolidare niteretur, incaſſum omnibus tentatis, nihil amplius effecit, qvàm

qvòd partem Inteſtini extra abdomen pendulam relinqveret, ut egeſtioni excrementorum viam ſimul aperiret. Inteſtinum hoc, longitudine unius pedis pendulum in ligneo tubô Corpori alligato abſqve incommodo dictus ruſticus geſtabat; qvi dum fæces egerendas ſentiret, amotô tubulô per hoc excretorium feliciùs levabatur, qvàm per anum; Anus autem unà cum Inteſtinô rectô tam firmiter coaluit, ut ne qvidem humorem tranſire vel ſudare ſineret. Dum iter faceret, vel inter homines verſaretur, â cibô prorſus abſtinuit, & non niſi ad noctem comedit, excrementa qvidem ſtatis temporibus egeſſit, humores tamen ſubinde ſtillabant in tubulum, qvi fœtoris vitandi cauſâ mutandus identidem fuit. Tali Corporis conſtitutione, pendente extra abdomen inteſtinô, vixit annos ſeptem ſupra viginti; juxta communicationem Samuelis Köleſeri de Keres-Eer *in Ephemerid. Acad. N.C. Cent. X. Obſ.90.p. 424.* Ruſticæ virigini poſt enormes cruciatûs in abdomine abſceſſus in Ingvine dextrô â nucis juglandis ad pugni molem excreſcit, adhibitis emollientibus rumpitur proſilitqve ſimul ac ſemel materia purulenta fœtoris teterrimi ad libram unam & amplius. Poſt dies aliqvot lumbrici in conſpectum prodeunt, qvorum decem â Chirurgô per vices eximuntur, ſinguli viventes & ſpithamæ longitudine haud inferiores. Repurgatô ſic maximam partem Ulcere, paucis â paſtu horis qvotidie magma primò chyloſum elabitur, ſeqvuntur ſummô cum ardore aſſumtorum recrementa lymphæ ichoreſcenti immerſa. Qvi tamen fluxus chyloſo-ſtercoreus curâ Chriſtiani Ludovici Gœckelii ſublatus eſt. *v.M.N.C. Dec. II. An. 4. Obſ. 112. p. 219. ſq.* Fœmina qvædam Buxtehudana herniâ laborabat, qvam cùm Chirurgus in arte ſuâ experientiſſimus curaret, ac manè emplaſtrum impoſitum tolleret, alvinæ fæces adhæſerunt, ita ut Chirurgus, qvid illa pridie comediſſet, judicare potuerit. Ibidem loci etiam alius Vir pauper, & qvidem ſubulcus, abſceſſu in ingvine laborabat, ex

qvô

qvô apertô etiam profluebant alvinæ fæces, &, præſente Medicô, Crambe nondum ſatis concocta adhærebat, teſte Johanne Ludovicô Hannemannô *l. a. An. 3. obſ. 55. p. 142. ſq.* ubi adhuc alterius taliter affecti meminit, cui poſt curam permanſerat foramen apertum, per qvod alvinæ fæces qvotidie in ſacculum ei loco hoc fini appenſum exierunt. Item Mulier ſeptem & qvadraginta annorum poſt herniam inteſtinalem abſceſſu in ingvine laborabat, cui tam alta ſucceſſit putredo, ut portio Inteſtini, longitudine duorum digitorum transverſorum, ad omnimodam ſuppurationem fuerit deducta, & in totô Curæ curriculô fæces per Ulcus prodierint. Poſt curam autem, intra viginti dies abſolutam fœmina hæc excrementa per alvum iterum excrevit, teſte Joſephô Lanzonô *M. N. C. Dec. II. An. 10. obſ. 124. p. 218.* A paſſionibus Colicis pertinaciſſimis in fœminâ Belticenſi non ritè curatis, ipſum Colon ſub ingvine dextrô ruptum, indeqve in abſceſſum ingvinis iſtius cum rejectione fecum terminatum vidit & curavit Chriſtianus Vaterus *vid. ejusdem Diſputat. de Bubon. ingvinal.* §. 22. ubi etiam §. ſeq. aliud exemplum de molitore reperies, cui bubonocele cum inteſtini coli parte & excrementis alvinis abſceſſit. Cuidam abſceſſu in Ingvine laboranti putredo tam inſignis acceſſit, ut portio Inteſtini Ilei, longitudinis qvatuor transverſorum digitorum, ad ſuppurationem omninò deducta fuerit, adeò ut fere totô curationis decurſu fæces alvinæ per Ulcus prodierint. Conſolidatio tamen intra qvadrimeſtre ad perfectam Cicatricem deducta eſt atqve integra ægri valetudo ſucceſſit. v. Nicol. Blegny *Zodiac. med. Gallic. An. 3. Menſ. Octobr. Obſ. 4. p. 125.* Mulier qvinqvagenaria per aliqvod temporis intervallum in Ingvine dextrô ſenſerat tumorem durum ad inſtar ovi columbini, qvem neglexit, ſed deinde, poſt iter ſatis longum pedibus confectum, tumor ille intra octiduum usqve adeò increvit, ut mole ſuâ caput infantis adæqvaret, ſi non ſuperaret,

ingenti

ingenti inflammatione, acri dolore ac febri fervidâ comitantibus. Poſt applicatum Cataplaſma emolliens abſceſſus hic intra triduum diſruptus eſt ac multum puris effudit. Aliqvot deinde ſeptimanis ab apertione tumoris jam elapſis ex Ulcere prodiit acicula cum excrementis alvinis, unde patiens meliùs habere cœpit, remanente interea exili ulcuſculo cum duritie contermina, qvæ nucem juglandem adæqvabat magnitudine. vid. Johann. Muys *Prax: med. chirurg. Decad. 12. Obſ. 10. p. m. 417. ſeq.*

Obſervatio. Ruſticus qvidam ex pago non procul â Dreſdâ diſſitô poſt nimis avidam uvarum integrarum cum arillis ſeu lapillis deglutitionem, alvi contumacem obſtructionem & dehinc ingentem in Ingvine dextrô tumorem incurrebat; qvem dolor, inflammatio, abſceſſus demumqve ruptura Inteſtinorum & partium externarum ſeqvebatur, ita ut ex diſruptô foramine non ſolùm excrementa alvina, ſed etiam uvæ integræ nondumqve digeſtæ, item arilli in magnâ copiâ partim excernerentur, partim â Chirurgô extraherentur; dictus enim Chirurgus, cujus curâ poſt aliqvot ſeptimanas hic ruſticus integrè reſtituebatur, integram ſcatulam ejusmodi uvarum exſiccatarum & ſucceſſivè prodeuntium plenam colligere potuit.

§. 44.

Per alia loca abdominis. Sæpe etiam per alios Abdominis abſceſſus, fiſtulas & Vulnera feces alvinæ egredi obſervantur; & ita qvidem ut nonnunqvam Inteſtina diſſecta per Vulnus propendentia dictas feces loco podicis excernant, vel per aperturam ſeu fiſtulam inteſtinalem emittant. Ex Ulcere inter umbilicum & pubem enatô lumbricos cum excrementis prodeuntes in muliere ruſticâ obſervavit Henricus Smetius *Miſcell. medic. Lib. 10. p. m. 566.* *ab ulcere.* Mulier procidentiâ Uteri laborans malum aurantium majus formâ peſſarii in vaginam intruſit, ſed per incuriam cùm diutius ibi illud detinuiſſet, plurimis ſuperfluis humiditatibus imbutum ibidem corruptionem ſubiit; in hujus extractione poſtea maximis

mis adhibitis conatibus,herniam inde completam ſibi contraxit cum ſtrangulatu. Dolore impulſa fœmina manu ſæpius tentabat, num fortè partem elapſam ad interiora valeret retrudere, ſicqve illuc tantam vim humorum convocabat, tamqve vehementem inflammationem accerſebat, ut tumor aperiendus eſſet. Qvâ apertione peractâ, magna primâ die copia profluxit materiæ fœtidæ, qvam vix excepit ingens pelvis: tam verò fœtida, ut vix odori ferendo pares eſſent adſtantes. Poſtridiè autem portio Ilei ſemi-ulnæ ut minimùm longitudinis, Gangrænâ per totam longitudinem obſeſſa ſe extulit, â reliqvis inteſtinis ex parte ſeparata, omninò ex alterâ, qvamobrem diviſio omnimoda â Chirurgo forficum ope inſtituebatur. Qvam Inteſtini portionem poſtridie alia ejusdem longitudinis hiatui ſe offerebat, a reliqvô divulſa, itidem Gangrænâ infecta. Supra vulvam tria apparebant foramina, â ſanie inducta, exitum fæcibus alvinis concedentia. Accuratæ autem horum foraminum, podicis vices gerentium, deterſioni eô ſucceſſu ſtuduit Chirurgus, ut, exactô bimeſtri â ſuſceptâ curatione, alvi excrementa priori & naturali viæ inſiſtere inceperint, hiatu tumoris cicatrice obductô. v. Nicol. Blegn. *Zodiac. Med. Gallic. An. 3. Menſ. April. Obſ. 4. p. m. 57. ſq.* Cùm Juvenis qvidam fiſtulâ ſtercorariâ in Inteſtinô colô laboraret propè Jecoris regionem, creſcente Lunâ ingens ſtercorum humorumqve copia per illos dies è fiſtulâ prodibat, qvæ paulatim eâdem decreſcente imminuebatur: Cujus rei ita certam habebat experientiam ægrotus, ut de Lunæ qvadraturis & periodis ſolâ humoris per fiſtulam excreti obſervatione ritè dijudicaret, teſte Georgiô Baglivô *Tract. de Sangvin. p. m. 242.* Per lumbos ex Inteſtinô Colô, poſt urinæ ſangvineæ poſteâqve fœtentis puris cum lotiô excretionem, purgamenta alvi â nobili qvâdam dominâ rejecta annotavit Cornelius Stalpart van der Wiel *Cent. I. Obſ. 59. p. m. 257. ſq.* Supra Ingvina verſus umbilicum â parte dextrâ

Ss ss in ve-

in vetulâ ſeptuaginta annorum, poſt tumorem qvendam disruptum, lumbrici aliqvi rotundi ac digitô longiores ſibi viam fecerunt, fluxu alvi per eandem viam ſuccedente, non interceptô fæcialis materiæ per deſtinata illa loca fluore; ſecundum Obſervationem Caroli Offredi *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 126. p. 318.* Sub umbilicô in regione pubis in Pannificis conjuge ex abſceſſu ruptô primò Excrementa & paulò poſt Lumbricos prodire vidit Chriſtianus Fridericus Garmannus ibid. *Dec. I. An. I. Obſ. 145. p. m. 321.* Militi cuidam inflammatione Inteſtinorum ex Colicâ bilioſâ laboranti Ventris latus ſiniſtrum inſigniter dolebat, tumoreqve molli ſe monſtrante abſceſſus tandem aperiebatur. Injectionibus tamen mundificantibus & conſolidantibus res eò deducebatur, ut labia ulceris calloſa redderentur, &, ne excrementa in abdominis cavum exciderent, prohiberentur, ſed per foramen illic apertum poſtea continuò exirent. v. Eman. Kœnig *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 75. Schol. p. 160.* De abſceſſu in Hypochondriô ſiniſtrô cum Inteſtini eroſione & excrementorum per Ulcus ejectione v. Gvil. Fabric. Hild. *Obſerv. chirurg. Cent. I. Obſ. 54. p. m. 65. ſq.* In ruſticô qvodam bienniô poſt curatam herniam ſcrotalem Inteſtina & omentum ad latus Ingvinis ſiniſtri ſeu in hypogaſtrium prolapſa tumorem ex Peritonæô ruptô induxerunt, & qvidem infantis caput æqvantem; in cujus curâ & imprimis Inteſtinorum â Peritonæô, cui adnata erant, ſeparatione, ex Inteſtinis tenuibus unum leviter lædebatur. Licet autem Inteſtinum læſum conſueretur, poſtmodum tamen excrementa non per alvum, ſed per vulnus rejiciebantur, juxta Caſparum Bauhinum vid. Franciſc. Roſſet. *de Part. Cæſar. p. m. 268. 272.* In pagô Gabiz, vix paucis ſtadiis â Vratiſlaviâ diſtante, Annô 1703. die 25. Novembris natus eſt è plebejis parentibus infans, qvi neqve Vulvam, neqve Priapum, neqve Teſticulos habebat. Super hujus oſſe pubis cernebantur orificia duorum ductuum, ex qvibus, ejulante aut

etiam

etiam vehementiùs reſpirante infante, qvando neceſſitas urgebat, feces excidebant & urina effluebat; & qvidem ex dextrô illô hiatu magis urinam, ex ſiniſtrô verò feces alvinas prodiiſſe, Obſtetrix cum domeſticis narravit, vid. Nov. Literar. German. *An. 1704. Menſ. Febr. p. m. 49.* item Hiſtor. Morbon. Vratislavienſ. *An. 1702. p. m. 227.* Plura exempla de Inteſtinis â Lumbricis perforatis ſtercusqve fundentibus in Helminthologia noſtra, proximè, D. v. edendâ, reperies.

§. 45.

Idem fatum etiam nonnulli â variis læſionibus experiuntur v. g. Capitaneus qvidam ante multos annos in Ventre vulneratus ſtercus per fiſtulam, qvæ ſanatô vulnere illic remanſerat, incolumis alioqvin excrevit, teſte Felice Platerô *Obſerv. med. Lib. 3. p. m. 880. ſq.* ubi ejus cauſam inveſtigans ex anatomicis Obſervationibus certis argumentis colligit, Inteſtinorum vulnera, ſi illis in locis, ubi carneæ muſculorum abdominis portiones exiſtunt, Ventrem penetrent, agglutinatis tunc mutuô utrinqve & inteſtinorum & muſculoſæ carnis vulnerum in ambitu labiis, viam fieri poſſe, per qvam ſtercus extra corpus educatur, & in abdominis cavum excidere prohibeatur; eaqve vulnera, licèt conſolidari neqveant, minimè tamen eſſe lethalia. Idem poſt læſionem abdominis propriâ experientiâ confirmat etiam Ido Wolfius *Obſerv. chirurg. med. Obſ. 32. p. m. 104.* Cùm, inqviens, per iſtam aperturam Inteſtina ſimilia profunderentur, nec tantùm refriguiſſent, ſed etiam lividô colore & labe infici inciperent, non conſultum duximus hæc inteſtina immittere rurſus cavitati abdominis, cùm totalis corruptio & Sphacelus jam tum incipiens reliqvas ſimul perdidiſſet partes, & vitæ certum feciſſet finem; ideoqve inteſtina propendentia, in qvantum corrupta erant, reſecuimus, extremitates verò cum vulneris abdominis labiis conjunximus, ut excrementis liber pateret exitus. Qvod noſtrum votum & ſtudium natura ita ſe- *A Vulnere.*

Ssss 2 cunda-

cundavit; ut perfectè coaluerint labia, & ſeqventi tempore per aperturam iſtam feces ferè continuò in peram coriaceam, qvæ firmiter corpori adhærebat, effluerent & ejicerentur. Franciſco Buchardo Lutetiæ Pariſiorum Anno 1661. Mendicus occurrit qvidam, è cujus abdomine Inteſtinum prominebat; ſcilicet è ſiniſtri Renis & umbilici locô propemodum intermedio pendula Inteſtini Coli pars ſemipalmo longior apparebat, cujus fecibus excipiendis appenſam ille lateri ſcutellam aptarat. Hîc periſtalticum ipſius Inteſtini motum multoties obſervare licuit, adeò ut palmi longitudine modò protendi, deinde verò craſſiorem in truncum cogi, fæcibus nimirum excretis, videretur, nullâ tamen ex parte introrſum recondebatur. Dictus mendicus in Anglicâ nave ante triennium militans, majoris Catapultæ glande ſiniſtrum ſupra Renem, (ubi magna ſupererat Cicatrix) trajectus fuerat, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſerv. 8. p. 12. ſeq.* Aliud exemplum recenſet Jean Baptiſte Verduc *Trait. des Operations de Chirurgie cap. 3. pag. m. 10.* his verbis: On a vû un Soldat aux Invalides, qvi avoit eu un des gros Inteſtins coupé; le qvel ſ'etoit cicatriſé avec la playe du Ventre, par où les excremens ſortoient, l'anus ſ'etant fermé. Mais une choſe remarqvable c'eſt, qve ces excremens n'avoient point d'odeur. Poſt vulnus Inteſtini Coli, ſuper Oſſe Coxendicis ad latus vertebrarum dorſalium cultrô inflictum, indies tenuem fœtentemqve admodum ſtercoris qvantitatem Nauta qvidam vulneratus excrevit, teſte Cornelio Stalpart van der Wiel *Cent. poſter. Obſ. 25. p. m. 264. ſeq.* Johannes Franciſcus à Roza in parte dextrâ & inferiori regionis hypogaſtricæ, paulò ſupra annulos acinace vulneratus eſt, qvô ictu transverſim & omninò diſſectum corpus inteſtinorum, non procul à locô, ubi deſinit Ileon. Id vulnus lethale abſolutè pronunciatum fuit, qvamobrem pro deploratô relictus eſt. Ea verò fuit illius felicitas, ut extremitas Ilei diſſecta, cùm extra vulnus efferretur ad longitudi-

gitudinem ſextæ partis Ulnæ, paulatim verò aëri ambienti aſſvefacta, recti Inteſtini munere functa fuerit, nec tamen adeò conſeqvente inſigni incommodô, eò qvòd crasſiores excrementorum alvinorum fæces, cùm exiguam moram in abdomine tranſirent, nec cohiberentur ab anfractibus & convolutionibus Coli, ibi loci non eum contraherent fœtorem, qvi fæcum alvi comes eſt. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gallic. An. II. Menſ. Jun. Obſ. 4. p. m. 123. ſq.* An. 1672. Servus qvidam inter compotandum à Studioſô circa tertiam lumborum vertebram ex parte dextrâ â tergô gladiô qvadrangulari per initium Inteſtini coli & hypogaſtrium verſus Ilia ſiniſtra transfixus decubuit. Curam ejus ſuſcipiens Chicurgus illum deligavit, alterô die amotâ ligaturâ excrementa per vulnus hypogaſtrii exivêre & hac viâ alvi inſtar natura ſe per dies novem exonerare conabatur, qvod in qvavis deligatione apparebat: qvô etiam tempore alvus ſuum, non niſi per glandes ſollicitata, præſtitit officium. Servi hujus decimô ſexto die ab acceptô vulnere defuncti apertum abdomen tetrum odorem ſpiravit; Nam fæces per vulnus Inteſtini Coli in cavitatem illapſæ inteſtina corrupta & gangrænoſa reddiderant; Vulnus verò Inteſtini Coli, ſive labia illius, cum labiis vulneris abdominis in unum ita concreverant, ut cultellô ad ſeparanda invicem opus fuerit. Et, ſi cavitas abdominis ab hac ſentinâ libera & expurgata primis diebus fuiſſet, æger fortaſſe evadere potuiſſet, vid. Simon Aloyſ. Tudecius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 121. p. 293. ſq.* Miles qvidam olim Sclopetô trajectus ſub coſtis nothis veſtigium vulneris monſtravit, cui ſuperimpoſitum habuit linteamen, idqve fæcibus alvinis conſpurcari per vulnuſculum hoc apertum faſſus eſt, qvotiescunqve vel in nimio cibô, præſertim verò potu exceſſum committat; ſecus verò per inferiora legitimè excerni. vid. Paul. Spindler. *obſ. 48. p. m. 83.* Sartor qvidam uxori cultrô vulnus in hypochondriô dextrô ſupra Os Ileon imtempeſti-

vâ nocte inflixerat. Vulnus obligatum eſt: manè, dum Chirurgus Emplaſtrum removet, fæces alvinæ ſubſeqvuntur; dilatatô parumper vulnere apparet Inteſtinum Ileum læſum, placuit Medico in caſu deſperatô periculum facere & Inteſtinum cautè acu alligari curat cuti, recentisqve laridi lamellâ interpoſitâ, ut fæcibus alvinis pateret tranſitus, cutem jungere jubet, &c. & ipſa curata eſt. *v. M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 176. p. m. 332.* Villicus qvidam Bubonocele laborans barbitonſorem accesſit, qvi venereum bubonem cùm exiſtimaret, ejus proinde ſectionem ſvadebat, qvam miſer villicus, licet cum nulla perſona ſuſpecta rem ſe habuiſſe ſanctè affirmaret, tandem admittebat. Sectione autem factâ ſtatim fæces erumpebant, tonſore obſtupeſcente, ipſeqve villicus in Lipothymiam prolapſus, conſiliô tamen Petri de Marchettis reſtitutus eſt. v. Petr. de Marchett. *Obſ. med. chirurg. Obſ. 55. p. m. 84.*

§. 46.

Alius Caſus. De ſeqventi Caſu A. 1720. Menſe Decembri Wittebergæ Diſputatio Præſide Abrahamo Vatero habita eſt: Vir triginta qvatuor annorum, mediâ ſtaturâ corporeqve gracili qvidem ſed robuſtô præditus, militiæ operam navans, in præliô, prope oppidum Flandriæ, Ramelies dictô, A. 1706. commiſſô, in lateris ſiniſtri regione hypochondriacâ aut epicolicâ, vulnus mediante pugione (Bajonet) inflictum accepit. Chirurgus curam ejus in Noſocomiô ſuſcipiens, ex effluxu aſſumptorum, mox de Inteſtinô qvodam ſauciatô certior factus, ſuo officio ſatisfacturus, omnem movit lapidem, ut eidem ſuccurreret, & propterea ad locum vulneratum detegendum, vulnus externum ſectione prudenter dilatavit. Perceptâ verò hôc ipſô Inteſtini everſione, nullâ induſtriâ corrigendâ, de ſalute hujus viri deſperare cœpit. Interea æger, qvi ex conſiliô medentium per plures dies â ſolidis cibis abſtinuit, nihilqve præter juſcula deglutivit, his ſine degeſtione poſt breve tempus effluentibus, notabilem

virium proſtrationem ſenſit. Qvamobrem fame urgente, ſpe reconvaleſcentiæ aliàs deſtitutus, clam inſciente Chirurgô, panem â ſociô acceptum comedit, ac perceptâ ex inde Virium amiſſarum reſtauratione, alimentis ſolidis veſci continuavit. Hac ipſô autem factum eſt, ut Inteſtinum ob cibos ſolidos, excrementis ſpisſioribus repletum, ſucceſsivè extra abdomen protruderetur. Idem qvippe, diſtractione fibrarum labiis vulneris dehiſcentibus, in ipſâ fiſſurâ eidem inflictâ ita inverſum eſt, ut utrinqve ſubingreſſum, interiorem ſuperficiem extrà vertendo duas portiones in mediô adhuc conjunctas porrigat. Pars enim hujus Inteſtini ſuperior, ingreſſu inverſa ad ſuperiora, & inferior eâdem ratione verſus inferiora protenditur, ac qvoniam utraqve in extremitate orificiô gaudet, tubum unicum ſuperius atqve inferius apertum & continuum repræſentat. Conſtat verô pars illa Inteſtini prolapſa, reipſa duabus portionibus interius latentibus, & cavitate nullatenus inter ſe communicantibus, qvoniam ſuperius orificium patet verſus Inteſtina tenuia, & fecum expulſioni inſervit, inferius autem ducit ad rectum, & liqvorem injectum per ordinariam excrementorum viam, hac ratione totaliter interceptam, reddidit. Hoc ipſo ergo labia Vulneris inteſtini inverſione extrà converſa, cum integumentis abdominis, in ipſô egreſſu ita coaluerunt poſtmodum, ut circum circa aperturam externam claudant, nihilqve adeô fecum intra abdomen prolabi qveat, qvæ omnia ex inſpectione figuræ, in fronte Diſputationis poſitæ, meliùs qvàm ex ampliori relatione colligi poterunt. Vir itaqve per poſteriorem viam alvum non ampliùs deponit, rarisſime tamen, ſtimulô excitatô mucoſam materiam locô fecum excernit, qvam è glandulis Inteſtini recti, ac reſiduæ partis inferioris Coli provenire non levis eſt ſuſpicio. Hæc Vaterus. Et Autor anonymus Tractatûs Gallici Nouvelle Methode d'Operations de Chirurgie *Chap. 5. Remarq. p. 43.* ſcribit:

ſcribit: il y a aux Invalides un Soldát, qui rend ſes excremens par une playe, qu'il a reçuë autrefois à l'un des gros Inteſtins, dont l'Ouverture s'eſt tellement collée & cicatriſée avec les Muſcles & les tegumens, qu'on peut a bon droit la regarder comme un anus, par où il rend ſes excremens.

§. 47.

Per Scrotum. Per Scrotum excrementa alvina ejiciebat ruſticus alvi conſtipatione ſpatio dierum qvatuor & decem vexatus. Licet enim ipſi poſt adipem balenæ cum Cereviſiâ aſſumptam liberaliter alvus fuerit ſoluta, ſuccesſit tamen Inflammatio ſcroti in ſiniſtrô latere, unde ſphacelus. Mortuâ ſcroti parte ſuâ ſponte decidente Teſticulus ſiniſter ſanus comparebat. Per patulum verò foramen ſcroti fæces alvi excernebantur, & qvicqvid per Os aſſumebat, tantâ ſubinde violentiâ, ut cum ſonitu ingenti erumperent, flatibus ſine dubiô per inſolitam viam urgentibus, per alvum qvoqve die ſemel excernebat, ſed per ſcrotum ferè continuò, teſte Thomâ Bartholinô *Cent. 3. Epiſt. 5. p. m. 18. ſeq. item de inſolit. Partus Viis cap. 14. p. 114.*

§. 48.

Per Pedem. Tandem per Pedis partem ſuperiorem feces alvinas egreſſas legimus. Scilicet poſt ruptum in Inteſtinis â Colicâ factum abſceſſum in fœminâ qvadam materia defluens ibidem fecerat ſaccum, qvô apertô primò pauca ſanies, deinde per multos menſes, qvoties illa egerebat, fæces tenuiores per illum locum effluebant. vid. Joh. Schenck. *obſ. med. Lib. 3. fol. m. 393.*

§. 49.

Ani laxitas. Sicuti autem, ſecundum hactenus adducta, â diuturnâ vel Ani taxitas etiam omnimodâ, â qvacunqve cauſâ dependente, Alvi obſtructione varia exoriuntur ſymptomata, ita etiam â ſphincteris ani ſeu Inteſtini recti nimiâ laxitate & Paralyſi involuntaria Excrementorum oritur dejectio, qvale Exemplum poſt intempeſtivum in Dyſenteriâ opii uſum obſervavit Michael Bernhardus

hardus Valentini in fœminâ qvadam, cujus anus exinde immane qvantum hiabat, ut Clyſteres ne momentum qvidem temporis ſuſtinere potuerit. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſerv. 88. p. 188. ſeqq.*

§. 50.

Nonnunqvam etiam Alvus ſeu Sphincter ani, absqve cathartici Medicamenti aſſumtione, ſed ab aliis cauſis, & qvidem vel ab Imaginatione & animi pathematis, vel certis particulis, guſtu, odoratu vel aliô modô communicatis, ad fecum excretionem, interdum ſatis freqventem, ſtimulatur; hinc etiam Johannes Fernelius *Therap. Lib. 3. cap. 10. p. m. 331.* inqvit: alienorum horrifica recordatio naturam turbans ad excernendum ſtimulat, qvemadmodum & pharmaci odor gravis, aut intenta cogitatio alvum plerumqve movet. Ejusmodi autem Alvi ex Imaginatione & Nauſeâ factæ ſolutionis exempla plurima ſupra *Cap. III. de Nauſ. & Antipath. Purgant.* §. 50. adduximus. Qvibus annecti poteſt Obſervatio Johannis Schmidii de purgatione ex Imaginatione in feminâ qvartanariâ, qvæ Impreſſionem Vomitûs dejectionumqve habens, deguſtatô ſaltem ſaporis gratiâ medicamentô febrifugô, ſtatim nauſeabunda qvater vel qvinqvies cum maximâ Violentiâ vomuit, ſimulqve ſexties vel ſepties alvum exoneravit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 4. & 5. Obſ. 160. p. 203. ſq.* Aliud Purgationis ex merâ Imaginatione exemplum recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *ibid. An. 6. & 7. Obſ. 238. p. 345.* Vir, inqviens, egregius, vagos Stomachi & Hypochondriorum dolores non ſine magnâ moleſtiâ integrum ſextiduum animoſè ſuſtinens, tandem me acceſſit omniqve votô genuinas Pilulas Françofurtenſes Beieri expetebat, ſeriò & unicè ſibi perſvadens, ſolam mali ſui medelam latere in iſtis Pilulis, qvare omnia alia, licet meliora, pertinaciter damnabat remedia, nec ullis precibus aut rationibus abduci poterat â ſuô votô. Mirans ego fervidum optimi Viri deſiderium, tandem promiſi, me ſa-

A variis cauſis.

ab imaginatione.

tisfacturum ejus Voluntati, dictasqve Pilulas fideliter confecturum. Interim, ut & alii ſcirent, qvantum mentis ludibrium foret imaginatio, ex micis recentis panis cum ſalivâ octodecim formo pilulas, easqve inauratas mitto Domino patienti; ille in aurorâ avidè devorat omnes. Circa Veſperum ad me venit lætus ſanusqve, inſignem Pilularum mearum efficaciam aſtra ſuper ferens, meqve ſpecioſo mactans Elogio. Qvinqvies alvum inſigniter depoſuerat, & ſemel vomuerat. Vix fidem dabam inſolita narranti. Domum itaqve comitabar eundem, ut coram viderem materiam rejectam, qvam in patinâ obſervaveret. Profectò ſtupebam ego magnam tenacis pituitæ ſaburram, & niſi his oculis vidiſſem, nunqvam vel juranti credidiſſem. Vah! qvid non molitur pertinax in re aliqva opinio aut fiducia? &c. Referenda huc etiam ſunt ingratorum Medicamentorum vel etiam ferculorum oblatio, qvæ vel olfactum, vel Phantaſiam commovendo juxta Joh. Bolm. *Diſput. de Vomit. Lipſ. 1688. habit.* §. *9.* ad Vomitum, interdum etiam ad ſeceſſum, ſtimulant; uti Johannes Jacobus Harderus *Apiar. Obſ. 40. Schol. p. 183.* ex Wepf-

Ex odoratu. ferô meminit fœminæ, qvæ, qvoties pharmacopolium præteribat poſt morbum chronicum, tota exhorruit, Nauſeâ correpta fuit, & vix Vomitum evitare valuit: Et Monialis, cui protenus, ceu ab electivè trahente, aliqvot vicibus alvus ſolvebatur, qvoties coram ipſâ de Rhabarbarô & foliis ſenæ diſſerebatur. Novimus qvoqve nos, pergit Harderus, qvi ex ſolô Medicamenti

Ab aſpectu. Cathartici aſpectu aliqvoties vomere neceſſe habent, particulas ejus nec odorati; cujus ſanè rationem reddere difficile non eſt, ſi ad mentis, qvod habet in ſpiritûs, imperium & abominationem, qvam Cathartica pridem ei pepererunt, attenderimus.

Ab effluviis. &c. Et Johannes Nicolaus Pechlinus *de Purgant. Medicam. Facult. cap. 30. p. 409.* inqvit: qvæ ab imaginatione creditur fieri purgatio, utut â merâ ſpirituum affectione procedere poſſit, plerumqve tamen imminentis medicamenti aut ingratiis conſpe-

cti

ℳti effluviis imputandum eſſe reor: & ſi aliqvando medicamentum ab aliô hauſtum ſpectatori faſtidium incuſſit, & ex faſtidiô alvum, potore nihil tale ſentiente, eqvidem ab humorum proclivitate deducendum fuit, aut copioſa maximè aut qvantumvis exigua effluvia non ferentium. Retulit mihi Medicus aliqvis ſe obſervâſſe mulierem, qvæ cùm ſub eadem veſte aut ſtratô cubaret cum aliâ & ſociâ muliere, ante qvietem purgante uſâ, ipſam ſobriam omnisqve Medicaminis expertem aliqvoties de nocte purgatam fuiſſe, manifeſtô argumentô, effluviorum aliqvam vim eſſe, ſilente noctu omni affectu animiqve dolore.

§. 51.

Ab animi Pathematibus Alvum ſolutam qvotidie experimur, imprimis ab irâ, uti Gvilelmus Fabricius *Obſ. chir. Cent. I. Obſ. 18. Oper. fol. 24.* de Motronâ Düſſeldorpenſi meminit, qvæ adeò â Pharmacis abhorrebat, ut Mannam & Syrupum roſaceum vix potuerit ſumere; Contra tali naturæ beneficiô erat prædita, ut ex minimâ etiam animi perturbatione, præcipuè ex Irâ, alvus adeò ſubduceretur, ac ſi pharmacum qvantumvis efficax ſumpſiſſet. Sic etiam â Terrore Alvi laxationem obſervavit Georgius Segerus *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. obſ. 94. p. 244. ſeq.* Cùm enim Thorunii A. 1667. die 18. Julii â Meridie Comiſſarii Regii, ita jubente Sereniſſimô Rege Johanne Caſimirô, Templum S. Jacobo conſecratum atqve in novô Oppidô conſtitutum Monialibus traderent, Uxor Fabri aurarii, obſervatura, qvid circa illud Templum facturi ſint illi, ſupremam ædium ſuarum contignationem conſcendit, unicumqve filiolum ſuum, tùm trimulum, ſecum eò deduxit. Ubi dum intentis oculis negotium illud intuentur, ecce pueruli ſervula ſuſpenſo accedit gradu, illumqve ex improviſô ita perterrefacit, ut vix placari potuerit. Subſecuta eſt ſeqventi nocte Diarrhœa gravis. &c. Ex Obſervatione Laurentii Bellini, Medici Florentini, ſeqventem Caſum in Sylvii Bocconis *Obſervationibus Curioſ. Obſ. 23. p. 471.*

Ab animi pathematis.

Ab Ira.

A Terrore.

ipſius verbis legere licet: Einer Paulus Murnuni, Schiffer aus der Stadt Sacca in Sicilien, iſt im Jahr 1691. zweymahl von einem groſſen ſchwartzen Hunde angefallen und erſchreckt, aber doch nicht gerühret oder gebiſſen worden; wovon ihm alles gleichſam im Leibe umgekehret worden, und hat er nach etlichen Stunden eine Diarrhœam bekommen, welche bis in den Januarium des 1693ſten Jahres gewehret, wovon er allemahl binnen Tag und Nacht ſechs oder ſieben Stühle gehabt &c. In Icone Hieronymi Vechietti narrat Erythræus exemplum Poetæ, qvi acceptô nunciô amiſſæ pecuniæ dolore usqve eò perculſus eſt, ùt propemodum â vitali calore derelictus exſpiranti ſimilis reductus ſit domum, &, ut in maximô metu ſit, ſoluta eidem alvus in femoralia defluxerit, ac Coxendices totas infecerit, uti refert Johannes Nicolaus Pechlinus *Obſ. med. Lib. 3. Obſ. 23. p. 451.* Dyſenteriam ex ſolô terrore conceptam, ſibi notam eſſe, ſcribit Jacobus Dobrzensky de Nigroponte *M. N. C. Dec. II. An. 4. Obſ. 29. p. 80.* Princeps qvædam Palatina, anteqvam nuberet, qvoties alvus ei conſtipabatur, imperabatur Clyſter; verum viſô illô ſaltem â longinqvô ſtatim ſolvebatur alvus, ceu Sereniſſimus ejus Frater Ellingæ retulit Georgio Franco, cujus *vid. Satyr. med. 3. §. 16. p. 67.* Fœmina Raymund de Stow-market qvandocunqve Tonitru percipiebat, etſi è longinqvô, Corporis morbo afficiebatur, pronaqve erat ad Vomitum. In ipſo momentô (at the very Coming over ofit) incidebat in perfectam Choleram, & perſeverabat in vomitu & profluviô ventris qvoad tempeſtas durabat, idqve modô violentiore, qvàm ſoleat procurari Medicamentis in hunc finem præſcribi ſolitis. Et ita ſe habuit illa femina a pueritiâ vid. Henr. Oldenburg. *Act. Philoſ. Anglic. 1667. Menſ. Novembr. p. 446.* Ingentem Catharſin ex Inſomniô annotavit Johannes Jacobus Waldſchmid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 234. p. 423.* Conſulis ſcilicet Hanovienſis filia, octodecim circiter annorum Virgo, conſveta erat purgare alvum

A metu.

A Tonitru.

Ab Inſomnio.

vum Extracto Rhabarbari, qvod cùm aliqvandiu neglexiſſet, monebatur qvodam veſperâ â Matre; excuſavit ſe filia, prætendens nauſeam â familiari illô purgante, & ſic aliqvantò durius ob id increpata à Matre unà cum ſorore lectum repetit. Horâ primâ poſt mediam noctem incipit nauſeabunda hæc Virgo gemere & ſuſpirare, & expergefacta â ſorore conqveri de ingentibus alvi doloribus ab uſu Rhabarbari, qvod ſe ſumpſiſſe ſomniaverat, & paulò poſt cogitur relinqvere lectum, aliqvot horarum ſpaciô plus qvàm ſexies copioſè purgata â ſolâ Phantaſiâ, humores illos mobiles & fluctuantes deturbante.

§. 52.

Ab Odore pharmaci purgantis.

A ſolô Medicamentorum purgantium aſpectu, odoratu vel etiam nominatione exortas Alvi dejectioniones jam ſupra *Cap. III. §. 50.* ex variis Autoribus recenſuimus, qvas hîc repetere ſuperſedemus; ſeqventem tamen Obſervationem adhuc annectere libet, qvam Johannes Nicolaus Binningerus *Obſerv. Med. Cent. 2. Obſ. 86. p. 227.* refert, inqviens: Dum Montiſpeſſuli annô 1651. Medicinæ operam darem, moroſus qvidam & decrepitus ſenex, temperamenti calidi, ſicci, atrabilarius, Pædagogus, alvi conſtipatione ordinariè laborabat. Qvùm autem plures dies illô affectu peſſimè haberet & febricitaret, ipſi Potionem emollientem ex Senâ purgantem parandam curavi in craſtinum diem ſumendam. Hic nunqvam ullô Pharmacô per totum vitæ curſum purgatus, ex ſolô purgantis Pharmaci odore pluries illô manè ſubductus, relictâ medicinâ, convaluit. Matrona qvædam, qvæ jùris carnis bubulæ plurimùm per alvum purgabatur, demum cum in ſeniô tibiam ſibi lapſu in planô fregiſſet, non aliis uſa pharmacis, ſolô etiam odore juris bubuli alvum ſibi ſolvebat, teſte Henricô ab Heer *Obſ. 29. p. m. 245. ſeq.* Ibidem etiam Viri qvadragenarii meminit, cui jure Capi vel Gallinæ, alvus qvinqvies, ſexies, ac ſi alviducum ſumſiſ-

A jure carnis bubulæ.

A jure Gallinæ.

 ſet

ſet medicamen, ſolvebatur. Scribit etiam Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 593.* Dicunt qvidam, qvod Lauri baccæ putrefactæ, ſi deſtillentur, ſolo odore hauſtô ſeqvatur purgatio per alvum. Refert etiam Henricus Smetius *Miſcell. medic. Lib. 3. p. 165.* ſe noviſſe Matronam honeſtiſſimam, qvæ ex odore purgantium Pharmacorum præclarè purgaretur. Ea ſi in Pharmacopoliô aliqvantiſper moretur, mox alvum ſibi turbari ſentit. Eadem ſi maritô purgatoriam potionem calefaciat offeratqve, non minùs aliqvando purgatur ipſô maritô, qvi potum hauſit &c. *Et Lib. 2. cap. 60. p. 133. ſeq.* Hiſtorias qvorundam, qvibus ſolô odore purgantium alvus fuit turbata, refert, imprimis qvod Gvainerius ſcribat: Ducis Sabaudiæ Medicum qvendam Catapotia ex Pharmacopoliô in manibus domum geſtaviſſe, & ab illis nihilominus ſtrenuè perpurgatum fuiſſe, qvàm ſi deglutiviſſet. Imò Viro Illuſtri â Tincturæ Solis cum Spiritu Roſarum factæ qvatuor guttis aſſumptis, vertentibus viginti qvatuor horis qvadragies ſoluta alvus, teſte Jacobô Barnero *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 199. p. 294.*

§. 53.

4. Tactu. Fortiora purgantia, vegetabilis æqve ac mineralis regni, manibus agitata & in Pilularum maſſam redacta, aliqvoties alvum ſubduxiſſe ſuô ſe exemplô didiciſſe ſcribit Johannes Andreas Stiſſerus *de Febb. intermittent. cap. 6. pag. m. 28.* Novit enim Pharmacopoeæ Studioſum, qvi, qvotiescunqve Pilularum catarcticarum maſſam manibus tractaverat, Diarrhoeam patiebatur ſatis gravem. Huc pertinet etiam, qvod narrat Robertus Boyle *Tentamin. Porolog. ſive de Corpor. animal. Poroſitat. cap. 3. p. m. 9.* pueros exteriùs applicatis purgari poſſe, qvibusdam â Medicis aſſeritur; eô è numerô eâqve in arte exercitatus qvispiam plerumqve ſolô ſe purgari Emplaſtrô mihi declaravit. Sed majoris adhuc momenti eſt, qvod ab ingenioſisſimô qvôdam virô mihi narratum eſt; vix ille fidem rebus

bus ejusmodi habebat, priusqvam hanc mihi hiſtoriam referret. Rogatus ille eſt â qvodam rerum curioſarum ſtudioſô, ut manum porrigeret, qvam alter manu ſuâ apprehendit, ſubtili qvodam oleô chymicô, ut poſtea patuit, madefactâ, adeò tamen leviter, ut qvi rogatus manum præbuerat, rem vix animadverteret, donec paulò poſt, motu qvodam Catharticorum propriô urgeri ſe ſenſit; alterô ad hæc ſubridente ſuſpicari familiaris meus cœpit, qvid demum rei ſubeſſet, qvaterqve brevi tempore, omni absqve tormine, dolore, intemperie dejecit. De ejusmodi Pilis, oleis & ungventis laxantibus ita ſcribit Johannes Nicolaus Pechlinus *de Purgant. cap. 30. p. 407. ſeq.* Apud Eraſtum exemplum extat Medici Sabaudi, qvi qvoties Pilam purgantem manu fovebat, toties bellè & tanqvam a potione purgabatur. Ejusmodi Pilæ variæ celebrantur deſcriptiones uſu probatæ, ſed paucis hodie dubia fortibusque minùs conveniens medicina placuit. Unum modò novi Medicum, feliciſſimè etiamnum pilâ ſuâ utentem; Amſtelædami vero Chirurgum qvoqve, qvi inductô volæ manus Ungventô officioſè purgare ſuos ſolet. Arthanitæ ungventum, fateor, Ventri inungi ſolet, hoc autem non ex ſuperſtitione aliqvâ, ſed juſtâ ratione: nam cum debile ſit laxans, qvàm latè & freqventer illini debet, qvod in Ventre propter ſuperficiei amplitudinem meliùs, qvàm in manu aut Carpi contractiore ſphæra fiet. Memini ego, cùm ad neſcio qvos tumores Viro alicui inter cætera Olea Arthanitæ Ungventum præſcripſiſſem ad femora inungendum, in venas proſerpentibus purgativis Colocynthidis tauriniqve fellis effluviis, poſt varia faſtidia alvum fuiſſe motam &c. Sic Medicus qvidam Germano-Hiſpanus Viennæ Matronæ Illuſtriſſimæ à Kroneck delicatæ, & Medicamentorum ſumptionem per Os omnino averſatæ, Maſſam Pilularum ipſis pedum plantis ſuppoſuit, ut ſic purgaretur per alvum: qvod nonnullis ridiculum videbatur, juxta Wolffg. Hœfer. *Hercul. Med. Lib. 3. cap. 5. p. m. 246.* Ex Olai Borrichii

Hodœ-

Hodœporico MSC. ſeqventem Obſervationem communicat Georgicus Francus *Satyr. med. 3. p. 62. ſq.* Anno 1661. d. 29. Sept. narravit mihi Chirurgus meus, fuiſſe hîc ſuperioribus annis grandævum Anglum, qvi globô qvodam ſingulari, in manum patientis inſertô, ſolvebat pro arbitriô alvum, & remotô iterum globô, alvus puerperarum & infantum rurſus ſiſtebatur, id ſibi conſpectum ſæpius fuiſſe &c. ubi plura. Radicem Hellebori Fonticulo admotam tum alvum ſubducere, tum vomitum qvandoqve movere, ſcribit Johannes Baptiſta du Hamel *Oper. Philoſ. Tom. II. de Corpor. affection. Lib. 2. cap. 3. p. m. 161.*

§. 54.

Purgatio per Coitum communicatu.

Medicamenta purgantia non ſolum ad Venerem & Coitum ſtimulare, *in Spermatologiæ noſtræ Capite V.* §. *20. p. 251. ſq.* aliqvot exemplis probavimus, ſed etiam ejusmodi vim Catharticam mediante ſemine per Coitum fœminis communicari, *ibid. Cap. I.* §. *33. p. 39.* ex Borellô & Horſtiô adduximus; qvorum ille viri meminit, qvi aſſumptô Medicamentô purgante Coitum ſtatim exercuit, â qvô Uxor ejus pro illô purgata fuit; hic verò Johannes Daniel Horſtius Nobilem Aureliæ in Galliâ Scorto, poſt horam â purgante medicamentô aſſumptô juſculum ferenti, inter meretricios amplexûs Coitu purgantem efficaciam inſinuavit, ut ἄνω καὶ κάτω decies vehementer purgaretur. Betrandum Rozium cum ſemine vim & Virtutem pharmaci in uxorem transfudiſſe, refert Gothofredus Mœbius *Fundam. Phyſiolog. cap. 19. p. 482.*

§. 55.

Item Lactatio.

Lactatione etiam Purgantium Medicamentorum efficaciam puſillis lactentibus communicari, Medicis atqve Obſtetricibus res nota eſt, & ſecundum Gvalth. Charleton. *Oeconom. animal. Exercit. 3. de Galax. p. 31.* Medicis nil ſolennius eſt, qvàm Cathartica nutricibus exhibere, qvoties earum pumiliones purgatione opus habent: idemqve ex ſingulari qvadam Proſperi

Mar-

Martiani obſervatione luculenter conſtat. Is enim *Comment. in Hipp. Lib. de Nat. Pueri* Nutricis cujusdam hiſtoriam refert, qvæ cùm Pharmacum purgans manè ſumpſiſſet, pauloqve pòſt infanti admoviſſet ubera, eum in ſummum Vitæ diſcrimen, ex Hypercatharſi inde citò ſubſeqvutâ, conjiciebat; ipſamet autem interea neutiqvam purgabatur.

§. 55.

Interdum etiam extrema Inteſtini recti pars, ſive anus, vel potiùs interna Inteſtini recti tunica relaxatur, â ſtatu & locô ſuô naturali recedit, atqve vel prominet, vel exit, vel penitùs prolabitur, ut adeò excrementa minimè pro lubitu in Inteſtinô rectô ad tempus retineri poſſint; ſed potiùs involuntariè prolabantur, unde etiam hoc vitium Procidentia vel prolapſus ani Medicis vocatur, & partim â plicarum Inteſtini recti relaxatione, vel ejusdem muſculorum, levatorum ſcilicet atqve Sphincteris, læſione dependet. Ad qvas variæ concurrunt cauſæ, v. g. in infantibus & adultis freqventes nimisqve acres &illioſæ dejectiones alvinæ, ſeu diarrhœæ, & inconditi infantum clamores; vel etiam difficilis fecum alvinarum ſiccarum & induratarum excretio, ſummusqve easdem deponendi conatus; item laborioſus & intempeſtivus gravidarum ſeu puerperarum fœtûs expellendi niſus, qvô in caſu nonnunqvam tam procidentiam ani, qvàm ipſius uteri obſervare licet; nec minus ipſæ Obſtetrices pro facilitandô partu ſæpiſſimè peſſimô more digitum ano immittentes, plicasqve ſive internam Inteſtini recti membranam ſimul extrahentes: Porrò etiam elevatio ponderis cujusdam externi vel etiam ipſius Uteri in gravidis inteſtinum rectum comprimentis moles, â qvibus ipſius tunica nervea & glanduloſa relaxantur. Qvò etiam primariò pertinent Calculi & Teneſmus hæmorrhoidalis, Sphincteris ani Paralyſis, qvam eqvidem non extemplo, ſed ſucceſſu demum temporis

Procidentia Ani.

ani ſeqvitur procidentia: Qvales & alias Procidentiæ uterinæ cauſas apud Autores allegatos reperimus.

§. 56.

a Partu. Procidentiæ Ani & Herniæ umbilicalis exemplum in puerperâ annotavit Johannes de Muralto in feminâ, qvæ Annô 1681. in ſedili ad pariendum intempeſtivè coacta infantem mortuum enixa eſt, partum infauſtum præterea ſeqvente ani procidentiâ & umbilici Herniâ. Aegram mox invaſit magna ſitis, Appetitus verò ciborum proſtratus eſt. Alvum decenter repoſuit Muraltus, poſtqvam eum fotu emolliente excalefeciſſet; deinde ægram ſellæ é lignô qvernô factæ inſidere juſſit, ſphincterem firmavit pulveribus adſtringentibus *vid. M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 113. p. 280. ſeq.* vid. etiam ejusdem *Chirurgiſche Schriſſten Hiſt. 175. p. 529.* Puella triennalis Tenesmô & alvi duritie per bimeſtre laboravit, ut & ſub dejectione excrementorum cum podice Inteſtini recti portio exiret, ac non niſi ex ſuffumigio picis ſutoriæ terebinthinatæ, aliis remediis fruſtra adbibitis, intrò rurſum recederet & ſtabiliretur; juxta Joh. Helwig. *Obſ. 94. p. 297.* Talem Inteſtinorum procidentiam ex diarrhœâ refert etiam Philippus Salmuth. *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 30. p. 20.* de puellâ annorum circiter qvatuordecim, qvæ cùm Diarrhœâ graviter laboraſſet, Teneſmus eam eſt ſubſecutus, hocqve neglectô, cùm excernendi deſiderium urgeret, totum tandem Inteſtinum rectum cum parte Coli, ad longetudinem ſphithamarum duarum & amplius fuit protruſum &c. Seqventia exempla refert Georgius Wolfgangus Wedelius *Patholog. med. dogm. Sect. II. cap. 12. p. 406.* nimirum Vir primarius hemiplexiâ cùm laboraret, hoc vitii ſimul reportaverat, ut, qvoties alvum deponeret, eadem procideret. Nobilis â pluribus annis ab hæmorrhoidali tenesmo & tumore ſimile vitium patiebatur ad ultimum usqve vitæ finem, ut prolapſum a ſedibus anum cogeretur ſollicitè ſemper ipſe reponere. Illuſtris fœmina uſa ali-

qvoties

qvoties Pilulis laxativis fortioribus, cum gummatibus & colocynthide acuatis, corripiebatur procidentiâ ani, cum inflammatione inſigni, qvâ, non obſtante omni remediorum apparatu, in ſphacelum terminatâ, moriebatur. Dubitatio omnis poſt mortem tollebatur, ipſâ alvô conſpicuâ abundè. Meminit etiam Johannes Muraltus *l. a. Schol. p. 281.* ſe aliqvando in uxore fabri cujusdam ferrarii tantam ani procidentiam à partu vidiſſe, qvæ ulnam longitudine æqvaret, qvam tamen graviſſimis licet ſymptomatibus ſtipatam tandem magnô labore ſanavit. Hæc tamen Inteſtini recti ad integræ ulnæ longitudinem procidentia Johanni Junckero *Conſpect. Medicin. Tab. 88. p. 587.* fidem ſuperare videtur, cùm tota hujus inteſtini longitudo vix ad dimidiam ulnam accedat. Anno 1645. â latronibus qvibusdam in Itinere occiſus eſt Conſul qvidam. Triſte hoc nuncium cùm innotuiſſet uxori, animi in deliqvium incidit, mox ad ſe rediens ſtabulumqve tranſiens, ubi pecora detinebantur, ab unô eorum impetum gravem ſuſtinuit, unde læſis genitalibus fœtum enixa eſt mortuum, miſerè cornu bovino laceratum: mox alterum impetum ventre excepit, qvi excluſioni fœtûs ſecundi, aſt viventis, anſam præbuit. Terræ incumbentem tertiâ vice cornu ſuô petiit bos, & podici ſolutionem intulit, unde ejus procidentia gravis, cancroſa, horrenda, cum excreſcentiâ Uteri. vid. Job. a Meckren. *obſ. med. Chir. Append. cap. 15. p. 388. ſeq.* De Ani ex frigore procidentiâ ſeqventia refert Vitus Riedlinus, Filius, *Obſerv. medic. 50. p. 116.* Illis, qvi diutius ſaxo frigido inſident, facillimè Anum prolabi, omnes Auctores Medici unanimiter teſtantur, nec verò ſola hæc ſeſſio, ſed frigus externum qvocunqve aliô modô has partes nimium affligens hoc malum producere poteſt, qvod præter alia ſeqvens hiſtoria probabit: Iter confecerat amicorum meorum qvidam mediâ eâqve ſat rigidâ hyeme; cùm autem dictas partes veſtibus minùs bene muniviſſet, vix do-

à læſione.

à frigore.

mum rediens anum prolapſum ſenſit; cui moleſto admodum malo conveniens remedium, qvô anus in priſtinas ſuas ſedes rediit, dictus Riedlinus præſcripſit, qvod hoc eſt Ungventum:

℞ Ungvent. de Linar. ℥ij.
Lapid. Calamin. ppt.
Litharg. ana ℈j.
c. Ol. Roſar. q.ſ.f. Ungventum.

Hoc cum bis vel ter applicaſſet, malum ſtatim mitius ſenſit, vixqve eodem totô illitô, anus in priſtinas ſuas ſedes rediit. In procidentiâ ani internam potiſſimùm Inteſtini recti tunicam relaxari exemplo Viri nobilis comprobatur, qvi hæmorrhoidibus & ani procidentiâ diu qvidem vexatus & aliqvando à ſubitaneô exceſſu ipſius ani prolapſi & inflammati ſphacelum perpeſſus, perfectam nihilominus ſanitatem ita recuperavit, ut poſtea nec hæmorrhoidibus nec procidentiæ ani amplius eſſet obnoxius, annotante Gvilielmô Cowper. *vid. Act. Erud. An. 1699. Januar. p. 53.* Huc pertinet etiam Obſervatio Maximiliani Preuſſii de puellâ prolapſu Inteſtini recti laborante. Prominebat ſcilicet illud ad qvinqve digitos transverſos per duas ſeptimanas, tandemqve ſponte tunica interior ſphacelata deceſſit, & reliqva inteſtini ſubſtantia iterum in naturalem ſitum reducta eſt, egregiam opem præſtante Linimentô ex Mucilagine ſeminum frigidorum, lithargyriô oleôqve amygdalarum dulcium paratô, atqve hoc pactô puella integræ ſanitati reſtituta eſt. vid. Hiſtor Morbor. Vratislav. *An. 1699. p. 115.*

CAPUT

CAPUT X.

De
Rebus præternaturalibus in Inteſtinis repertis, vel per alvum excretis & extractis.

§. 1.

ORdinariè eqvidem & ſecundum naturam per anum feces alvinæ ſeu ſtercora, differentis licet, pro ratione tum aſſumptorum, tum ſtatûs morboſi, conſiſtentiæ atqve coloris excernuntur; interdum tamen conſiſtentiam naturalem planè deponere atqve lapideam duritiem induere creduntur, uti de fabrô ferrario, qvi poſt diuturnam alvi retentionem atqve Teneſmum freqventem tandem dura ſeu lapidea ſcybala rejecit, commemorat Salomon Reiſelius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 117. p. 276. ſq.* An autem ſcybala reverà in Calculos ſive ſubſtantiam lapideam transmutentur, vel annon æqvè in Inteſtinis, ac in multis aliis Corporis humani partibus (de qvibus in Lithologiâ noſtrâ) Calculi formari poſſint, cujuslibet judicio relinqvo; ſiqvidem ſæpiſſime ſæpius Lapides ſeu Calculos in Inteſtinis genitos, modò minores, modò majores, præter naturam per alvum excretos in Praxi Medica obſervamus, ut de illis, qvi poſt maximos qvandoqve cruciatûs ex bilis folliculô ad Inteſtina prolabuntur, atqve dehinc per anum ejiciuntur, &, certis ſignis, tam ratione coloris, qvàm ſaporis & inflammabilitatis ab aliis Calculis inteſtinalibus facilè dignoſcendi ſunt, hôc locô taceam. *Scybala lapidea.*

§. 2.

Calculorum verò per Anum rejectorum mentionem facit Zacutus Luſitanus *de Prax. med. admir. Lib. 3. Obſ. 133. fol. m. 137.* Juvenis ſcilicet qvidam excarnis ad venerem pronus nullum- *Calculi per anum rejecti.*

qve ordinem in victu obſervans, poſt immanem imi ventris dolorem unô die qvinqve lapillos duriſſimos, qvorum duo lentis, tres ciceris magnitudinem ſuperabant, ad albicantem colorem declinantes, excrevit. Ceſſantibus torminibus poſt tres dies iterum cum dolore Ilium & Ventris ſex Calculos egeſſit; poſt aliqvot dies iterum Calculos tres rotundos, avellanarum inſtar, valde compactos, cineritii Coloris, mucôqve tenaci reſperſos, per ſedem expulit; in cujus poſt mortem diſſectô Corpore Calculus, caſtaneæ formâ & magnitudine Colo Inteſtino tenaciter adhærens inventus eſt. Ibidem etiam Autor allegatus *fol. 138.* cujusdam meminit, qvi à diuturnâ Diarrhoeâ non niſi excretô lapide qvadratô & tenui, ungvem digiti pollicis repræſentante, liberari poterat. Mulier qvadraginta annos nata ſæpius doloribus, colico-nephriticos æmulantibus, infeſtata applicatum Enema ſummis doloribus & ſtrepitu (ex illiſu lapillorum ad fundum Canthari) rejiciebat. In examinatâ illuvie alvinâ reperiebantur lapilli ſeptem & viginti octogeni, coloris ex flavô fuſci, nigris maculis inſigniti, qvorum qvilibet grana ſex ponderabat, & qvales aliàs in veſicâ fellis reperiri ſolent. Deinde rejiciebantur diverſis vicibus adhuc plures cum ſabulô copioſô, inſtar Croci flaveſcente & aqvam tingente. vid. Laurent. Wolffſtrigelius *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 89. p. m. 163.* Simile exemplum recenſet Simon Aloyſius Tudecius *ibid. An. 9. & 10. Obſ. 122. p. 294. ſq.* Ultra centum grandines flavas inſtar nucis avellanæ per ſeceſſum excrevit Celſisſima qvædam Princeps, juxta Johannis Ferdinandi Hertodii Obſervationem *v. M. N. C. An. 4. & 5. Obſerv. 99. p. 103.* Vidua qvædam valetudinaria, annos viginti novem nata poſt atrociſſimos infimi Ventris dolores per inteſtina excrevit lapidem, cvi columbini majoris magnitudine, verùm angulari formâ, unum, & dein partitis vicibus ultra viginti minores, triangulares, qvadrangulares, rhomboides & pentagonos, cunctos cineritii coloris tartaro ſimiles,

miles, ſecundum relationem Simonis Schultzii, *l. a. Obſ. 125. p. 135. ſq.* Virum qvendam, qvi lapidum qvantitatem, qvorum ſinguli caſtaneam aut glandem æqvabant, per ſeceſſum excrevit, ſe vidiſſe ſcribit Johannes Renodæus *de Mater. med. Lib. 3. cap. 23. p. m. 326.* Vir qvidam, cùm Thermis Badenſibus uteretur, ut inde Calculi dolores, qvibus affligebatur, mitiores redderentur, inſperatò per alvum lapidem albicantem fabæ magnitudine excrevit. vid. Diomed. Cornar. *Obſerv. medic. cap. 2. p. m. 4.* Bina ejusmodi exempla annotavit Dominicus Panarolus *Pentec. 5. Obſ. 12. p. m. 148.* in qvorum alterô ſubjectô Calculus ob duritiem in excretione Scaphium confregit. Et in Matronâ Eliſabethâ Goffredi, duos obſervavit lapides ab inteſtinis ejectos, duriſſimos, ponderis ſingulorum unius Unciæ, ex materiâ, qvam Itali vulgari Idiomate Calciarenam dicunt, ita Inteſtinorum mucô compactos & in ſuperficie cruſtatos, ut vix malleô confringi potuiſſent. Virum nobilem novit Henricus Rufus, qvi qvoties alvum exoneraret, calculos inæqvales, fuſtigiatos, cineritios, cum excrementis dejiciebat, non diſſimiles in colore & ſubſtantiâ illis, qvi per Ureterem â renibus decidunt; iſti & mole & ſcabritie podicem tranſeuntes infeſtabant, &c. v. Lazar. River. *Obſ. a Rufo communic. Obſ. 4. p. m. 307.* Tres lapillos per alvum excretos annotavit Joel Langelotius, qvi horum unum, triangularem, durum & ſub flavum ad Thomam Bartholinum miſit, vid. Th. Barthol. *Hiſtor. anatom. Cent. 4. Hiſt. 11. p. m. 230. Et Hiſt. 49. p. 335.* Mulierem ſeptuagenariam Regiomonti 1656. tres per ſeceſſum mole avellanæ calculos, qvales obſervantur in veſicâ bilariâ, leviores, forma triangulari, excreviſſe refert. Idem Autor *Epiſtol medicin. Cent. 3. Epiſt. 59. p. 237.* Pueri decennis meminit, qvi non modò per urinas lateres & ſilices minores, ſed etiam per alvum lapidum & ſilicum majora fruſta excrevit. Perilluſtris Matrona poſt Pilulas ex Gummatibus Sylvii cum excrementis

lapidem

lapidem exturbavit ovi columbini formam referentem, in exteriore ſuperficie ſubcinereum, & dum clavô ferreô in duas æqvales partes diffringebatur, interiùs inſtar cryſtalli albicantem & rutilantem, ita, ut qvi olim ex Ennii ſtercore aurum, hîc colligere potuiſſet gemmas, vid. Th. Bartholin. *Act. Hafn. Vol. I. Obſ. 100. p. 203.* Sartor qvidam trium & ſeptuaginta annorum, cùm An. 1682. alvum ſolvere, ſarcinamqve tam moleſtè gravem deponere vellet, nihil tamen maximis etiam niſibus efficere valeret, neceſſitate coactus digitos etiam in auxilium vocavit, iisdemqve explorando & forando, tandem non ſine maximô ſtupore, corpus excrementis durius tangendo invenit; adhuc igitur majori niſu & duplicatô conatu, & fœcum & corporis durioris excretionem molitus eſt, nec remiſit, donec, non interruptis doloribus, victor tandem evaſerit, calculumqve tam ſævum & diuturnum inqvilinum & moleſtisſimum hoſpitem excluſerit. Pondus hujus calcali fuit Uncia una ſemis & Drachmæ tres, figura ovi inſtar gallinacei, conſtabat ex tamulis pluribus ſibi ſuperpoſitis, fœtidisſimi erat odoris, coloris cinericii, duritie calculum Veſicæ æmulans, juxta Petrum Rommelium *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 184. p. 475. ſq.* De aliâ muliere qvindecim luſtra ſupergreſſâ, qvæ A. 1678. poſt varia ſymptomata tandem Calculum, validô conatu, divaricatis cruribus, ſtandô deponebat, ponderantem Unciam unam & drachmas duas, vid. Lucas Schrœckius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 90.* Menſtruam lapidis per anum non ſine gravisſimis & partûs æmulis conatibus excluſionem obſervavit Georgius Dethardingius in Uxore cujusdam Chirurgi, qvæ qvinqvageſimum qvamvis jam annum ſuperaverat, tributi ad inſtar, qvovis menſe tamen talem fœtum enitebatur. Lapides excreti longitudinis Unciæ unius, latitudinis dimidiæ erant. *v. M. N. C. Dec. III. An. 7. & 8. App. p. 71.* Fœmina qvædam per aliqvot annos nephritica poſt medicamenta arenam rubram & fruſtula ſabuli calculoſi

alvinis

alvinis excrementis permixta in tantâ copiâ per octo continuos dies educebat, ut qvivis ſibi faſcinum perſvaderet; ſecundum relationem Ambroſii Stegmanni *M. N. C. Dec. III. An. 4. Obſ. 108. p. 227.* Globum rotundum tophaceum Mulier qvædam nobilis poſt alvi obſtructionem, ſummâ vi & eô dolore, qvi in partu difficili excitatur, è cœcô Inteſtinô ejecit. vid. Jac. Holler. *de Morb. intern. Lib. 1. cap. 52. Schol. p. m. 159.* Pilam vel tophum non admodum gravem, magnitudine majorem paulò Columbæ ovô; poſt colicos dolores Uxor qvædam dejecit. vid. Joh. Wier *Oper. Part. 4. cap. 16. p. m. 317.* ubi idem qvoqve nobiliſſimo Medico Friſimelicæ obveniſſe addit. Plura ejusmodi exempla in Lithologiâ noſtrâ reperies. vid. etiam Joh. Rhod. *Obſerv. med. Cent. 2. Obſ. 74. p. 90. ſqq.* item Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 14. f. 904. ſq. Ephemerid. Acad. N. C. Cent. IX. Obſ. 21. p. 25.* Mihi ipſi etiam in variis perſonis utriusqve ſexûs poſt colicum dolorem tales calculos variæ magnitudinis & pollicis articulum æqvantes obſervare licuit.

§. 3.

Locô excrementorum, vel cum ſtercore qvandoqve materia pingvis atqve ſebacea per alvum excernitur. De globulis ſeu corpuſculis pingvibus refert Lazarus Riverius *Centur. 2. Obſ. 23. p. m. 121.* filiolam ætatis trium annorum excrementa valdè cruda & veluti gypſea dejeciſſe, in qvibus inveniebantur globuli virides inſtar piſorum majorum, qvi ſupra orbem poſiti, dum orbis igni admovebatur & tantillum incaleſcebat, ſtatim butyri inſtar liqvabantur; idqve in propriâ etiam filiâ Pharmacopœum qvendam obſervaſſe addit. Mulier qvædam gracilis ac tenera, afflicta freqventiùs ſive â febre tertianâ ſive ab obſtructô Lienê, excrevit tandem ſingulis diebus, qvatuordecim ampliùs menſes, plurimum flaveſcentis adipis ſtercori incumbentis, inſtar butyri liqvefacti; ſed eâ plerumqve copiâ, ut potuiſſet, modò qvis illum collegiſſet, replere aliqvot vaſcula.

Pingvedo per alvum.

ſcula. Carbonibus injectus edebat flammam ſatis lucidam, & remanens aliqvandiu in excretis refrigeratis concreſcebat inſtar durioris adipis. vid. Nicol. Tulp. *Obſ. med. Lib. 3. cap. 18. p. m. 216.* Qvod pariter in fœminâ ſeptuaginta annos natâ ſe obſervaſſe, ait capite ſeqventi, p. 218. Globulos ejusmodi pingves, nunc plures, nunc pauciores, aliqvos Ceraſorum acidorum magnitudine, aliqvos piſorum majorum, qvi primâ facie pelliculâ qvaſi induti videbantur, curioſiùs autem explorati nil niſi pituitam conglomeratam exhibuerunt, acidum ſpirantes, in propriô filiolô ſe annotâſſe ſcribit Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. II. An. 2. Obſ. 152. p. 342.* Simile exemplum granorum butyraceorum, inſtar piſorum & ceraſorum, copioſè cum excrementis permiſtorum, vidiſſe ſe refert Laurentius Hofmannus *Tr. de verô uſu & ferò abuſ. Medicamentor. Chymic. p. m. 48.* Ultra viginti conulos pingves ſebaceos, fructibus Dactyli oſſibus majores minoresqve; aqvæ fervidæ injectos liqveſcentes, puella qvædam Arnſtadienſis, tredecim annorum, obturatum per aliqvot dies vaſtum & dolorificum præ ſe gerens Ventrem, excrevit, teſte Jacobô Auguſtinô Hünerwolffiô *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 51. p. 97. ſq.* Materiam humanæ pingvedini planè ſimilem ſingulis diebus â fœminâ qvadam contabeſcente per alvum excretam obſervavit Gothofredus Mœbius *v. Fundament. Phyſiolog. cap. 11. p. m. 226.* Fœmina qvinqvagenariâ minor poſt aliqvot dies continuatum alvi fluxum ſimul etiam plurimos virides ac pingves admodum globulos, uvas criſpas pro parte, pro parte etiam nuces moſchatas minores magnitudine æqvantes per alvum egeſſit; qvi cochleari contenti prunisqve impoſiti haud ſecus ac butyrum, liqveſcebant, & in ignem conjecti, tanqvam Oleum, flammam concitabant. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſerv. rar. Cent. I. Obſ. 61. p. m. 263.* ubi hujus phænomeni rationem addit: Hos, inqviens, cùm Mulier illâ nullâ tabe langveſceret, crediderim natos fuiſſe inde, qvòd,

cùm

cùm paſſim de imbecillô Ventriculô conqvereretur, pingvibusqve delectaretur, Ventriculi fermentum jam antea debile, hiſce magis obtuderit; in hæc enim difficulter agit fermentum; qvare pingvedo in Ventriculô parum immutata, ulteriusqve ad Colon Inteſtinum deducta, & ob motûs ineptitudinem moram ibi trahens, eodem modô, qvô ſicca in ovium inteſtinis ſolent excrementa, tandem in globulos, efformata eſt. An. 1717. *Obſervatio.* tempore vernali fœmina qvædam qvadraginta circiter annorum, ob collum admodum pingve ferèqve ſtrumoſum Empirici cujusdam conſiliô per aliqvot menſes uſa, poſt varia Emplaſtra & epithemata, â dictô tumore aliqvatenus eqvidem liberabatur, difficilem tamen incurrebat deglutitionem, ita ut liqvida difficulter, ſolida verò minimè, vel cum metu ſuffocationis per Oeſophagum detrudere poſſet; hinc etiam ſemideglutita in Oeſophagô per tempus hærentia vomitu utplurimum rejiciebat. Hinc Conſilium medicum implorabat, qvô etiam poſt aliqvot ſeptimanas, per Dei gratiam, priſtinæ ſanitati reſtituebatur. Durante autem curâ aliqvoties materiam viridem pingvem ſeu ſebaceam oblongam, inſtar Oſſium Dactylorum vel minorum Cucumerum muriâ conditorum, interdum per ſe, interdum aliis excrementis vel pituitæ permixtam, per alvum excernebat. De qva Obſervatione videatur ſupra *Cap. V.*

§. 4.

Subſtantiam glanduloſam Uncias ſeptem pendentem, tresqve palmas longitudine, latitudine binos digitos adæqvantem â fœminâ qvâdam qvinqve annos cum hecticâ febre dolore Ventris intolerabili laborante prodiiſſe refert Theodorus Kerckringius *Spicileg. anatom. obſ. 56. p. m. 116. ſq.* Glandulas inteſtinales carnoſas per alvum magnis cum torminibus excrevit filiola vigeſimam qvartam hebdomadam ætatis agens varioloſa, inter has glandulas qvædam fuit Unciæ unius longitudine, ac dimidiæ Unciæ latitudine, qvam cùm aperuiſſet Johannes Ja- *Glandulæ.*

cobus Wagnerus, ſubſtantia ejus interior carnoſa, mollis & coloris ſubatri fuit; paulò poſt dicta puellula ejusmodi glandulas decem magnis cum torminibus κάτω rejecit, inter qvas nonnullæ ſubrotundæ, inſtar ovorum minorum avium fuerunt &c. *v. M.N.C. Dec. II. An.3. Obſ. 187. p. 367.* In cujus Obſervationis Scholiô Lucas Schrœckius aliud exemplum de virô, qvi, poſt Diarrhœam bilioſam, ſcirrhoſam & partim carnoſam ſubſtantiam, trium circiter Unciarum pondere, minoresqve poſtea alios hujusmodi tumores excernebat; qvales etiam, poſt aliqvot dies, longitudine dimidii vel integri digiti ſeqvebantur, ita ut conſimilium corporum, qvantum adſtantes obſervarunt, numerô viginti qvinqve, & pondere Uncias qvatuordecim æqvantia, fuerint ejecta. Vir qvidam militaris ex caſtris redux per ſemeſtre ſpatium pertinaci Dyſenteriâ laborans nonnunqvam corpora teretia inſtar glandularum, hic atqve illic exili foramine perforata, friabilia, inodora, magnitudine variâ, ſed pleraqve molem ac figuram fructus corni habentia per alvum excrevit, v. Joh. Muys *Prax. med. chir. Decad. II. Obſ. 10. p. m. 392.* Cornelius Stalpart van der Wiel poſt continuos aliqvot dierum dolores ventrisqve tormina, non ſine animi deliqviis, ſumptô leni purganti Glandulam qvandam excluſit Nucis Moſchatæ minoris magnitudine, â qvô tempore tormina & dolores evanuêre, uti refert *Obſ. rarior. Cent. poſter. Obſ. 24. p. 259. ſq.* in cujus Obſervationis Scholiô plura reperies. Filiolus trium menſium in graviſſimos eosqve continuos incidebat dolores, á qvibus tamen poſt plurimorum globulorum, intus putridorum & ſanioſâ materiâ refertorum, exteriùs verò membranâ qvadam obductorum excretionem ſanitati reſtitutus eſt, v. Jo. Schenck. *Obſ. medic. Lib. 3. fol. m. 393.* Ancilla qvædam ruſtica poſt maximos dolores ejecit molem pugno æqvalem, qvam pede conterens repletam vidit globulis, ceraſorum qvaſi nucleos referentibus, membranæ incluſis. vid. Eliæ Camerar. *Diſſert. phyſ. med.*

med. Turinenſ. Epiſt. I. p. 99. Mercator Genevenſis bilioſus & melancholicus Icterum & febrem paſſus in tabem deducebatur, cùmqve nulla videretur affulgere ſalutis ſpes, Veſicas & cyſtides ſibi invicem connexas & concatenatas humore qvodam pultaceô repletas, ovi columbini magnitudinem æqvantes, majores qvasdam, alias minores, tantâ copiâ, certis tamen intervallis per alvum excrevit, ut implendæ pelvi ſufficere potuiſſent. Excretis autem illis ſacculis ab Icterô & febrium recurrentium inſultibus liber evaſit, & â febre lentâ, qvâ ſenſim conficiebatur & contabeſcebat, poſtea ſanus degebat. vid. Thom. Bartholin. *Epiſtol. medic. Cent. IV. Epiſt. 96. p. m. 490. ſeq.* Mercatoris cujusdam filiolus annum agens ſecundum ab initiô vitæ ſemper obſtructionibus erat obnoxius, omnibus conſvetis absqve emolumentô adhibitis. Tandem ex improviſô per ſeceſſum excrevit maſſam carneam, inſtar renis vervecis, in cujus mediô conſpicuus erat locus, qvô inteſtinis adhæſit, juxta obſervationem Gottofredi Chriſt. Winckleri *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 97. p. 157.* *Maſſa carnea.*

§. 5.

Membranoſum corpus per alvum excretum annotavit Nicolaus Gvilielmus Beckers *M. N. C. Dec. I. An. 4. & 5. Obſ. 68. p. 56. ſq.* ſcilicet vidua qvædam, annorum qvadraginta, de ulceroſô Ilei dextri, tempore dejectionis alvi præſertim, ſæviente dolore conqverebatur, poſt Decoctum autem abſtergens, per octo dies continuatum, corpus membranoſum digiti majoris longitudinem & latitudinem adæqvans, patulum & eroſum ab unâ, ab alterâ verò parte clauſum, triplici tunicâ, tenui, carnoſâ ac rugoſâ conſtans, geminum qvaſi inteſtinum cœcum referens, exiguô cum cruore, per alvum dejecit, &c. Membranam tenuem, valde longam, & qvidem palmorum viginti longitudinis, & paulò poſt alteram palmorum octo longitudinis, â vinitore ejectam obſervavit Franciſcus Valleriola *Obſ. 9. p. m. 96.* Ma- *Membrana.*

trona nobilis, ultra qvàm qvinqvagenaria, nunqvam tamen mater, poſt affectum Dyſentericum de continuô dolore lacerante, non tamen æqvè ſemper affligente, ad lævam ſubter ſpurias è Coſtis, ad ingvina nonnunqvam, interdum ſubter Stomachi peripheriam verſus dextrum ſeſe protendente conqverebatur. Hic dolor ubi per ſex hebdomadas vellicârât, tunc præcordiorum & internecina ſeqvebantur deliqvia; Vita enim qvaſi ſomnô ſepulta, vox exilisſima, ſudor frigidus, inſtantaneæ mortis præludia aderant, ſic ut ſe terrificos qvosvis dolores perpeti malle, qvàm iſtas anxietates, affirmaret. Hæc Tragœdia cùm dies paucos luderetur, diverſæ magnitudinis Membranæ, plures pauciores, cum vel ſine cruore per alvum ſecedebant, qvæ ſiccatæ pelliculas è veſicâ ſuillâ torridâ mentiebantur; qvales membranæ poſt intervallum emortuali anxietate denuò ſuccedebant &c. annotante Roſinô Lentiliô *M. N. C. Dec. III. An. 3. App. m. 88. ſeq.* ubi hunc affectum ab abſceſſione valvularum conniventium membranacearum Inteſtini Coli, ab acrimoniâ humorum dictas glandulas ſucceſſivè exedentium & â parte ſanâ ſeu internis Coli parietibus decerpentium oriri putat. De Membranis per anum ſecedentibus ſeqventem Obſervationem refert Conradus Bertholdus Behrens *ibidem Obſ. 34. p. 77. ſeq.* Virgini poſt octiduanam Diarrhœam qvippiam ex anô propendebat, qvod aliqvoties digitis repoſitum, ſemper iterum prorumpebat, dimidiæ ſpithamæ longitudine, craſſitie & rotunditate digitô haud abſimile, ſiccitate verò & duritie inſtar baculi, colore nigrum, donec deniqve, cùm reponi non poſſet, egeſturienti in Cloacam inopinatò deciderit. Exin fruſta qvædam membranacea ſicca digitum transverſum lata, longitudinem verò æqvantia aliqvot dejiciebat, alternisqve diebus cum dolore dorſi & abdominis, imprimis circa hypogaſtrium & umbilicum, qvâ in regione ſimul contractionem áliqvam percipiebat, &c. De Inteſtini tenuis parte per anum excluſâ vid. Georgius

Fran-

Francus de Frankenau *M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Obſ. 177. p. 409. ſeq.* Integram illam tunicam qvæ Inteſtinum rectum intus obvelat, intra octidui curriculum per inferiora ita excrevit Chriſtianus Helmerus, ut illa non confeſtim in pelvim propelleretur, ſed firmiter podici adhæreſcens ante exactum biduum inde convenienter ſeparari neqviret. v. Nicol. Tulp. *obſ. med. Lib. 3. cap. 17. p. m. 214. ſq.*

§ 6.

Solent etiam alia præternaturalia per alvum excerni qvæ nonnunqvam ſatis diu in Corpore latuêre v. g. Glandis plumbeæ exemplum recenſet Ambroſius Paræus *Lib. 24. cap. 19. fol. m. 567.* ſcilicet Miles qvidam vulnus in ventre accipit, manuariô tormentô inflictum, inter umbilicum & iliâ, è qvô glans à ſedulò veſtigantibus Chirurgis reperiri nec extrahi poterat; qvâ de cauſâ vulneratus gravibus & torminoſis doloribus conflictatus eſt, donec nonô demum poſt vulnus die glandem per anum excrevit; atqve dehinc intra tres hebdomadas planè convaluit. In obſidione Naſchovianâ plumbeus globulus vi majoris bombardæ Os cujusdam militis officialis ingrediens lingvam ſuô impetu tangebat, contrahebat, ſeriem dentium inferioris maxillæ deſtruebat, perqve gulam demiſſus, interjectis qvinqve dierum intervallis, beneficiô lenioris medicamenti per alvum dejiciebatur, vid. Thom. Bartholin. *Hiſtor. anat. Cent. 6. Hiſt. 98. p. m. 376.* Anno 1682. homo ſortis mediocris, poſtqvam Paduæ bene jentâſſet, rus tetendit; mediô itinere ex inſidiis bombardulâ impetitur, & globus non procul ab umbilicô abdomen penetrat, non autem tranſit; ſauciatus ad Chirurgum defertur, qvi vulnus ſtylô explorat, globi autem nulla ſentit veſtigia; vulnere deligatô patientem qvieti & diætæ committit. Die abhinc tertiô infirmus ad ſedem cogitur, globumqve unà cum excrementis egerit, ac brevi dein convaleſcit. In congreſſu medicô, Romæ apud Braſſavolam haberi ſo-

Glans plumbea.

ri ſolitô, poſt varias ſuper hunc Caſum agitatas. qvæſtiones, tandem hæc placebat reſolutio : ſclopetum, qvô globus fuit jactus, erat parvum ideoqve ad transfodiendum non ſatis efficax; Inſtrumentum lædens fuit globus rotundus, qvi poſtqvam abdomen tranſiit alliſit ad Inteſtinum excrementis ſpisſioribus refertum, illudqve cooperante leni fæcum reſiſtentiâ non disrupit, ſed fibras & funiculos ejusdem nerveos à ſe invicem disjungendo in illud penetravit; tandemqve in crasſioribus excrementis qvievit, ac demum cum his per anum exiit, fibris interim ſeſe iterum contrahentibus factumque foramen absqve ſanitatis diſpendiô occludentibus, ſecundum relationem Alardi Mauritii Eggersdes. *M. N. C. III. An. I. Obſ. 10. p. 19. ſeq.* Qvò pertinent etiam globuli plumbei minores & majores, qvi qvandoqve in contumaci alvi obſtructione & Pasſione Iliacâ deglutiri ſolent; qvale exemplum recenſet Georgius Hieronymus Velſchius *Hecatoſt. II. Obſ. phyſ. medic. 33. p. m. 19.* de Muliere, qvæ ex Omphalocele Ileô laborans intra duodecim horas tribus globulis deglutitis, è plumbo, non liqvatis, ſed tornô affabrè concinnatis, qvorum maximus dragmam pendebat, curata eſt, Omphalocele eâdem operâ mox diſparente. Hic ultimò deglutitus, primus alvô rejectus eſt. Secuti demum duo minores, qvi priùs aſſumpti erant. Qvidam ex Caſtanearum crudarum ingluvie multâ in omnimodam incidit fæcum retentionem, ita ut ventris tumore doloreqve immani oppreſſus circa umbilicum globulum, veluti ſphæram, habere videretur ab implicitis & circumvolutis Inteſtinis enatam. Huic, cùm in agone eſſet, & frigidô ſudore madidus, ſtercus per os ejiceret & omnia medicamenta expertus incaſſum eſſet, duodecim parvas pilulas plumbeas, qvibus Sclopetarii ad enecandos paſſeres utuntur devorandas dedit Zacutus Luſitanus, qvibus dolor aliqvantiſper conqvievit, ſed poſt tres horas iterum increvit; cùmqve hic iterum octodecim pilulas propinaret, fæ-

ces

ces reddidit & injectô Clyſtere ex aqvâ Vitæ & Urinâ pueri â dolore immunis evaſit. vid. Zacut. *de Prax. med. admir. Lib. 2. Obſ. 34. fol. m. 49.* Vir Juvenis viginti qvatuor annorum poſt febrem Paſſionem Colicam & alvi contumacem obſtructionem patiebatur, cui Melchior Fribe Globulum plumbeum, præter propter duas drachmas ponderantem, cum drachmâ unâ Mercurii vivi illitum & probè obductum, & ne fauces læderet aut Ptyaliſmum excitaret, maſſâ farinaceâ (oblaten dicta) artificioſè involutum degludiendum ordinavit. Finitis poſt globulum ſumptum tribus horis præmittebat nonnullos crepitûs cum levamine, horâ verò qvartâ duabus ſubſeqventibus dejectionibus, ultra ſex libras materiæ peccantis variegati coloris cacavit, ſine noxâ tamen, juxta verba Melchioris Fribe *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 96. p. m. 155. ſq.*

§. 7.

Virginem, vietoris filiam, fruſtum trium librarum, ſive octo & qvadraginta Unciarum, de bombardâ æneâ, cum ſuis Characteribus ſive literis ſimul cum angvillâ, ſuis ſecundinis obvolutâ, per alvum excreviſſe, ſi credere fas eſt, ex Cornelio Gemma recenſet Johannes Baptiſta van Helmont *de inject. Materialib. §. 6. fol. m. 366.* *Fruſtum bombardæ æneæ.*

§. 8.

Sagittæ ferrum barbatæ figuræ duorum digitorum latitudinis in qvodam ſeditioſô tumultu ruſtici dorſô impactum poſt biennium ſecundum Inteſtina delapſum juxta alvum ſenſim podicem ſecuit, viamqve ſibi ad exitum fecit ſemiexeſum, juxta Alexand. Benedict. *de Partib. Corpor. human. ſeu Anatom. Lib. 3. cap. 9. Oper. f. m. 597.* v. etiam ejusd. Obſervationes medicinales, Remberti Dodonæi Obſervationibus annexas *p. m. 303.* Eandem Obſervationem, etiam refert Ambroſ. Paræus, in eô tamen differt, qvòd ferrum illud, qvamlibet hamulatum ſecundô menſe per anum prodiiſſe dicat. v. Ambr. Paræi *Lib. 24. cap. 19. fol. m. 567.* *Sagittæ ferrum.*

§. 9.

Nummus æneus. Devoravit puer octo annos natus æneum qvoddam Numiſma, qvod puer nullâ perceptâ noxâ gracilis redditus poſt elapſum annum cum excrementis egeſſit, exiguum tamen & ita conſumptum, ut omnibus admirationi eſſet, juxta Amat. Luſitan. *Curat. medicinal. Cent. 2. Curat. 69. fol. m. 192.*

§. 10.

Aciculæ. Aciculam grandiuſculam deglutitam poſt Convulſiones & alia horrenda ſymptomata decimô qvartô die per alvum egerebat ancilla qvædam annos octodecim nata, teſte Gvil. Fabriciô Hild. *Obſ. chirurg. Cent. I. Obſ. 34. fol. m. 30.* Cùm autem peſſima illa aciculas in magnâ ſæpe qvantitate, qvandoqve etiam per totam noctem inter dormiendum in ore tenendi conſvetudo ſexui præſertim ſeqviori nimis ſit famliaris, pro dehortatione atqve terrore, ſymptomata ab allegatô Autore recenſita annectere placet: Videlicet triduo eqvidem poſt deglutitionem ancilla dicta nullum ſentiens dolorem aciculam jamdudum per ſeceſſum dejectam fuiſſe ſperabat, ſed decepta fuit miſera illa. Qvartô enim die primò in fundô Ventriculi, mox qvoqve circa pylorum exortus dolor & cruciatus adeò vehemens & acerbus, ut dies noctesqve exclamare & ululare coacta fuerit. Sextô die â morbô inceptô vocatus Fabricius ipſam invenit phreneticam, cum ardentiſſimâ febre, lingvâ aridâ, vultu inflammatô, mente adeò captam adeoqve furioſam, ut neminem agnoſceret, nec cibum & potum expoſceret. Convulſiones Colli, brachiorum & crurum maximæ & horrendæ aderant. Aliqvando ſeſe ex unâ in alteram partem lecti tali impetu projiciebat, ut tres viri, qvantumvis robuſti, vix illam tenere poſſent. Exclamabat, ululabat & manibus ventrem non aliter, qvàm ſi ipſum dilacerare voluiſſet, tractabat, & potiùs â Dæmone obſeſſa, qvam morbô laborare videbatur. Cùm verò aliqvando per horam integram aut circiter ita vexata & convulſionibus horribilibus,

ribilibus, cum incredibili cruciatu ex unâ in alteram partem agitata & fatigata eſſet, conqvieſcebat pauliſper & tanqvam ſemimortua jacebat. Rurſus & repente priora ſymptomata eam invadebant, donec tandem, uti dictum, decimô qvartô die aciculam egereret &c. Magnas qvoqve moleſtias ex acu deglutitâ ſenſit ancilla qvædam, freqventiori avenæ decorticatæ lacte coctæ uſu tandem ſopitas, acu κάτω prodeunte. v. Georg. Detharding. *M.N.C. Dec. III. An. 7. & 8. Append. p. 70.* De puellâ decenni, qvæ intra ſpatium duodecim aut qvindecim dierum plus qvam qvinqvaginta aciculas, ante aliqvot annos deglutitas, per anum emiſit, vid. Pinetus in Nicol. Blegn. *Zodiac med. Gallic. An. 2. Menſ. April. Obſ. 4. p. m. 88.* Item aciculam deglutitam atqve poſt aliqvod tempus ſemiconſumptam per podicem dejectam obſervavit Johannes Muraltus *Oper. chirurg. Hiſtor. 129. p. m. 389.* Leidæ qvondam puellus qvidam parvulus continuò acus & aciculas cacabat, imò a matre ſuâ in ſedili ſuô pertuſô, præſentibus Prætore & Scabinis, depoſitus talia excernebat: Anus qvædam ruſtica de faſcinatione hac accuſata atqve etiam in carcerem conjecta eſt. Sed ubi Magiſtratus infantem â matre ſuâ ſemovit, & ſeorſim in curiâ ſervari juſſit, talia amplius non cacavit: Mater nimis increpata fallaciam ſuam & odium in prædictum anum confeſſa ac publicè virgis cæſa & urbe ejecta fuit. vid. Isbrand. Diemerbrock in Joh. Baptiſt. Lamsweerde *Append. ad Joh. Scultet. Armament. chir. obſ. 1. p. m. 212.*

§. 11.

Enſis mucronem, tres digitos longum, deglutivit Morio qvidam, eum duodecimô poſt die, qvanqvam ægerrimè, per anum reddidit, vid. Ambroſ. Paræi *Oper. Lib. 24. cap. 19. f. m. 569.* Et Hieronymus Montuus *Anaſcev. Morbor. Tom. 3. Lib. 1. cap. 16. p. m. 353.* refert, ſe pharmacis fortiter purgantibus, juſſu Henrici, Chriſtianiſſimi Regis, Morionem qvendam, qvi in Ludô gladiatoriô coram & ipſo Montuô cuſpidem enſis fracti acutiſſi- *Enſis mucro.*

 mam

mam & dodrantalem arreptam confeſtim deglutiverat, feliciter liberaſſe.

§. 12.

Forfex. De forfice deglutitô ſeqventia recenſet Langeus, Medicus Lexovienſis: Qvidam Convulſionibus epilepticis prehenſus deglutivit forficem acutiſſimum, qvatuor pollicum longitudinis, duorum cum aliqvot lineis latitudinis, qvem uxor intra dentes intruſerat; novendiô autem exactô per inferius guttur illum expulit; nullô tamen, totô illô temporis ſpatiô, incommodô exinde ortô. vid. Nicol. Blegn. *Zodiac. Medic. Gall. Menſ. Jul. Obſ. 8. p. m. 147.*

§. 13.

Adamas. De Juvene viginti annorum aurifabrorum arti deditô, qvi Adamantem aurô cingendum, dum alveolum adhuc latiorem reddere allaboraret, ori immiſſum inopinatò deglutiebat atqve poſt aliqvot dies alvum ſolvens eundem fecibus permixtum iterum ejecerat, Obſervationem Johannis Henrici Hottingeri *ex M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 97. p. 180.* jam ſupra *Cap. 5. §. 36.* recenſuimus.

§. 14.

Oſſa. Oſſicula parva multa, qvalia Gallinarum pedum digitos conſtruunt, poſt longum tempus rejiciebat mulier qvædam colicô dolore afflicta. vid. Pelic. Plater. *Obſerv. Lib. 3. p. m. 899.* Oſſiculum undiqve peracutum & ſatis magnum devoratum ſeptimô tandem die mulier egesſit. vid. Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obſ. 32. p. 44.* Stupendam Osſium per alvum excretionem annotavit Henricus Oldenburgius in qvodam Pariſiis commorante, qvi poſtqvam integri biennii ſpatiô diros circa umbilicum dolores, pulſu violentô & perqvam gravi pondere ſociatas pertuliſſet, tandem per ſedes veri animalis oſſa, non niſi per intervalla tamen, excrevit. Dixit ipſe, ſe triginta vertebras, integras, ritè formatas & perforatas, duas homoplatas, Os Cranii,

nii, aliqvot Coſtas, Oſſa femoris, pedum &c. pleraqve fracta & caridoſa ejecta poſſidere. *v. M. N. C. Dec. I: An. 3. Obſ. 126. p. 200.* & Joh. Schenk. *Obſ. med. Lib. 3. fol. m. 394.* ubi particulam coſtæ ſpuriæ, palmæ unius longitudine per alvum egeſtam adducit. Huc pertinet etiam Obſervatio Johannis Langii *Epiſtol. medic. Lib. 2. Epiſt. 39. p. m. 670.* Civis ex Oppidô Eberbach uxor fœtum viventem aliqvot menſes in uterô geſtaverat, & cùm jam tempus enixùs appeteret, ubera ejus prius turgida lactis aqvoſi rore madebant ac decreſcebant: nec puer in uterô ſubſiliit, qvæ ſigna fœtum mortuum teſtabantur. Tandem fœtus in matrice computruit: cujus de cruribus & cerebello Oſſa denigrata & carie obſita, incredibile dictu, ſed verum, cùm mulier ob Inteſtini exulcerationem alvi profluviô laboraret, tandem annô decimô non per vulvam oſtiola, ſed per anum excrevit. Alia mulier ultra annum gravida, revolutô jam annô, unà cum lotiô primùm digitorum articulos excrevit, ac ſenſim alia majora oſſa tibiam, radium, coſtas, & id genus alia per poſticum excrementis emiſit, tandemqve ſecundô â parturitione annô, maximos antè perpeſſa labores calvariam totam cum cubitô, coſtis & aliis aliqvot oſſibus ejecit, teſte Balduino Ronſeo *Epiſt. 1. p. 11.* ubi aliûs adhuc fœminæ meminit, qvæ cùm totum annum fœtum in uterô geſtâſſet, conſumptâ tandem carne, oſſeam illam compagem excrevit. Cùm vetula qvædam venefica manu ventrem puerperæ tetigiſſet, puerpera ſex menſibus peractis graviſſimos cruciatûs circa ventrem inferiorem ſentire cœpit, tandemqve cùm alvum excernere vellet, ſpinas, oſſa, ligni fruſtula & multa alia per ventrem inferiorem rejecit, & â torminibus liberata eſt, uti ex Codronchio refert Antonius Deuſingius *Diſſert. de Morbor. qvorund. ſuperſtit. origin. & curat. §. 59. vid. Faſcic. Diſſert. ſelect. p. m. 55.*

§. 15.

Segmenta Coſtarum cetacearum admodum tenuia longi- *Coſtæ cetaceæ.*

tudine autem circiter minimi digiti per annum emiſit puella decennis teſte Pinetô *vid.* Nicol. Blegn. *Zodiac. med. Gall. An. 2. Menſ. April. Obſ. 5. p. m. 88.*

§. 16.

Dens ſuillus. Dentem ſuillum fortè cum Oleribus deglutitum poſt biennium per alvum excrevit faber ferrarius, juxta Thomam Bartholinum, *vid. M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 74. p. m. 134.*

§. 17.

Nuclei Ceraſorum. Ceraſorum Nucleos per alvum egeri, cuilibet notum; annotavit tamen Cornelius Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. I. Obſ. 64. p. m. 273.* nucleos Ceraſorum in Inteſtino Colô per ſex circiter menſes latentes demumqve per alvum exoneratos, & qvidem in Cive Hafnienſi, qvi Menſe Januariô tales nucleos excrevit, præcedentis anni æſtate haud dubiè deglutitos, cùm poſtea idem alia ceraſa, ſive recentia, ſive aliô qvovis modô præparata conditaqve non comederat. *Prunorum.* Prunorum Oſſicula germinantia tam per os, qvàm per alvum rejecta annotavit Alardus Hermannus Cummenus *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 109. p. m. 178. ſq.* Scilicet Ruſticus A. 1671. de inſigni Nauſeâ & Inappetentiâ, crebris itidem Lipothymiis recurrentibus, adeò vexabatur, ut animam agere judicaretur, maximè â paſtu; poſt aſſumtam autem unicam Oxyſacchari vomitorii doſin tria prunorum oſſicula nucleis recluſis germinantia excludebantur. Et Venator Saxo-Coburgicus diuturnâ alvi obſtructione laborans ab injectô Clyſtere fortiori aliqvot rejecit Prunorum oſſicula, nucleis recluſis progerminantia, paulò poſt fatis cedens. Ruſticus diu punctionibus Ventriculi laborans poſt purgationem dejecit nucleum pruni, germen qvi extruſit articuli digiti longitudine, juxta obſervationem Chriſtophori Roesleri. v. *M. N. C. Dec. I. An. 3. obſ. 343. p. m. 552.*

§. 18.

Stramen. Poſt medicamentum purgans Sartoris Bregenſis filius puer

circiter

circiter duodecim annorum variis convulſionibus laborans per alvum ſtramen corruptum & ſemiputridum, per unum & alterum diem dejiciebat, & per ipſius os ſtraminis culmus integer adhuc longior qvartâ ulnæ parte egrediebatur, juxta Obſervationem Danielis Winkleri *vid. M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 31. p. 64.*

§. 19.

De mirabili ſeminum per alvum excretione obſervationem raram annotavit Johannes Baptiſta a Lamzweerde *Append. ad Joh. Scultet. Armament. chirurg. Obſ. 1. p. m. 209.* Videlicet Anna Vos, animoſa virgo Deo ſacra, ſoror celebris Poëtæ Johannis Vos, macilentô Corporis habitu, in calore excedens, novercalibus Uteri affectibus paſſim obnoxia, in acutam febrim continuam atqve poſt hanc curatam in Iſchuriam, lumborum torturâ gravatam, incidit, contra qvam doctus Lamzweerde diuretica & detergentia, & inter alia Potionem Terebinthinatam cum ſale ſuccini propinabat. Qvâ qvater animoſè abſortâ, bis cum Croci granis decem, miſeriæ finem aſſeqvebatur ægra. Tanta enim fiebat naturæ perturbatio per alvum & veſicam cum clangore, ut dormientes in infimâ domô è ſomno excitaret. Qvam qvidem portentoſam Inteſtinorum exploſionem qvilibet circumſtantium Medico domum vix intranti cum ſtupore referebat, arenam albam & mucoſum filamentum acus inſtar in ureteribus induratum & efformatum oſtendendo. Hæc omnia obſervatu digna ipſius expectationem non explebant, qvia calculum inteſtinalem conceperat. Qvapropter alvi fæces examinandas imperavit; cui etiam veſperi redeunti binas pateras ſeminibus, per alvum excretis & in alvi fæcibus repertis, Mulier clinica oſtendebat. Hæc ſemina a Godofridô Blœmart Ultrajecti terræ, proprio vaſe collectæ, mandata, lolium, Burſam Paſtoris & Naſturtium produxerunt. De Semine Hyoſcyami cum aliis rejecto vide paulo infra. *Semina.*

§. 20.

§. 20.

Capilli. Materiam qvandam in multos veluti muliebrium Capillorum glomos congeſtam certis anni temporibus per alvum excrevit celebris apud Antverpienſes cauſarum Patronus, v. Carol. Cluſ. *Annotat. in Nicol. Monard. Exotic. fol. m. 350.* Conſpicuam qvantitatem crinium convolutorum, illam referentium lanuginem, qvâ bombycum capſæ ſericeæ ovales obſitæ ſunt, per alvum dejecit Juvenis nobilis Polonus Plicâ laborans. v. Act. Medic. Berolinenſ. *Vol. IV. p. 71. ſq.* Ex filiæ faſcinatæ alvô, poſt diros excernendi conatus, Mater ipſius extraxit Crines eqvinos, funis ad inſtar pollicem craſſitie æqvantis, pedeqve Gallicô longioris, arctè convolutos, qvorum extremitati Lacerta adhæſit, magna, longa & vivax, brevi tamen diſparens, v. Ephemerid. Acad. N. C. *Cent. VII. Obſ. 26. p. 66.*

§. 21.

Corium. Corii fruſtum Civis & Sutor Colonienſis inter confabulandum ore continebat, qvod, illô præ riſu hiante, gutturi ſe inſinuavit & infixit. Provocavit ſtatim Vomitum, ſed neqve regerere neqve deglutire potuit, qvapropter homo ille propemodum ſuffocatus eſt. Tandem vocatus Gvilhelmus Fabricius ſtylô argenteô incurvô corium ad capacitatem Stomachi depulit, qvod poſt ſemeſtre ſpatium per alvum egeſſit. v. Gvil. Fabric. Hild. *Cent. I. Obſ. 31. oper. fol. m. 29.*

§. 22.

Varia. Varia inſolita v. g. ſqvamas & ſpinas piſcis, ſemen Hyoſcyami, particulas lignorum ac ramenta lapidum, particulam de pelle ovinâ, vellere adhuc veſtitam, per alvum dejiciebat mulier qvædam, qvadraginta qvinqve vel circiter annos nata, cum crudeliſſimis Inteſtini recti doloribus adeò detenta, ut commodè nec ſedere nec etiam in dorſô dormire poſſet, juxta relationem Johannis Bilgeri vid. Gregor. Horſt. *Oper. med. Tom. II. Lib. 5. obſ. 15. fol. m. 278.* Plumas, lapillos, filum & ſtramen per

alvum

alvum excrevit ruſtici puellus decem circiter menſium ætatis, graviter laborans & à qvindecim diebus Ventrem non exonerans, teſte Gvilhelmo Fabricio *Cent. 3. obſ. 75. fol. m. 257. ſeq.* Varia ferramenta ab incantatione per alvum rejecit puella qvædam annos octodecim nata. vid. Martin. Ruland. *Curat. empir. Cent. 4. Curat. 15. p. m. 242. 244.* Spinas, Oſſa, ligni fruſtula & alia per alvum excrevit mulier qvædam gravida, v. Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. 41. p. m. 133. ſq.* Qvidam Paſtor â leni purgante primô ultra qvinqvaginta habuit ſeceſſus, ſeqventi autem nocte tormina ſenſit intolerabilia, & egesſit per alvum Capillos, arenas, Vitri fragmenta & ſemen, ſemini Hyoſcyami reſpondens; hocqve malum per aliqvot menſes perſeveravit, usqve dum vitam cum morte commutaret; qvod ex ipſius filii ore ad Philippum Jacobum Sachſium a Lewenheim Annô 1670. perſcripſit Chriſtianus Fridericus Garmannus. *vid. ejusd. Epiſtol. Centur. I. Epiſt. 68. p. m. 291.* Ultrajecti puellus osſicula, ungves pedum eqvorum, fragmenta pannorum laneorum, glomeres capillorum muliebrium aliaqve ſimilia alvô excludebat: â parentibus etiam mulier aliqva de faſcinô fuit accuſata: Magiſtratus verò puellum per duas circiter ſeptimanus â matre ſeparatum in curiâ ſervari jusſit, qvô totô tempore nihil ſimile cacavit. Erupit fraus, & parentes privatim in Curiâ virgis cæſi ſunt, vid. Joh. Bapt. Lamzweerde *Append. in Joh. Scultet. Armament. Chirurg. Obſ. 1. p. 212.* Item puella qvædam mira & portentoſa, ſcilicet lumbricos terreſtres, millepedes, erucas, lacertas vivas & mortuas, ranarum coxas, aſcarides, excrevit, teſte Rolando Sturmio, *ibid. p. 214.* Uxor Aurifabri Erfurtenſis, qvinqvagenaria, macra & fuſca, cætera ſana, plauſtrô vehitur ad vineas, eodemqve ex iis revehitur; acutiſſimos ſubitò ſentit in abdomine & circa ingvina dolores, defertur in lectum, nulla dolorum intermiſſio, nulla remiſſio; per qvatuor annos affixa lecto jacet, excernit interea temporis per alvum, præcedentibus

bus doloribus immaniſſimis, res varias, ut fila ſerica rubra, nigra, oſſicula varia, lapides, ariſtas, ligna. Habetur pro incantata; tandem tabe conſumpta moritur. In diſſectæ Ventriculô & Inteſtinis nihil inveniebatur. Veſica autem erat ſphacelô correpta, conſtricta & exulcerata & continebat Calculum magnitudine ovi gallinacei, rotundum & echinatum &c. juxta Obſervationem Auguſtini Hermanni *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 171. p. 269. ſeq.*

§. 23.

Vermes. Varios vermes, tam teretes, qvam lumbricos latos, & aſcarides pluresqve eorundem ſpecies per anum excerni præter qvotidianam experientiam teſtabuntur exempla in Helmintologiâ noſtrâ adducenda. *Serpens.* Serpentem autem minimi digiti craſſitiei & decem pollices longum puer qvidam Monſpelienſis alvi cruciatibus diſtortus ejecit, qvem Gilbertus Pharmacopola Monſpelienſis Vitro incluſum & aqvâ imperiali conditum curioſis aſſervavit. vid. Petr. Borell. *Obſ. med. Cent. I. Obſ. 38. p. m. 32.* Puella qvædam pallida ſemper de Ventris dolore conqverebatur, cumqve die qvadam ante menſam ſtans juſculum inteſtinorum vervecis cum acetô acri præparatum comederet, ſerpens vivus e corpore puellæ per inferiora prorupit, qvi ab adſtantibus eſt occiſus vid. Joh. Schenck. *Obſ. med. Lib. 3. fol. 337.* Serpentem cœrulei coloris poſt varia ſymptomata & adhibita medicamenta, imprimis mercurialia, per alvum dejecit vidua qvædam paupercula, juxta Obſervationem Johannis Chriſtiani Frommanni *M. N. C. Dec. I. An. 6. & 7. Obſ. 190. p. 262. 267.* Matrona qvædam nobilis ab uſu ſucci Verbenæ depurati poſt paucos dies lumbricum ejecit hirſutum, pede longiorem, craſſum, caudâ bifidâ, qvem ipſa Colubrum nominavit, teſte Nicolaô Monardô *ſimplic. med. Hiſtor. cap. 73.* vid. Carol. Cluſ. *Exotic. fol. m. 349.* Poſt veteramentorum fumum trajectorio in corpus hauſtum viperam non parvam per anum egreſſam obſervavit

vavit Marcus Gattinaria. vid. Petr. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioſcorid. Lib. 2. cap. 42. fol. m. 281.*

§. 24.

Angvillam vivam per poſteriora â puellâ annum qvindecimum agente poſt maximos cruciatûs ejectam ex Corneliô Gemmâ recenſet Daniel Sennertus *Pract. Medicin. Lib. 6. Part. 9. cap. 3. p. 392. ſeq.* item Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. 5. p. m. 51.* Martin. Del-rio *Diſqviſit. magic. Lib. 3. Part. I. Qv. 4. Sect. 5. p. m. 424.* De Nauta, qvi vivam aliqvando angvillam voravit, & integram vivamqve alvô reddidit, vid. Chr. Franc. Paullin. *de Angvill. Sect. I. cap. 3. p. m. 101.* vid. etiam Georg. Franc. *Satyr. VIII. §. 8. p. 163.* item ſupra *Cap. V. §. 47.* *Angvilla.*

§. 25.

Medicus Anglus è Galliâ redux ſpatiô ſeptendecim dierum nihil præter caſeum & aqvam vitæ aſſumere potuit unà cum biſcocto: ê navi excedens aſſumſit Clyſterem, qvi eduxit maximam qvantitatem Cochlearum, uti ex Monconnys Itinerariô Anglicanô refert Philippus Sachs a Lewenheim *Schol. in Obſ. 163. M. N. C. An. 2. p. m. 261.* Qvatuor Cochleas ſeu domiportas vivas puer tres annos natus præviis doloribus atrociſſimis per alvum ejecit, teſte Johanne Georgio Hoyero *Ephem. Acad. N. C. Cent. VII. Obſ. 77. p. 184.* *Cochlea.*

§. 26.

Limacem in dorſô nigerrimum cum lineâ albâ â capite ad caudam usqve, in parte verò inferiore album, circa collum punctulis rubicundis & in capite qvatuor cornibus ornatum â puellâ qvatuor annos circiter natâ cum aliis vermiculis rejectum obſervavit Stephanus Blancardus, *vid. ejusdem Collectan. med. phyſ. Cent. I. Obſ. 83. p. m. 113.* Ruſticus qvidam ſumptâ potione purgante & anthelminticâ animal qvoddam, Limacem vivum & griſeum referens alvô excrevit & â dolore, qvem per triennium ferè circa Ventriculum perſenſerat, ſtatim convaluit, *Limax.*

valuit, vid. Joh. Nicol. Bininger. *Obſerv. med. Cent. 5. Obſ. 63. p. m. 563.* Limaces magnos rubros, cornutos, vivos, repentes ſeceſſu ejecit adoleſcens qvatuordecim annorum. vid. Georg. Abrah. Mercklin. *de Incantat. Caſ. 8. p. m. 67.*

§. 27.

Eruca. Erucas qvinqve poſt pilulas exhibitas rejiciens nobilis qvædam virgo â continuis capitis doloribus & melancholiâ, qvibus hactenus afflicta fuerat, convaleſcebat, referente Philippô Salmuthio *Cent. 2. Obſ. 51. p. m. 81.*

§. 28.

Scarabæi. Scarabæos qvatuor ſolares, vulgaribus illis, qvi in ſtercore eqvinô reperiuntur, vulgò Roß-Käfer, per omnia ſimiles, figulus qvidam perpetuô dolore & torminibus Ventris, præſertim jejunus vexatus, cum ciborum faſtidiô, nauſeâ & ructibus poſt medicamentum laxans per ſeceſſum excrevit vid. Timæus a Güldenkl. *Lib. 3. caſ. 10. p. m. 120. ſeq.*

§. 29.

Mus. Anno 1662. die 25. Maji Mulier Svinfurtenſis non ſine maximô conatu & dolore cum fecibus alvinis excrevit murem domeſticum, qvem Spiritui Vini immerſum ſe ſervâſſe ſcribit Johannes Laurentius Bauſchius *de Cæruleo Proëm. p. m. 23.* Murem vivum per alvum egredientem annotavit Samuel Ledelius *M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 142. p. 317. ſq.* Scilicet ruſticus qvidam Marchicus, vir qvadratus & vegetæ ætatis, aliqvot milliaria emenſus nocturnam qværebat reqviem in tuguriolô ob cœlum pluvioſum: hypocauſtum inqvilinis vacuum ſcatebat multitudine murium, ſed his neglectis terrâ proſtratus, laſſus viarum & laborum ruſticus ſomnô corripiebatur. Ore dum ita ſtertit apertô, irrepit mus, qvod pro ſomniô reputat ſomnô ſepultus. Lethargô diſcuſſô manè ſurgit, priſtina munia obit, ſed malè habet, atqve ægritudo indies aggraveſcit, accedunt laſſitudines ſpontaneæ, cardialgia, dolores Inteſtinorum, flu-

xus

xus alvi, ſitis, atrophia; comedit tamen & ſopitô dolore etiam dormit. Interim labaſcunt vires, areſit & tandem obit. Ultima ante obitum ſeptimanâ mus vivus per anum exit, & dein fruſtum, velut inteſtinorum. *vid. etiam le Journal des Sçavans Tom. 13. p. m. 29.*

§. 30.

De Talpâ vivâ per alvum excretâ ſeqventem Obſervationem communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *Tract. de Talpa Sect. I. cap. 3. p. m. 91.* Nobilis qvidam Pruſſus ad arcendam ſeu demulcendam Arthritidem, qvâ cum colluctabatur ſubinde, vagam ſcorbuticam, in freqventiſſimô & qvotidianô ferè uſu habuite cinerem talpinum, cum inſigni, ut putabatur, levamine. Elapſis verò aliqvot menſibus in Inteſtinis ſenſit continuas & acutiſſimas vellicationes, punctiones, morſiones, ut nonnunqvam in animi deliqvium ſummô præ cruciatu inciderit, omnibus remediis fruſtra adhibitis. Tandem ſummis cum anguſtiis κάτω egeſſit vivam Talpam, qvam omnes omnino domeſtici, cognati & amici â Veneficiô excluſam putabant. Sicuti autem hæc Talpa per anum fuit ejecta, ita econtra Felix Platerus *Obſ. Lib. 2. p. m. 489. ſq.* Obſervationem de Talpâ caſu in anum irrepente indeqve cum labore evulſâ recenſet: Qvidam nimirum ruſticus febre qvartanâ laborans, cùm in die qvietis animi gratiâ in hoſpitiô, cum aliis ſuæ conditionis commeſſaretur, & de febre, qvâ affligebatur, conqvereretur, ut ab eâ liberari poſſit, qvidam illi conſuluit, ut Talpam vivam tam diu donec moreretur, manu retentam preſſamqve retineret, eſſe enim hoc certum remedium. Qvod ut ſtatim experiretur, unus ex iis, in pratum Talpis plenum exiens, unam ligone, ſub terra ſe moventem, qvô modô eas capere ſolent, erutam, vivam cœpit, ligulâqve pede illius poſteriore adſtrictô, in hoſpitium delatam ægro dedit; qvam ille, donec domum reverſus eâ uti poſſet, in ſacculum linteum caligis inſutum incluſit; *Talpa.*

ex qvô Talpa, ruſticô in menſâ moram trahente, exitum qværens, primùm panem mox & ſaccum perterebravit; & in clunium interſtitium ſe ingerens ad podicem usqve progreſſa pedibus anterioribus, qvibus manuum inſtar terram fodere ſolent, anum dilatans, caminarii inſtar, in eum mediô corpore irrepens, rectum inteſtinum cum magnô patientis dolore ſubiit, qvi illicò exclamans, demiſſis caligis, ut opem ferrent, adſtantes rogavit, qvi ligulam Talpæ alligatam adhuc propendentem apprehendentes, dum trahendo Talpam extrahere nituntur, illâ contranitente pedibusqve & acutis ſuis Ungvibus inteſtino infixis ſe firmante, cruciatum ſummum ægro adferentes, ab opere deſiſtere coguntur. Tandem æger, exagitatus dolore, poſteriora ſupra ſcamnum, ſæpe & valide concutiendo eam attonitam reddidit, ita ut ulterius in podicem tota ſe non ingereret, ſed viribus amisſis poſtea extrahi potuerit &c.

§. 31.

Bufo. De Bufone Medicamentis, imprimis Pulvere Saxonicô, per alvum expulſô, vid. Philipp. Salmuth *Cent. II. Obſ. 93. p. m. 106.* Item Bufonem magnum viventem â Nobili qvodam, Dominô â Deben, in ventris exoneratione, locô ſtercoris duri, qvod ſubeſſe putabat, manu admotâ extractum refert idem Autor *Cent. III. Obſ. 1. p. 111. ſq.* ubi etiam Lacertam vivam ex podice erepſiſſe addit. Bufones & Ranas & alia inſecta â puellâ per alvum rejecta aſſervavit Georgius Wolffgangus Wedelius *vid. ejusd. Exercitat. Semiot. Patholog. cap. 44. p. m. 113.* Molitor qvidam annos triginta ſeptem natus, poſt largam Cereviſiæ ingurgitationem in hortô ſub Corylô recubans ſomno ſemet tradit, & inter dormiendum magnam ingeſtorum copiam eructat, & qvoties vomuit, toties iterum ſomno implicitus eidem diductô & hiante ore indulget. Tandem è ſomnô excitatus & ſiti compulſus ad fontem, ex qvô affatim aqvam ingurgitat, accedit, qvâ hauſtâ temulentus adhuc ſub aliâ iterum arbore ſe-

met

met ad otium componit. Aliqvot a Crapulâ diebus de langvore Ventriculi, ructibus & appetitu diminutô conqveri incipit. Qvæ ſymptomata qvotidie exaſperantur, iisqve tractu temporis dolor Ventriculi, roſioni ſimilis accedit, & ita invaluit, ut ſæpius ægrotans in periculum defectionis animi, vacuefactô præſertim â cibis Ventriculô, incurrerit, qvô tempore ſenſum reptantis cujusdam animantis caudati, & pedunculis veluti aſperis inſtructi, percepit. Adhibitis demum variis medicamentis amaricantibus & anthelminticis cum Mercuriô profuſisſima alvi dejectio, qva Bufo mediocris molis, isqve obeſus, ſed mortuus evacuatus eſt, conſeqvitur. vid. Adam. Brendel. *Obſervat. Anat. Dec. II. Obſ. 6. p. 19. 20.* Tres Ranas ſatis craſſas â Cive Marpurgenſi per Medicamenta expulſas ſe vidiſſe ſcribit Gvilielmus Adolphus Scribonius *de Sagar. Natur. p. m. 32.* Animalium genus rotundum, nigricans, caudatum, inſtar illius, qvas Ranulas rotundas aqvatiles nigras vocant, in magnâ copiâ, cantharum ferè plenum, Capitanei cujusdam ſervus ejecit, vid. Franc. Hildesheim *Spicileg. p. m. 41. 43.* *Ranæ.*

§. 32.

De Canibus Vomitu rejectis jam ſupra Capite VII. §. 79. egimus, hôc locô Obſervationem de fœtu caninô â puerô per alvum excretô â Carolô Raygero *M. N. C. Dec. I. An. 8. pag. 98.* communicatum inſerere liceat. Puer ſcilicet qvinqve annorum torminibus ventris correptus alvum depoſuit. Accurrens Mater inſpectura excrementa, annon aliqvid dyſenterici ſubeſſet; nihil qvidem tale, ſed fruſtum invenit carnis membranoſum, albicans, illud, ut, qvid contineat, videret, diſſecans, fœtum caninum bene conformatum cum ſtupore extraxit &c. *Canis.*

§. 33.

De Infantibus ſeu fœtibus humanis, partim particulatim, partim integrè per anum excluſis, hinc inde apud Autores extant Obſervationes, ſiqvidem Balduinus Ronſſeus mulierem novit, *Fœtus humanus.*

vit,

vit, qvæ cum totum annum fœtum mortuum Utero geſtâſſet, unà cum lotiô primùm digitorum articulos excrevit, ac ſenſim alia majora oſſa, tibiam, radium, coſtas, & id genus alia per poſticum cum excrementis emiſit: tandemqve calvariam cum aliis oſſibus ejecit, uti ſupra §. *14.* ex Ronſ. *Epiſt. 1. p. 11.* adduximus. Inqvit etiam Thomas Bartholinus *de inſolit. Part. viis cap. 14.* ubi de infantibus ex anô excluſis agit, *p. m. 114.* apoſtemate Uteri gravidi ad inteſtinum rectum ruptô, vel fœtum, vel fœtûs particulas egredi poſſe; deinde varia ibidem ejusmodi exempla adducit. Cùm Uxor Dominici Naſonis fœtum qvinqve menſium mortuum in uterô geſtâſſet, profluente qvotidie ex uterô colluvie qvadam ſanioſâ, indiesqve corpore marceſcente, extenuatisſimô habitu jam affecta per ſeceſſum excernere cœpit osſicula qvædam puelluli, nec deſtitit ab hujusmodi excretione per menſes & annos, donec permulta osſicula hujus generis extramiſit. vid. Marcell. Donat. *de Med. Hiſtor. mirab. Lib. 4. cap. 22. p. 439. ſq.* Et fœmina qvædam annorum trium & viginti, in regiunculâ Turonenſis agri morans, cùm eſſet gravida, nec parere potuiſſet, qvamvis bene habita valensqve videretur, contigit, ut fœtûs in uterô enecti ibiqve retenti partes molliores per pudenda diu pervolverentur, osſibus (qvæ illic menſium novem ſpatiô retenta fuerant) indies egredientibus è matrice ulceratâ pertuſâqve verſus inteſtina, & tamen in Epigaſtriô tumorem abſceſſumqve ſubeſſe præ ſe ferentibus; qvi tandem a Chirurgô, cùm latiuſculè apertus fuiſſet, aliqvi unà cum pure congeſtorum capillorum hapſi & oſſa cadaverculi magnâ ex parte carioſa inde extracta fuerunt: v. Matthiæ Cornac. *Hiſt. geſtation. fœtus mort. Hiſt. 5.* in Franciſc. Roſſet. *de Exſect. fœt. viv. p. m. 250.* Aliud exemplum Embryonis fruſtulatim a Margareta Cornelia per alvum excreti recenſet Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. 4. cap. 39. p. m. 358. ſq.*

CAPUT

CAPUT XI.
De Stercoris Analyſi chymicâ & inde Præparatis.

§, I.

DE Anatomiâ ſeu particulis Stercoris humani jam ſuprà Capite nonô aliqvatenus egimus; reſtant adhuc pauca de ipſius Elementis per Analyſin chymicam demonſtranda, de qvibus ita ſcribit Johannes Conradus Barchuſen *Pyroſoph. Lib. 5. p. m. 362.* Alvi excretioni in animalibus veſicâ urinariâ gaudentibus dicatæ ſunt craſſiores terræ & olei particulæ; qvibus autem ob fluiditatem, excretionis alioqvin ignaræ eſſent, copioſæ aqvoſæ admixtæ ſunt. Mihi enim ignis examini ſubjicienti alvi excrementa ſuggerebant hæc dicta principia; ſed terræ, finitâ operatione, exiguam tantùm portionem, qvanqvam recrementa ſolidiora eſſent; qvæ terra ex hominis & brutorum, Omaſô carentium, ſtercore ſuperſtes, etſi bene concremata, tamen nihil qvicqvam Salis fixi mihi eam elixivianti ſuppeditabat. Beſtiarum autem ruminantium excreta, v. g. fimus eqvinus, cui interdum fœnum, ſtramen, &c. indigeſta interjacent, exhibebant tantillulum ſalis fixi amaricantis, nec cum acidô nec alcali efferveſcentis, nedum par nitro inflammantis. Cæterum nec aqva deſtillando prodiens Sale volatili imprægnata fuit; arguerunt namqve hoc guſtus, odor, qvin & inſtillatum acidum, qvocum & leviſſima qvæqve Salia alkalia aliàs colluctari ſolent. Veruntamen longè alia ratio avium excrementorum eſt; harum enim pars urinoſa non per veſicam, ſed unà cum ſtercore per alvum advehitur; hinc qvum Veſicâ carentes reddunt ſtercora ſuperioribus animalibus liqvidiora, qvæ ſtercora deſtillando ſuppeditant indagatori Sal volatile, pa- *Stercoris Elementa.*

riter atqve idem è calculô elicitur, ſcilicet qvædam ejus pars haſtarum more excipulo adhæret, & hæc valde volatilis, perinde ac cæteri ſales; alia autem in formâ cubicâ, & hæc non tantâ volatilitate prædita eſt. Hæc Barchuſen. Juxta Michaelis Ettmülleri *Colleg. pharmacevt. in Schrœder. Oper. Tom. I. fol. m. 765.* Stercora animalium certò abundant ſale volatili ſalſô, qvaſi ammoniacô, ex acido Stomachi fermentativô ipſorumqve alimentorum, fermentando aceſcentium, cum horum alcali debitè unitô natô; qvæ ipſa, dum de Oleo bilis plus minus participant, ad naturam nitroſam ferè accedunt. Et *fol. 1161.* idem confirmat: Stercora, inqviens, animalium omnium participant de natura ſalis ammoniaci; conſtant qvippe ex acidô & alcali volatili oleoſô, qvæ coëunt in Sal tertium ammoniacale volatile, indeqve auræ beneficiô alterantur in Nitrum; præſertim avium excrementa ſunt nitroſa, & qvicqvid præſtant, operantur ea vi ammoniacali.

§. 2.

Præparata Aqva. Præparata ex Stercore humanô imprimis ſunt Aqva Sale volatili nonnihil impprægnata & Oleum, qvæ ex Stercore unâ eâdemqve operâ ſeqventi modo parantur: Recipe Stercoris Juvenis, non pueri, ſani, non morboſi, qvantum placet, exſiccetur in aëre vel furnô, lentô tamen igne, poſtea per Cucurbitam deſtilla, ſic prodibit Phlegma, tandem cum aliis Spiritibus Oleum, ſi urgeatur. Utrumqve per Balneum rectificetur. vid. Daniel. Beckher. *Microcoſm. medic. Lib. I. cap. 10. p. m. 64.* Joh. Schrœder, *Pharmacop. medic. Lib. 5. Claſſ. 1. p. 830.* Et ſecundum Petri Poterii *Pharmacop. Spagyr. Lib. I. p. m. 482.* ex Stercore humanô ſeqventi modô mirabile exſugitur Oleum, ad qvod exeqvendum magna ejus copia reqviritur, qvod ſit immixtum & ex homine ſanô. Prius autem per ſe corrumpitur atqve in exigua qvædam animalcula vertitur, hinc ferè in pulverem abit, qvi Retortæ inditus, calore blandô primùm adactô, mox validiori,

diori, Oleum reddit ſimul cum aqvâ, ambo non ſine aliqvâ graveolentiâ, qvæ rectificationibus & cohobationibus planè tollitur. Utrumqve Proceſſum verbis Italicis ita deſcribit Carolus Lancilotti *in Tractatu Gvida alla Chimica Part. 3. cap. 19. p. m. 33.* Pigliaſi del Sterco d'un Giovane di 25. ſino a 30. anni, & ſi laſci ſeccare all'aria, overo in ſtuffa, mâ non al Sole, doppo ſi ponga in una bozza con ſuo capello & â lento fuoco ſi eſtraerà l'acqva e l'oglio, qvale ſeparerâ con l'antinotorio, overo ſeparatorio, & l'oglio, come l'acqva, ſi rettifichi più volte al bagno per levargli la puzza, & ſarà fatto. L'altro modo è pigliando gran qvantità di ſterco humano, poi laſciarlo corrompere da ſe in un vaſo grande di terra, ſino che facci tutto in certi vermi, ò animaletti bianchi, qvali alla fine moriranno, & laſcieranno da ſe, qvali laſciandoli ſeccare ſi ridurranno in polvere, la qvale ſi piglierà & metterà in una ſtorta à fuoco leggiero di Cenere, & graduando detto fuoco ſi eſtraerà un acqva & un oglio, qvali ſi rettiferanno, come ſi è detto di ſopra. Circa deſtillationem Aqvæ & Olei Excrementorum admonet Febure *Chym. Part. 2. Lib. 2. cap. 8. p. 180.* qvodſi pro hac deſtillatione Excrementa adhuc calida recipiantur, varia interdum Symptomata ipſamqve mortem induci.

§. 3.

Qvia autem tale Oleum fœtidiſſimum eſt, de ejus rectificatione ſollicitus Petrus Johannes Faber ejus fœtorem per rectificationem cum Spiritu Vini corrigere tentat. vid. Chriſtian. Lang. *Patholog. animat. cap. 3. §. 8. p. m. 321.* Ipſe tamen Langius ibidem *Animadverſ. in hunc. locum p. 327.* laudata ex Stercore Medicamenta nativo ſuô fœtore non penitus eſſe privanda ſcribit. Ubi etiam circa præparationem Olei Stercoris humani hoc non reticendum eſſe idem Autor exiſtimat, qvod magnam ſtercoris copiam poſcat & longum ſatis tempus reqvirat, inſu- *Olei rectificatio.*

Aaa aa 2 perqve

perqve multum faſtidii afferat; qvod tamen patienter exantlatum Virtutis ſingularis nobilitas effectiſſimè compenſabit.

§. 4.

Spiritus. Nonnulli ex Stercore humano ſeqventi modo excellens remedium præparare allaborant: Recipe Stercoris humani, qvantum ab homine ſanô per menſem colligere potes, collectum hoc ſtercus putrefactum deſtilla per Retortam, ſic primò prodit Serum maximè fœtidum, qvod per repetitam reaffuſionem ſepties â Capite mortuô deſtilletur, atqve ſic ſingulæ deſtillationes fœtorem imminuent, donec per ſeptimam cohobationem Spiritum clarum gratiqve odoris acqviras. Caput mortuum in hoc Spiritu diſſolve, tunc odor erit adeò fortis; ut vix ferri qveat, filtra per Chartam atqve iterum per alembicum deſtilla, & in fundô Recipientis reperies Sal gratum, qvod in igne ſive calore facillime liqveſcit ſeu ſolvitur, in frigore autem coagulatur atqve inſtar glaciei gelaſcit. Doſis hujus Spiritus eſt â guttis tribus ad duodecim vel qvindecim; Salis verò ab unô ad octo vel decem grana. vid. Conrad. Khunr. *Medull. Deſtillator. Part. 1. cap. 4. p. m. 117. ſeq.* & Chriſtoph. Hellwigs *Caſ. & Obſervat. Part. 3. p. m. 127.* De hôc modô ſcribit Carolus Lancilotti *loc. ſupra alleg. p. 34.* Dalle feci, che reſtano doppo la deſtillatione calcinandole ſi può eſtraere un Sale, che meſcolato con la ſua propria acqva l'acuiſce aſſai la Virtû.

§. 5.

Sal fixum. Ratione Salis fixi ex Stercore humano præparati meminit Carolus Drelincurtius cujusdam, qvi ex Unciis viginti nigri cineris oleti educit Salis gryſei tenacisqve Unciam ſemis, & ex iisdem cineribus, iterum ad albedinem calcinatis, drachmam Salis integram excepit, albi qvidem, ſed tenacis adhuc, nec pelliculum, niſi ſerò ducentis. Fuerunt igitur Drachmæ qvinqve Salis fixi è cinerum Unciis viginti. v. Carol. Drelincurt. *Diſſert. de Lienoſ. p. m. 176. ſeq.* vid. etiam Petr. Poter. *Pharmac. ſpag. Lib. 1. p. m. 499.*

§. 6.

§. 6.

Student etiam qvandoqve indefeſſi Chymici, tam curioſi, qvàm ex Stercore aurum qværentes, abjectiſſimam hanc materiam pro aliô ſcopô laboribus ſuis intermiſcere, ipſiqve fragrantem inſtar Ambræ & Zibethi odorem conciliare, dum ſtercori humano ſufficientem aqvæ qvantitatem affundunt, in pultem ſpiſſiorem miſcent, atqve in Balneô Mariæ vel vaporoſô legitimè inſtitutæ digeſtioni atqve fermentationi tamdiu committunt, ut fœtorem omnem amittat & immutet, ſvaviſſimumqve, qvô Zibetho non cedit, odorem acqvirat; Idqve Zibethi vel Ambræ occidentalis nomine venire ſolet, & qvidem, qvod ſcilicet ſecundum qvosdam Autores, e. g. Danielem Beckherum *l. a. p. 64.* Zibetho orientali ſvaviſſimô odore non cedat; vel potiùs, qvòd ex occidentali Corporis parte proveniat. Inqvit etiam Moſes Charas *Pharmacop. Reg. Lib. 2. Part. 3. cap. 4. p. 167.* Oleto humano nonnulli Zibetti occidentalis nomen indidere, cùm a ſole exſiccatum tetrô odore exutô ſvavem induit, ſuis qvoqve pollet Viribus: ex Retorta enim deſtillatum, igne per gradus adhibitô, fundit Oleum ad varios affectûs. Secundum Johannis Schrœderi *Pharmacop. Lib. 5. Claſſ. 1. p. m. 830.* Zibetta occidentalis nihil eſt aliud, qvam ſtercus mediante digeſtione ad ſvaveolentiam redactum. Atqve Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœd. Lib. 2. cap. 75. p. m. 106. ſeq.* dicit: Si in cauſam odoris inqviras, experieris, ex ſcoriis ſtercoreis dependere, qvarum materiale principium felli debetur, prout & urinæ, unde fel prævià digeſtione deſtillatum Moſchi & Zibethæ æmulatur odorem. Odorem autem hujus Zibethi non tam per immutationem, qvàm ſeparationem fieri, putare videtur Andreas Libavius *Epiſtol. chymic. Lib. 2. Epiſt. 84. p. m. 50.* ubi inqvit: Ineſt in recrementis humanis aliqvid ad naturam ſpirituum Moſchi depoſitum, qvod abominalem putorem per ſe non habet, ſed ſuâ potiùs naturâ ſvaviter olet. vid. etiam Mich. Etmüller. *Oper. med.*

Zibethum occidentale.

med. Vol. I. f. m. 787. it. Chr. Frid. Garmann. *de Mirac. mortuor. Lib. II. Tit. 8. §. 76. p. 668. ſq.* Joh. Agricol. *in Joh. Popp. Edition. Joh. Helfr. Juncken Part. 3. p. 254. ſeq.* Deniqve hanc Zibettam occidentalem ex ſtercore humanô, qvæ genuinæ Zibethæ prorſus non diſſimilis ſit, aut ei cedat, ſed eandem fragrantiam exhalet, iisqve viribus polleat, inter Non-Entia Chymica Utis Udenii reperimus in Joh. Sigism. Elsholz. *Deſtillator. curioſ. p. m. 113. ſqq.*

Phosphorus.

§. 7.

De Phoſphorô ex Urinâ præparandô in Urologiâ noſtra pluribus agemus; qvin tamen etiam ex Stercore humanô idem parari poſſit, non dubitant Chymici, ſiqvidem, ſecundum Fridericum Hoffmannum *in Annotat. in Petr. Poter. Pharmac. Spagyric. Lib. 1. p. m. 446.* notatu dignum eſt, ex ſtercoribus cujuscunqve animalis non ſecus ac ex Urinâ inſpiſſatâ, flammæ torturâ Phoſphorum lucidum confici poſſe.

Lapis Philoſophorum.

§. 8.

Ipſius etiam Lapidis Philoſophorum materiam in Stercoribus humanis vel in ipſis fimetis, ſeu in Sale & Sulphure in ipſis reperiundis nonnulli qvæſivere, ideò qvòd Adamus illam ex Paradiſô exportâſſe ſcribatur, & nulla ſtercora circa Eremitarum clauſtra reperta fuerint. vid. Georg. Wolffg. Wedel. *Introduct. in Alchym. cap. 12. p. m. 32.* Qvod confirmat Theodorus Craan *Tract. de Homin. cap. 11. p. m. 99.* Erat, inqviens, qvidam Alchymiſta, qvi ex Sterqviliniô noſtrô qværebat Lapidem Philoſophorum. Studebat enim combinare Sal Excrementorum cum Sale Urinæ, & hôc modô ratiocinabatur: Qvemadmodum in Macrocoſmô aurum fit ex nobiliſſimô Ente, ita in nobiliſſimô Ente eſt qværendum; Atqvi Homo eſt Creaturarum nobiliſſimus & pro nobiliſſimô Ente habendus; Ergo in eodem Aurum qværendum. Sed qvis errorem non viderit, qvi vim hujus argumenti inſpiceret?

§. 9. Qvi-

§. 9.

Qvidam Petro Poterio notus poſt Olei eductionem ex Stercore humanô Salem paravit, ut propriô Oleo mixtus materiam præberet igni inextingvibilem; at propriâ opinione delapſus, ut alii pſeudochymi Oleum & operam perdidit: qvod propter incautos annotare placuit dicto Poterio *Pharmacop. Spagyr. Lib. I. p. m. 499.* *Ignis inextingvibilis.*

§. 10.

Nonnulli etiam ex Stercore humano beneficiô reiteratæ ſublimationis elegantem Pulverem cyprinum Capillis inſpergendum parare ſtudent. *Pulvis Cyprius.*

CAPUT XII.

De Signis ex Stercore humano petendis.

§. 1.

QVoad Uſum medicum inſervit Stercus humanum pro duplici ſcopô, tam ratione Diagnoſis & Prognoſis, qvàm ratione Curationis morborum, & qvidem tam in ſtatu ſanô, qvàm morboſô; unde ſcribit Bernardus Ramazzinus *de Princip. valetud. tuend. Cap. 7. p. 79. ſeq.* Cùm tanti ſit momenti, in ſtatu Corporis alvi & veſicæ excrementa diligenter obſervare, non ſolùm ad morbi naturam dignoſcendam, ſed ad prognoſin & curationem inſtituendam; in ſtatu qvoqve integræ ſanitatis idem agere bonum eſſet. Verùm hæc animadverſio, dum bene valemus, utplurimum negligitur; at in Principe, cujus incolumitas maximè eſt optabilis, hujusmodi conſideratio non eſt contemnenda. Oportet ergo Medicum, qvi Principis valetudini regendæ præeſt, illius naturam perſpe- *Stercoris uſus Medicus duplex.*

ctam

ctam habere, etiam in ſtatu integræ ſanitatis, num alvum habeat ad ſolutionem, aut adſtrictionem propenſum, & ad aſſumpta reſpondeat, ut immoderantias poſſit temperare.

§. 2.

Excrementa inſpicienda. Ab excrementis itaqve alvinis Medici tum veteres, tum recentiores, ſigna ſani atqve morboſi ſtatûs diagnoſtica & prognoſtica deſumere ſoliti ſunt; hinc Johannes Jacobus Scharandæus *de mod. & ration. viſend. ægros cap. 8. p. m. 141.* ita ſcribit: Alvi excrementa non minùs inſpicienda ſunt, qvàm urina, cùm ſint bonæ vel malæ digeſtionis indicium. Conſideranda itaqve ſunt in Excrementis Color, Conſiſtentia, Qvantitas. Fœcum Color naturalis eſt inſtar mellis cocti; Conſiſtentia neqve dura neqve mollis; qvantitas proportioni cibi reſpondens &c. Et ſecundum Jacobi Primeroſii *Enchirid. med. p. m. 161. ſeq.* in ægrô ſpectari debent Excrementa, in qvibus obſervanda ſubſtantia, Color, odor, copia, modus exeundi, an tempeſtivè vel ſecùs, an citò an tardè, an conſtanter, an cum ægri damnô erumpant. vid. etiam Johannis Varandæi *Prognoſt. med. Oper. Part. I. fol. m. 211. ſeq.* Hieronym. Mercurial. *de Excrement. Lib. 2. cap. 7. p. m. 157.* ubi de notis agit, qvibus bona Stercora dignoſcantur; item *cap. 8. p. 166. ſeq.* qvô locô de ſtercorum uſu & de iis tractat, qvæ in illorum inſpectione ſint obſervanda: qvorum primum eſt, ut jubeatur, fæces apponi in Vaſe terreô albô & mundô, qvod non ſit nimis altum, ſic enim facilius inſpici poterit Color, ſubſtantia & tandem omnes differentiæ. Secundum, ut oſtendantur ſeparatim, prout etiam ſeparatim dejiciuntur; fit namqve interdum, ut diverſis vicibus diverſa ægri dejiciant ſtercora, qvæ, ſi ſimul commiſceantur, judicium Medici fallere poſſunt. Tertium eſt, ut neqve urina, neqve aqva, nec qvicqvam aliud ipſis miſceatur, qvod judicium ferendum valde impedit. Qvartum eſt, ut in locô lucidô & omnis odoris experte curentur oſtendi fæces, alio-

qvin

qvin facillimum erit falli, tum in coloribus, tum in odoribus diſcernendis. Qvintum, ut fæces ſi fieri poteſt, ſtatim ac dejectæ ſunt, inſpiciantur, vel ſaltem obtectæ pannô detineantur, ne ab aëre posſint multùm immutari. Vel ſaltem diligenter erunt interrogandi adſtantes de odore ſtercoris. Sextum & ultimum, ut curetur â ſervô fæces baculô agitari. Sic enim mixta & tota natura faciliùs cognoſcuntur &c. Videatur etiam Bartholom. Perdulc. *Semeiotic. â cap. 21. ad 26. pag. m. 214. ſeqq.* Johann Joſton. *Syntagm. univerſ. medicin. Pract. Lib. 2. Tit. 2. cap. 3. Art. 2. p. m. 233. ſeqq.* Jacob. Anton. Phryg. *in Prognoſtic. Hippocrat. p. m. 155. ſeqq.* Honor. Bicaiſſ. *Manual. med. p. m. 89. ſeqq.* Jodoc. Lomn. *Obſerv. medicin. Lib. 3. p. m. 250. ſeq.* Mich. Dœring. *de Medicin. & Medic. pag. m. 309. ſeq.* Johann. Andr. Schlegel. *de Reb. natural. Sect. 9. Cap. 4. p. 386. ſeq.* Proſp. Alpin. *de præſagiend. Vita & Mort. Lib. 6. cap. 17. p. m. 415.* Prolixè de hac materiâ tractat Martinus Panſa in aureô libellô *de prorogand. Vit. cap. 37.* in qvô agit de fecibus alvi, qvarum contemplatio μακροβιοφίλοις plurimum conducit. *p. 145.*

§. 3.

Cautè tamen circa hæc ſigna, ex fæcibus alvinis deſumenda, agere debet Medicus, ne decipiatur & decipiat; ſiqvidem Excrementorum Color & Odor facillimè ab aſſumptis tam alimentis, qvàm medicamentis mutari poteſt; hinc non immeritò Johannes Bohnius *de Offic. Medic. duplic. Part. I. cap. 7. p. m. 153.* admonet, ut is, qvi pro accuratiore de Vomitu rejectis, fæcibus alvi, Urinâ, ſudore & forſan ſputô qvoqve, ferendô judiciô eorum indaginem ſolertiorem in ſe ſuſcipit, rationem maximè ingeſtorum ſeu aſſumptorum habeat, ſive alimentoſa, ſive medicamentoſa hæc fuerint; ſic Vomitu rejecta aſſumptorum molem & faciem præ ſe ferunt, & v. g. graveolentiam ab allii & ceparum eſu; qvi multum alimentorum ſolidorum aſſumſit, plus, qvi parum aut nihil, minus fæcum per alvum *Cautela.*

deponit, adeò ut in Anorexiâ laborantibus harum ordinaria qvantitas vix expectati debeat. Qvi alliô, cepis ſimilibusqve olidis veſcuntur, easdem graveolentas valde, qvibus folia Senæ propinata, mucoſas, qvibus Rhabarbarum, flaveſcentes, Caſſiæ pulpa aut martialia, aut qvi baccarum Myrtillorum pulmentum devorârunt, nigrantes rejiciunt. Et qvemadmodum, ſi pingvia ſeu oleoſa per alvum prodeant, colliqvationem ſingularem & periculoſam valde innuant, ſic pingviora copioſiùs ingeſta tales pariter excretiones formant. &c; Et David van Hoogſtraten *Diſſert. epiſtol. de hodiern. Medicin. ſtat. p. m. 21.* inqvit: Ridendi ſunt, qvi â fæcum alvinarum colore neſcio qvæ deducunt; ſunt, qvi ægris ſuis perſvadent, hæc decolorata & fœda excrementa in corpore delituiſſe, cùm ſæpe nihil ſit vanius, nihil ſtultius? Ex ſulphureis medicamentis alvinam ſaburram ſplendere & fœtere compertum eſt. Sæpe jucundiſſimè præſcriptâ Chalybis doſi inſpectas fæces nigricare adverti &c.

§. 4.

Fœtoris defectus. Interim alvi fæces non fœtentes Melancholiæ hypochondriacæ prodromos annotavit Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1697. Menſ. Auguſt. Obſ. 7. p. m. 519. ſeq.* & qvidem in Virô qvinqvagenariô majori, cætera ſanô, qvi ſimul maximam gerens curam, & feces, qvomodo ſint conſtitutæ, ſæpius inſpexit; unde cùm per benè longum temporis ſpatium fœtorem conſvetum in iisdem non notâſſet, ne mali qvid portenderet, metuens, Medici, Riedlini ſcilicet, conſilium propterea deſideravit, qvi ex hoc ſolô ſignô nihil mali metuendum ſtatuens vinum tamen medicatum ordinavit, at hunc in finem fruſtra, ſiqvidem exinde excrementa nullum fœtorem recuparabant, ipſeqve ægrotans paulatim in Melancholiam hypochondriacam gravem tandemqve lethalem incidit. Item poſt febrem malignam fœtoris defectum in fæcibus alvinis lethalem annotavit Chtiſtianus Franciſcus Paullini, & qvidem in Studioſô, qvi â febre dictâ, ut videbatur,

debatur, redemptus gratulantium voces cum gaudiô excipiebat: Sed cùm dejectiones alvi ſine fœtore animadverteret dictus Paullini, illumqve inter loqvendum multùm ſalivare cerneret, mortem ocyus prædixit. Riſêre adſtantes, qvaſi inſipidus foret vates. Sed citò vivere deſiit. *v. M. N. C. Dec. II. Append. Obſ. 121. p. 76.*

§. 5.

Signa ex Colore. in Ictero.

Deinde ratione Coloris Diagnoſin præbent feces alvinæ, v. g. in Icterô, ſiqvidem qvando meatûs folliculi fellis ſunt obſtructi, tunc excrementorum color obſervatur pallidus ſeu albicans, aut cinereus, alvusqve eſt ſegnior; qvod præter qvotidianam Praxin annotârunt etiam Autores Medici; Inter alia enim ſigna Auriginis hoc ponit Jodocus Lommius *Obſ. medic. Lib. 2. p. m. 218.*, qvòd, ſi, qvæ ad bilis folliculum pertinent itinera obſtruantur, dejectiones albicent, nullâ amarâ humoris in alvum illapſâ parte, deſcendatqve paucum ſtercus & ſubviſcoſum, idqve paulatim & crebrô ad deſidendum progreſſu. Juxta Joh. Bernhardi Gladbachii *Prax. med. Id. p. m. 303.* Ictericorum alvus eſt utplurimum adſtricta, & excrementa albicant. Qvod confirmat etiam Franciſcus Sylvius *Prax. Lib. 1. cap. 46. §. 15. p. m. 302.* Alvi, inqviens, excrementa ferè albent ſuntqve coloris cineritii, nec â Bile, uti aliàs, diverſimodè tincta; qvin ſegniùs ad dejiciendum ægri ſolicitantur. Secundum Chriſtiani Johannis Langii *Prax. med. cap. 6. §. 2. Oper. Tom. II. fol. m. 37.* Signa cauſarum Icteri ex bilis vitiô oriundarum alvinæ feces potiſſimùm docent, qvæ in abundantiâ bilis naturalem & croceum plus minus colorem conſiſtentiamqve fluidam præ ſe ferunt: econtrà verò in obſtructione ductûs choledochi arida plerumqve ſunt ſcybala & cineritii coloris, vel albicantia inſtar albi græci &c. Item in Collegio Caſuali *Caſ. 3. fol. 236.* fæces albæ in fluxu alvi chyloſo Icterici occurrebant. v. etiam *Caſus 52. fol. 334.* ubi in Virô ictericô triginta duorum annorum Scybala

bala antè facilè fluentia tunc tardè & difficulter excernebantur, imò tandem albere aut cinereum colorem exhibere dicuntur &c.

§. 6.

In Paſſione iliaca.

Econtra verò nigra Excrementa in Paſſione Iliacâ ſponte erumpentia ſignum Inteſtini ſphacelati, in fœminâ qvadam obſervatum legimus, *Hiſtor. morbor. Vratislav. An. 1702. p. m. 168.* In dictâ Paſſione Hippocrates *Aphor. Sect. 7. Aph. 10.* etiam Vomitum, Singultum, Convulſionem & Delirium pro malô ſignô habet, qvibus Nicolaus Tulpius *Obſ. med. Lib. 2. cap. 41. p. m. 167. 169.* adhuc addit alvum, ſub finem morbi lubricam, Inteſtina indolentia & ſudorem frigidum: ſic enim omnes, inqvit, habebis deſperatæ inflammationis notas. Accenſa qvippe inteſtina, ut facilè emoriuntur, ſic amittunt victa facillimè ſenſum doloris, & præcipitant ægrum non tam in ſudorem frigidum, qvàm ipſam mortem. Qvod exemplô Uxoris Volvulô ex Irâ laborantis confirmat; qvippe qvæ ob bilem præ iracundiâ liberaliùs in tenuia inteſtina effuſam acerbè dolebat, poſtqve varia ſymptomata obibat; Inteſtinis autem hactenus acutè dolentibus, priùs omnis doloris ſenſus perierat. Sic etiam puer qvinqve annorum per aliqvot dies obſtructione alvinâ laborans, doloribus poſtmodum auctis aſſumta vomitu rejiciebat; ſubſeqvebantur convulſiones, & alvus ſpontè mota plurima ſcybala reddebat, ſubſeqvente morte. vid. Viti Riedlin. Parent. *Obſerv. med. Cent. 3. Obſ. 21. p. m. 299. ſq.* Item feces alvi per os rejectæ in Paſſione Iliacâ nonnullis ſemper ſignum lethale habetur, qvod tamen perpetuæ veritatis non eſt, ſiqvidem interdum taliter ægrotantes ſanitati reſtituuntur, uti ex ſupra de Paſſione Iliaca dictis, videmus.

§. 7.

In febribus malignis.

In Febribus malignis inſenſibilem alvi excretionem vel Diarrhœam nihil boni præſagire, Medicis practicis ſatis notum,

tum; hinc etiam Johannes Jacobus Waldſchmied *Prax. Medicin. p. m. 290.* Diarrhœam in febribus malignis nunqvam ſalutarem, ſed ſtatim alexipharmaca ſimulqve Inteſtina corroborantia exhibenda eſſe ſcribit. Qvam tamen regulam medicam exceptione non carere, exempla contraria teſtantur; qvale de Sponſô Zizenſi, cui Medicus ordinarius (qvia ægrotans adeò debilis viribusqve videbatur privatus, ut alvi excrementa ſine ſenſu excreverit, floccos legerit, nihilqve reſpirare potuerit) nihil amplius exhibere voluerat, ſanitatem recuperante recenſet Johannes Georgius Grübelius *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 108. p. m. 179. ſq.* Ipſe etiam, in Febribus malignis, Caſtrenſibus & petechialibus, An. 1693. & 1694. hic Dresdæ graſſantibus, Diarrhœam rarò lethalem ſed plerumqve ſalutarem fuiſſe memini. *Obſervatio.*

§. 8.

In Infantibus etiam ex laxitate ani ſeu ſpincteris, ita ut Clyſteres ſtatim poſt injectionem iterum elabantur, Obſtetrices nonnullæ inſtantis aut mox ſubſecuturæ mortis Prognoſticum deſumere ſolent. Item ex Meconiô ante partum in Uterô vel vaginâ Matris dephrehenſô Medici & Obſtetrices certiſſimum fœtûs mortui ſignum deſumunt. De qvâ tamen Qvæſtione paulò infrà Capite ultimô pluribus agemus. *In Infantibus.* *Ex Meconiô.*

§. 9.

Pertinet huc etiam Anthropomantia, id eſt, divinatio ex mactatorum hominum inteſtinis atqve viſceribus, qvâ primus ſolusqve, Diaboli inſtigatione, uſus dicitur Heliogabalus Imperator, turpiſſimum atqve flagitioſiſſimum monſtrum. Qvi paulo pòſt hujus immanitatis plusqvam belluinæ pœnas meritò dedit, qvando crudeliter interfectus & in latrinam abjectus inter excrementa computruit. vid. Chriſtian. Matthiæ *Theatr. hiſtor. p. m. 604.* De veterum Saxonum ſacrificiis & Anthropomantiâ ita loqvitur Martinus Zeillerus *Itinerar. German. cap. 1. fol.* *Anthropomantia.*

1. fol. m. 40. Die Sachſen opfferten auch Menſchen und gar ihre Söhne, ſonderlich aber brachten ihre Diener, die jungen Schergen, allerley Ubelthäter zum opffern herbey; und muſten bisweilen auch Unſchuldige herhalten. Die gefangenen wurden bey denen Opffern mit Pfeilen erſchoſſen, theils auch gecreutziget. Wann dieſes verrichtet, ſo haben ſie ſolche geopfferte Menſchen und Vieh gefreſſen, und nach dem Panqvet allerley Kurtzweile und Spiele angeſtellet. Und aus dem Eingeweide den glücklichen Fortgang ihres Krieges erlernet; Wie ſie dann dem Wahrſagen, Zeichendeuten, Loſungen und dergleichen, ſonderlich ſind ergeben geweſen.

§. 10.

Cautela in Peſte.

Cautelam ſeqventem, tempore Peſtis obſervandam, docet Julius Palmarius* *de Febrib. peſtilent. p. m. 428.* Qvi tempore peſtis cœlum mutare neqveunt, videant ſaltem, ne vel propè cloacas vel Cœmeteria, vel in lanienis, vel propè coriarios, vel juxta fœtidum alium locum degant: Illic enim aëris contagio multò crudeliùs debacchari ſolet. Et Johannnes Gottlieb Bœtticherus *de Peſt. & Peſtilent. cap. 2. p. m. 99.* procul â Cloacis, â Cœmeteriis, Lanienis, Xenodochiis omnibusqve locis malè olentibus habitandum cenſet.

§. 11.

Signa ex Stercore Aſitorum.

Egimus ſupra Capite qvartô de Aſitis & Adipſis, ſive iis, qvi diuturnâ Inediâ laborârunt, ſive per longum temporis ſpatium ab omni cibô & potu abſtinuerunt. Cùm verò Hippocrates vitam hominis ſeptem dierum eſſe, ſeu ordinariè vix ſeptem dierum famem tolerari poſſe ſalvâ vitâ aſſerat, ejusmodi exempla qvandoqve nonnullis ſuſpecta videntur. Qvò itaqve fraus detegatur, tales perſonæ ſuſpectæ loco ſeu conclavi cuidam vel ſolæ, vel cum Cuſtodibus includuntur, â qvibus inter cœtera, num occultè qvid ori immittant, vel an durante hoc tempore feces alvinas rejiciant, obſervantur; ſiqvidem per

harum

harum excretionem facillimè ejusmodi fraus deprehendi poteſt, cùm absqve aſſumptis in diuturnâ Inediâ nulla Excrementorum rejectio expectanda ſit, & juxta Georg. Wolffg. Wedel. *Patholog. medic. dogmat. Sect. 3. cap. 2. p. m. 464.* Excrementa liqvida & ſolida in ſtatu naturali perpetuam cum aſſumptis commenſurationem & proportionem habeant. Qvapropter Medicus ad referendum ſuum de ejusmodi perſonis ſuſpectis judicium reqviſitus hanc circumſtantiam bene attendat, atqve apud Magiſtratum admoneat; Id qvod etiam alios Medicos annotâſſe videmus; ſiqvidem Johannes Langius *Epiſtolar. medic. Lib. 2. Epiſt. 27. p. m. 604.* Puellam Spirenſem, Margaretham Seyfridiam, ultra biennium Inediam ſuſtinuiſſe, nihil tamen excrementorum, nec per alvum, nec per veſicam, excreviſſe ſcribit. Item Puellam Colonienſem ſine omni cibô & potu per annos tres viventem excrementa nulla ejeciſſe, refert Gvilelmus Fabricius, Hildanus, *Obſerv. Chirurg. Cent. 2. Obſ. 40. p. m. 206.* De Puellâ ſeu Virgine qvadam Palatinâ per decem annos ab omni cibo & potu abſtinente idem, ſcilicet eandem nullum interea excrementi genus poſuiſſe, confirmat Heinricus Smetius *Miſcellan. Medic. Lib. 8. p. m. 395.* In Iſaaco Stiphont, per qvadraginta dies & noctes jejunante, excrementa qvoqve ſenſim minuta provenire ceſſabant. vid. Cornel. Stalpart van der Wiel *Obſ. rar. Cent. 2. Obſ. 15. Schol. p. m. 149.* Et miles Polonus ex terrore viginti qvinqve dies ſine cibô, potu, ſomnô, ventrisqve evacuatione exegit. *v. M. N. C. Dec. I. An. 9. & 10. Obſ. 186. p. 432.* Qvod etiam in Mariâ Streicheria dictô Capite qvartô annotavimus.

§. 12.

De ſignis Stupri in Puerô ab Inteſtinô rectô petendis vid. Cap. XIV. §. ult.

CAPUT

CAPUT XIII.
De
Stercoris humani Uſu Medicô.

§. 1.

An Stercoris uſus licitus? Negatur.

QVantum Stercoris humani uſum Medicum, qvoad morborum curationem, attinet, non immeritò qværitur inter Medicos, an dicta merda pro tali uſu, tam internô, qvàm externô, adhiberi debeat? ad qvod pleriqve eorum non ſine rationibus negativè reſpondent, hujusqve uſum tanqvam abominandum rejiciunt. Et qvamvis Batavorum militibus incurſantes in Java Indos ſuperioribus annis merdâ depuliſſe laudi fuerit; Medico tamen gratioſo non item, ſecundum Daniel. Ludovic. *Pharmac. Diſſert. I. p.m. 411. ſeq.* Et Johannes Petrus Lotichius *de Caſei Neqvit.* §. *6. p. m. 16. ſeq.* inqvit: Sordidi qvidam medicaſtri & σκατοφάγοι excrementis bubulis, ſuillis, eqvinis, caprinis &c. frui ſolent; homo verò cordatus & bonæ mentis ſe abſtinet ſordidis id genus atqve excrementitiis remediis, cùm alia eaqve honeſtiòra cognita ſint. Strenuè qvoqve contra ſordidorum medicamentorum & ſtercorum animalium uſum pugnat Auguſtus Qvirinus Rivinus *Cenſur. medicament. officinal. cap. 2. p. 10. ſeq. 15. ſeq.*

§. 2.

Conceditur.

Sicuti verò reliqvorum animalium ſtercora facultates medicas obtinere creduntur, qvas ex Galeno *de ſimplic. medicament. facultat. Lib. 10. fol. m. 75. ſeq.* Dioſcorides *Lib. 2. cap. 73.* ejusqve commentator Petrus Andreas Matthiolus in hunc locum *fol. m. 239.* item Janus Cornarius *Comment. in eundem, cap. 69. fol. m. 134.* ſatis luculenter commemorant; ita nec humano ſtercori vires ſuas deeſſe, â nonnullis defenditur; qvod tamen juxta Galenum *l. a.* ob fœtorem eſt abominandum, ideoqve ejusdem

jusdem uſus non niſi in durioribus duntaxat agreſtium hominum, nempe ruſticorum, foſſorum & meſſorum, & qvi opus obeunt adeò validum, corporibus, & qvidem in itinere vel ruſticatione, aut venatione, cùm ſcilicet meliorum nihil adfuerit; non verò apud urbanos & honoratos alicujusqve exiſtimationis viros, & qvi mollem habent carnem; mulieres imprimis & pueros eſt ineundus, præſertim cùm multò potiorum ſuppetit copia. Præter Galenum etiam alii recentiores medicamentoſum excrementorum uſum retinent. Nam Petrus Poterius, qvi *Pharmacop. Spagyric. p. m. 445.* fœda ejusmodi remedia eqvidem ad humanum uſum comparata minimè judicat, paulò tamen poſt *pag. 499.* in animalium & hominis, omnium principis, excrementis mirum dictu, qvàm rara & perfecta remedia reperiantur, ſcribit. Et ſecundum Chriſtianum Langium *Oper. medic. p. m. 326. ſeq.* Res qvidem indigna & execrabilis, tam humanum, qvam omnium animalium Stercus, nemine diſſentiente, exiſtit, atqve propterea neqvaqvam fœda ejusmodi remedia ad humanum uſum comparata vel advocanda eſſe videbantur; nihilominus tamen indubitatis experimentis hactenus firmiter comprobatum fuit, ſub deteſtandô hôc fœtore magnas mirabilesqve Virtutes latere, atqve in animalium omnium excrementis rara & perfecta omninò reperiri contra deſperatiſſimos morbos auxilia. Dicit etiam Henricus Screta *de Febrib. Caſtrenſ. malign. Sect. 1. cap. 5. p. m. 68.* qvòd ex hominum excrementis alvô ejectis egregia tam egenis, qvàm divitibus inſervientia remedia parari poſſint. vid. etiam Marc. Aurel. Severin. *Chirurg. trimembr. pag. m. 196.* Item ſecundum Michael. Ettmüller. *Oper. med. Vol. I. fol. m. 114.* hæ res ſordidæ ſulphureo-ſalinæ multùm in receſſu habent; ob luxurians enim ſulphur cum alcali volatili fœtor talis exoritur, unde pro uſu medicô multum valent. Et *fol. 788.* inqvit idem Autor, Stercus humanum eſſe ſubjectum oleoſum & hinc anodynum, indeqve ſingulares obtinere uſus

in Medicinâ. Nec minùs Lucas Schrœckius ejusmodi remedia conditionatè admittit; qvamvis, inqviens, ubi delectum remediorum habere poteſt, ſordidis ejusmodi Medicus elegans abſtinere teneatur, in neceſſitatis tamen caſu, ubi non, qvod decorum magis, ſed qvod utile eſt, expetitur; ſi alia pari efficaciâ prædita eum deſtituant, cur non ſimilia in uſum trahere liceat, ſufficiens cauſa nulla ſubeſt. *vid. M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 81. Schol. p. 192. ſeq.* Qvodſi proinde alicujus palato ferculum tale arrideat, ipſi per me hôc remediô, ſive crudô, tam recenti, qvàm exſiccatô, ſive ipſius Aqvâ & oleô per deſtillationem præparatis, frui licebit.

§. 3.

Stercoris virtus in genere. In genere de Stercoris virtutibus inter alios Autores ſcribit Lucas Schrœckius *l. a.* Uti in ipſis excrementis ſpiritûs vitalis præſentiam agnoſcere tenemur, (unde vivere eadem Gvilelm. Maxvellus *de Medicin. magnet. p. m. 27.* ſcribere ſuſtinuit, & Joh. Bapt. Helmontius *Cap. de Lithiaſ. §. 35.* ſpirituum vitalium comparticipationem excrementa ſervare prodidit) qvam Johannes Conradus Peyerus *Exercit. I. de Glandul. Inteſtin.* de ſpiritu non minùs animali verè deprædicat: ita cur recenter adhibita præſtantiores qvandoqve edant effectûs, hinc edocemur. Licet & aliàs diverſimodè prodeſſe poſſe, præter multorum experientiam, ipſa qvoqve ratio dictitet, Sulphure & Sale volatili, ut & fixô, qvandoqve in iisdem manifeſtè ſe exſerentibus, & partim ab aſſumptis cibis &c. partim ab internô principiô, bile & lymphâ, ortum trahentibus; ſicqve etiam eorum diverſitatem in ipſâ Operatione multiplicem & qvaſi ſpecificam oſtendentibus. Et juxta Frideric. Hoffmann. *Annotat. in Petr. Poter. Pharmacop. ſpagyric. Lib. 1. p. m. 445.* Excrementa alvina activô principiô, ſalinô nimirum ſulphureô (qvod ex reſolutione ingeſtorum & commixtione variorum liqvorum, bilis, ſalivæ, ſucci pancreatici, emergit) copioſô conſtant, & hujus reſpectu magnam

gnam vim poſſident &c. Item videntur ſtercora aliqvid ſingulare fovere, qvod ſale ſuô ſubtili faciliùs penetrent, & ex ſymbolismô qvaſi ingreſſum in anguſtiſſima partium inveniant, cùm alia ſalia volatilia ignis vi illicita non blandè agant, ſed vehementiùs afficiant.

§. 4.

In ſpecie Stercus humanum commendatur in Anginâ, v. g. Stercus pueri poſt eſum lupinorum excretum, ſiccatum atqve cum melle in formam Electuarii vel ungventi redactum, laudatur, vid. Galen. *de ſimplic. medicament. facultat. Lib. 10. fol. m. 75.* ubi ſeqventem Obſervationem refert: Aſſiduè qvidam â phlegmonis ad Guttur exiſtentibus vexabatur adeò vehementer, ut ſuffocationis ſubiret periculum, & ſane ob hoc periculum ſangvinem mittere cogebatur. In hunc cùm fortè qvis incidiſſet, pollicitus eſt, ſe præbiturum medicamenti experimentum, & ſe vocari, ſi qvando rurſus aliqvâ in parte gutturis emicuiſſet phlegmone, ante ſangvinis miſſionem, præcepit. Itaqve vocatus, medicamentô illitô ſtatim hominem curavit. Ut autem iterum profecit, non in ipſô tantùm, ſed & in aliis, qvi ſimilitèr erant affecti, rogabat is, qvi aſſiduò ſuffocari periclitabatur, datâ mercede, ut ſeſe medicamentum illud doceret. Erat enim ille locuples, & in pecuniæ ſumptu liberalis. Porrò ubi conventum eſt de pretiô, is qvi vendebat, hoc medicamentum inqvit, per antipathiam qvandam, utilitatem obtinet. Eſſe autem eam antipathiam, ut, qvi curatur, neſciat, unde conficiatur. Juſſit itaqve alium daret, qvi pro ipſô diſceret, qvi ſibi fideliſſimus eſſe videretur, qviqve jurejurandô reciperet, ſeſe nulli ejus facturum copiam, priusqvam ipſe, qvi dediſſet, foret defunctus. Itaqve â morte ejus, qvi indicârat, non tantùm ille ſuum hominem, ſed & alias ſanabat: & mihi, ne petenti qvidem, medicamenti exemplum volens ac lubens obtulit. Erat autem ſtercus pueri ſiccum cum melle Attico ad lævorem tritum. *In ſpecie ad Anginam.*

 Victi-

Victitabat autem puer, cujus ſtercus accepturus erat, lupinis, videlicet qvi ex more edi ſolent, cum pane benè coctô in clibanô, modicum ſalem & fermentum habente. Præbebat autem bibendum vinum vetus: atqve hæc omnia in mediocri qvantitate, ut perfectè ea puer poſſet concoqvere. Ita cùm primô die eô victu eſſet uſus, poſterô tamen die nondum ſtercus capiebat, ſed in eô qvoqve die rurſum eôdem alebat victu, ac tertiô demum ſumebat, ac poſtea arefactum iis admiſcebat, qvæ huic affectui congruebant. Hæc Galenus. vid. etiam Petr. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. 2. cap. 73. fol. m. 309.* Mizald. rediviv. *Cent. 9. ſeu* §. *889.* Zacut. Luſit. *de Medic. Princip. Hiſtor. Lib. I. Hiſtor. 81. fol. 143. ſeq.* Joh. David. Ruland. *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 1. ſeq.* Joh. Guſer. *Medicin. domeſt. p. m. 9.* Henric. Petræi *Noſolog. harmon. Lib. I. Diſſert. 13.* §. *47. p. m. 252.* Et Balduinus Ronſſeus *Epiſt. 17. p. m. 62.* pueri ſtercus exſiccatum cum melle mixtum non citra maximum commodum applicari aſſerit. Item Johannes Schrœderus ſtercus ſiccatum tritum & cum melle illitum ad phlegmonem gutturis ſeu anginam curandam magni uſus eſſe dicit, *Pharmacop. med. chym. Lib. 5. Claſſ. 1. p. m. 829.* Alii ſtercus pueri vel proprium etiam cum aliis v. g. cum hordeô & ſemine Lini mixtum applicant; alii emplaſtrum ex ſtercore humanô & caninô cum felle taurinô paratum; alii Emplaſtrum ſeu epithema ex Stercore hominis recenti cum Melle, fermentô, viſcô arborum, cinere Thymi combuſti & axungiâ Urogallorum ad Anginæ maturationem atqve apoſtematis rupturam laudant. Pantheras contra faucium angorem excrementis hominis ſibi mederi, ſcribit Plinius *Hiſtor. Nat. Lib. 8. cap. 27. fol. m. 136.* Imò humanum ſtercus in panniculô deligatum & crematum potui datum ſuffocatis opem ferre, ex Galeni Librô de his, qvæ facilè parantur, ad Solonem, refert allegatus Petrus Poterius *l. a. p. 99.*

§. 5. Ad

§. 5.

Ad Apoſtematum ſeu Abſceſſuum Suppurationem ſeu maturationem promovendam laudatur excrementum hoc alvinum calidè impoſitum. Inqvit enim Johannes Fridericus Helvetius *Diribitor. med. p. m. 112. ſq.* Stercus humanum recens & adhuc calens imponitur doloroſiſſimis vomicis ſeu accidentibus ſub pelle in carne latentibus, non tantùm facit ad talia ſymptomata, ſeu mala adimenda ſeu conſananda, qvippe qvoniam ejus ſulphur eſt antidotum admodum forte adverſus aciditatem; ſed volatiliſat hæc fixa acida, atqve ita producit digeſtionem, unde omnium apoſtematum ſive tumorum acerrimum venenum maturatur, atqve omnes ortæ inde inflammationes tolluntur. Item in Abſceſſibus ab Incantatione ortis Oleum Stercoris humani laudat Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 789.* *Ad Apoſtemata.*

§. 6.

In Arthritide & ejusmodi doloribus, v. g. Malo Iſchiadicô parti dolenti Stercus humanum recens, & ſi fieri poteſt, adhuc calidum applicari ſolet; ſiqvidem juxta Michael. Ettmüller. *l. a.* in doloribus articulorum propter vim oleoſam anodynam, ſalium acidorum correctivam in ejus oleoſo ſulphure fundatam multum valet; Et Chriſtianus Franciſcus Paullini *Pharmacop. Stercor. cap. 27. p. m. 147.* Juvenis, ejusmodi doloribus in brachiô laborantis, meminit, qvi ipſius ſvaſu manè & veſperi proprium ſtercus cum levamine applicavit. vid. etiam §. 39. *Ad Anthritidem.*

§. 7.

Calculum ſeu Lapides renum & veſicæ pellere aqvam ex Stercore humanô deſtillatam, ſcribit Johannes Schrœderus *l. a.* *p. m. 830.* & ſecundum verba Caroli Lancilotti *Gella Gvida alla Chimica Part. 3. cap. 19. p. m. 34.* ſcacca la pietra dalle reni & veſica. Juxta Mich. Ettmüller. *l. a.* aqva ex Stercore deſtillata, Sale volatili oleoſô nonnihil imprægnata, internè ſumpta habet vim *Ad Calculum.*

 diure-

diureticam & ad calculum conducit. vid. Petr. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. 2. cap. 73. fol. m. 310.*

§. 8.

Ad Cancrum. Cancri per Stercus proprium aſſumptum curati exemplum legimus *M. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 48. p. 232.* ubi Laurentius Giſelerus ſeqventem Obſervationem communicat: Memini, inqviens, ante viginti & plures annos in patriâ meâ, qvæ Oſteroda eſt, trans Hercyniam Sylvam Ancillam in Colli dextrâ parte ad humerum & mammam usqve ulceratum Cancrum paſſam, qvæ curata tandem proprii ſtercoris in Cereviſiâ calidâ aſſumtione; Qvod abominabile licet ſit remedium, ratione tamen non caret. Sæpius etiam externè in Cancrô applicatur Stercus humanum ejusqve oleum; ſiqvidem ad Cataplasmata recipi poſſe Stercus humanum, niſi nimis eſſet ſordidum, ſcribit Güntherus Chriſtophorus Schelhammerus *de Tumorib. Corpor. human. Part. 2. §. 40. p. m. 153.* Imprimis laudatur Stercus hominis, qvi lupinos comedit, v. Joh. Gufer. *Medicin-Domeſt. Tab. 3. p. m. 11.* & Joh. Phil. Gieswein *de Mater. medic. p. m. 292.* Oleum ſtercoris humani Cancrum curare & mortificare, ſcribit Johannes Schrœderus *l. a. p. 830.* & ſecundum Carol. Lancilott. *l. a. p. 34.* L'Acqva di Sterco humano guariſce lavando le piaghe maligne & cancheroſe; & l' Oglio ſana li cancri mortificando la loro malignità. vid. etiam Moſ. Charas *Pharmacop. Reg. Lib. 2. Part. 3. cap. 4. p. m. 167.* Arnoldus Weickardus *Theſaur. Pharmacevt. ſeu Tract. pract.* ſeqvens Ungventum, qvod Stercus humanum ingreditur, deſcribit:

℞. Succor. Plantag. Burſ. Paſtor. Nicotian. Solan. Acet. rutac. āā ℥iv. Ol. roſac. ℥ij. Terebinthin. ℥j.
ducantur in mortario plumbeo, add.
Pulv. Lithargyr. ℥ß. Lapid. Hæmatit. ʒij. Antimon. crud. ʒj. Corall. uſtor. & lotii ℈ij. Perlar. ℈j. Camphor. ℈iß. Cancror. fluviatil. ʒj. Stercor. human. uſt. ʒiij. f. l. a. Unguentum.

Se-

Seqvens tanqvam expertiſſimum ex Corbejô commendat Daniel Beckherus *Microſcosm. medic. Lib.1. cap.10. p.m.64.*

℞. Herb. Robert. Verbaſc. Caprifol. Aneth.

Stercor. human. ā p. æ. Comburantur in cinerem, ejusqve Cineris drachmas tres cum liqvoris ſtillatitii Solani Unciis ſex contempera piſtillô in mortariô, ejusqve miſturæ aliqvid Ulceri cancroſo infunde.

Aliis placet ſeqvens Pulvis, qvô Papa Benedictus â Cancrô in Tibiâ liberatus dicitur, ſcilicet

℞. Rad. Thapſ. barbat. Lapath. acut. ā ℥ß.

Stercor. ſiccat. homin. ſan. ℥j. M. ſ. Pulvis cancroſis & fluentibus ulceribus inſpergendus. Cancer antea acetô fortiſſimô calidô abluatur. Item

Pulvis ad Cancrum Mynſingeri.

℞. Auripigment. Virid. Æris, Sal. Gemm.
C. C. ûſt. Teſtar. Ovor. combuſt. ♀. uſt.
Sangvin. Dracon. Gallar. Oſſ. Lepor. uſt.
Stercor. hum. uſt. Calc. viv. Cancror. fluv. uſt.
Herb. Centaur. Linar. ſiccat.
Piper alb. & nigr. Thur. Myrrh.
Maſtich. Frument. ā Miſc. pro Pulvere.

Ad Cancrum exulceratum laudatur Aqva Stercoris humani applicata, vid. Fel. Plater. *Prax. Tom. 2. cap. 17. p. m. 713.* Imprimis autem Oleum in vulneribus & ulceribus cancroſis & cavis fiſtuloſis mammarum, & in ipſô Cancrô exulceratô ſummum dicitur remedium; ſi enim hoc oleum illinitur, ulterior progreſſus præcaveri ſolet juxta Michael. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. m. 789. it. 1101.* Attamen non ſemper felici ſucceſſu tale medicamentum fœtidum in Cancrô applicari teſtatur Pancr. Bruno, ſeqventi Obſervatione: Cancro ſcilicet Mammillæ occultô laborans Matrona qvædam perſvaſione temerariâ cujusdam, harum rerum penitus imperiti, Stercus humanum exterius applicavit, & mammam ad tantam putredinem ſordidam ulceroſam adegit;

git, ut ſeqventi die per illius vim acrem diſrupta in Cancrum exulceratum ſordidiſſimum & lethalem degeneraverit; unde dictus Autor Stercoris facultatem medicamentoſam exceſſivam in ſulphureis, impuris & ſalinis acrioribus ac penè cauſticis particulis conſiſtere concludit.

§. 9.

Ad Capillos. Capillos producere eorumqve proventum promovere dicitur Aqva ex Stercore humanô deſtillata, vid. Joh. Schrœder. *Pharmacop. p. m. 830.* Secundum Carol. Lancilott. *l. a. p. 33.* fà naſcere li capelli; & juxta Dan. Beckher. *Micrcoſm. med. cap. 10. p. 64.* Pili augmentum inde recipiunt, ſi locus hac continuò lavetur.

§. 10.

Ad Cicatrices. Cicatrices manuum removet aqva ſtercoris humani ſtillatitia, v. Joh. Schrœd. *l. a.* Fel. Plater. *Prax. Lib. 3. p. m. 330.* & juxta Carol. Lancilotti *l. a. p. 33.* qveſta acqva leva le cicatrici dalle ferite, & varole freſche, lavandoſi la parte affetta con detta aqva.

§. 11.

Ad Combuſtiones. Ad Combuſtionem ignis vel aqvæ Stercus humanum tepidè ſuperimpoſitum mirè valere ex Brunfelſio & Libaviô refert Johannes Daniel Rulandus *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 11.* Et juxta Mich. Ettmüller. *Vol. I. fol. 1161.* Stercus hoc ob ſingulare in eô latens ſulphur & oleum anodynum & deſtructivum acidarum ſordium non tantum abuſtionibus recentibus medetur, ſed & Inflammationes qvasvis ſiſtit & diſcutit.

§. 12.

Ad Dyſenteriam. A Dyſenteriâ graſſante ruſticus qvidam ſuos præſervaturus, filioli ſui ſexennis feces κάτω rejectas ſtudioſè collegit, easqve in Sole ſiccatas in pulverem redegit, qvô de mane ſeròqve ſingulis domeſticis, inſciis tamen, in juſculô duas Drachmas propinavit. Qvô remediô, expulſis antea humoribus corruptis omnes & plures alios in viciniâ ſervavit. Rogatus hic ruſticus a Chri-

a Chriſtiano Franciſco Paullini, unde hauſerit ſecretum hoc? â ſene qvodam Venatore Weſtphalô, reſpondit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 5. App. p. 36.* item dicti Paullin. *Obſ. med. phyſic. Cent. 2. Obſ. 61. p. m. 224.* Et Pharmacop. *ſtercor. Sect. 2. cap. 8. p. 108.* ubi etiam Chirurgi meminit, qvi eodem medicamentô multos dyſentericos reſtituit. Alii ipſorum dyſentericorum prima excrementa cruenta Sale aſperſa in Clibanô exſiccant, atqve in aqvâ Anſerinæ propinant. Tanqvam arcanum laudatur etiam Sal ex ægroti excrementis extractum. vid. Delic. medico-chirurg. *Vol. I. Præf. 2. p. m. 105.* Qvelqves Italiens Sçavans & curieux geriſſent les dyſſenteries avec le ſel des excrements des Malades, ſcribit Belloſte *dans le Chirurgien d' Hoſpital. Part. 3. cap. 4. p. 248.*

§. 13.

Empyematis curandi ſecretum eſſe Oleum ex Stercore humanô deſtillatum atqve cum Spiritu Vini â fœtore liberatum; imò in Balſamô hoc rectificatô ſolam Empyematis curam eamqve tutam ac certam conſiſtere ſcribit Chriſtianus Langius *Patholog. animat. cap. 30. p. m. 321.* *Ad Empyema.*

§. 14.

Contra Epilepſiam adhibetur interdum Stercus humanum, tam præſervativè, qvàm curativè: Primum enim Infantis excrementum pulveriſatum & ſucceſſivè exhibitum præſervat ab Epilepſiâ, ſecundum Mich. Ettmüller *Oper. Vol. I. fol. m. 215.* Imò hoc medicamentum ad complures dies exhibitum dictum morbum radicitus evellere dicitur. vid. Joh. Schrœder. *Pharmacop. p. 829.* & Joh. Georg. Walther. *Sylv. medic. p. m. 564.* Id qvod exemplô in filiô Nautæ cujusdam Hamburgenſis confirmat Chriſtianus Franciſcus Paullini *Pharmacop. ſtercor. p. m. 31.* Tale ſtercus primum Infantis recens nati Meconium, ab Italis Paganina dicitur. vid. Petr. Poter. *Pharmacop. ſpagyr. Lib. I. Sect. 8. Oper. p. m. 499.* Laudatur etiam Aqva Stercoris humani, v. Dan. Beckher. *l. a.* Joh. Schrœd. *l. a. p. 830.* Et Carol. Lancilottus *l. a. p. 34.* *Ad Epilepſia.*

dicit: L'acqva di Sterco humano pigliata in Luna calante per lo ſpatio di nove giorni, ſana qvelli, che patiſcono il male caduco. Seqvens medicamentum contra Epilepſiam reperimus *in Theſaur. Secretor. curioſ. Part. 3. cap. 9. p. m. 108.* Recipe Iridis adulterinæ Unciam unam, Stercoris humani ad molem Ovi, Stercoris Pavonis Maris ad eam molem; Totum per viginti qvatuor horas in Vini albi generoſi librâ unâ macera obſervando, ne ulli aëri in vas pateat aditus, hacqve ratione ſubtilior pars evaporetur. Per linteum poſtea trajice & liqvorem colatum in vaſe bene clauſô ad uſum ſerva. Æger illius liqvoris qvantitatem ſufficientem ineunte Paroxysmô bibat & qvocunqve fiat modô, donec finitus ſit Paroxysmus, deambulet. Remedium bis vel ter repetat, & ſanus evadet.

§. 15.

Ad Eryſipelas. In Eryſipelate Magnes ſive Stercus humanum calidè applicatur, qvod una nocte omne acidum extrahit & necat, ut vix amplius deinceps redeat. vid. Johann. Baptiſt. Helmont. *Fundament. Medicin. p. m. 74.* Item Stercus hominis emplaſtratum Eryſipelas curare ex Brunfelſio & Libavio refert Joh. David Rulandus *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 11.* Et Oleum Stercoris humani ad Eryſipelas exulceratum valere, dicit Joh. Schrœderus *l. a. p. 830.* vid. etiam Joh. Frid. Helvet. *Diribitor. medic. p. 113.*

§. 16.

Ad faciem. Ad faciei fucum ſeu colorem gratum conciliandum inſervit aqva ex Stercore humanô deſtillata, juxta Danielem Beckherum & Johannem Schrœderum *l. l. a. a.* hinc etiam a Michaële Ettmullero *Vol. I. fol. 1161.* Aqva coſmetica vocatur; & ſecundum verba Caroli Lancilotti *l. a.* la virtù di detta acqva è di colorire le faccie ſmorte.

§. 17.

Ad Febres. Ad Febres omnes, etiam qvartanas Stercus humanum ſiccatum cum Melle & vinô ſumptum commendatur â Joh. Dan.

Rulando

Rulando *l. a. p. 11. & 15.* item â Joh. Schrœdero *l. a. p. 829.* Dan. Beckero *l. a. p. 62.* Qvod exemplô febris tertianæ confirmat Chriſtianus Franciſcus Paullini *Pharmacop. ſtercor. p. 185.* qvi etiam *p. 194.* ruſticum qvendam tres annos cum dimidiô qvartanâ laborantem ab aſſumptô primogeniti ſui filii ſtercore primô, ſeu Meconiô, exſiccatô atqve cum Nuce Moſchatâ permixtô liberatum fuiſſe refert. Ad febres tertianas ipſius ægri ſtercus ſiniſtrâ manu ſublatum comburunt, & in pannô caraceô atrô illigant, & in ſiniſtrô brachiô ante horam acceſſionis ſuſpendunt, juxta Sexti Placiti *Libell. de Medic. ex Animal. cc. 3. b.*

§. 18.

Fiſtulis tam lacrymalibus, qvàm aliis, inſervire dicitur hoc Stercus; & qvidem ſiccatum cum pulvere Caryophyllorum fiſtulæ inditum eam curare dicit Theodorus de Mayerne *Prax. Medic. Syntagm. alter. Tr. 2. cap. 11. p. m. 133.* Pro hoc ſcopô etiam laudatur Aqva ex eodem excrementô deſtillata. vid. Joh. Schrœder. *l. a. p. 830.* Arnold. Weickard. *Theſaur. pharmaceuc. ſeu Tractat. pract. Lib. 4. fol. m. 574.* Et Carolus Lancilotti *l. a. p. 34.* dicit: qveſta acqva ſana le fiſtole, ſe non è offeſo l'oſſo, ſtricandone dentro ſera & mattina con un ſchizetto. Hanc aqvam etiam a qvodam bonô cum effectu fuiſſe exhibitam, teſtatur Chriſtianus Franciſcus Paullini *l. a. p. 257.* Item ad Callum fiſtulæ in Anô Stercus humanum calcinatum & pulveriſatum commendat Theodorus Mayerne *Prax. Med. Lib. 3. cap. 6. p. m. 339.* *Ad Fiſtulas.*

§. 19.

Ad locum Gangrænâ & Sphacelô corruptum applicetur Stercus recens hominis, idqve ubi ſiccatum & induratum fuerit, recens iterum apponatur, uti ex Gabelckoverô dicit Johannes Daniel Rulandus *l. a. p. 16.* vel Stercus humanum calidum cum Urinâ calidâ adhibitum & applicatum per qvatriduum carnem mortuam ſeparare & novam regenerare facit, juxta Theod. Mayerne *l. a. Syntagm. alter. cap. 10. p. m. 123.* Et *Ad Gangrænam.*

Ddddd 2 Mich.

Mich. Ettmüllerus *Vol. I. fol. 789.* ſcribit: Stercus humanum ſphaceloſa loca & membra reſtituit, & ab ulteriore progreſſu conſervat, qvoniam vim obtinet; qvatenus Stercus humanum Spiritum, qvi totus ſal volatile oleoſum eſt, continet.

§. 20.

Ad Guttam roſaceam. Guttam roſaceam per Stercoris humani aqvam deſtillatam ſanari ex Paracelſô & Libaviô refert Joh. Dan. Rulandus *l. a. p. 14.* In Guttæ roſaceæ, Morphææ, aliarumqve faciei macularum curatione valere Rebiſolam, i. e. aqvam ex Stercore humanô aut vaccinô deſtillatam, dicit Conradus Johrenius *Prax. Chymiatr. cap. 11. p. m. 192.*

§. 21.

Ad hydropem. In Hydropicis ſeu aqvâ intercute laborantibus internè ſumpta aqva ex Stercore humanô deſtillata aqvam ducere dicitur. v. Petr. Andr. Matthiol. *Comment. in Dioſcorid. Lib. 2. cap. 73. fol. m. 310.* Schrœder. *l. a. p. 830.* Et tanqvam arcanum contra Hydropem Sal ex Serô è corpore ægrotantis extractum laudatur *Delic. med. chirurg. Vol. 1. Præf. 2. p. m. 105.*

§. 22.

Ad Icterum. Contra Icterum valere Stercus humanum ſiccatum, melle mixtum & in Vinô potum, ex Johanne de Cuba refert Joh. Dan. Rulandus *l. a. p. m. 14.* Et Daniel Beckherus *l. c.* dicit, ſe noviſſe qvendam, qvi ex hujus Balſami fœtidi uſu, ab Icterô, tridui ſpatiô ſe convaluiſſe teſtatus eſt: qvem locum etiam allegat Chriſtianus Franciſcus Paullin. *de Talp. p. m. 159.* atqve ſimul refert, puellam ruſticam Stercore Talpinô cum Spiritu Vini aduſti per aliqvot dies manè ſumptô â flavô Icterô feliciter redemtam eſſe. Item Oleum Stercoris humani ſolvere Icterum, ſcribit Johannes Schrœderus *l. a.* Et juxta Petr. Poter. *Pharmacop. ſpagyr. p. m. 482.* Oleum ſtercoris valet ad complurimos affectûs & præſertim adverſus Icterum, arqvatumqve morbum.

§. 23. Ad

§. 23.

Ad Affectûs ab Incantatione ſanandos vulgò in Medicinis ſtercorariis magna latitare Arcana putantur, inqvit Fridericus Hoffmannus *Annot. in Petr. Poter. Pharmacop. ſpagyr. l. a.* Qvod etiam probant Obſervationes, ſiqvidem contra Incantationem qvidam poſt Stercus proprium in acetô ſumptum, & poſt ſuffimigium ex Hyoſcyamô liberabatur, uti refert Eberhard Gockelius *Tract. German.* von Beſchreyen *p. m. 104.* qvæ fortaſſe eadem eſt Obſervatio, qvam Jacobus Auguſtinus Hünerwolffius *M. N. C. Dec. II. An. 9. Obſ. 105. p. 176.* recenſet: Scilicet puer ruſticus annorum tredecim, ab incunabilis ſanus, derepentè proſternebatur humi, horridè convulſus, & ita ſe â ſpectrô, æthiope palliatô, ad ſe rediens vexari dicebat, qvia ab aviâ obſtetrice in patris, filii & ſpiritûs infernalis nomine baptizatus erat. Proinde juſſit Judex, puerum, ejus parentes & vicinos examinare. Sed puer ſtatim poſt obitum inopinatum aviæ, qvacum antè cubuerat, qvæqve lac propinaverat, ſæpius vidit æthiopem, mortem ipſi minitantem, & qvatuor alias perſonas in veſtibus albis, trucem iſtum retrudentes. Nemo autem ſpectrum vel qvicqvam mali advertit ſcivitqve alius. Hinc Scabini Jenenſes Medici de Morbô expetebant judicium, qvod Hünerwolffius adductus præbuit, ex ſignis & circumſtantiis certus, ex veneficiô eſſe malum. Confirmabatur in hoc, qvia puer muſcum grandem verſicolarem ἄνω excernebat & oppido ab omni cruciatu liberabatur, poſtqvam excrementa alvi propria, ſvaſu peregrini cujusdam viri, in acetô diſſoluta bibiſſet, & fumum ex foliis Hyoſcyami graveolentibus accenſis corpore excepiſſet. &c. In doloribus & abſceſſibus ab Incantatione ortis convenit etiam Oleum Stercoris humani. vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. f. 789.* Ad dolores a veneficiô pro certô qvodam experimentô habetur, ſi excrementa propria calidè parti applicentur, vid. Joh. Michaëlis *Oper. Med. p. m. 692.* Juxta Joh. Schrœder. *l. a. p. 829.* Stercus

Ad Incantationem.

hoc magni uſus eſt ad mitigandos dolores ab Incantatione introductos, impoſitum ſcilicet. Tumori ſub brachiô ſiniſtrô puellæ incantatæ ſtercus proprium cum euphoriâ imponi curavit Matthæus Gottofredus Purmannus, *vid. ejusd. Chirurgiſch. Lorbeer-Crantz Part. 2. cap. 32. p. m. 440. ſq.* v. etiam Jo. Muralt. *Oper. Chirurg. p. m. 847.*

§. 24.

Ad Inflammationes. Inflammationibus qvibuscunqve recrementa humana externè applicata prodeſſe, ſcribit Michaël Etmüllerus *Vol. I. f. 214.* & juxta Friderici Hoffmanni *Annotat. in Petri Poter. Pharmacop. ſpagyr. Lib. I. p. m. 484.* obſervatum eſt, in Inflammationibus & tumoribus tam benignis, qvàm malignis, pro ardore temperandô Cataplaſma ex Stercore humanô vel vaccinô inſignem vim fovere.

§. 25.

Ad Inteſtinum rectum. Ad Inteſtini recti varios affectûs, ſcilicet hæmorrhoides, ficûs & Mariſcas, Stercus patientis dejectum cum Oleo de Vitellis ovorum miſceatur & applicetur, uti ex Theophraſtrô Paracelſô ſvadet Johannes Daniel Rulandus *Pharmacop. ſtercor. p. m. 15.*

§. 26.

Ad Lichenes. Ad Lichenas, Impetigines aliasqve maculas laudatur illitum Oleum ex Stercore humanô deſtillatum, vid. Joh. Schrœd. *l. a. p. 830.* vid. etiam Joh. Frider. Helvet. *Diribitor. med. p. 113.* ubi inqvit: nonnulli hôc oleô medicinam faciunt exulcerato Eryſipelati æqve ac omnibus lichenibus, impetiginibusqve, ſimul atqve iſthæc mala illô inunxeris.

§. 27.

Ad Maciem. Macie extrema laboranti puello trium annorum Mater conſiliô obſtetricis aliqvot in auroris nonnihil Stercoris ſui propinabat, & omni remediô antea incaſſum datô, puſio ſenſim convaluit, poſteaqve obeſus, ſanus & hilaris vixit. vid. Chriſt.

Franc.

Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. 4. Obſ. 51. p. m. 471.* it. *ejusd.* Dreck-Apothecke *p. m. 75.*

§. 28.

Mammarum infantum recens natorum papillis tumidis, rubris atqve lividis mulierculæ & obſtetrices qvotidie infantum proprium ſtercus illinere, aut linteis imponere ſolent, juxta Joh. Gufer. *Medicin. Domeſt. Tab. 3. p. 8.* *Ad Mammas tumidas.*

§. 29.

Ad morſûs & ictûs animalium venenatorum ac rabidorum ſtercori humano internè ſumpto ſingularem virtutem nonnulli Autores adſcribunt. vid. Mich. Etmüll. *Vol. I. fol. m. 788.* Item aqva ex Stercore hôc deſtillata, ſale volatili oleoſô nonnihil imprægnata, curat morſûs canis rabidi, ſi intrinſecus propinetur. Idem ibid. *fol. 789.* Juxta Joh. Frider. Helvet. *Diribitor. med. p. m. 113.* terra hæc magnetica non tantùm omne venenum ex vulneribus, vel ab homine, vel à cane morſis extrahit, ſed ex omnibus etiam membris Sphacelum. Morſibus canis rabidi venenatorumqve animalium ſubvenire aqvam ſtillatitiam Stercoris humani, dicit Joh. Schrœderus *l. a. p. 830.* Refert etiam Zacutus Luſitanus *de Med. Princip. Hiſtor. Lib. I. Obſervat. 58. fol. m. 144. & de Prax. med. admirab. Lib. 3. Obſerv. 93. fol. m. 117.* in Provinciâ occidentali, Sqvilaqve dictâ, prope Civitatem, appellatam Burgos, adeſſe animal qvoddam parvum, Lacertæ inſtar, in agris freqventiſſimum, nomine dictum Gvarit, qvod ictu ſuô, æſtate præſertim, adeò venenoſum eſt, ut illicò poſt morſum dira & terroris plena concitet Symptomata, qvorum ſævitie occumbunt plures, eorum modô, qvi ex præſentaneô venenô perire ſolent. Contra hoc malum omnia Alexipharmaca fruſtra adhibentur, exceptô hôc unicô, ut qvis poſt venenoſum ictum animalis illicò ſtercus vel proprium, vel alienum recenter excretum, adhuc calidum aqvâqve cardiacâ vel communi commixtum ebibat. Hujus animalis meminit etiam *Ad morſus animalium.*

etiam Michael Ettmüllerus *Vol. I. fol. 215. & 789.* illudqve ad ſerpentes refert, cujus morſus certò ſit venenatiſſimus, ut exinde homo ſauciatus niſi intra octo horarum ſpatium ſtercus proprium poſſit imponi, cùm hoc illius veneni ſit alexipharmacum, moriatur; qvod ex Joh. Jacobi Saar Itinerariô recenſet. vid. etiam Caſp. à Reies *Camp. Elyſ. Qvæſt. 7. §. 6. p. m. 101.* ubi ſeqventia annectit: Qvod de venenô aut ictu iſtius animalis & de illius alexipharmacô tradit Zacutus, adeò verum eſt, ut R. P. F. Didacus Valhermoſo, Ordinis Beati Franciſci, qvi multos annos in Inſulis prope Manilam commoratus eſt, ſæpius mihi enarraverit, ſe qvater humanum ſtercus ſumſiſſe, cùm â venenatis feris toties in illis provinciis fuiſſet commorſus, præcipuè ab unâ, qvæ in dictâ Regione vocatur Olopon, ajebatqve prædictum remedium, ad qvamplurima ferarum venena in freqventi uſu eſſe, ſiccatumqve & in pulverem redactum â multis geſtari, nec tantùm recenter excretum ſed ſiccatum etiam celerrimè prodeſſe; ita enim in pyxide ſervatum ſecum portare conſveverat, qvô, â feris ictos & aliqvando jam moribundos, qvi nec os nec dentes aperire poterant, cùm vi apertis infudiſſet, ſtatim expergefactos ac ſalvos fuiſſe; unde credere par eſt, aut qvod illud animal in variis occidentalium partibus varia nomina habeat, aut qvòd tantùm hoc remedium multis aliarum ferarum venenis promptiſſimè adverſetur &c. De homerdâ contra venenatos Mexicani ſerpentis ictûs ad Uncias duas in convenienti liqvore hauſtâ vid. Roſinus Lentilius *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 116. p. 170.* Plura vide paulò infrà de Venenis.

§. 30.

Ad Moſchum. Moſchi odorem deperditum reſtitui poſſe, ſi in locô aliqvô, ubi Urina & excrementa alvina putreſcunt, detineatur, apud Autores legimus. Cui enim juxta Pauli Ammanni *Manuduct. ad Mat. med. Sect. 3. cap. 4. §. 17. p. m. 191.* ignotum eſt illud ſeplaſiariorum, dum Moſchum evanidum novô imprægnant odore

dore, immittendo eundem in Camerinas vel urinam puerorum. Odore ſeu potiùs fœtore Stercoris humani Moſchus, ſi ipſi ob vetuſtatem de odoris ſvavitate multum deceſſerit, in ſacculis ligatus ad latrinas appenſus vi fœtentis antiperiſtaſeos odoris augmentum recipit, qvamvis deinceps odor durabilis ac conſtans non ſit, vid. Dan. Beckher. *Medic. microcoſm. Lib. 1. cap. 10. p. m. 63.* Juxta Fr. Hoffmanni *Annotat. in* Petr. Poter. *Pharmacop. ſpagyric. Lib. 1. p. 483.* attentione dignum curioſumqve eſt, qvòd Moſchus odore ſuô privatus in latrinâ ſi ſuſpendatur, ſvavem ſuum odorem iterum acqvirat. Et ſecundum Joh. Bapt. Portæ *Mag. natur. Lib. 11. cap. 9. p. m. 461.* ut Moſchus odorem exhalatum recipiat, in fœtoribus & latrinis pendulum accommodant: nam dum contra fœtorem eluctatur, ſuas in ſe odoris partes recipit & reviviſcit, & amiſſum odorem recuperat. Item Moſchus, in orientalibus regionibus præparatus, & folliculis ſeu ſacculis, ex animalis, unde deſumitur, pelliculâ factis commiſſus in Cloacâ qvadam ita ſuſpenditur, ut ab Excrementis craſſioribus intactus exhalationes ſaltem loci obſcœni fœtidas recipiat: qvibus effluviis activitatem ſuam, aliqvot dierum intervallô, in Moſchum magis vel minùs exercentibus, odor qvoqve Moſcho qvaſi immerſus eruitur atqve provocatus excitatur vel exultatur, uti ex eruditi cujusdam è Chinâ venientis & præparationem Moſchi ſe non ſemel vidiſſe affirmantis communicatione refert Robertus Boyle *de Utilit. Philoſoph. experiment. Exercit. 10. Sect. 2. § 7. p. m. 579. ſeq.* ubi ita pergit: Idem, qviMoſchum ex orientalibus illis, in qvibus acqviritur, Regionibus, in alias & remotiores ejusdem Indiæ provincias devexit, me ulteriùs inſtantem certiorem fecit, ſe reperiſſe, qvòd Itineris maritimi longitudine Moſchi deficiant vires: qvas tamen ad peritorum qvorundam monita Moſchum veſiculæ foraminibus acu factis freqventibus perforatæ incluſum, aliqvot diebus in locum fœtidum, jamjam deſignatum, exponendo, brevi

ſe reſtituiſſe aſſeruit &c. Hoc confirmat etiam Paulus Jacobus Marperger in **Kauffmanns-Magazin** *p. m. 165.* inqviens: **Wenn des Bieſems Geruch etwas verlohren, ſo kan ihm derſelbe wieder gebracht werden, wenn man ihn 24. Stunden lang in ein heimlich Gemach hänget.** Hanc tamen Moſchi, per ſuſpenſionem in locô fœtoris humani, reſtitutionem ſeu rectificationem non ſatis eſſe chymicam, ſcribit Andreas Libavius *Epiſtol. chymic. Lib. 2. Epiſt. 84. p. m. 509.* Et apud Lucam Schrœckium *in Hiſtor. Moſch. cap. 16. p. m. 91.* â Plateariô & Paulô Suardô monitum reperimus, cavendum eſſe, ne in aſſervatione ſeu reconditione Moſchi aliqvid aromatici addatur, vel ne cum aromaticô ſervetur; qvia aromaticitatem ſuam, ſeu vim & odorem amitteret, ſi cum ſpeciebus aromaticis conſervaretur. Cui addit dictus Schrœckius: Licet aliorum aromatum viciniam & contactum Moſchi odorem auferre, nemo facile conceſſerit, eidem tamen aromaticas alias atomos commiſceri, ſicqve genuinum obtundere qvodammodo, haud eſt negandum, ut ita vel hoc intuitu ſeparatim inſtituta ejus repoſitio attendi utiqve mereatur. Nec ſimpliciter negaverim, cum peregrinô tali odore imbutum Moſchum in Cloacâ odôrem ſuum proprium recuperare vel potiùs denuò purum exhalare, avolantibus nempe in aëre liberiori & ampliori heterogeneis aromatum moleculis, qvæ ſuperficietenus tantùm Moſchi ſubſtantiæ adhæſerant; qvibus idcirco evaneſcentibus altiùs radicatæ moſchatæ atomi nares dein ſolæ iterum ſubeunt, ita tamen, ut Moſchus unà cum aromaticarum cæterarum fugâ propriarum etiam non exiguam jacturam patiatur.

§. 31.

Ad Nævos. Pro delendis Nævis maternis ſeu maculis originalibus à mulierculis commendatur Excrementum illud nigrum, qvod infans recens editus primò per podicem ejicit, ſi Emplaſtri locô imponatur. vid. Arnold. Weickard. *Theſaur. pharmacevt.*

fol. m.

fol. m. 621. Qvod confirmat etiam Johannes Franciſcus Loew *de Morb. Infant. cap. 72. p. m. 450. ſeq.* his verbis: Noſtræ obſtetrices prima excrementa, qvæ ab alvô puerulis fluunt, hanc in rem in linteô aſſervant, ut illis maculas tales illinant, donec ſtercus per ſe ſiccatum decidat; idqve ſæpius reiterant. Item Michael Bernhardus Valentini *Prax. Medicin. infallib. cap. 1. p. m. 7.* Meconium adhuc recens inter Medicamenta domeſtica commendat. vid. etiam Caſpar. Amthor *Noſocom. infantil. cap. 17.* Alii hujusmodi nævos Aqvâ ex ſtercore humanô deſtillatâ ſæpe abluunt, vel lintea eâdem aqvâ madefacta imponunt. vid. Joh. Gufer. *Medicin. domeſt. Tab. 3. p. 9.*

§. 32.

In variis Oculorum affectibus laudatur Stercus humanum ejusqve Aqva deſtillata, v. g. ad Viſum clarificandum, item contra albugines & Ungves oculorum, vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. 215.* & juxta Carolum Lancilottum *l. a. p. 33.* qveſta acqva leva macchie eſterne delle Occhi, facendone deſtillare dentro due. ò trè goccie. Hæc aqva etiam reliqvis paſſionibus Tunicæ conjunctivæ ſeu adnatæ ſæpe obvenientibus medetur, ſi guttula una vel altera inſtilletur. v. Dan. Beckher. *Microcoſm. med. cap. 10. p. m. 64.* Joh. Dan. Ruland. *l. a. p. 12. 17.* Joh. Schrœder. *l. a. p. 830.* Et juxta Joh. Frid. Helvet. *Diribitor. medic. p. 113.* nonnulli aqvâ ſtercoris humani deſtillatâ multa medicantur Oculorum vitia, ejusdemqve ope tollunt multa enaſcentia pterygia atqve argemas ſeu albugines. Pro viſu acuendô nonnulli fel Vulturis & Arietis cum ſtercore humanô in Vinô mixta & bene colata laudant. Ad Suffoſionem incipientem ex Ferdinandi Hiſtoria mirabili laudat Michael Ettmüllerus Collyrium ex hac aqvâ, in qvâ fel muſtelæ piſcis miſtum eſt. Et ſecundum Johannis Jonſton. *Medicin. pract. Lib. 8. p. m. 407.* aqva ſtercoris humani alembicata cum felle muſtelæ & leporis Saccharô candô roſatô & margaritis præparatis prodeſt. Nonnulli volunt, ut *Ad Oculorum affectus.*

pro hoc ſcopô aſſumatur Stercus ejus, qvi tantummodò pane veſcitur, & ſolummodo Vinum bibit.

§. 33.

Ad Odontalgiam. Odontalgia gravi vexato puello ruſtico anicula qvædam Emplaſtrum ex ſolô ipſius pueri ſtercore adhuc calidô, immixtis floribus Chamomillæ, externè ſupra locum affectum imponebat, qvod omnes cruciatûs ociùs abegit, teſte Chriſtianô Franciſcô Paullini *Obſ. med. phyſ. Cent. 4. Obſerv. 52. p. m. 471. & Pharmacop. ſtercor. p. 52.*

§. 34.

Ad Oedema. Oedemati nonnulli Stercus vaccinum calidum imponunt, qvod haud absqve ratione fieri ſtatuit Johannes Munnicks *Chir. Lib. 1. cap. 6. p. m. 31.* cùm ſcilicet reſpectu ſalis volatilis ac nitroſi in eô abundantis potenter poros aperiat, ac tumorem œdematoſum reſolvat ac diſcutiat. Cui tamen ſententiæ, ex eô fundamentô, qvia in ejusmodi animalium excrementis ne veſtigium qvidem alicujus ſalis volatilis & nitroſi inſit, contradicit Johannes Conradus Barchuſen *Pyroſoph. Part. I. Lib. 5. p. m. 362.* Cùm autem in ſtercore humanô præter ſal volatile etiam ſulphur latitet, potiùs locô ſtercoris vaccini humanum applicari poſſet.

§. 35.

Ad Panaritium. Paronychiis â vulgô ſæpe cum optatô ſucceſſu Stercus humanum calidè applicatur, vid. Richard. Lower. Artzney-Büchlein *p. m. 142.* mortificat enim, mitigat dolorem & ſanat, v. Jo. Daniel. Ruland. *l. a. p. 14.* Fabri, qvi Stercore humanô cum Aſſâ fœtidâ ad Panaritium uſus eſt, meminit Chr. Franc. Paullini *Pharmacop. ſtercor. Sect. 6. cap. 5. p. m. 235.* Item Ungventum ex Fuligine, Alliô, Stercore humanô & felinô, Sulphure vivo & Vitrô Venetô cum Melle paratum, ibidem ex Mindererô adducit.

§. 36.

Ad paſſionem hyſtericam. In Paſſione hyſtericâ ſeu ſuffocatione Matricis Stercus ægrotæ

grotæ mulieris in Vinô bibitum ſtatim dolores & matrices ſedare creditur.

§. 37.

In Peſte ſeqvens Alexii Pedemontani Experimentum adducit Johann Daniel Rulandus *l. a. p. 14.* ſcilicet, accipe Stercoris pueri ſicci & pulverati cochlearia duo, Muſci parum, miſce cum Vinô albô, anteqvam horæ ſex elapſæ fuerint, ab eâ horâ, qvâ correptus fuit Peſte. Alii ſordidum hoc medicamentum acetô dilutum ægris propinant; & ſecundum Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. f. 788.* in Peſte curandâ & præſervandâ ſingularium eſt Virium ſtercus humanum ad magnitudinem avellanæ matutinô tempore aſſumptum; qvi Autor etiam *Vol. II. fol. 427.* ex Langii Manuſcriptô ſtercus proprium cum Urina propriâ disſolutum & hauſtum per alvum, per vomitum & ſudorem Peſtem curare dicit. Qvod etiam apud Formium *Obſ. 38. Riverio communic. p. m. 341.* reperimus, ubi refert, maritum qvendam, uxorem & ſororem illius, Peſte correptos, ſtercus proprium cum propriâ urinâ diſſolutum & linteô colatum hauſiſſe, unde graviſſimus Vomitus & alvi fluxus obortus ſit, & omnes â Peſte immunes evaſiſſe. Aqvam ex ſtercore humanô deſtillatam ad Peſtis præſervationem & curationem præſtantiſſimum remedium eſſe atque potenter ſudorem movere, Johannes Agricola ſæpe expertus eſt, uti ex eodem allegat Theophilus Bonetus *Polyalth. Tom. I. Lib. 1. Art. 4. fol. m. 319.* Porrò certô experimentô conſtat, inqvit Joh. Dan. Rulandus *l. a.* ſi tempore peſtis homo manè cloacam olfacit, eô die ſecurus evadet ab omni Lue peſtiferâ, idqve maximè obſervant pauperes, & qvi infectis miniſtrantur. Imò & hoc obſervârunt Milites in Caſtris Svidnicenſibus in Sileſiâ Annô Chriſti 1633. Hæc mihi in memoriam revocant, qvæ de Pilulâ ex eodem excrementô paratâ ori immiſſâ, deqve eodem pharmacô fætente naribus inunctô, qvibus ſe Paſtor qvidam Dresdenſis tempore Peſtis Anno 1680.

Ad Peſtem.

Obſervatio.

 ægro-

ægrotantes ſeu Peſte infectos viſitaturus præmunivit, tunc temporis audivi. De hac vero curâ cum Raymundô Mindererô ſentio, qvi *Tract. de Peſtilent. cap. 15. p. m. 208.* ſcribit, ſe eqvidem legiſſe & audiviſſe, humanum ſtercus ingenitâ qvadam ſibi vi Peſte correptos liberare, veruntamen cùm alia ſemper ad manus fuerint, haud æqve ſordida, ab his ſe abſtinuiſſe, nec ea aliter, qvàm ex qvorundam, (uti forte ſibi videntur) Obſervationibus commendare valere. Interim medicamenti hujus ſordidi uſum externum nemini diſſvaderem, ſiqvidem ſecundum qvosdam Autores in Carbunculis & Bubonibus peſtilentialibus egregium remedium eſſe dicitur proprium ſtercus adhibitum; uti enim compeſcit dolorem, ita corrigit & elicit venenum, ſuppurat & ad maturationem citò perducit; qvod Lipſiæ in Peſte probatum fuiſſe refert Michael. Ettmüllerus *Oper. Vol. I. f. 788. & Vol. II. f. 1161.* vid. etiam Joh. Schrœd. *Pharmacop. p. m. 829.* Herm. Grube *de Simplic. medicam. Sect. I. Art. 2. p. 9.*

§. 38.

Ad Philtra. Contra Philtra tam internè, qvam externè adhiberi ſolet amatæ puellæ ſtercus, ab exſiccatô enim atqve in pulmentô perſonæ philtratæ exhibitô amorem in maximam Antipathiam mutatam annotavit Eberhardus Gockelius *Tract.* vom Beſchreyen *cap. 5. p. 112.* ubi etiam Capitanei cujusdam meminit, qvi, poſtqvam amaſiæ ſtercus novis Calceis impoſuerat, poſteaqve iisdem indutus per integram horam ſpatiatus fuerat, ab illius amore iterum liberabatur.

§. 39.

Ad Pleuritidem. Contra Pleuritidem potentiſſimum eſſe arcanum oleum rubrum, qvod per deſtillationem ex ſtercoribus humanis elicitur, tam exteriùs applicatum, qvàm interiùs ad guttas ſex vel octo aſſumptum, dicit Chriſtianus Langius *Patholog. animat. cap. 30. p. m. 321.* vid. etiam Chr. Franc. Paullin. *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 80.*

§. 40. Po-

§. 40.

Podagricis doloribus ſubvenit Stercus humanum parti dolenti recens impoſitum,& qvidem propter vim oleoſam anodynam, Salium acidorum correctivam, in ejus ſulphure oleoſô fundatam, juxta Mich. Ettmüller. *Vol. I. f. 789.* Qvidam podagricus intenſiſſimos dolores ex votô ſibi demulcebat ſtercore puerorum recente, calidè circumpoſitô. vid. Chriſtian. Franc. Paullin. *Obſ. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 61. p. 225.* Item oleum ſtercoris humani pro hoc ſcopô adhiberi ſolet, qvia mollit & tollit dolores Arthriditis volantis Podagræqve. vid. Joh. Frid. Helvet. *Diribitor. medic. p. m. 113.* Vel juxta Carol. Lancilott. *l. a. p. 34.* l' oglio di ſterco humano è mirabile remedio per mitigare li ardenti dolori della Podagra; Et Moſes Charas *Pharmacop. reg. Lib. 2. Part. 3. cap. 4. p. m. 167.* ſcribit: Oleum oleti humani diſtillatum podagricos dolores demulcere aſſeritur, partibus affectis id admovendo. *Ad Podogram.*

§. 41.

Pro Pulvere naſali ſeu ſternutatoriô Boutanenſes, ſeu Incolas Regni Boutan in Indiâ, Regis ſui merdâ, ſummô ſtudiô collectâ, exſiccatâ & pulveriſatâ, uti ſolere, refert Johannes Baptiſta Tavernier. *Itinerar. Indic. Lib. 3. cap. 15. fol. m. 176.* *Pro Pulvere naſali.*

§. 42.

Pulverem ſeqventem ſympatheticum plurimos morbos curantem communicat Johannes Philippus ab Hertodt *Medic. euporiſt. cap. 12. p. 139.* Recipe Mumiæ humanæ ſanæ, nullâ Urinâ madefactæ, exſiccetur verſus orientem in locô perflatô, ne â ſole tangatur, qvæ pulveriſetur. Recipe partem unam, & Cremoris Tartari tantundem, addendo Pulveris ſympathetici ex Vitriolô, ritè diebus canicularibus parati, ad pondus omnium, vel ſaltem Vitrioli Hungarici ſub fornace calidâ ad albedinem calcinati; miſceantur hæc ſimul, & erit pulvis ſympatheticus præparatus. De qvô aliqvid ſumptum aſpergatur fæcibus ægri, *Pro Pulvere ſympathetico.*

vel

vel telæ mundæ in ægri urinâ intinctæ, & hæc in locô temperatô conſerventur, & æger ſanatur, experimentô factô in pluribus ægris &c. Effectivè curat omnia vulnera, ulcera, febres petechiales, & urinæ ſabulum, periculoſiſſimas hæmorrhagias puerperarum, arthritidem qvamcunqve, podagram & illam vagam dictam, pulmonis apoſtemata, hæmorrhoides nimias, narium fluxûs immodicos, capitis dolores, catarrhos, fluxus albos Mulierum, menſtrua copioſa, morſûs canis rabidi vel alterius cujuscunqvè animalis, item mammas ulceratas &c.

§. 43.

Ad Sabiem. In omni Scabie nonnullis arcanum eſt aqva ex ſtercore humanô deſtillata, ſi locus affectus eâdem lavetur. vid. Joh. Dan. Ruland. *Pharmacop. ſtercor. p. m. 18.* & ſecundum Moſ. Charas *l. a.* Oleum ſtercoris humani igne per gradûs adhibitô diſtillatum ſpeciatim commendatur ad Herpetem, exulceratorum achorum ac cujusvis ſcabiei curationem.

§. 44.

Ad Tabacum. Paulò ſupra de Moſchi odoris perditi reſtitutione egimus, ſimile fatum ſeu emendationem experitur etiam Tabacum, de qvô ita ſcribit Simon Pauli *de Abuſ. Tabac. & Herb. Thee p. m. 7. b.* ſcilicet, creditu difficile eſt, ut, qvicqvid funis in modum contortum, nomine Tabaci ex Americâ adfertur, omne illud ex meris aut non vitioſis, ſed ſolum ſelectiſſimis Tabaci foliis conſtet; qvippe vel vulgo notum, Tabaci bonitatis notas, ſive Colorem, ſive Odorem, ſive Saporem, ſive deniqve pretium & pondus ſpectes, oppidò variare apud nos Europæos; qvi condocefacti ſunt (ſed honos præfandus eſt) ex paxillo aliqvandiu ſuſpendere in Cloacis Tabacum, ut beneficio Salis valdè volatilis urinæ & ludi aut ſtercoris humani, corruptum, inſipidum & leve, acrius & ponderoſius ignaris hujus peſſimi doli venundetur, und da ſchmeckt denn ein Trunck auff, wenn er ſo fein bereitet iſt, und ſcharff nachſchmecket, qvi proſit bibentibus &c.

§. 45. Ti-

§. 45.

Tineam Capitis Oleô è ſtercore humanô deſtillatô propulſari ſcribit Johannes Fridericus Helvetius *Diribitor. med. p. m. 113. vid. etiam Joh. Schrœder. l. a. p. 830.* *Ad Tineam.*

§. 46.

Pro Tumoribus qvibuscunqve emolliendis, ſuppurandis æqve ac maturandis etiam doloroſiſſimis, item pro ardore temperandô, nil melius Cataplasmate ex Stercore humanô, vel ipſô ſtercore calidè ſuperimpoſitô; idqve in tumoribus tam benignis, qvàm malignis, inqvit Michael Ettmüllerus *Vol. I. fol. m. 788.* qvod etiam confirmat Fridericus Hoffmannus *Annot. in Petr. Poter. Pharmacop. ſpagyr. Lib. I. p. m. 482.* in tumoribus, inqviens, tam benignis; qvàm malignis, inqve Anthracibus & Bubonibus peſtilentibus pro ardore temperandô Cataplasma ex Stercore humanô vim habet inſignem; item *p. 499.* tritum eſt, inqvit, ſtercus humanum tumoribus admotum eos emollire & ad ſuppurationem perducere, unde in tumoribus peſtis ſummoperè celebratur; Juxta Carol. Lancilott. *l. a. p. 32.* Il Sterco humano mirabilmente matura li Antraci & altri tumori, ſi peſtilentiali, come altri difficoltoſi alla maturatione. Prolixiùs de hujus excrementi, ratione tumorum, uſu agit Johannes Fridericus Helvetius *l. a. p. 112.* uti jam ſupra de Apoſtematibus adduximus. *Ad Tumores.*

§. 47.

Contra varia venena excrementum alvinum aſſumi ſvadetur & à Georgiô Thomſonô *Acûs magnet. p. m. 153.* Stercus humanum Antidotum adæqvatum pro mortificatione Ideæ terribilis cujusdam veneni habetur. Si aſſumatur Napellus, qvi in ſuô locô eſt venenatus, homo intra qvatuor horas moriturus nullô aliô remediô curari poteſt, qvàm ſtercore humanô, qvod vel recens, vel aridum in liqvore aſſumi debet, vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. fol. m. 788.* Cui conſentit Fridericus Hoff- *Contra Venena.*

mannus *Clav. Schrœder. p. m. 664.* Napelli, inqviens, Antidotum eſt Stercus ſiccatum & pulveriſatum adhibitum. Si qvis Napellum ſumſerit ad granum unum, morietur intra qvatuor horas, & nullô aliô remediô juvabitur, qvàm ſtercore humanô, qvod recens vel aridum bibendum datur. De Aconitô ita ſcribit Johannes Daniel Rulandus *Pharmacop. ſtercor. p. 15.* Perhibent Barbariæ venatores, Pantheras carnibus, Aconiti veneno delibutis (qvod ob id Pardalianchen vocant) ineſcari: qvibus deguſtatis, niſi hominis ſtercus ederint, repentè ſtrangulantur & moriuntur. Qvod absqve dubio dictus Autor ex veteribus deſumſit Autoribus. Inqvit enim Plinius *Nat. Hiſtor. Lib. 8. cap. 27. fol. m. 136.* Pantheras perfricatâ carne Aconito barbari venantur; at fera contrà excrementis hominis ſibi medetur, & aliàs tam avida eorum, ut à paſtoribus ex induſtriâ in aliqvô vaſe ſuſpenſa altiùs, qvam ut qveat ſaltu attingere, jaculando ſe appetendoqve deficiat, & poſtremò exſpiret. Item Claudius Ælianus *de Animalib. Lib. 4. cap. 49. fol. m. 88* inqvit: Panthera ſi imprudens herbam venenatam, qvam Pardalianchum (Aconitum) vocant, deguſtârit, remedium ſibi hominis excrementum qværit. Ex vulneribus Stercus humanum omne venenum extrahere ſcribit Joh. Frid. Helvetius *l. a.* Indi, præſertim in Inſulâ Macaſſar venenatis contra hoſtes utuntur telis, uti Belgæ aliqvot abhinc annis magnâ ſuorum ſtrage experti ſunt. Cute enim venenatô telô leviter ſaltem tactâ nullô modô virus illud extingvi potuit, morte repentinâ ſubſecutâ. Licet etiam membrum telô ſaucium eopſe momentô abſciſſum ſeu amputatum fuerit (uti ab Hollandis aliqvoties factùm) mors tamen minimè declinari potuit, niſi ſolô Stercore humanô recenter ejectô & adhuc fumante comeſtô, qvod ſaluberrimum vomitum excitans vim veneni repulit. Hoc remediô poſtea Hollandi crebrius uſi ſunt, nec unqvam ſine ſucceſſu, uti ex communicatione Amici ſui, Lorbeeri, communicat Chriſtianus

Fran-

Franciſcus Paullini *Obſerv. med. phyſ. Cent. 2. Obſ. 61. p. m. 224. ſq.* Sic â Corneliô Spielmann, Præ-Illuſtri & bellicoſô Duce Generali Belgarum in Indiâ orientali, & ab Andreâ Cleyerô contra venenum deleterium telorum, eôdem infectorum, optimum habetur remedium Excrementum hominis alvinum *vid. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 45. p. 127.* Contra Sagittas Armenas, pariter venenatas, potum ſtercoris humani Theriacam fuiſſe, ex Avicenna refert Hieronymus Mercurialis *de Excrement. Lib. 2. cap. 9. p. m. 166.* (de tali telorum Intoxicatione videri poteſt Johann. Lang. *Epiſtol. medicinal. Lib. I. Ep. 68. p. m. 356. ſeqq.* Chriſtian. Franc. Paullin. *Pharmacop. ſtercor. p. m. 202. ſeq.* Michael. Frider. Lochner. *Deſcript. Mungos. v. Ephemerid. Acad. Nat. Curioſ. Cent. III. & IV. Append. p. m. 81.*) Porrò in Inſula Celebes arbor creſcit noxia adeoqve venenoſa, ut ſi qvis minimâ ejusdem parte lædatur, ſtatim ipſi ſit moriendum. Contra qvod venenum nullum certius magiſqve probatum eſt remedium, qvàm ipſius hominis læſi ſtercus aſſumptum, vid. Joh. van der Behr Oſt-Indiſche Reiſe *p. m. 82.* Idem refert etiam Joh. Jacob. Saar Oſt-Indianiſche Kriegs-Dienſte *cap. 3. fol. m. 46. ſeq.*

§. 48.

Contra verrucas uteri recipe patientis dejectum ſtercus, miſce cum oleô de vitellis ovorum, premat patiens, ut exeant verrucæ, iisqve tunc medicina hæc ſuperponatur, vid. Joh. Dolæi *Encyclop. chirurg. Lib. 4. cap. 4. p. m. 925.* *Ad Verrucas.*

§. 49.

Ulceribus cuniculoſis, exedentibus, ſinuoſis & contumacibus mirificè opem præſtat Aqva Stercoris humani deſtillata, juxta Petr. Andr. Matthiol. *Commentar. in Dioſcorid. Lib. 2. cap. 73. fol. m. 310.* Fimum pueri virginis combuſtum Ulceribus cancroſis & inſanabilibus magno remedio eſſe, ex aliis Autoribus docet Marcus Aurelius Severinus *Chirurg. trimembr. p. m. 198.* Stercus humanum ad ignem ſiccatum, miſtum cum pul- *Ad Ulcera.*

 vere

vere Caryophyllorum Ulceribus inſperſum eadem curat, juxta Theod. de Mayerne *Prax. Syntagm. alter. Tr. 2. cap. 2. p. m. 133.* Hominis ſtercus combuſtum & in Ulcera cancroſa & inſanabilia ſpargunt, eô pro mirificô remediô utuntur; qvod appellatum eſt Botrix, inqvit Sextus Placitus Papyrienſis *de medicam. ex animalib. cc. 3.*

§. 50.

Ad Vulnera. Vulneribus Balneator qvidam Stercus humanum recens indebat atqve ita tumorem impediebat, v. Chr. Franc. Paullin. *Pharmacop. ſtercor. p. m. 229.* Il Sterco humano leva le inflammationi delle ferite, inqvit Carolus Lancilottus *nella Gvida alla Chimica Part. 3. cap. 18. p. m. 32.* vid. etiam Joh. Dan. Ruland. *l. a. p. 7.* Et juxta Dioſcorid. *Lib. 2. fol. m. 309.* vulnera ab inflammatione vindicat & intumeſcere non patitur, ſed ea ſtatim conglutinat ſtercus humanum illitum. Porro laudatur etiam ad extrahendum ferrum & lignum in vulneribus relictum, vid. Joh. Dan. Rulandus, *l. a. p. 8.* Item l' Acqvadi Sterco humano leva le inflammationi delle ferite, v. Lancilott. *l. a.*

§. 51.

Stercoris ſelectus, & eſus. Circa hactenus commemorati Medicamenti fœtidi, Stercoris ſcilicet humani, uſum, adhuc monendum venit, â qvibusdam in eligendô ſtercore ſimul diverſitatem ſexûs obſervari, cùm qvilibet ſexus peculiarem ſuam obtineat proprietatem & Idioſyncraſiam, ut hac ratione â maſculinis corporibus deſumpta ob ſexûs communis convenientiam naturæ virorum magis accepta & proficua eſſe qveat, qvàm ſi ſecus fieret, & contra. vid. Chriſt. Lang. *Oper. med. cap. 30. pag. m. 327.*

§. 52.

Scybalophagia. Vix tamen hoc Medicamentum ſordidum, ſit ſive ſelectum, ſive non, facilè cuidam ægrotanti, ſive etiam ſano, niſi in ſummâ neceſſitate & defectu omnium aliorum medicaminum, aut fortaſſe Picâ aut Maniâ laboranti, ſalivam movebit,

aut

aut appetitum, pro uſu præprimis internô, excitabit. Hinc gravidæ illius, apud Vitum Riedlinum *Linear. medic. An. 1697. Menſ. Novembr. Obſ. 23. p. m. 800.* appetitui depravato vel corruptæ Phantaſiæ condonandum ſeu tribuendum, qvod illa domum præteriens, ex qvâ fæces Corporis humani in nimiâ qvantitate collectæ portabantur, inqve vaſe in hunc finem eò poſitô colligebantur, ut collectæ poſtmodum extra urbem veherentur, tantô deſideriô has ipſas fæces ingurgitandi correpta fuit, ut inde ſtatim properaverit, aliqvot fruſta panis adhunc uſum accomodata petierit, & ad dictum locum rediens eadem minùs grato Embammati huic intinxerit, panemqve ſic probè tinctum tam avidè devoraverit, ut adſtantes ſat mirari non potuerint. Qvin ipſa hæc fœmina poſtea ſanctè affirmavit, nullum cibum in totâ ſuâ vitâ Palato magis ſatisfeciſſe, nil qvoqve prorſus damni inde ſubſecutum fuiſſe. Ejusmodi exempla Scybalophagiæ jam ſupra, Capite ſecundo de Pica §. 63. recenſuimus. Qvibus adhuc addi poteſt, qvod refert Johánnes Baptiſta van Helmont *Tract. Sextuplex Digeſtio Alimenti humani §. 36. fol. m. 132.* Nimirum Moniales alebant ſat ſobriè puellas nobiles commenſales, concionabantur autem jugiter, qvòd, qvi lautè comederent, cum divite epulone partes haberent: ſalvarentur autem ſoli, qvi per omnimodam mortificationis abjectionem comederent viliſſima qvæqve. Nobilis ergo virguncula, ſalutis ſuæ avida, præfatâ perſvaſione commota, proprium ſtercus edit, & infirmabatur. A parentibus autem domum revocata eſt, ac tandem caſum narravit. Petitum fuit ab illâ, cujus ſaporis eſſet, ac reſpondit, eſſe fœtidi, & aqvoſè dulcis. Item Pictor Bruxellenſis, per intervalla furioſus, ſub furoris initiô aufugit in nemus vicinum, ibiqve longè â conſpectu hominum repertus eſt viginti tres dies propriô ſtercore vixiſſe. Mox domum relatus perfectè memor erat omnium ſub furore præteritorum. Interrogatus ab Helmontiô, an reminiſceretur,

cujus ſaporis eſſet ſtercus? ait, ſapit ut olet; ac dein per guſtûs capitales ab ipſô examinatus reſpondit, non eſſe acidum, non amarum, acre, ſalſum, ſed aqvoſè dulce. Imò dixit, qvòd qvò ſæpius recomediſſet, eò ſemper dulcius fuiſſet &c. Excrementa ſua vorabat puella ſeptem circiter annorum, plane fatua, qvæ tamen ſponte excretô lumbricô latô ad mentem & ſanitatem rediit, referente Johanne Jacobô Wepfferô *M. N. C. Dec. III. An. 2. Obſ. 135. Schol. p. 199.* Juvenis qvadrati Corporis, morionem agens & monſtrum hominis, primis ætatis annis nihil magis in deliciis habuit, qvàm ſordium ex eqvorum ſtrigillatione oriundarum & cœni humani eſum & uſum, teſte Ehrenfridô Hagendorniô *Obſerv. & Hiſt. phyſ. med. Cent. 3. Hiſt. 95. p. m. 410.* De Vallium Rhæticarum incolis ſcribit Daniel Eremita *Deſcript. Helvet. Oper. p. m. 402.* nullô eos cibô humanô, qvosdam ſtercore & excrementis, alios fœnô, paſci &c. vid. etiam Jacob. Tollii *Epiſtol. itinerar. 6. Annotat. p. m. 247.* De Juvene obſeſſô, qvi ſordibus atqve excrementis veſci volupe habuit. vid. Tob. Pfanner. *Diatrib. de Chariſmat. ſeu Miracul. antiqv. Eccleſ. cap. 2. p. m. 81.* De Energumenô, qvi, ſi panes deerant, ſua ipſe excrementa comedebat, & lotium bibebat, v. Joh. Chriſtian Frommann. *de Faſcinat. Lib. 3. Part. 4. Sect. 1. cap. 9. p. 613.* Indorum nonnullos, incolas ſcilicet Regni Bontan Homerdâ ſeu excrementis alvinis Regis ſui ſiccatis & pulveriſatis cibos amicis & convivis ſuis appoſitos condire, refert Johannes Baptiſta Tavernier *Itinerar. Indic. Lib. 3. cap. 15. fol. m. 176.*

§. 53.

An Ezechias Stercus comederit? Deniqve Mandatô divinô Propheta Ezechiel *cap. 4. verſ. 12.* placentam hordeaceam cum ſtercore humanô paraſſe atqve comediſſe primô intuitu videtur, juxta Verſionem Lutheri: Gerſten-Kuchen ſolt du eſſen, die du für ihren Augen mit Menſchen-Miſt backen ſolt. Aliter tamen B. Lutherus eundem locum his

ver-

verbis explicat: Er hat müſſen Kuchen bey ſolchem Miſt backen, wie man mit Raſen und Küh-Miſt kochet. Es reucht aber die Speiſe nach dem Feuer. Alſo ſolten ſie auch in ſolche Noth und Hunger kommen, daß ſie kein recht Brod noch Feuer haben ſolten. Juxta Junium & Tremellium allegata verba ſic ſonant: Comedes cibum ut placentam hordeaceam, & ad orbes excrementi humani parabis placentam iſtam in Oculis illorum. Juxta Sebaſtianum Schmidium: Sicut placentam hordeorum comedes eum: qvod ad ipſum tamen, cum ſtercore fimi hominis facies in oculis eorum. Bene etiam hunc locum explicat Textus Gallicus meæ editionis: tu mangeras de fouaces d'orge; & les cuiras avec la fiente, qvi ſort hors de l'homme, eux le voyans. Et juxta Verſionem Belgicam Statuum: Ghy ſult een Gerſten-Kœck eten, enn die ſult ghy met Dreck von 's Menſchen afganck backen. Ubi Commentatores addunt ad vocabulum dreck: het welcke heu in plaetſe van hout ſoude mœten Wœſen, on darmede hare Spyſe de Koocken, ofte oock hare Koocken te backen op eenen heert met Menſchen-Dreck heet gemaeckt &c. Refert etiam Waltherus Schulzius Oſt-Indianiſche Reiſe *Lib. 3. cap. 10. f. m. 188. ſeq.* certam Indorum ſectam Gioghi dictam nullum aſſumere cibum, niſi fimô vaccinô coctum; capillos & faciem Crocô & Stercore vaccinô inungunt, nemo etiam in hanc ſocietatem admittitur, niſi antea per longum temporis ſpatium Corpus ſuum hoc Stercore nutriverit &c.

De
Stercoris humani Uſu Magicô ſeu Sympatheticô.

§. 54.

REſtant adhuc qvædam de Curis magicis ſeu ſympatheticis vulgò dictis, qvæ multis empyricis, qvandoqve etiam nonnullis Medicis familiares eſſe ſolent. e. g. Pro alvô laxan- *Curæ Stercoris ſympathicæ.* *pro Alvo laxando.*

xan-

xandâ, etiam contra alterius voluntatem & interdum ad commaculandum lectum, mirum & expertisſimum ſimulqve notisſimum dicitur remedium, ſi hominis demortui os brachii vel tibiæ vacuum fimô vel ſtercore illius, cujus alvum movere vel purgare inſtituiſti, impleatur, cerâ vel aliô modô fortiter obturetur, funiqve alligatum in aqvam fluidam projiciatur, & qvamdiu illic fuerit, venter ejus, cujus erat ſtercus, ſolvitur, hôc verò remotô, ſedes ceſſabunt. vid. Joh. Dan. Ruland. *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 8.* Dicit etiam Johannes de Muralto *Colleg. anatom. Lect. 3. p. m. 60.* Si ſtercus hominis calidum Oſſi humano inditum aqvæ ebullienti immittatur, tunc toties ille, cujus ſtercus Oſſi eſt incluſum, alvum deponere ſtimulatur, qvoties aqva ebullit; Et Michael Ettmüllerus *Oper. Vol. I. fol. m. 1080.* triplici modô per Sympathiam, mediante Stercore propriô nos purgari poſſe ſcribit, nempe 1) qvod optimum eſt, proprium ſtercus calidum miſcent cum Cereviſiæ fermentantis fæce, & etiam flore Vini, itidem fermentante adhuc; hinc ſeponunt miſturam hanc in locum calidum & dicunt: qvamdiu hujus miſturæ fermentatio durat, tamdiu & blandâ Diarrhœâ homo, cujus ſtercus fermentatum, afficitur. 2) Recipitur Os hominis mortui ejusqve orificium repletur ſtercore humanô calidô, & Os ita repletum immittitur aqvæ calidæ, ſic dicunt, qvamdiu iſta aqva calida, tamdiu homo is Diarrhœâ corripitur. 3) Stercus alicujus calidum linteo inditum ſuſpendunt in flumine; in qvô qvamdiu illud manet, tamdiu ille homo ſtragula conſpurcat.

§. 55.

Contra Colicam. Contra Calicam tam pituitoſam & bilioſam, qvàm nephriticam ſeqvens pro Curâ ſympatheticâ commendat Lazarus Neyſſonier in Tractatu Gallicô, de la Poudre de Sympathie, his verbis: Pour la Coliqve ce ſera icy la recette d'un vilain remede, mais pourtant ſympathiqve en ceux, qvi ſont tourmentez de la Coliqve, car ſ'ils mettent ſous la ſelle percée bien fermée

de la

de la fiente de Vache fraichement recueillie, & qv'il piſſent & dechargent les excrements de leurs ventre deſſus, par Sympathie ſans difficulté ils auront du ſoulagement. v. Kenelm. Digb. *de Immortal. Anim. App. p. m. 223.* Curationem magneticam per Transplantationem hanc nonnullos magni facere, ſcribit Guernerus Rolfincius *Epit. method. cognoſ. affect. Lib. III. cap. 13. p. 267.* Excrementa tempore Paroxyſmi reddita ſepeliantur in locum â viatorum freqventiâ ſeparatum. Gramen, qvod enaſcitur ſuper terram, cui Stercora commiſſa fuerunt, bovi vel agno pabuli locô offertur, qvod ubi comederit, Colica transplantatur ab homine in brutum, & nunqvam ipſum reaffliget. Sunt qvi illud idem exceptum in aëre exſiccant, cum vinô edulcorant, & patienti propinant.

§. 56.

Contra Dyſenteriam pro Curâ ſympatheticâ Dyſentericorum excrementa in Colcothar ſeu Caput mortuum ſpiritûs Vitrioli depoſita juvare dicuntur, hocqve Andreæ Cnœufelii Arcanum fuit, juxta Johannis Michaëlis *Prax. clinic. Part. 1. cap. 4. Oper. p. m. 153.* vid. etiam Mich. Berh. Valentin. *Medicin. Nov-antiqv. Part. 5. cap. 3. p. m. 171.* Conrad. Horlacher. Schatz-Kammer *D. Michael.* Artzneyen *cap. 1. p. m. 9.* Joh. Chriſtian. Frommann. *de Faſcinat. p. m. 1012.* Joh. Nic. Martius *de Magiâ natural. cap. 4. §. 5. p. 59.* Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. I. f. m. 421.* ubi dicit: Dyſenterici ejiciunt excrementa ſua in caput mortuum Vitrioli, & hôc mox ſiſtitur Dyſenteria; & *f. 216.* inqvit: Si emittatur ſtercus ſuper caput mortuum Vitrioli, contumax Inteſtinorum fit contractio, Dyſentericorum verò & omnia ſangvinolenta & purulenta Corporis excreta ſuper Vitriolum rejecta hinc curantur. Juxta Joh. Dolæi *Encyclopæd. med. Lib. 3. cap. 5. p. m. 434.* ipſis Dyſentericorum fæcibus inſpergi poteſt Pulvis ſympatheticus Digbæi; vel alvum expediat æger ſuper Caput mortuum Martis Vitrioli, qvod in perſanandâ Dyſente- *In Dyſenteriâ.*

 riâ

riâ magneticam eamqve admirabilem vim habere & eſſe Experimentum Johannis Michaelis creditur: Item Johannes Muraltus Pulverem Sympatheticum Domini de Digbi tanqvam utile atqve mirabile opus in Dyſenteriâ deprædicat, ſi excrementis adhuc calidis bis vel ter inſpergatur, eaqve loco temperato & apricoſo per tempus exponantur. Item ſi hic pulvis prunis injiciatur; fumusqve podice excipiatur. Vel Dyſentericus poſt dejectionem ſemper ſuffimigium ex Terebinthina & Pice navali, vel in hujus defectu, ex ſtercore ſuillô exſiccatô, prunis injectô, podice excipiat. vid. Joh. Muralt. *Hippocrat. Helvet. p. m. 180.* Alii Excrementis ſolum Vitriolum pulveriſatum inſpergere vel immiſcere ſolent. Et juxta Friderici Hoffmann. *Method. medend. Lib. 1. cap. 19. p. m. 332.* prima excrementa ſangvine tincta, ſi ſalis manipulô miſceantur, magneticâ vi curant; qvidam Caput mortuum Vitrioli, alii angvillarum cutem pulveriſatam addunt. Sicuti autem hactenus recenſita cura ſympathetica pro curandâ ſeu tollendâ Dyſenteriâ commendantur; ita econtra notum eſt, qvod ſiqvis in latrinas dyſentericorum ſua, dum iſta adhuc calent, exoneraverit excrementa, ab effluviis adhuc calentibus ſimili paulò poſt morbô inficiatur. vid. Mich. Ettmüller. *Oper. Vol. 1. f. 216.*

§. 57.

In Epilepſia. Hominis epilepticum inſultum primum patientis, ſive junior ſit, ſive ſenior, indumenta omnia & veſtes, induſium, calcei, tibialia, & ſimilia ſub diô comburantur, & in cinerem redigantur: Cinis verò in aqvam fluvialem ſecundum flumen projiciatur. Si autem jam ante homo Epilepſiâ laboravit, ad alvi excrementa in ipſô paroxyſmô reddita attendatur: qvæ ſi adſunt, res commaculata cum ipſis excrementis modô jam dictô comburatur. vid. Joh. Chriſt. Frommann. *de Faſcinat. magic. p. m. 1013.*

§. 58.

§. 58.

Radicem Symphyti Oletô propriô delibutam & in terram defoſſam, tum pluribus aliis, tum in Illuſtri puellô hernioſô ex aſſe profuiſſe, teſtatur Roſinus Lentilius, *vid. M. N. C. Dec. III. An. 5. & 6. Append. p. 115.* *Ad Herniam.*

§. 59.

Contra Hæmorrhagias, ſive in læſionibus & vulneribus, ut ſangvis ſiſtatur, miſce ſangvinem ex vulnere profluentem cum propriô ſtercore, & in ollâ ad deſiccandum aëri libero expone. vid. Joſeph. de Tertiis *Tract. de Curioſitat. phyſic. p. m. 35.* *contra Hæmorrhagiam.*

§. 60.

Pro Icteri curâ magicâ Stercus vel per ſe, vel cum Urinâ mixtum Veſicæ ſuillæ indunt atqve in Caminô ſuſpendunt. Chriſtianus Franciſcus Paullini cujusdam meminit, qvi filii ſui icterici ſtercus cum Urinâ aſini commixtum hoc modô tractavit, & qvidem cum euphoriâ. *vid. ejusdem Pharmacop. ſtercorar. p. m. 132. it. de Aſino Sect. 4. cap. 3. p. m. 247.* *contra Icterum.*

§. 61.

Ab Incantatione introductis doloribus externè impoſitum Sulphur hoc occidentale magni uſûs eſſe dicitur. vid. Johann. Schrœder. *Pharmacop. p. m. 829.* Alii addunt allium, atqve elapſis poſt impoſitionem viginti qvatuor horis fumo culinari hæc committunt. vid. Frid. Hoffmann. *Clav. Schrœd. p. m. 664.* Contra ejusmodi dolores a veneficiô aliis placent Cataplasmata ex ſtercore maleficiati in veſicam porcinam injectô & in caminum ad ſuffumigandum ſuſpenſô. vid. Auguſtin. Thoner. *Obſ. med. Lib. 4. p. m. 224.* qvod Exemplô probat Johannes Agricola *Chirurg. parv. p. 646.* v. Georg. Abrah. Mercklin. *Syllog. de Incantat. Caſ. 3. p. m. 35.* Qvi etiam *p. 206.* ex Bartholomæô Carricherô dicit: Siqvis magicam illationem ſeu ſpasmoticam affectionem ullâ aliqvâ in parte corporis percipiat, proprium ſtercus ſuum & allium rubrum in uſum vocet, utrumqve invicem commiſceat, *contra Incantationem.*

miſceat, ferrô tamen neutiqvam tangat & affecto membro applicet: qvô ægrotus ſtatim meliùs habebit. vid. etiam Joh. Muralt. *Colleg. anatom. Lect. 12. p.m. 209.* Secundum verba Michaelis Ettmülleri *Vol. I. fol. 214. & 789.* in Veneficiô arcendô notum eſt, qvòd ſtercus humanum ſit magni uſus; ſi ſcilicet parti ex Veneficiô dolenti applicetur Stercus humanum vel ſolum, vel cum Alliô, vel Aſâ fœtidâ; ſic enim fit, ut illi, qvi perpetravit veneficium, ſapiant omnia ſtercus humanum & allium, adeò ut neceſſum habeant ſolvere veneficium.

§. 62.

contra Veneficia. Deinde qvoqve pro Veneficiis arcendis Stercoris humani uſus ſatis notus eſt, imprimis mulierculis ruſticis, qvippe qvæ, ſiqvando in conficiendô butyrô per tempus fruſtra laborârunt, ſuſpicione veneficii cujusdam ſeductæ lac vaccinum recens emulſum Stercori humano commixtum Cloacæ ſimul infundunt, atqve ſic illicò â Veneficiô liberantur. Si ferrum ignitum unà ſtercori humano, lacte vaccinô conſperſo inſeras, veneficæ puſtulas inducet; & qvidem, juxta Frid. Hoffmann. *Clav. Schrœder. p. 664. ſq.* certô experimentô. Aliæ mulieres veneficis, qvæ pecoribus damnum inferunt, vaccisqve lac auferunt, ita ut locô lactis ſangvis emulgeatur, tale lac recens mulctum ſtercori humano ſuperfundunt, vel ſtercus ſuum in vas hôc lacte plenum deponunt taleqve lac ſtercoratum igni exponunt. vid. Chriſtian. Franc. Paullin. *Pharmacop. ſtercor. p. m. 263.* ubi etiam ſeqventia ex Lutheri Colloqviis refert: Als D. Pommers Kühen die Milch geſtohlen war, ſtreiffte er flugs ſeine Hoſen ab, und ſetzte einen Wächter in einen Aſch voll Milch, rührets um und ſagte: Nu frett Tüfel. Dadurch ward ihm die Milch nicht mehr entzogen.

Obſervatio. Simile exemplum mihi ipſi notum eſt. Ante qvadraginta annos Virgo qvædam, cui in abſentiâ parentum Oeconomia concredita erat, triſtis mihi conqverebatur, omnes ſuas vaccas, numerô duodecim horis matutinis ejusdem diei, locô lactis hu-

morem

morem præbuiſſe ſangvinolentum; cujus infortunii cauſam, an fortaſſe omnes ſimul ægrotarent, ſe neſcire addens. Cùm vero ex ipſâ qværerem, annon heſternô die de lacte matutinô, ab omnibus vaccis collectô, aliqvid perſonæ cuidam dediſſet? ipſa reſpondebat, heri ante meridiem Vetulam qvandam, ſeptuaginta aliqvot annorum, vulgò ſuſpectam, in ſtabulum veniſſe atqve de hôc lacte matutinô aliqvot cochlearia pro certô medicamentô parandô ab ipſâ petiiſſe atqve accepiſſe. Hôc auditô dictæ Virgini Conſilium dedi, ut ſtatim illud lac ſangvinolentum in Vaſe qvodam absqve imaginatione ſervo traderet, qvi ſolutis caligis alvum in illud largiter evacuet poſteaqve hanc mixturam igni exponat. Simul autem Virgini dicebam, ut præcaveret, ne totô illô tempore domeſtici illam vetulam, qvamvis obnixè rogaret, in ædes intromittant, multò minùs, ſi vel minimum qvid ab ipſis peteret, exhibeant. Simul verò ac hæc mixtura per paucum temporis ſpatium igni fuerit admota, fores pulſat vetula petens ut intromittatur; hoc verò denegatô paulo poſt aliqvoties redit, modò ollam, modò ovum &c. per Deum efflagitans, ſed fruſtra. Cùm verò verſus veſperam Vaccarum ubera iterum mulgerentur, tunc naturale Lac apparebat; Vetulæ autem oculi rubicundi & inflammati fuerant. Contra magicam lactis vaccarum ablationem, ipſarum ubera ſtercore humano aliqvamdiu inungi ſolent. vid. Joh. Chriſt. Promman. *Faſcinat. magic. Lib. 3. Part. 10. Sect. 2. cap. 5. p. m. 999.* Talia autem damna abſentibus immitti & ſagis, qvæ faſcinum, Diaboli intulerunt, inferri, & ut faſcinum tollant, citra Dæmonis aſpirationem cogi poſſe, ſcribit idem Frommannus *p. 1048.* ibiqve ex Clauderô annectit, idqve conſtare Johannis Michaëlis experientiâ, aliqvem ita alvi excrementô tractatum, ſine omni faſcinatione & ſuperſtitione, propriô ſtercore efficere poſſe, ut illi neqvam aut venefico omnia adſumpta ſapiant amara, donèc veniens commiſſum fateatur & deprecetur.

§. 63.

Contra Incivilitatem.

Contra Incivilitatem qvorundam, qvi loca conſveta & fores aliorum Stercoribus ſuis commaculant, pro correctione inſervire poteſt, ſi fimus eorundem ſimpliciter prunis aut cineribus calidis injectus vel etiam vinô aduſtô & pipere ſimul inſperſô uratur vel cremetur; aut ſi veru vel aliud ferrum in ignem, ut igneſcat, immittatur, ac dein ferrum illud candens in excrementa illa infigatur; frigefactum denuò calefiat eademqve opera ſæpius repetatur; tunc tantis cruciatibus nates depoſitoris illius incivilis vexabit, qvantas vix prunæ ipſæ partibus iisdem admotæ inuſſiſſent, vid. Frid. Hoffmann. *Clav. Schrœder. p. m. 664.* & juxta Joh. Chriſt. Frommann. *de Faſcinat. magic. p. m. 1037.* Excrementis hominis recentibus prunas candentes vel cineres calidos injectos Inflammationem, Teneſmum & puſtulas excitare, non Anglis & Gallis tantùm, ſed & Germanis atqve ex his noſtratibus etiam eſt notiſſimum, qvod teſtatur qvoqve Autor Theatri Sympathetici *p. m. 446.* inqviens: Exinde ejusmodi neqvam ex inteſtinis acerbiſſimè laborant, anus inflammatur, urget inſuper Teneſmus moleſtiſſimus, vixqve his malis liberatur miſer, qvin graviſſimè fere totô illô die laboret. vid. etiam Joh. Hisk. Cardiluc. *Annotat. in Febure Chym. Part. 2. Lib. 2. cap. 8. p. m. 180.* Monconnys Reiſen *p. m. 37.* Mich. Ettmüller. *Vol. I. fol. m. 216.* Juxta Aloyſii Temmik. *Philoſoph. ver. p. 637.* Stercoribus calentibus ignem ſuperſtruens aut ferrum candens infigens morbum alvo facit. De hac materiâ ita ſcribit Gvilelmus Maxvellus *de Medicin. Magnet. Lib. I. cap. 7. p. m. 31. ſq.* Si in alvi excrementis exulcerantia imponas, podex maximô dolore afficitur. Itaqve ſi qvis contra urbanitatem in aliqvô locô, tibi aliàs familiari, podicis feces depoſuerit, ſuper illas aqvam vitæ, Sale mixtam funde & deſuper ferrum candens pone, reus extremô podicis dolore fatigabitur, donec vel natura tandem, vel lacte curaveris recenti. Idem aſſeqvêris, ſi

piſa

piſa in frixoriô vehementer caleſcere ſinas, deinde in excrementum recens projicias; qvot fuerunt piſa, tot puſtulis vexabitur. *vid. etiam. Lib. 2. cap. 14. p. 143.*

§. 64.

Contra Impenetrabilitatem magicam ſeqventia communicat Michael Bernhardus Valentini *M. N. C. Dec. II. An. 8. Obſ. 78. p. 192.* Scilicet, priusqvam cum adverſariô hujus rei ſuſpectô congrediaris, cuſpis machæræ vel gladii ſtercori ſuillo infigatur; vel ſi eminus agendum, globuli bombardis infarciendi per Sphincterem ani ducantur; qvod certiſſimum dicitur antidotum contra hanc non minùs, qvàm Diaboli Incantationes. *contra Impenetrabilitatem.*

§. 65.

Contra Philtra, item pro ligatis & maleficiatis à mulieribus ſeqvens habet Johannes Jacobus Weckerus *de Secret. Lib. 4. p. m. 85.* Pone de egeſtione ſeu alvi excrementô ipſius mulieris manè in ſotulari dextrô maleficiati, & ſtatim cùm ipſe ſentiet fœtorem ſolvitur maleficium, & *Lib. 5. p. 199.* idem repetit his verbis: qvod ſi in amantis calceum ſtercus amatæ poſueris, ubi odorem ſenſerit, ſolvitur amor &c. Tale exemplum de Capitaneô qvodam refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Pharmacop. ſtercorar. p. m. 279.* Item ſtercus faſcinati & ligati mox & intra unam & alteram â copulatione & faſcinatione horam excretum Veſicæ incluſum & fumo expoſitum in ejusmodi caſu tanqvam certiſſimum remedium in multis expertus eſt Johannes Caſparus Weſtphalius *Patholog. Dæmonic. p. m. 120.* Hanc tamen opinionem, qvòd, ſi amorem qvis diſſolvi velit, in amantis calceô amatæ collocatô odor perceptus amorem infringat, ſuperſtitioſis morborum curationibus annumerat Antonius Deuſingius *Faſcicul. Diſſert. ſelectar. p. m. 37.* cùm fortaſſe hujus rei ratio a manifeſtâ qvalitate poſſit colligi, ut ad occultam aliqvam ἐνέργειαν confugere non usqve adeò ſit opus. *contra Philtra.*

§. 66.

§. 66.

Ad Sympathiam.

Ad Sympathiam pertinet etiam, qvod refert Johannes Cornelius Weber *Auchor. ſauciator. ſeu de Liqvor. ſtyptic. p. m. 27.* Semen ſcilicet qvoddam Stercori ægroti inſertum plantam exinde creſcentem reddere morboſam. Sic, ſi ægrotus excrementa ſua ſuper herbas ſalubres deponat; facilius in integrum reſtituetur; ſi verò in noxias herbas, venenoſas puta, purgantes, exulcerandi vi præditas, reſtitutio vix ſperanda, unde patet, plurimum facere ad ſanitatem locum, in qvem deponantur excrementa. Et Gvilelmus Maxvellus *l. a. Lib. 2. cap. 14. p. 145.* dicit: Fecibus ſeu excrementis herbis ſalutaribus adhibitis, multa commoda transplantatione inferri poſſunt. Hanc ex multis cauſis unam puto, cur ruſtici & qvi rure habitant, ſalubriores longioresqve nobilibus & civibus dies degant. Hi enim capſulis feces reconditas vel putreſcere ſinunt, vel in locum inſalubrem projiciunt; illi autem terræ easdem mandantes herbis ſalubribus, transplantatione mediante â langvoribus immunes maximâ pro parte vitam agunt. Ibidem etiam dictus Autor ſeqventia addit: In locis, ubi ægri alvum exoneraverint, feces non deponas tuas: ſic enim multa mala nonnunqvam inferuntur. Cognovimus enim qvosdam tetrô odore læſos, alios, licet odorem non perceperint, cùm in eodem locô feces depoſuerint, in qvô priùs fluxu correptus idem fecerat, ſtatim fluxu correptos, nullâ aliâ cauſâ procatarcticâ præcedente. Præterea cavendum eſt, ne feces ſuper herbas malignas exulcerantes ſive violenter purgantes deponamus, hinc enim cauſâ latente dyſenteria periculoſa inducitur, qvæ vix niſi herbis prorſus putrefactis, ullis medicamentis cedit.

§. 67.

Stercus non cremandum.

Hôc locô monendæ qvoqve ſunt Nutrices vel aliæ mulierculæ Infantulis adminiſtrantes, ne Infantum excrementa cineribus contegant, aut poſtmodum omnia ſimul in ignem projiciant.

ant. Exinde enim plurima ſymptomata exoriri ſolent, qvæ in *Theatro ſympathetico p. m. 163.* videri poſſunt.

§. 68.

Ad Sympathiam aut Magiam potiùs pertinet etiam, ſi vera ſunt, qvæ ex Münſteri Cosmographiâ adducit Daniel Beckherus. *Medic. microcoſm. Lib. 1. cap. 10. p. m. 64.* Incolas ſcilicet Lapponiæ variis technis uti ad ſiſtendas in celeri curſu naves: eorundem tamen conatum impediri, ſi ſtercore virgineô navis internæ & externæ partes inungantur; illicò enim priorem repetere navem curſum. Spiritus ſcilicet navem qvaſi ſiſtentes & tenentes fœtore fugari, ſcribit dictus Autor, penes qvem ſit fides. *Ad naves.*

§. 69.

Neqve etiam in Re Oeconomicâ ſtercori humano omnem uſum denegare poſſumus, ſiqvidem porci ex eodem alimentum qværunt, & agricolæ pro agrorum fertilitate eodem utuntur. Ex ſterqviliniis, ut inqvit Petrus Poterius *Pharmacop. ſpagyric. Lib. I. Oper. med. p. m. 500.* magna Salis copia habetur, hinc agrorum fœcunditas. Cautè tamen in agrorum & vinearum ſtercoratione agunt etiam agricolæ & vinitores, ſiqvidem ſtercus humanum per ſe, & ſine aliorum animalium ſtercorum vel qvisqviliarum & ſordium commiſcelâ, agris, ab iis calidis dictis, non æqvè inſervit; qvod etiam de Stercore eqvinô novô, pro vineis adhibendo, notandum venit. *Ad Oeconomiam.*

§. 70.

Cùm circa Capitis antecedentis initium ex Danielis Ludovici Pharmaciâ Batavorum incurſantes in Javâ Indos merdâ depellentium mentionem fecerimus, de hac hiſtoriâ ſciendum, A. 1629. in Obſidione Batavos obſeſſos, in defectu aliorum ad defenſionem neceſſariorum reqviſitorum, hoſtes ſuos Indos Stercore humanô ex cloacis collectô, ollisqve in ipſorum nuda corpora conjectô, fugâſſe; de qvâ Obſidione Johannes Nieuhoff *Itinerar. Sinic. p. m. 38.* ſeqventia refert: Als denen belagerten *Hiſtorica de Batavis.*

Holländern aller Vorrath zum ſchieſſen verbraucht, und auch die Steine und Tach-Ziegel gebrachen, ſchöpfften ſie endlich aus denen heimlichen Gemächern gar Menſchen-Miſt, und ſchmiſſen ihn mit vollen Töpffen auff die nackten Leiber derer ſtürmenden Wilden, eben in der Stunde, da die Belägerten in der Stadt einen Ausfall thäten, die Belägerer abzutreiben, welche ſich denn zur Stunde darvon gemacht und auff Javaniſch geſchrien hätten: O Seytang orang Hollanda de bakkalay ſammatay! Das iſt, ô ihr Holländiſche Teufel, ihr fechtet mit Drecke. Prolixius hanc obſidionem & fortitudinem deſcribit Arnoldus Montanus in denckwürd. Geſandſchafft. an den Kayſer zu Japan *fol. m. 28.*

§. 71.

A crepitu reviviſcens.

Ad hiſtorica qvoqve referendum, qvod recenſet Johannes Udalricus Rumlerus *Obſ. 67. p. m. 37. ſq.* de Caſparô Heudelinô, Scholæ Lindavienſis Moderatore, qvòd Peſtis tempore elatus pro mortuô unius ſub portâ crepitûs Ventris emiſſione vivus etiamnum deprehenſus domumqve relatus aliqvandiu poſt ſupervixerit. vid. Georg. Hieron. Velſch. *Syllog. Curat. & Obſ. medic. l. a.* Item honeſta qvædam fœmina ſcorbutica aliàs in deliqvium animi incidit; qvod cùm dimidiam ferè horam duraret, mortua putabatur, & extra lectum deponitur. Verùm dum ita movetur, rurſus reſpirare incipit. Adſtantes igitur, poſtqvam recreationi per conſveta ſtudent, alvus ſponte ſolvitur, & fœtidiſſima dejicit. Hinc illa ſtatim ſe recolligit, & qvaſi reviviſcit. Plura de Peditu, & qvidem de qvòdam, qvi, qvoties vellet modulatè pedebat, ac ſi fiſtulâ caneret, vid. Joh. Riolan. *Anthropograph. Lib. III. Præfat. fol. m. 204.* De differentiâ flatuum cum diverſô ſonitu, vid. Hieron. Mercurial. *de Excrement. Lib. 2. cap. 2. p. 153.* De Tympanite ex ſuppreſſô Ventris crepitu obortâ, Obſervationem refert Georgius Abrahamus Mercklinus *M. N. C. Dec. III. An. 3. Obſerv. 142. p. 254.* Ibidem *An. 9. & 10. Obſerv. 172. p. 307.* Guſtavus Caſimirus Gahrliep mentionem facit Mer-

catoris,

catoris, qvi â flatu vehementi, inter homines ſui generis, admodum urgebatur, adeò ut Converſationi invitus valedicere domumqve properare adactus, vix medium plateæ citatô emenſus gradu, cùm vim ejus aut violentiam diutius tolerare nullatenus poſſet, in ædem alienam ſecedere ac præfatâ ab hoſpite, in veſtibulô ſibi obviô, verecundè veniâ, habenas Sphincteris hactenus ægerrimè ſtrictas, laxare tandem nolens volens cogeretur, unde tam immenſus Ventris evaſit crepitus, qvi qvadrantis ferè horæ ſpatiô durans antè non ceſſavit, qvàm cum Spiritu illô fœtidô vitam qvoqve ſimul efflaret.

§. 72.

De Crepitu Diaboli ſeqventia refert Philippus Melanchthon: D. Lutheri ædes acceſſiſſe Monachum fores vehementer pulſantem. Cui cùm famulus aperiret ac ſciſcitaretur, qvid vellet? num domi eſſet Lutherus? qværit Monachus. Re cognitâ Lutherus eum ingredi jubet, qvòd nullum multô tempore vidiſſet Monachum. Ingreſſus hic, habere ſe qvosdam errores Papiſticos, ait, qvorum nomine libenter cum ipſô conferret; propoſuitqve Syllogiſmos, qvibus haud difficulter â Lutherô ſolutis, alios protulit, explicatu minùs faciles. Unde offenſus nonnihil Lutherus in hæc prorupit verba: Multum mihi faceſſis negotii: aliud enim, qvod jam agerem, erat, ſimulqve ſurgens loci â Monochô propoſiti explicationem oſtendit: atqve in ejusmodi collatione manûs Monachi eſſe avium ungvibus non diſſimiles animadvertens, inqvit: Tu is es! auſculta! ſententia hæc adverſus te pronunciata eſt; & mox locum in Geneſi commonſtrat: Semen mulieris conteret caput Serpentis. Inde ſubjungit: nec tu cunctos deglutics. Hoc dictô victus Dæmon indignabundus ſecumqve murmurans abiit, eliſô crepitu, non exiguô, cujus ſuffimen tetri odoris dies aliqvot redolebat hypocauſtum, vid. Joh. Wier. *de Præſtig. Dæmon. cap. 7. p. m. 54.* *Crepitus Diaboli.*

Hhh hh 2 §. 73.

§. 73.

Lutherus Cloacam expurgans. Hac occaſione etiam de B. D. Lutheri ſtatu monaſtico adhuc recenſendum judico, qvod ex Johanne Qvod vult Deus Bürgers referunt Acta Erudit. Lipſ. *An. 1718. Menſ. Mart. p. 137.* ſcilicet Lutherum ad vitam monaſticam, ordinis imprimis Auguſtiniani ineundam, neqve paupertate, neqve otii cupiditate, neqve etiam metu addactum fuiſſe, ſed ſuperſtitione eorum temporum, qvâ is Deo rem gratam peragere credebatur, qvi ſe Clauſtris condebat. Cucullô igitur indutus primùm Martini cum Auguſtini, Ordinis ſui parentis, nomine commutare, & dein, ut obedientiæ velum præſtaret, Cloacam expurgare neceſſe habuit &c.

§. 74.

Turcarum. Nunqvam Turcas Chartâ ſeu papyrô pro aniſtergiô uti, ſed pro magnô ipſis delictô haberi, & qvidem ideò, qvia fortaſſe Nomen DEI ipſi inſcriptum ſit vel inſcribi poſſit, refert Thevenot *Itinerar. Orient. Lib. I. cap. 33. p. m. 60.* Et juxta A. Buſbeqv. *Ep. 3. p. m. 184.* Turcæ alvum excrementis non exonerant, qvin aqvam ſecum portent, qvâ partes obſcœnas lavent.

CAPUT XIV.
De
Stercoribus Brutorum.

§. 1.

Stercus Brutorum. CUm circa initium Capitis antecedentis de Brutorum qvoqve Stercoris Uſu medicô mentio facta ſit, adhuc nonnulla ex veterum & modernorum Autorum ſcriptis collecta in hoc Capite proponere libet. v. g. *Anſeris.* Anſeris Stercus juxta Joh. Schrœder. *Pharmacop. Lib. V. p. m. 855.* calefacit & ſiccat vehementer, incidit, aperit; menſes, ſecundinam & urinas potenter movet, hinc maximi uſûs eſt in morbô *in Ictero.* regio,

regio, Scorbutô & Hydrope: Præfertur viridiuſculum in pratis tempore vernô collectum, qvod ſiccatum calore moderatô & pulveriſatum à ʒß ad ʒj. exhiberi poterit. Hoc excrementum pulveriſatum & cum vinô albô ad drachmam unam & dimidiam tantum ſecundum Joſeph. Qvercet. *Diætet. polyhiſtor. Cap.5.p.383.* auriginoſum ſeu regium morbum penitius tollit: cujus rei veritatem experientia ſæpiſſime confirmavit. Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœd. p. 693.* ait: Stercus anſerinum commendatur ob Sal volatile aperitivum, & abſterſivum ſulphureum, ob qvod etiam in ſcorbutô commendatur. &c. Theodorus Corbeus *Pharmacop. ſimplic. Claſſ.3. Sect.4. p. m. 536.* inqvit: Anſerinus fimus aliqvantò calidior, qvam columbinus, iisdem viribus ſed efficacioribus præditus eſt, ac vix præ acrimoniâ ullius eſt uſus. Anſerculorum juniorum excrementum exſiccatum, drachmæ integræ vel dimidiæ pondere epotum, in vinô cum Sacchar ô prodeſt ad Icterum. Obſervationem de Monachô Stercore anſerinô Icterum curante, ex Londino refert Johannes Guſerus *Medicin. domeſt. Tab.13.p.44.* In ſpecie anſerculorum ſtercora Menſe Martiô collecta commendantur Ictericis & Cachecticis a Michaële Ettmüllerô *Oper. Tom. I. f. m. 1161.* Hoc ſtercus exſiccatum Joſephus Qvercetanus *Pharmacop. dogmat. Lib. I. cap. 20. pag. m. 139.* vocat Tragæam ad Icterum, qvia eundem perfectè eradicet & evellat. Poteſt etiam ad libitum Cinamomi & Sacchari addi. Cur autem ſtercus anſerinum hepatis, lienis obſtructiones & Icterum tam feliciter profligare poſſit, hanc rationem reddit Henricus Petræus *Noſolog. harmon. Diſſert. 23. Tom. II. p. 192.* Probabiliter ſtatuit poſſe fieri id ipſum propter pſtaum radicum graminis, qvos è terra evellunt, qvæ obſtructiones fortiter aperiunt: tum propter inſignem diſſolvendi vim, qvæ in iſtô ſtercore ob caloris exceſſum deprehenditur, à qvô etiam gramina exuri videmus, qvod minus poſtea luxurient. Tanqvam Arcanum ſpecificum hunc pulverem communicat Jo- *Pulvis anti-ictericus.*

 hannes

hannes Dolæus *Encyclopæd. Med. Lib.III.cap.8.p.m.488.* nimirum

℞. Stercor. anſerin. vern. temp. collect. & in Sole exſiccat.
Pull. Gallinac. ana ʒj. Lap. fulminant. ʒß.
⊖ Abſinth. ℈ij. Cinamon. ℈j.
Sacchar. ʒiß. M. f. Pulv. ſubtiliſſ. divid. in 4. p. æ.

Decoctum icterieum. Ingreditur etiam dictum Stercus Decoctum Ictericum in Pharmacopœâ Bateanâ. *pag. m. 43.* qvod tale eſt.

℞. Stercor. anſerin. Raſur. Ebor. ana ʒj.
Chelidon. cum tot. Lingv. cervin.
Flor. Hyperic. ana Mij. Croc. ʒß.
▽ fontan. Vin. alb. ana ℔ij.
Coqv. ad dimid. f. Colatur. add. Sacch. alb. q. ſ. & clarific. cum Album. Ovor. Dent. ℥v. bis in die.

Pulvis ad icterum. Et *pag. 116.* deſcribitur ſeqvens Pulvis Ictericus:

℞. Chenocapri Vern. temp. collect. in ☉ ſiccat. & pulveriſ. ℥ij.
Croc. opt. ʒj.
Sacch. Cand. alb. ℥ij. M. f. Pulvis.
Pulvis ad Icterum D. Franci.
℞. ⊖ Geniſt. ʒj. Cryſtall. ♀i ℈ij.
Stercor. anſer. ʒij. Croc. integr. ℈ß.
Semin. Naſturt. Rad. Curcum. ana ʒß. m. f. Pulvis.

in Hydrope. Eſt etiam Stercus anſerinum ſpecificum hydropicum, drachmæ unius pondere cum Cochleari urinæ capræ vel vituli deſtillatæ propinatum, repetitis vicibus, mirificè exſiccat, ſecundum Corbei *l. a.* manifeſtum enim eſt, utrumqve hoc, & ſtercus anſerinum, & urinam capræ vel vituli, ubicunqve in terram cadunt, funditùs exareſcentem terram facere. Similiter itaqve abſumit humiditatem ſuperfluam in humanô corpore. A nonnullis etiam hoc Stercus pro expertô ad Qvartanam remediô habetur, de qvô ſeqventem Obſervationem recenſet Daniel Crügerus *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 40. p. 102.* his verbis: Ante annos decem advena qvidam ad Conſiliarium qvendam hujus Dicaſterii di-

in qvartana.

rii divertebatur, qvi in cœlum usqve aliqvod remedium qvartanarium extollebat, pro cujus communicatione ultra triginta thaleros obtinebat. Fateor, multas me experientias â Dominô Conſiliariô gratis factas vidiſſe, præſertim in illis, qvi malâ viſcerum diſpoſitione non laborârunt, prægreſſis tamen â medicis ordinatis purgatione & corporis præparatione; nunqvam tamen, multâ qvanqvam ſæpius adhibitâ ſollicitatione, expiſcari potui. Tandem tamen ſub fide taciturnitatis communicavit. Remedium eſt tale: Recipe Stercus anſerinum, qvantum placet, affunde ſuccum Cardui benedicti, qvantum ſatis, deſtilla per alembicum; deſtillatum ſuper aliud ſtercus affundi poteſt, & reiterari deſtillatio, ut ſatis Salis volatilis evehat; eſt aqva valde penetrans. Si Menſe Majô, vel ſub finem hujus Menſis colligatur, penetrantior evadit aqva. Itaqve prout ſecundum ſaporem acris eſt, dentur unciæ duæ, vel tres duabus horis ante Paroxyſmum cum ſudore aliqvoties repetenda. Non dubitat Crügerus, in tertianâ, Icterô & aliis morbis aqvam hanc fore proficuam. Porrò adhiberi ſolet Stercus anſerinum ad oculorum affectus. Aqva enim Maximiliani Imperatoris ad Cicatrices oculorum delendas ex ſtercore anſerum juniorum Menſe Martiô vel Aprili deſtillatur, qvæ ter de die oculis inſtilletur. vid. Philipp. Frauendorffer. *Tabul. Smaragd. n. 24. pag. m. 19.* Et Johannes Dolæus *Encyclopæd. Chir. Lib. I. cap. 10. p. 166.* Seqvens Collyrium non parvarum in abigendis pelliculis & excreſcentiis diſſipandis virium eſſe ſcribunt. *in Oculorum affectibus.*

℞. ▽ Sabin. ℥j.
Stercor. anſerin. Menſ. Majô collect. deſtil. ʒvj.
Fellis Capræ ʒij. Ciner. Mandibul. Luc. piſc ʒj.
Myrrh. ℈ij. ⊖l. alb. ℈j. M. Et panniculus eô ſæpius illinatur, hinc tenui linteô abſtergatur. In Ranulâ ſub lingvâ puerulorum Emplaſtrum ex Stercore anſerinô & melle ana p. æqv. in Vinô ad conſumptionem ipſius coctis ſub mentô applicandum, *in Ranula*

dum ſvadet Johannes Franciſcus Lœw *de Morb. Infant. Cap. 27. Tract. de Variol. p. 368.* Hoc Emplaſtrum contra Anginam, tanqvam Experimentum Rulandinum commendat Johannes Daniel Rulandus *Pharmacop. ſtercor: Thec. 29. p. 158. ſq.* ubi plura reperies. De Stercoris anſerini uſu ad Cancrum Mammarum ſeqventem Obſervationem refert Laurentius Giſeler. *M.N.C. Dec. I. An. 2. Obſ. 148. p. 232.* Nuper Mulierem ſexagenariam, Militis cujusdam Uxorem, curandam ſuſcepi, cujus dextra mammilla tota à Cancrô excſa, ulcusqve purulentum & ſordidum valde erat, aqvam applicare jubebam, qvam inter alia etiam plumbum ingreditur, qvod mirè Cancris medetur, & bene ab illâ habebat. Nunc utitur ex ruſtici cujusdam conſiliô Stercore anſerinô recenti cum butyrô in Linimenti formam coctô, nec malè cedit opus. Aſſerit ruſticus, ad mortificandum, & ne altiùs ſerpat, hoc mirè conferre.

§. 2.

Stercus aſininum. Stercus aſininum in Majô collectum ſingulare remedium eſt contra qvasvis hæmorrhagias, ſive propinetur in ſubſtantiâ ad drachmam unam vel plures, ſive ex infuſô in aqvæ appropriatâ exprimatur ſuccus. Vel ℞. ▽ Plantag. ℥j. Succ. Stercor. aſin. ℥ß. ad ℥j. vel ℥jß. Syrup. Myrtillor. ad ℥j. M. Hæc potio manè inſciis ægrotantibus aſſumpta, & per aliqvot dies noctesqve continuata, expertum eſt remedium juxta Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. I. fol. 767.* Item externè Stercus aſininum ſolum naribus ſiſtit hæmorrhagiam, vel cum acetô ſubactum & naribus intruſum, vel pulveriſatum & naribus inflatum. Vel ℞ Stercor. aſin. ℥vj. Muſc. qverc. ℥iij. M. & ad ſolem vel in locô calidô ſiccetur & fiat Pulvis, qvi per nares attractus ſubitò illarum hæmorrhagias compeſcit. Refert etiam Rodericus à Caſtro *de Morb. Mul. Lib. I. cap. 5. p. 41.* Emanuelem Vaezium qvatuor Luſitaniæ Regum cubicularium, qvi ſangvinis fluore per nares jam ſeptuagenarius ſæpe divexabatur, ſtercus aſininum modicè

exſic-

exſiccatum in capſulâ ſemper ad manûs habuiſſe, huicqve medicamento nullum aliud ſimile reperiſſe; ſæpiſſime dixiſſe, præſertim ſi ſucco urticæ commixtum, cum ſiccum jam eſt, aut recens, per ſe naribus adhiberetur. vid. etiam Joſeph. Qvercet. *Diæt. polyhiſter. Sect. 3. cap. 5. p. 383.* Stercoris aſinini uſus in immodicô etiam Menſium fluxu commendatur â Petrô Foreſtô *Lib. 28. Obſ. 18. Schol. 652.* ubi ſeqvens præſcribit.

℞. Syrup. Myrtini, Cotoneor. ana ℥ij.
Succ. Stercor. aſinin. recent. ℥iij.
▽ Plantagin. ℥vj M.

vid. etiam Wolffg. Hœfer. *Hercul. med. Lib. 7. cap. 1. p. 376.* E ſolô ſtercore aſininô ſuffitum fœmina qvædam ſibi fecit, juxta Chriſt. Franc. Paullin. *de Aſin. cap. 3. p. 255. & p. 256.* aliam ex Stercore aſininô, ſaccharô & nitrô pulverem paratum ſumſiſſe addit. Infallibile fermè remedium ad conſtringendum fluxum menſtruum eſſe ſtercus aſininum, ejusqve ſuccô plurimos de ſorditie parùm ſollicitos feliciſſimè ſanatos aſſerit Johannes Petrus Albrechtus *M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 81. p. 192.* Stercus aſininum intus & exterius adhibitum medicamentis uterum frigefacientibus annumerat Samuel Schœnbornius *Manual. Medicin. pract. p. m. 215.* Secretum in nimiô menſium fluxu eſt injectus ſuccus ſtercoris aſinini in matricem, & valet â proprietate. Et ad idem valet Emplaſtrum ex Stercore aſini recenter factum, juxta Reiner. Solenandr. *Conſil. med. Sect. 4. Conſil. 8. fol. m. 328.* qvô locô addit Experimentum probatum ad conſtringendum omnem fluxum menſtruorum, nimirum R. Stercoris aſini q. ſ. deſicca & pulveriſa, & involvatur pulvis in pannô de ſericô vel de linô ſubtili & vulvæ imponatur â formâ ſpecificâ. Seqventem Pulverem ſtypticum ad vulnera Belzeri, ex ejusdem Manuſcriptis addam:

℞. Fimi aſinin. Bol. Armen.
Sangvin. Dracon. Later. aduſt. ana ʒj.

 Oli-

Oliban. Alcës ana ℈ij.
Spong. aduſt. Cortic. Ovor. combuſt.
Chart. comb. Fuligin. Telar. aran. Off. combuſt.
Tragacant. Gum. Arabic. Colophon. Maſtich. ana ℈ß.
Farin. volat. molendin. ℈j. Ranar. combuſt. ℈ij.
M. f. Pulvis.

§. 3.

Bubulum. Armentariæ bovis fimum, ſi recens admoveatur, Vulnerum inflammationes mitigat: foliis autem involvitur & calefactum cinere ferventi ſuperponitur: Coxendicis cruciatûs fotu compeſcit: illitum aceto duritias, panos & ſtrumas diſcutit. Privatim ſuffitu fimi, qvod â maſculô bove redditum eſt, procidentes vulvæ reprimuntur, accenſi nidore culices abiguntur. vid. Dioſcorid. *de Mater. med. Lib. II. cap. 73. fol. 309.* Stercus bubulum cum acetô potenti, aut vinô aut ovis crudis miſtum, ſecundum *contra Arthritidem.* Mizaldum redivivum *Centur. II. §. 1017. p. 411.* Dolorem articularem ſedat. vid. etiam Chriſt. Franc. Paullin. **Dreck-Apotheck.** *cap. 27. p. 170.* Seqventem aqvam podagricam deſcribit Matthias Tilingius *Prodrom. Prax. Chymiatr. Claſſ. 3. Tit. 20. p. 780.* Recipe Spermat. Ranar. circa novilunium in Martiô collect. & Stercor. bubul. recent. ana ℔iij. diligenter mixta relinqve per diem & noctem, deinde deſtilla & Aqvam ſerva pro uſu. Hæc calidiuſculè membris dolentibus applicata confeſtim ſedat dolorem. Feliciùs autem operabitur, ſi qvid ſpiritûs vitrioli addatur; aut Stercus vaccinum cum mellis unciis duabus, Cataplasmatis vice ſuperimponatur, præſertim in podagrâ frigidâ. vid. etiam J. *ad Hydropem.* Conſtant. de Rebecqve *Pharmacop. Helvetior. p. 29.* Emplaſtrum ad Hydropiſin è ſtercore bubulô & caprillô in acetô & lixiviô præbullitis, ſulphure adjectô, alumine, ſale, lauri baccis & ebuli ſuccô cum pice navali, omnibus ſubactis, ut magnum præſidium cum felici ſucceſſu laudat Franciſcus Valleriola, vid. David. *ad Colicam.* Lipſius *de Hydrop. p. 51.* Bubulô ſtercore dolorem colicum perſanari ſeqventibus verbis docet Antonius le Grand *Curioſ. Rer.*

Per-

Perſcrutat. p. 80. vel potiùs verus Autor Julius Cæſar Baricellus, *Hortul. genial. p. m. 38. ſeq.* magnam natura bubulo ſtercori dolorem colicum ſanandi indidit efficaciam; qvippe apud Scriptores legi, & a fide dignis audiviſſe viris aſſerit Gesnerus, illius potu complures ruſticos fuiſſe liberatos, qvi enim ſtercus aridum in juſculô bibit, ſtatim ſanatur. Hinc apud multos mos ortus eſt, ut nonnulli non modò ipſum excrementum aridum, verùm recens & expreſſum juſculis ebibant & melius habeant. Ego qvidem ruſticis tantummodo remedium hoc præberem, nobilibus verò, ne Nauſeam inducerem, non auderem, cum nobiliora pro iis habeamus præſidia, ſufficerent talibus ex eodem Stercore Cataplasmata, ut enim reor, ex proprietate tale auxilium colicô dolore vexatis ſubire conſvevit. Paucis autem notandum, totum Baricelli Hortulum verbotenus ſub Antonii le Grand nomine prodiiſſe. Stercus bubulum Menſe Majô collectum miram præbet aqvam adverſus Calculos, qvos ſolvit, & unà urinam movet, qvam nigram primâ die pellit, calculis vehementer attritis. Hæc aqva in officinis vocatur omnium florum. vid. Frid. Hoffmann. *Method. med. Lib. 1. cap. 12. p. 190.* Hæc aqva ex ſtercore bubulo deſtillata ſeu omnium florum in ipſâ Gangrænâ, Peſte, Inflammationibus, arthriticis & ſpasmodicis affectibus, tam intra, qvàm extra divinam præſtitiſſe opem, inqvit Fridericus Hoffmannus, Filius, *Annot. in Petr. Poter. Pharmac. ſpagyr. Oper. pag. 445. ſeq.* Eandem aqvam hydropicis & ad curanda ulcera cancroſa commendare Qvercetanum, ſcribit Franciſcus Paullini *Cynograph. Curioſ. Sect. III. cap. 16. p. 145.* Plura vide paulò infra de ſtercore vaccino.

Plagium.

ad Calculos.

§. 4.

Stercus caninum, qvod nonnulli flores Melampi, Pharmacopœi autem honeſtiore nomine album Græcum vocant, ad differentiam nigri, qvod eſt muſcerda, ſecundum Joh. Schrœder. *Theſaur. Pharmac. Lib. 5. p. m. 812.* ſiccat, abſtergit, diſcutit,

Stercus caninum.

aperit, apoſtemata rumpit, exulcerationes abſtergit, hinc utile eſt in Dyſenteriâ, qvin etiam in Epilepſiâ, dolore colicô & ſimilibus. Extrinſecus medetur anginæ, gutturi (inſufflatum) ulceribus malignis (inſperſum) tumores duros emollit, (Emplaſtri inſtar) aqvas trahit hydropicas (ventri illitum) verrucas abigit (cinis per ſe vel cum oleô roſarum impoſitus.) In albô græcô, ex Canibus, præſertim oſſibus ſolis, cùm nullô vel paucô potu nutritis, collectô, vis medica haud vulgaris eſt recondita, & multum habet in receſſu &c. vid. Michael. Ettmüller. *Oper. T. I. f. 773.* ubi plura reperies. Juxta Frider. Hoffmann. *Clav. Schrœder. pag. 647.* album ex albô cane præferendum, qvia canes iſti melioris ſunt conſtitutionis, & in albô Stercore ſal abſtergens, diſcutiens, aperiens, reſolvens, volatile continetur, qvod in diebus canicularibus cum canum natura exaltatur, penetrantius & ſubtilius evadit &c. Qvoad Colorem autem ſtercoris canini notandum, qvod Canes nil niſi oſſa dura devorantes ſtercus reddant albiſſimum. Scribit autem Caſparus Hoffmannus *Paraleipomen. Officin. cap. 41. Opuſc. med. p. m. 527.* ſæpe ſe ſubriſiſſe, cùm frontem Medicorum & Pharmacopæorum fucatam viderit, Album græcum dicentes, cùm ſtercus caninum cum Galenô deberent. Stercus caninum ſive Album græcum officinarum ſecundum verba Caſpari Schwenckfeldi *Theriotroph. Sileſ. p. m. 74.* colligitur ab iis canibus, qvi ſolis oſſibus per triduum nutriti fuerunt; ob id durum, album, nec graviter olet. Siccatur & lævigatur, per cribrum medicinale trajicitur & ad uſum ſervatur. Digerit, conſtringit, ſiccat ſine morſu. Fiſtulâ gutturi inſufflatum valentiſſimum eſt remedium in cruſtis Oris & Anginâ, in Pariſthmiorum phlegmone & Tonſillarum magnâ Inflammatione. In Dyſenteriis ex Lacte caprillô probe coctô & chalybe ſeu ignitis lapidibus uſtulatô. Prodeſt & ſummè inveteratis & malignis ulceribus inſperſum, vel Emplaſtris ad id facientibus commiſtum.

Ventri

Ventri illitum aqvas trahit, hydropicis utile. Allegatum Stercoris canini uſum confirmant etiam alii Autores; ſiqvidem Chriſtianus Franciſcus Paullini *Cynograph. curioſ. Sect. III. cap. 16. p. 155.* in Anginâ pituitoſâ, vel in magnâ tonſillarum inflammatione, aut iis, qvibus ex glandularum affectionibus ſuffocationis periculum imminet, prædicat, vixqve præſtantius pharmacum eſſe dicit, cujus excrementi ſordidi virtutem in moleſtâ hac inflammatione, qvæ aphoniam ex potu ſubſeqvebatur, eximiam ſenſiſſe addit, ſi nimirum reſiccetur, tritumqve modicè cribretur, & ad uſum reſervetur, demumqve melle dilutum parti affectæ illinatur. vid. Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. I. f. 1161.* De Virô Nobili ac generoſô, qvi, cùm diuturnâ inflammatione gutturis laborâſſet, neqve ullis remediis curari poſſet, tandem Eclegmate ex Stercore caninô, Saccharô penidiô & Syrupô Violarum ac diamorô, pulvere Ireos ad ℈ß. injecto (ad ſtercoris odorem refrenandum) uſus convaluit, vid. Petr. Foreſt. *Obſ. med. Lib. 15. Obſ. 10. Schol. fol. m. 145.* vid. etiam Zacut. Luſit. *de Medic. princip. Hiſtor. Lib. Hiſt. 82. fol. 144.* Stercus hirundinum & Canum Oſſibus nutritorum ad Anginam conferre ex Poliſiô refert Caſpar Theophilus Bierlingius *Theſ. theoret. pract. Caſ. II. Schol. §. 8. p. 111.* Seqvens Cataplasma puellæ Anginâ laborantis collo applicari juſſit Fridericus Dekker: *In Angina.*

℞. Nid. Hirundin. no. j. Flor. Sambuc. p. iij.
Cæpar. ſub Cinerib. coct. n. ij.
Coqv. ex Cereviſ. tenui, Contuſ. add.
Alb. græc. ℥iij. Ol. Oliv. q. ſ. M. fiat Cataplasma.

vid. Paul. Barbett. *Oper. Lib. 2. cap. 1. p. 44. ſq.* Hoc Cataplasma Fridericus Decker *Exercit. pract. cap. 2. p. 62.* ita præſcribit:

℞. Nid. Hirundin. no. j. Cæpar. alb. ſub Cinerib. coct. n. ij.
Farin. Semin. Lin. ℥iß. Rad. Alth. Lil. albor. ana ℥vj.
Alb. græc. ℥iij. Coqv. ex Cereviſ. q. ſ.
Contuſis add. Spirit. Vini ℥ß.
Vitell. Ovor. n. ij. f. Catapl.

vid. etiam Phil. Gruling. *Medic. Pract. Lib. 2. Part. 1. cap. 1. p. m. 217.* de qvô Autore Collectores du Journal des Sçavans ſive Ephemerid. Erudit. Frid. Nitzſch. *An. 1666. p. 543.* ſeqvens annectunt Judicium: Remedia, qvæ Grülingius ſvadet, ex libris Chymicis maximam partem deſumpta ſunt, & ex Hartmanni præcipue Practicâ, qvam tam audacter expilat, ut integras ſæpe paginas ſine Autoris nominatione exſcribat. Seqventia Cataplasmata commendat Daniel Sennertus *Practic. Medic. Lib. II. Part. 1. cap. 24. p. m. 116.*

℞. Ciner. Hirundin.
Stercor. Canis per jejunium emaciati ana ℥ß.
Pulv. Croc. flor. Spicæ ana ʒj.
Benzoes ʒß. Mell. ℥iij. f. Cataplasma.

Vel ℞. Semin. Cymin. ℥j. Abſinth. virid. contuſ.
Farin. Hordei ana ℥ß.
Albi græc. ℥iij. c. Melle f. Cataplasma.

Felix Platerus *Obſ. Lib. 2. p. 412.* ſeqvens Cataplasma laudat:

℞. Farin. Hord. Fabar. ana ℥jv. Nid. Hirundin. ℥ij.
Stercor. Canis ſicci ℥iß. Mell. ℥ij.
Ol. Roſar. q. ſ. f. Cataplasma.

Huc pertinet etiam Cataplasma de Nido Hirundinis Hadriani a Mynſicht. *Armament. med. chym. Sect. 37. p. m. 459.*

℞. Nid. Hirund. n. j. Albi Græc. ℥iß.
Rad. Alth. Lilior. alb. ana ℥j.
Caricar. pingv. Dactylor. ana n. iij.
Coqv. in ▽ comm. ad remanentiam pulvis, poſtea add. Ol. Violar. ℥iij.
Farin. Chamæmel. Fœn. græc. Sem. Lin. Tritic. ana ʒvj.
Cerebri Cati ℥ß.
Pulv. Noctuæ combuſt. Hirund. combuſt. ana ʒij.
Vitell. Ovor. n. j. Croc. orient. ℈j.
M. f. Cataplasma pro Collô.

Emplaſtrum Synanchicum *ex Pharmac. Batean. p. 57.* ſeqvens eſt:

℞. Alb. Canis pulv. ℥vj. Mells. crud. ℥viij.
Fl. Tritic. ℥iiß. Ceræ ℥jv. Ol. Roſar. ℥vj. vel q. ſ. ut f. Emplaſtrum. Adhibeatur jugulo & colli partibus poſt aures.

Plura

Plura ejusmodi Cataplasmata & alia medicamenta, qvæ Stercus caninum ingreditur, vid. in Joh. Michaël. *Prax. Chym. Part. I. Lib. 3. cap. 1. p. m. 108.* Philipp. Fraundorffer. *Tabul. Smaragd. p. 62. ſq.* Galen. *de Simplic. Medic. Facult. f. 75.* Prax. Chymiatr. *ration. p. 54.* Chriſt. Franc. Paullin. Dreck-Apotheck. *Sect. 2. cap. 1. p. 56. ſq. it. Cynograph. curioſ. p. 156.*

Seqvens Gargarisma in faucium æſtu præſcribit Johannes Dolæus *Encyclop. chirurg. Lib. 1. cap. 25. p. 576.*

℞. Herb. Prunell. Mj. Summit. ejus Mij.
Alb. græc. ℥ß. Coqv. in ▽ & Vin. & add.
Spirit. Vin. ℥j. Mell. roſat. ℨij. M.

Vel ℞. Herb. Succiſ. Scabioſ. Betan. ana Mj. Alb. græc. ℥ß.
Mell. roſat. ℨij. Coqv. in ▽ &c.

Ad Ulcera maligna tonſillarum linimento, qvod ex Cinere Centaurii minoris & ſtercore caninô pulveriſatô ac melle conſtabat, magnô cum honore ſe curâſſe ſcribit Petrus Foreſtus *Lib. 15. Obſ. 10. f. m. 145.* Aqvam non ſolùm in Ozænis ſed omnibus narium & oris fœtidis Ulceribus utilem deſcribit Daniel Sennertus *Pract. Lib. I. Part. 3. Sect. 4. cap. 1. p. m. 932.* ſcilicet:

Aqva ad Ozænam.

℞. Mellis roſac. ℥ij. Sulphur. viv. Alumin. crud. ℥j.
Albi græci, ſummitat. Sabin. ana ℥ß. Spongiar. Sambuc. ℨj.
Fol. Hyperic, Rut. Rorismarin. Plantagin.
Salv. Puleg. ana Mß. Coqvantur omnia in Vini & Aqvæ ℔ij. ad Conſumptionem digiti transverſi, ſub finem add.
Ærugin. Æris ℥j & relinqvantur, donec refrixerint, poſtea colentur. Tempore uſûs in Cochleari calefiant, & penicillô aqvâ madidô locus exulceratus illinatur, vel lana mollis aut linteum eâ madidum naribus immittatur.

Pro Curâ Condylomatum Pulverem ex Radice Scrophulariæ, Myrrhâ, thure, albô græcô, Cancris & Coriis calceorum combuſtis, vel linimentum ex albô Græcô in Spiritu Vini diſſoluto ad mentem Thomæ Williſii ordinat Johannes Dolæus *Encyclop. Chirurg. Lib. 3. cap. 3. p. 724.* Ad Eryſipelas pro ruſticis & pauperi-

ad Condylomata.

ad Eryſipelas.

peribus ſeqvens medicamentum ſufficere inqvit ipſe Dolæus *l. a. Lib. 5. cap. 6. p. 1123.*

℞. Albi græci ℥j. Flor. Sambuc. Mj.
Coqv. ex Lact. dulc. ℥vj. Colatur. add.
Croc. ℈j. M. qvod calidè bibatur.

Stercus Canis albi inter alia contra Epilepſiam prodeſſe, ſcribit Henricus Petræus *Noſolog. Harmon. Tom. I. Diſſert. 6. p. 112.* Tandem qvoqve Stercus caninum Vulnerariis annumeratur, hinc ingreditur *Aqvam Vulnerariam Domino à Werthern* olim ſecretiſſimam, qvæ juxta Caſp. Theoph. Bierling. *Adverſar. App. p. 9.* talis eſt.

ad Vulnera.

℞. Herb. Apii vel Heder. arbor. Miij. Pyrol. Mix.
Veron Miij. Albi Græci ℔ß.

inde Cucurbitæ & ter cum Cereviſiâ veteri nondum tamen acidâ deſtilla. Cereviſia deſtillata ſemper reaffundatur materiæ novæ & reſervetur tandem uſui. Alii addunt Nicotianam & appellant *Potionem travmaticam Strelenſem.* Item *Potio vulneraria Vœlteri*, cujus deſcribtio hæc eſt:

℞. Herb. Heder. terreſtr. Pyrol. Agrimon. c. flor.
Flor. Hyperic. ana Mj.
Rad. Chin. Gentian. ana ℥j.
Ireos Florent. Ariſtoloch. ☉ ana. ℥ß. Galang. ʒiij.
Alb. Græc. ℥iv. Conciſa & per octo dies in Vini ℔iij. macerata deſtilla.

Et *Aqva travmatica Schillingii*

℞. Herb. Sanicul. Artemiſ. Veron. Alchimill.
Heder. arbor. ana Mij.
Conſololid. Saracen. Pyrol. ana Mj.
Summit. Hyperic. Miß. Albi Græc. ℥iß.
Cerviſ. veter. Menſur. iiiiß.

Stent infuſa per aliqvot dies, poſt deſtilla. vid. Roſin. Lentil. *Miſcellan. medic. pract. Part. 3. p. 110.* Chr. Franc. Paullin. Dreck-Apoth. *Sect. 6. cap. 3. p. 226.* Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. I. f. m. 773.*

§. 5. Ca-

§. 5.

Caprillum etiam ſtercus tam internè, qvam externè uſurpari ſolet, ſiqvidem ſecundum Joann. Schrœder. *Theſaur. pharmac. p. m. 814.* Calculum atterit & expellit. Varios ſtercori caprillo uſûs ex aliis Autoribus adſcribit Conradus Gesnerus *Lib. I. de Qvadrup. fol. 288.* e. g. induratis Scirrhorum in modum tumoribus congruit, ad Alopecias, lepras, pſoras, lichenas, parotides & bubones adhibetur. Medicaſter qvidam hoc fimô ad viperarum & aliarum beſtiarum morſûs ex acetô utebatur; ſanat etiam ulcera ſerpentia & idoneum ambuſtis medicamen reddit. A Guaineriô ſeqventi Medicamentô curata fuit vetula, qvæ ob elevationem gravis oneris diu nimium Menſium patiebatur fluxum; ſcilicet dabat drachmam unam tribus vicibus ſtomachô vacuô ac jejunô Cineris ſtercoris caprarum cum aqvâ pluviali, vid. Petr. Foreſt. *Obſ. Lib. 28. Obſ. 16. fol. 649.* Emplaſtrum ſeqvens ad Tumorem Artuum, Gliedſchwam, ingreditur etiam hoc excrementum ℞. Stercor. caprill. Acetô emolliti part. ij. Muſc. Acac. pulveriſ. part. j. Lithargyr. partem octavam: M. ad Conſiſtentiam Emplaſtri. Item Cataplasma ad Tumorem Teſtium, item in Hydrope: *Caprillum:*

℞. Flor. Chamom. Herb. Parid. ana Mij.
Farin. Fabar. ℥ß. Stercor. caprill. ℥iij.
Pulv. Teſt. Cochlear. ℥ij.
Coq. in ▽ Chamom. & c. + ad Conſiſtent. Caplasmatis.

Plura de Stercoris caprilli uſu vid. Andr. Matthiol. in Dioſcor. *Lib. II. cap. 73. p. 309. ſq.* In Podagrâ & œdemate Stercus caprinum cum Urinâ ægri ſubactum & inſtar Cataplaſmatis applicatum egregiè juvat, juxta Mich. Ettmüll. *Tom. I. f. 774.* Item in Cancrô, Arthritide, ad Contracturas, carbunculos, mammarum tumores, laudatur a Marcô Aureliô Severinô *Trimembr. Chirurg. p. 196.*

§. 6.

Fimus columbinus ruborem cutis ſangvinem alliciendo *Columbinum.*

excitat, hinc uſûs freqventis in Cataplaſmatis & Emplaſtris rubificantibus. Tritus & cribratus cumqve ſemine Naſturtii impoſitus facit ad affectûs inveteratos, uti ſunt Arthritis, Hemicrania, Vertigo, Cephalæa, dolores inveterati in lateribus, ſcapulis, cervice ac lumbis, dolores colici, affectus apoplectici, lethargici &c. Sic Strumas aliosqve tumores diſcutit, cum hordeaceâ farinâ & acetô mixtus & impoſitus, Alopeciæ ſuccurrit illitus, defluxiones ad genua delabentes diſcutit, cum ſale & oleô arefactus tritusqve cum Naſturtii ſemine inveteratos Coxendicis, lateris, cervicis & lumborum dolores, podagras & arthritides omnes expurgat. vid. Theod. Corbei *Pharmac. ſimplic. Claſſ. 3. Sect. 4. p. m. 535.* Et juxta Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. I. f. 1137.* ſtercus columbinum perqvam nitroſum ſponte in aëre effloreſcit in Nitrum. Hinc & ex eodem rite calcinatô potens Sal diureticum ſalſum acqviri poteſt. Interim tamen in ſpiritu Vini infuſum illud parum præſtat, niſi potiùs in Vinô maceratum exprimatur. Et *fol. 1304.* inqvit: Fimus columbinus leviter eſt calcinandus, vel potiùs in aqvâ ſimplici vel vinô macerandus atqve Sal nitroſum ſeu lixivium ſummè diureticum eſt extrahendum, qvod intrinſecus hauſtum mirum qvantum expellit hydropicorum aqvas per Urinam. Acetum affuſum fimo columbino percolatum, cum paucô melle mixtum in calculi paroxyſmô egregium eſt. Ingreditur etiam Emplaſtrum ad Hydropem. *v. Pharmac: Aug. fol. m. 246. ſq.* Internè calculum atterit & Urinam pellit. vid. Joh. Schrœder *Pharmac. p. 857.* In Alopeciâ lavetur Caput lixiviô ex ſtercore columbinô combuſtô præparatô. Vulnus â Cane rabidô inflictum hoc Cataplaſmate tegebat Jobus a Meekren *Obſ. med. chir. cap. 62. p. m. 292.*

℞. Theriac. veter. ℥ß. Succ. Cepæ ℈jß.
Stercor. Columb. ʒiiß. Sal. commun. ʒij.
Pulv. Ruth. Scord. ana ℥ß. ▽ Vit. q. ſ. f. Cataplaſma.

Ad Calculum ſeqvens Medicamentum Andreæ Libavio ab amicô fuit communicatum.

℞. Tere-

℞. Terebinth. Cypriæ c. Vitell. Ovi in mortar. tepid. diſſolutæ.
Caſſiæ recenter extract. ana ℥iij.
Sem. 4. frig. major. excort. Malv. ana ʒvj.
Nucleor. Perſicor. detract. pellicul. ℥iiij.
Meſpilor. ℥iß. Stercor. Columbin. ℥ij
Mellis, Aqv. Parietar. ana ℔j. Contunde & deſtilla.

vid. Joan. Hornung. *Ciſt. med. Epiſt. 11. p. 35. 37. 39.* Contra Paſſionem hyſtericam Auſtriacæ Obſtetrices multum gloriantur de Suffitu, qvi paratur ex Stercore Columbarum rubrarum, floribus Carthami, Semine Cumini, Garyophyll. Aſſâ fœtid. Cortic. Cappar rubr. partibus æqv. qvibus lintea extra Cubiculum ſuffiantur. vid. Wolffg. Hœfer. *Hercul. med. Lib. 7. cap. 2. p. 382.* Ingreditur etiam *Emplaſtrum Magneticum*, qvod ex Agricola deſcribit Philippus Grülingus *Florileg. chym. Part. 29. p. 449.*

℞. Picis navalis ℥iiij. Sal. Arſenic. ℥iß.
Sacchar. Saturn. ℥ß. Fimi Columbin. ℥ij.
Ceræ q. ſ. pro incorporatione Emplaſtri.

Item Emplaſtrum Iſchiadicum, *in Pharmacop. Auguſtan. renov. Claſſ. 16. fol. m. 247.*

℞. Gummi Galban. Sagapen. Caſtor. ana ℥ß.
Euphorb. ʒj. Semin. Lin. Cepar. Eruc. ana ℥ij.
Pulpam Scillæ. Stercor. columbin. ana ʒiij.
Ferment. acris, Ol. Lin. ana q. ſ.

Cataplaſma Peſtilentiale *ex Pharmacop. Batean. p. 32.*

℞. Stercoris Columb. pulveriſat. ℥jv. Croc. ℥ß.
Mithridat. Theriac. Londin. Semin. Sinap. ana ℥j.
Terebinth. q. ſ. ut fiat Cataplasma pro Bubonibus rumpendis.

Ad Menſium ſuppreſſionem ſecretiſſimum & inter arcana ſibi reſervavit Matth. Franc. Hertodt Pulverem ex Cineribus ſtercoris Columbini ʒj & Croci ℈ß. vid. Joan. Ferd. Hertodt *Crocolog. cap. 20. p. 216.* Et *cap. 16. p. 177.* hanc Aqvam ſpecificam in Colicâ præſcribit :

℞. Stercor. columb. mundat. Sem. Aniſ. ana M. jv.
Vin. opt. Menſ. iiij. digeſtis per dies aliqvot add.
Flaved. Cortic. Aurant. d. & rec. ℥ij.
Croc. Auſtriac. ℥ß. deſtill. ex B. M. ſuſpenſo in roſtrô alembici. Croc, Auſtr. ℈ß. & ſi lubet Moſch. gr. v.

Servetur in vitrô bene clauſo S. Aqva anticolica. Adhibetur etiam externè ad Pſilothra cum ſemine ſinapi, naſturtii cum aqvâ humectatum, item ad præſervationem â frigore, v. Mich. Ettmüller. *Vol. I. f. 805.*

§. 7.

Eqvinum. Stercus eqvinum vel ejus ſuccus expreſſus internè in colicô dolore, ſtrangulatu uteri, in fœtu mortuô & ſecundinis expellendis propinatur, extrinſecus autem ſangvinis eruptiones cohibere dicitur. Præſtat tamen ſecundum Joh. Schrœd. *l. a. p. 824.* Stercus ex eqvô avenâ nutritô & non caſtratô. Mulieres etiam infantibus, variolis laborantibus, ad eruptionem accelerandam, ſtercus vel ipſius ſuccum expreſſum cum lacte exhibent. Operationem autem fieri ratione Salis volatilis in eô contenti, inqvit Fridericus Hoffmannus *Clav. Schrœdero Lib. 5. p. 660.* Mictionem ſupra Stercus eqvinum, recens egeſtum, dum calet, ab ægrô factam, plures ſanâſſe Ictericos, item hoc Stercus expreſſum puerperis cum vinô datum ſecundinam pellere, ex aliis Autoribus refert Johannes Ruldolphus Camerarius *Syllog. Memor. Medic. Cent. 4. §. 45. p. 220.* Ingreditur etiam Aqvam animalem *in Pharmacop. Batean. p. m. 5.* deſcriptam. ℞. Sulphuris eqvi non defatigati rec. globulos N° xij. Miſc. cum Leucœn. ℔viij. Add. Semin. Fœnic. Petroſel. ana ℥ij. Theriac. Jannanſ. ℔j. Polypod. qv. Ruſc. Fol. Hepat. ana Mij. ZZ ℥iij. deſtillat. l. △ ſ. a. Ad Scirrhum ſeqvens Cataplasma ordinat Paulus Barbette *Chirurg. Part. 2. cap. 6. p. m. 83.* ℞. Radic. Althææ ℥iij. Irid. ℥j. Fol. Braſſic. Parietar. Malv. Flor. Chamomill. Memilot. an. M. j. Sem. Lin. ℥ij. Coqv. ex Aqv. comm. & contuſ. add. Stercoris caballin. ℥ij. Axung. porc. Ol. Chamom, ana

ana ℥j. Cepar. coct. ℥ß. M. f. Cataplasma. vid. etiam Phil. Fraundorff. *Tabul. Smaragd. p. 68. ſq.* Ruſticis aliisqve vilioris conditionis hominibus ſæpius Autor fuit Johannes Petrus Albrechtus, ut ſuccum fimi eqvini cum Cereviſiâ calidâ contra Colicum morbum aſſumerent; externè autem dicti fimi portionem cum cineribus calidis commixtam tepidè regioni circa Umbilicum apponerent; qvod evporiſton nunqvam non ipſis exſtitit ſalutare. *vid. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſ. 81. p. 191.* Stercus eqvinum cum vinô calidè propinatum in atrociſſimô Colicæ dolore laudat Georgius Dethardingius *Ephemer. Academ. N. C. Cent. I. & II. App. p. 199.* Dè Arcanô antipleuriticô, Stercore ſcilicet eqvinô, ſeqventia communicat Gerhardus Arnoldus de Vincqvedes *Ephemerid. Acad. Nat. Cur. Cent. 3. & 4. Obſ. 178. p. 426.* Stercus eqvi non caſtrati parti affectæ calidè applicatum & cum hydromelite mixtum in formâ Cataplasmatis pleuriticorum ſolatium eſſe, penes omnes, qvi Medicinæ limites ſalutârunt, in confeſſô eſt. Sunt qvi idem ſtercus ſubigant cum acetô Vini, qvibus minimè aſſentior, ex eô, qvòd judicem, omne acidum eſſe huic morborum generi non parùm inimicum; ſi cui verò urinam ſtercori admiſcere lubeat, id non improbarem. Cùm itaqve laudabilem effectum ſuppeditet externa applicatio, ad interna etiam me perduxit cogitatio: Rec. Stercus eqvinum cum hydromelite mixtum, hinc expreſſum & epotum liqvorem ad ℥iiß. plus minus pro ratione ægri, pluribus ſolatio fuiſſe, multiplici experientiâ comprobatum habeo. Ne verò â laudabili hoc Medicamentô avertantur delicatuli, longêqve reddatur nobilius faciliusqve ſumpta, hac ratione elaborare ratus ſum: Colligatur qvantitas ſufficiens Stercoris & urinæ eqvi non caſtrati, ſicqve invicem mixta immittantur Cucurbitæ vitreæ, capacitatis & altitudinis ſufficientis, qvæ probè obturata ſepeliatur tempore hiemali in fimô eqvinô per menſem, æſtivali verò exponatur radiis ſolaribus per dies totidem; qvô tempore præter-

in Colicâ.

in Pleuritide.

terlapſô ad deſtillationem procedatur, impoſitô Cucurbitæ alembicô roſtratô, applicatôqve recipiente, juncturis apprimè clauſis, eâ tamen cum cautelâ, ut Cucurbita non niſi ad tertiam ſit repleta, imponatur arenæ, ignisqve primum ſubſtruatur lentus, augendo eundem per gradus, & pergendo qvousqve liqvor exſtillatus nullum ampliùs præ ſe ferat ſaporem ſalinum; hinc deſtillatum ſeponatur & caput mortuum objiciatur. Materiæ verò ſuperioris nova pars eodem modô deſtillationi ſubjiciatur, repetendo id usqve dum ſufficiens qvantitas liqvoris prolecta fuerit, qvi omnis in Spiritum volatilem rectificetur, & ſi ulteriùs corrigere eum & exaltare animus ſit, additâ raſurâ Ligni Saſſafras rectificatio repetatur, ſicqve unà cum Spiritu aſcendet Sal volatile, cujus doſis eſt a ʒß. ad ʒj. cum ſuccô Taraxaci recenter expreſſô, aut cum Tincturâ florum Papaveris rhæados, aut qvocunqve aliô liqvore appropriatô. Bis terve per diem exhibitum in qvibuscunqve pleuriticis affectionibus ſummum adfert levamen cæteris paribus, â qvorum uſu ſanè innumeri evaſère immunes, qvi morti proximi videbantur, præterqvam qvod etiam plurimos morbos ab acidô vitioſô oriundos multoties pepuliſſe compertum habeat dictus Autor, *vid. etiam Act. Eruditor. Lipſ. An. 1715. Octobr. p. 464.* Succus ſtercoris eqvini, ex pilâ ejus recenti cum Vino expreſſus, hauſtus, nobile eſt Anglorum evporiſton contra Pleuritidem, qvâ ſæpius iidem vexantur, expectando inſuper ſudorem: non ſecus ac qvoqve contra Colicam convulſivam & paſſionem hyſtericam, uti ſcribit Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. I. fol. 1161.* Et *fol. 415.* inqvit idem: Ubi metus Gangrænæ eſt, Stercus eqvinum vel ejus decoctum cum Vinô eſt evporiſton, plurimis præſtantiſſimis æqvipollens. vid. etiam plura *fol. 782.* De Valleſiis, qvos Gouchen vocant, ſtercus eqvinum aut fœnum vorantibus, nudis totâ hyeme incedentibus, vid. Georg. Horn. *Hiſtor. natural. Lib. II. cap. 22. p. 145.*

§. 8. Ad

§. 8.

Ad lutum furnorum chymicorum ſeu deſtillatoriorum ſtercus eqvinum inter alia inſervit, vid. Nicol. Lemery *Cours de Chymie Edition. Germ. p. m. 70.* Interdum etiam ad Sympathiam magicam adhibetur, qvalem ſpeciem facti de Eqvis hoc modô occiſis refert Michael Bernhardus Valentini *Novell. medico-Legal. Caſ. 50. p. 880.* Eqvis ſcilicet Concivium in pratum Johannis Henrici Brothun irruentibus, hic ſvaſu aliorum Ceſpites veſtigiis ungularum eqvinarum notatos, cum fimô illorum eqvorum, in caminô ſuſpendit; qvibus inde tabe conſumptis & pereuntibus de damnô reſarciendô agitur coram Judiciô, reqve tandem ad Facultatem Juridicam Giſſenam delatâ, ſententia ibidem ſeqvens lata fuit; ubi varia de Inqviſiti pœnâ &c. reperies. *Ad lutum & Sympathiam.*

§. 9.

Felinum ſtercus â Brunfelſiô in Scotomiâ & Epilepſiâ cum Vinô datur, qvem tamen uſum internum nemini ſvaderem, ſed potius externum ad Alopeciam & pilorum caſum admitterem, ut enim pili cadant ex qvocunqve loco, nec ampliùs renaſcantur, efficiet ſtercus felis ſiccum, tritum & forti aceto ita mixtum, ut fiat veluti ſpiſſamentum. Qvô locus piloſus multoties in die defricabitur ac inungetur, & in paucô tempore glaber depilisqve evadet v. Mizald. rediv. *N. 722. p. 313.* Econtra ad Alopeciam, juxta Joh. Dav. Ruland. *Pharmacop. ſtercor. p. 121.* ſtercus Catti vel Cattæ cum Synapi & acetô inſervit, & pilos renaſci facit. Item ex ſtercore catti cum reſinâ & Oleô roſaceô fiat peſſarium, qvod contra fluxum Menſtruorum immoderatum valet. Contra Panaritium ſeqvens commendat Oswaldus Gabelkhover Artzney-Buch *p. 442.* Stercus felinum circumliga digito & morietur vermis. Si ſtercus fuerit durum, aqvæ illud impone, ut molleſcat, & applica. Alii miſcent ſtercus cum melle & imponunt, & qvidam illud cum farinâ tritici commiſcent, ſi eſt liqvidius. Utrum verò in Panaritiô vermiculus *Felinum.*

reperia-

reperiatur? negant eqvidem pleriqve recentiorum, alii tamen præter Gabelckoverum intolerabilem hunc in digito dolorem a vivô verme derivant, de qvô alibi. vid. Joh. Agricol. *Chirurg. parv. Tract. 5. p. 552.* Et ſeqventem Obſervationem recenſet Chriſtianus Franciſcus Paullini *Obſ. med. Phyſ. Cent. 4. Obſerv. 61. p. 486. ſq.* Nuperrimè, inqviens, vicini Paſtoris filia novendecim annorum jam per biduum intolerabiles cruciatûs in mediô digitô ſentiebat, ego forte villam iſtam tranſiens vocor in auxilium; Juſſi ut imponerent vel Stercus felinum, ſeu anſerinum, imprimis maſculi, idqve recens & adhuc calidum; Placuit prius & mox Vermiculus prorepſit ſubfuſcus & hiſpidus, omni dolore ſublatô.

§. 10.

Gallinaceam. Stercus Gallinaceum ad Ambuſtiones præſcribit Paulus Barbette *Chirurg. Lib. 3. cap. 6. p. 165.* in hac formulâ:

℞. Fol. Salv. recent. Mj Plantag. Mij.
Butyr. recent non ſalit. ℥vj.
Stercor. Gallin. recent. & qvantum haberi poteſt albiſſimi. ℥iij.

Frixentur per horæ qvadrantem & expreſſio ſervetur uſui, &c. Hoc ungventô Miles pauper dives factus eſt. vid. etiam Joh. Munnicks *Chirurg. Lib. 3. cap. 8. p. 355.* it. Eberh. Gockel. *Gallicin Cent. I. Conſil. 24. Sch. p. 91.* Idem medicamentum. Sine Barbette mentione etiam Monſieur le Clerc dans la Chirurgie complette *p. m. 209.* his verbis deſcribit: Prenez une poignée de feüille de ſauge fraiche, deux poignée de platin, ſix ouces de beurre frais ſans ſel, trôis once de fiente de poulé recente, & la plus blanche, qu'on peut trouver. Fricaſſez le tout pendant un quart d'heure, exprimez & le gardez. Contra Philtra magica, in ſpecie ex ſangvine menſtruô fœmineô Decoctum ſtercoris gallinacei experientiâ Helidæi prodeſſe ſcribit Georgius Abrahamus Mercklinus *de Caſib. Incantat. p. 274.* Juxta

Joh.

Jo. Schrœd. *Pharmacop. Lib. 5. p. 860.* ſtercus gallinaceum omnia ea præſtare aptum eſt, qvæ columbinum, ſed inefficaciùs, privatim tamen colico & uterino dolori convenit; Valet itidem maximè ad Icterum, calculum & urinæ ſuppreſsionem. Abſceſſûs etiam morbi lateralis diſrumpit. Gallinarum ſtercus in pulverem exſiccatum furnô vel ſtuphâ, commodè absqve aliâ præparatione exhibetur adverſus Colicos dolores, inqvid Petrus Poterius *Pharm. Spagyr. Lib. I. Op. p. 445.* Nobilis qvidam Colicis doloribus obnoxius, ſe illos depellere poſſe gallinaceô fimô in Vinô diſſolutô & expreſſô gloriari ſolebat. vid. Theodor. Corbei *Pharm. Simpl. Claſſ. 3. Sect. 4. p. 535.* Summum & certiſſimum ad ictericos remedium paratur ex Gallinarum Stercore albô ſeu gilvô, ſeorſim collectô, & pulveriſatô. Doſis eſt ʒß in Vinô per qvatuor vel qvinqve dies, & mira præſtat, inqvit Claudius Deodatus *Hygiaſtic. Lib. I. cap. 37. p. 361.* vid. etiam Joſ. Qvercetan. *Pharmacop. p. m. 140.* Ad Colicam, Iliacam, Tormina, ſuffocationem & dolorem matricis, venena, lumbricos, cum acetô vel vinô ſumptum ſtercus gallinaceum â variis Autoribus commendatur. Item externè ad oculorum claritatem, ulcera, verrucas, cicatrices, hæmorrhoides, ad pedum & brachiorum dolores. &c. vid. Joh. Dav. Ruland. *Pharmacop. ſtercor. cap. 28. p. 152. ſq. Et p. 156.* ad Sqvinantiam ſeqvens Cataplaſma deſcribit:

℞. Stercor. Gallinar. ℥iv.
Farin. Fabar. ℥ij f. Cataplaſma.
Aliud. ℞. Ungv. dialth ℥iiij.
Ol. Lilior. vel Amygdal. ℥ij.
Stercor. Gallinar. ℥vj. f. Cataplaſma.

§. II.

Hirundinis ſtercus intrinſecus & extrinſecus uſurpatur inprimis in morſibus canis rabidi, in doloribus Colicis & nephriticis, *Hirundinum.*

ticis, vid. Joh. Schrœd. *l. a. p. 862.* Stercus hoc potatum qvartanam ſtatim auferre dicitur. Externè ad Capitis dolorem prodeſſe ſcribit Galenus, ſi Stercori Hirundinum ex nidô acetum admiſcetur, & ſupra frontem emplaſtratur, vid. Joh. Dav. Ruland. *l. a. cap. 23. pag. 194.* qvô locô etiam de Capillorum infectionibus ita ſcribit: Si Capillos candidare velis, Hirundinum ſtercus cum felle taurinô contritum ſumas, loca contingas & ungas freqventiùs. Ad Capillos denigrandos ſtercus Hirundinum accipe & admiſce acetum, impone in vas vitreatum, idqve reconde 35. dies in fimo eqvino. Illine poſtea ad umbram caput tonſum, prius autem faciem unge adipe cervinô, ne ad eam deſtillet, & dum caput ſiccatur, in ore tene oleum, ne dentes lædantur, ac poſt dies qvatuor lava caput iterum. Item ad alvum laxandam fiat ex ſtercore Hirundinum cum Mellis ſ. q. ſuppoſitorium. Juxta Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. I. fol. 1161.* in anginâ & tonſillarum inflammatione inter euporiſta externa numeratur Cataplasma ex nidô hirundinum; qvod tamen ratione limi vel ſtraminis parum præſtat, potiùs ratione ſtercoris ſalini ammoniacalis reſolutivi non contemnendum eſt, præſertim cum lacte paratum. Statuit autem Ettmüllerus l. a. ſtercora animalium omnium participare de natura ſalis armoniaci, conſtare qvippe ex acidô & alcali volatili oleoſô, qvæ coëant in ſal tertium armoniacale volatile. Et *fol. 807.* idem Autor nidum hirundinum unà cum excrementis contra anginam & tonſillarum inflammationem ſpecificum & uſitatiſſimum remedium vocat, interim addit, nidum nil valere, ſed excrementa maximè ſalſa nitroſa, qvæ illic reperiuntur. Cataplasma autem pro hoc ſcopo ex nido hirundinum Chirurgis expertiſſimum ita præparatur. Nidus ſicut ſub tectis eſt, contunditur & coqvitur, & per ſetâceum trajicitur, fitqve Cataplasma, qvod applicatum circa regionem inflammationis tonſillarum vel anginæ eſt exper-

expertum. Nonnulli etiam admiſcent Olea & alias Species, v. g. Hadrianus à Mynſicht. *Theſaur. ſ. Armament. Chym. Sect. 37. p. m. 459.* in Cataplasmate de nidô hirundinis, cujus Deſcriptionem ex eodem Autore jam ſupra §. 4. p. 806. adduximus. Alia Cataplasmata vide etiam apud Mich. Ettmüll. *l. a. fol. 807.* qvi hoc ſtercus locô albi Græci Gargarismati addit.

§. 12.

Stercus Leoninum in Partûs difficultate laudatur à Fridericô Hoffmannô *Clav. Schrœd. p. 678.* & qvidem ſtercus ex Leone fœmina, fœtum jam enixâ, exceptum, non ſolum per ſe exſiccatum mira præſtat in forma pulveris adſumptum, ſed & ad Epilepſiam Spiritus exinde paratur, tam ſimplex, qvàm compoſitus ant-epilepticus, ſeqventi modo: Rec. Cinerem Cornicis ex nido extract. Turturem unum uſtum, Cran. hum. combuſt. ℥j. Gran. Tiliæ. ℥ij. Stercor. Leon. ℥ß. Hæc ſeorſim per ſe in ſingularibus Cucurbitis perfundantur ſpiritu vini ad trium digitorum eminentiam. Stent in vaſis clauſis in digeſtione per triduum, aut ſi una infuſio non ſufficit, fiant plures. Poſtmodum adde tantum vini Malvatici, qvantum Aqva Vitæ extract. Sacchar. Cand. ℥jv. repone in vaſe vitreô optimè munitô. Eſt autem hoc medicamentum Elixir Epilepticum Cratonis, uti deſcribitur â Johann. Schrœd. *Pharmacop. p. 186.* Wolffg. Hœfer. *Herc. Med. Lib. 1. cap. 2. p. 17.* Idem medicamentum tanqvam remedium ſecretiſſimum ac certiſſimum contra Apoplexiam, qvo curatus eſt â Monachô, miſſô a Cardinali, Dux Auſtriæ epilepticus, deſcribit Conradus Victor Schneiderus *de Apoplex. cap. 22. p. m. 807. ſeq.* De ſtercoris Leonis virtute antepilepticâ ita qvoqve ſcribit Fridericus Hoffmannus *de Method. medend. Lib. 1. cap. 19. p. 283.* Stercus Leonis exſiccatum & pulveriſatum egregium eſt ant-epilepticum, & ejusdem ſpiritus adhuc præſtan-

Leonum.

Ω antepilepticus.

Elixir Epilepticum.

ſtantior, non omnibus obvius, ſed principibus Viris tantùm ſingularis. Doſis à guttis qvatuor ad ſex vel ſcrupulum ſemis in convenienti liqvore.

§. 13.

Leporinum. Leporinum Stercus calculoſis prodeſſe dicitur, vel ejus cinis exhibitus, in potu Dyſenteriæ convenit, & impoſitum ambuſtis medetur, juxta Joh. Schrœd. *l. a. p. 839.* Ad Herniam ſeqvens Medicamentum præſcribit Arnoldus Weickhardus *Theſaur. pharmac. ſive Tract. pract. cap. 18. fol. m. 313.*

℞. Mumiæ ʒij. Limatur. Chalib. præparat. ʒj.
Stercor. Lepor. ſicc. Ciner. Lumbric. ana ℈ij.
c. ſucc. Herniar. aut Violæ tricolor. coctô cum Saccharô in formam Syrup. redigantur, aut cum infuſ. Gumm. Tragacant. f. Maſſa, capiat. ℈ij vel ʒj pro vice. Stercus Leporis cum melle mixtum ad formam fabarum & ſæpe exhibitum Herniam conſolidat & Crepaturam. Cinis ſtercoris, carnis & pilorum Leporis ſumptus frangit & expellit calculum & arenas. Leporis ſtercus cum Vinô ſolutum potum deſperatos colicos ſanat, uti Johannes David Rulandus *Pharmac. ſtercor. cap. 34.* ex Theſ. Paup. &c. recenſet, ubi adhuc plura, e. g. externè pro Sciaticis: Stercus Leporis diſtemperatum cum vinô calidô emplaſtratum Sciaticos omninò curat deſperatos; item ad Vulvæ conſtrictionem & ad facilem conceptionem ℞. Stercor. Lepor. Aſphalt. Peucedan. ana, cum Cerâ temperentur, ut fiant Trochiſci, de qvibus fiat ſuffumigium per inferiora. Vel Recipe coagulum & fimum leporis ana, miſce cum melle & peſſarii locô adhibe tribus diebus ac totidem noctibus. Et qvamvis antea ſterilis fuerit, deinceps tamen concipiet. Contra Madaroſin ſive defluvium pilorum in Ciliis atqve Superciliis ſeqvens Ungventum ordinat Petrus Foreſtus *Obſ. med. Lib. XI. c. 46. f. m. 55.*

℞. Stercor. leporin. & hircini ana ℥ij.
Cortic. auellanar. aduſt. ʒij.
Pingvedin. Urſi, vel (ſi deſit) caprin. q. ſ. f. Ungventum.

Idem

Idem Foreſtus *Lib. 21. Obſ. 22. Schol. f. 822.* contra dolorem iſchiaticum *Emplaſtrum* ex variorum animalium ſtercoribus applicare docet. De Stercoris leporini uſu ita canit Balduinus Ronſſeus *de Venation. medic. p. 6.* & qvidem ad fœcunditatem:

Smegma parant alii leporis de Stercore, ſæbum
Cui bovis eſt mixtum, qvô uſu poſcente linuntur
Partes obſcenæ, hinc Veneris commercia miſcent. &c.

Item.

Diſſimulare ſuos coitus laſciva puella
Si cupit, incaſſum & Veneris gaudere duello,
Servatum geſtet leporis perizomate ſtercus.

Porro p. 8.

Qvando uteri nimis diſtenti flatibus urgent,
Siccatum ſtercus bibitur cum Nectare vitis.

& paulo poſt:

- - pilulæ qvoqve ſtercoris ejus
Septenæ ex Vinô ſumptæ vires recreabunt. &c.

§. 14.

Dominicus Panarolus *Pentec. III. Obſ. 36. p. 92. ſeq.* ſtercus lupinum optimum Colicorum Cruciatuum remedium vocans inqvit: ſi Medicus aliqvando in impatientes incidat, qvi colicis doloribus afflicti ſint, propinandum adminiſtretur cum Vinô vel liqvore convenienti, ſtercus lupinum in ſubtiliſſimum pulverem redactum, ad unius ſcrupuli pondus. Mirandum dictu, acerbiſſimos dolores citò hoc pulvere evanuiſſe vidimus: qvi in Colicis omnibus doloribus, tam â frigidâ, qvàm calidâ cauſâ ortis, ſummoperè auxiliatur; non operatur enim qvalitate manifeſtâ, ſed tantum occultâ, ut pluries experti fuimus. Stercus lupi recens (ſi haberi qveat) maceretur in ſpiritu vini fortiori per noctem, exprime tunc, & da ante Paroxyſmum febrilem ab Unciis tribus ad qvatuor; qvod ex relatione Vena- *Lupinum.*

toris communicat Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lycograph. Sect. III. cap. 4. p. 189.* Secundum Mich. Ettmüller. *Oper. Tom. I. fol. 794.* eſt Stercus revera decantatum & expertum remedium contra dolores colicos &c. Lupi ſtercus ejusdemqve Inteſtina contra Paſſionem Colicam commendantur, imprimis illud ſtercus, qvod albius eſt, qvale, ubi Oſſa comederint lupi, ſolent excernere, item qvod non decidit in terram. Ea enim eſt Luporum natura; qvæ canum, ut ſuſpenſô alterô poſteriorum crurum & mejant & cacent in eminenti qvopiam locô ex terrâ; itaqve in ſpinis ſæpe æſtate ſtercus lupinum reperitur, & fruticibus, vepribus herbisqve proceribus. vid. Theodor. Corbei *Pharmacop. Simplic. Claſſ. 3. Sect. 4. p. 534.* ubi pergit: Lupinum ſtercus, dictô modô collectum, qvidam colicis potandum dabat, non tantùm in ipſis paroxyſmis, ſed etiam in intervallis, ſiqvidem phlegmone vacarent. Qvorum ego qvosdam vidi non ampliùs hôc affectu correptos, & correptos non ampliùs id graviter paſſos, ſed nec poſt paucum tempus. &c. Alii ſtercus recens, ligatum in cruribus, brachiis, vel in pectine ſtatim dolorem tollere dicunt; alii ex vinô albô, vel acetô potui dant. vid. Joh. Dan. Ruland *l. a. p. 149. ſq.* In Vertigine hunc pulverem ſibi ipſi qvidam Medicus præſcripſit.

℞. Rad. Doron. præp. ʒj. Stercor. lupini & pavonin. ana ℈ij.
Succin. alb. Magiſter. Corall. ana gr. xvj.
Sem. Coriandr. præp ʒß. Ol. ſtillat. Majoran. Salv. ana gtt. ij.
Sacch. perlat. ad pond. omn. Detur ad ʒj.
in Aqvâ Ceraſ. flor. Tiliæ ſeu Lavendul.

Ad ſuffuſionem. vid. Chriſt. Franciſc. Paullin. *Lycograph. cap. I. p. 126. ſeq.* Lupi Excrementis circumliniri ſuffuſos prodeſt, vel Cinere eorum cum Atticô Melle, ex Oppianô & Sextô refert Lævinus Fiſcherus *Corpor. medicin. imper. Lib. 3. Tit. 18. p. 308.* In Dentitione difficili Vetula commendavit tria animalium Stercora de collô infantis ſuſpenſa, leporis puta, lupi & corvi; In Odontalgiâ nonnulli Cavitatem dentium ſtercore lupinô replent. Et Tobias

bias Buchfeld, Medic. Candid. juveni ruſtico in Pruſſiâ ex pomis putridis, ſtercore lupi & canis, nec non oleô roſat. omphac. faciebat Cataplaſma, loco dolenti tepidè imponendum, qvod mirificè prædicabat ille. vid. Paullin. *l. a. p. 142. ſeq.* Ad hæmorrhagiam Narium idem *p. 145.* fumum ex Stercore lupi combuſtô nonnullis placere ſcribit. Alii ſolô ſtercore in vinô rubrô ſumtô fluxum hunc ſiſtunt. De Stercore lupinô, cui in doloribus Colicis, uti modò diximus, compeſcendis magna vis adſcribitur, ſubmonet Tobias Coberus *Obſerv. Caſtrenſ. Dec. 2. Obſerv. 8. p. m. 38.* illud non niſi Corpore per enemata ſeclusô in uſum admittendum. Cùm enim inter plures alios Dominus Tſchirnhauſs in vinô generoſô ſesqvidrachmam illius, Ventre prorſus conſtipatô, epotâſſet, non modò non meliùs, ſed longè pejùs deinde ſe habuit, qvod apud plures alios uſu veniſſe eſt expertus. Lupi Stercus in ſtabulis pecudum occultatum non ſolùm eos â conſvetô cibô deterret, ſed etiam veluti œſtrô qvodam maleficii actas ultrò citroqve exagitare, balare, & continenter trepidare cogit, ac ſi præſens eſſet, aut cum eis diverſaretur infenſiſſimus ac voraciſſimus illarum hoſtis, lupus. Qvem vel ex ſolô odore latitantis ejus fimi ſibi inſidiari putant; Nec iis rebus finem faciunt, donec ablatum ſenſerint dictum ſtercus. Hôc ſanè aucupiô vidit Mizaldus qvosdam impoſtores circumforaneos jactitantes, ſe pecoris ægrotantis, vel aliter affecti, ſummos eſſe Medicos, magnâ pecuniâ ſimplices ruſticos emunxiſſe, vel pro pecuniâ præpingvem oviculam ſecum aſportâſſe. vid. Mizald. rediviv. *Memor. Cent. 3. p. 106. ſq.* Vel juxta Joh. Wier. *de Lamiis cap. 19. Oper. p. m. 725.* Agyrtæ pro hoc ſcòpo lupi ſtercus clam in præſepibus condunt. *Antipathia.*

§. 15.

Murium ſtercus tam internè qvàm externe pro uſu medicô adhiberi ſolet, ſiqvidem ſecundum Joh. Schrœder. *Pharmacop.* *Murinum.*

macop. p. 842. movet alvum infantum ad grana tria vel ſex exhibitum, inſervit Clyſteribus & glandibus, alopeciæ ſuccurrit, furfuresqve Capitis abſtergit illitum, Calculos renum & veſicæ atterit; Condylomata omnisqve generis verrucas, ficûs, mariſcas & mora ani tollit, cinis cum Vinô coctus & applicatus. Qvod etiam ex variis Autoribus confirmat Joh. David Rulandus *l. a. p. 122. ſqq.* Ad laxandam alvum ſtercora tria vel plura pulverata vel contrita cum lacte, vel juſculo, vel pulte infantibus exhibeantur, vel miſce ſtercus murinum cum Butyrô, impone ſupra umbilicum, magnitudinem nucis juglandis. Vel teratur ſtercus muris, & parum de eô in Umbilicum immittatur. Aut frica Orificium ani infantis cum dicto ſtercore, cum parvô digitô. Porrò ad Veſicæ Calculum commendatur in potu ſumptum hoc ſtercus; item ad Hæmoptyſin. Ad ſangvinem coagulatum ex Gabelckoverô ſeqvens præſcribit:

℞. Stercor. murin. elect. ℨiß.
Lacc. rub. 🜄 Sigillat. Mum. Spermat. Ceti ana ʒj.
Bol. Armen. ℥ß. Doſ. ʒj. vel. ℨß.

Contra ſangvinis rejectionem per Os accipiuntur ſcrupuli duo ſtercoris muris ſubtiliter triti, & ſucci plantaginis Unciæ duæ vel tres, cum modicô Sacchari. v. Mizald. rediv. *Memor. n. 850. p. 354.* Ad augendam barbam hoc Linimentum habet Philippus Müllerus *Mirac. Chym. p. 107.* ſcilicet:

℞. Ciner. Talp. ℥ij.
Apum.
Avellan. toſt. ana ℨß.
Stercor. mur. ʒij. Ladan. optimi. ʒiß. Mellis ℥ß.
Ol. Nardin. & Cer. q. ſ. f. Linimentum.

Stercus murinum detritum cum acetô & illitum furfures capitis abſtergit & Alopeciis medetur; cum thure & mulſô Calculos expellit. Cum melle ſupponitur infantibus, ut alvi dejectionem moliatur, inqvit Caſparus Schwenckfeld *Theriotroph. Sileſ. p. m. 114.* Non modò ſtercus paſſerinum & muſcerdam

revera

reverà infantes egregiè laxare, ſi nempe hujus duæ vel tres pilulæ in lacte aſſumantur, ſed etiam majorum murium ſtercorum pilulas numerô novem deglutitas menſes Mulierum expellere, ſcribit Michael Ettmüllerus *Oper.Tom. I. fol. 1161.* Et *f. 1080.* inqvit: Muſcerdæ globuli tres vel qvatuor infantibus propinati in lacte maternô optimè eosdem laxant; nec contemnendum eſt hoc remedium in Caſu contumacioris alvi; delicati eorum ſex cum lacte ſubactos per linteum exprimunt, ſuccum exhibendo. De Muris excrementis locô Confectionis Catechu comeſtis ſeqventem Obſervationem refert Vitus Riedlinus *Linear. medic. An. 1698. Febr. Obſ. 21. p. 149. ſeq.* Vir qvidam, acuti aliàs judicii, cùm qvinqvagenariô major Catarrhis ſæpius vexaretur, vel hac de Cauſâ Confectionem Catechu, qvæ â Murium excrementis adeò parùm differt, ut & â multis hoc nomine inſigniatur, licet ſibi ingratam, ſæpius tamen in uſum duxit, non multùm autem priùs maſticavit, ſed ſtatim deglutiit; unde aliqvando de lectô ſurgens, & in menſâ aliqvot murium excrementa videns, hæc pro Confectione illâ, ex negligentiâ domeſticorum ibi diſperſâ habuit, indeqve, ut aliàs comedit; tum demum erroris ſui certior factus, cùm negligentiam domeſticis exprobrâſſet, & illi, ſe nec vidiſſe qvidem Confectionem Catechu, tantùm non juratò teſtati fuiſſent, unde poſtmodum, cùm in reſiduum diligentiùs inqviſitum fuiſſet, qvid propriè comederit, conſtitit, & ipſi haud parvam nauſeam movit.

§. 16.

Stercus ovillum cum Petroſelinô ſumptum ad Auriginem ſeu Icterum adhibetur. vid. Joh. Georg. Macaſ. *Promptuar. mater. med. p. 807.* Opilionem ſervo ſuo Icterico per qvindecim dies manè Unciam unam Stercoris ovilli in Decoctô Petroſelini dediſſe, refert Chriſt. Franc. Paullini Dreck-Apoth. *Sect. 2. cap. 12. p. 131. ſeq.* Contra inflationem Inteſtinorum Johannes Chriſtianus Frommannus abdomini hoc Cataplaſma ordinavit: *Ovillum.*

Mmm mm Rec.

Rec. Stercoris ovilli præter propter ℔j. Pulv. Carvi & Sulphuris ana ℥iij. in aqvâ & vinô commiſta coqvantur &c. *M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 206. p. 393.* Contra inflationem Pedum & Teſticulorum in Hydrope ſeqvens Johannes Stockerus expertum vocat, Rec. Conchas cum conchiliis ſuis, Stercoris ovilli, ana, contundantur optimè & longâ agitatione ad ſpiſſitudinem; Emplaſtrum apponatur locis, eſt expertiſſimum. v. Stocker. *Empiric. Lib. I. cap. 23. p. 85.* Ad Variolas pro gregariis ſeqvens decoctum præſcribit Johannes Franciſcus Löw *de Variol. p. 249.* Rec. Lentium ℥jv. Ficuum No. xvj. ficus ſecentur per medium, & fiat decoctum in ▽ ℔xij. ad tertiæ partis conſumptionem; bibat ad libitum. Rec. hujus decocti ordinarii ℥ij. iij. vel v. Stercor. recent. Vervec. Hammels-Koth. Miſce cum decocto & percola per linteum, & de hoc exhibe ſingulis octo horis, vel bis per diem, & deſuper ſudet. Fœmina qvædam ruſtica in contumaci obſtructione & dolore alvi, foliis ſenæ & Rhabarbarô incaſſum uſa, ſtercus recens ovillum Cataplasmatis formâ alvô imponens naturam à ſarcinâ liberavit, teſte Jacobô Auguſtô Hünerwolfiô *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 94. p. 185.* qvi pag. ſeq. hanc addit Obſervationem: Chriſtophorus Neubauer, figuli Arnſtadienſis filiolus biennis, poſt variolas epidemias phagadænica in tibiis ſervavit Ulcera, qvæ ſat diu Chirurgorum illuſêre manus, & tandem inſperſô pulvere ſtercoris ovilli feliciter â parentibus fuêre ſanata. Cataplasma ad Clavum in digitô pedis & qvidem mirificum & ſingulare in hoc tumorum genere adhibet Philippus Grülingius *Curat. Cent. Obſ. 8. p. 10. ſeq.* Rec. Stercoris ovilli ℥j. Acet. Vini acerrim. q. ſ. Contunde & miſce, ut fiat Cataplasma. Primò ſupra Clavum imponatur Emplaſtrum diachylon, ut totus digitus eô contegatur. In mediô autem ſit rotundum foramen, ſuper qvod foramen, qvod nullum exhibet clavum, impone ſuperius Cataplasma ex ſtercore ovillô paratum, & ter in die renovetur. Et ſic paulatim totus clavus pauxillô tempore

pore abſumitur, adeò ut ne veſtigium qvidem ejus remaneat. Idem ſtercus acetô dilutum ad verrucas, morum, myrmecias, thymos, furunculos adhibetur, vel etiam Emplaſtrum ex ſtercore & melle. Ad combuſtionem ignis valet Ungventum factum de ſtercore ovium, cera & oleô communi, vid. Joh. Dav. Ruland. *l. a. p. 64. 66.* it. Petr. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. II. cap. 73. fol. 309.* Seqvens Ungventum ad Ambuſta præſcribit Johannes Muraltus *Chirurg. p. 792.* *Ad ambuſta.*

℞. Cortic. inter. Tiliæ, Sambuc. ana Mj.
Semin. Lin. ℥iß. ▽ Flor. Sambuc. ℔iij.
ſtent per 2. noct. & dies in leni digeſtione, tunc. add.
Stercoris Ovill. ℥j. Butyr. Majal. non ſalit. ℔j.
Coqv. in Vaſ. fictil. bene vitreatô ad Conſumptionem humiditatis, cola per linteum & exprime, add.
Ceræ ℔j. f. Ungventum molle, qvod calide pennâ ambuſtis illinatur.

De Stercore ovillô, locô Pilularum exhibitô, hanc obſervationem recenſet Vitus Riedlinus *Linear. med. An. 1696. Apr. Obſ. 8. p. 164. ſq.* Contraxerat Illuſtris cujusdam Comitis ſervus ex impurô & illicitô Coitu Gonorrhæam, cùmqve de hôc malo apud coqvum ejusdem Domini, qvem pro fidô habebat amicô, conqveſtus fuiſſet, ille ſtatim hunc ſimplicem ſe luſui habere velle ſecum conſtituit; reſpondet itaqve, ſibi reſtare adhuc certas qvasdam pilulas, qvæ tum ſibi ipſi, tum aliis in hoc malô mirum qvantum profuerint, ſi gratis veſtem conficere velit, erat enim æger ſimul ſartor, ſe illas communicaturum; annuit ſtatim miſer, &, qvæ alter deſiderat, promittit, qvinimo, ut Pilulas proximè ſuppeditet anxiè rogat. Coqvus certum denominat tempus, & interea aliqvot ſtercori ovilli globulos in ſtabulô colligit redeuntiqve ſartori exhibet, qvi avide eos, & qvidem per aliqvot dies deglutiit, donec nonaginta tales Pilulas conſumſit, ex qvarum uſu malum tantum mitigatum ſibi credidit, ut non ſolum

immenſas gratias coqvo egerit, ſed & promiſſis, veſtem gratis conficiendo, ſteterit.

§. 17.

Pavoninum. Pavonis ſtercus proprietate Vertiginem & Epilepſiam ſanare dicitur, imprimis in dies multos exhibitum; exſiccatum nimirum & pulveriſatum ad drachmam unam maceratur per noctem in vinô; hinc trajectum per linteum exhibetur, continuando â noviluniô usqve ad plenilunium aut ampliùs, ſi opus eſt. vid. Joh. Schrœd. *l. a. p. 865.* Idem qvoqve ex Qvercetanô confirmat Joh. Dav. Rulandus *l. a. p. 199.* Contra Vertiginem inqviens, remedium paratu facillimum occurrit, cujus uſu Vir qvidam magnæ authoritatis & de totâ Galliâ perqvam optimè meritus â gravi qvadam Vertigine ſcotomaticâ feliciter reſtitutus fuit. Paratur autem ex ſtercore Pavonis maſculi pro maribus, qvod ſiccandum & pulveriſandum, deinde maceretur de eô drachma una per noctem integram in Vinô albô: omnia per linteum trajecta exhibeantur vertiginoſô, idqve continuetur â Noviluniô ad plenilunium &c. vid. Dan. Sennert. *Pract. Lib. I. Part. 2. cap. 4. p. 274.* Chriſt. Joh. Lang. *Oper. Lib. 1. fol. 460.* Lazar. River. *Prax. Med. Lib. I. cap. 9. p. 100.* Philipp. Müller. *Mirac. Chym. Lib. 5. p. m. 107.* Stercus Pavonis absqve omni præparatione in formâ pulveris cum Saccharô mixtum & exhibitum ad drachmam ſemis vel integram Vertiginem inveteratam curat. v. Joh. Hartmann. *Pract. Chymiatr. fol. m. 25.* Ad Epilepſiam Pavi Stercoris pulvis cum vinô ad drachmam unam lunâ ſilente deglutitus præſtantiſſimum eſt remedium, (ſi ſemel in Menſe ſumatur, per aliqvot menſes) tam ad ſacri morbi paroxyſmorum ſævitiam compeſcendam, qvàm omninò curandam, vid. Petr. Borell. *Obſ. med. Cent. III. Obſ. 15. p. 210.* Anno 1619. Illuſtris Neogamus amore formoſiſſimæ puellæ, qvam jam qvintum deperibat annum, potitus, in arcem qvandam ducit, ibi cùm amore ſe pulcherrimô ad ſatietatem explet, depleri facultatem animalem

malem puriſſimamqve ſpirituum partem abſumi non ſentiens, Epilepſiâ corripitur. Huic â paroxyſmô excitato album Pavoninis excrementis deraſum, in decocto millefolii, qvod caſu ad manum erat, Henricus ab Heer propinat, a cujus ſumptione aliqvot horas liber erat. Certum Experimentum contra Epilepſiam Julianæ Comitiſſæ in Naſſaw ex Gabelkovero deſcribit Joh. Dav. Ruland. *l. a. p. 198. ſeq.* Rec. Stercor. Pavon. Mj. Vin. ℔iß. Miſce, cola, colaturam deinde divide in tres partes, partem da ſtatim poſt paroxysmum, ſi poteſt bibere, decumbat in lectô & bene coopertus ſudet æger. Si morbus comitialis redit, da iterum poſt paroxysmum, & contectus in lectô rurſus ſudet. Tertiam partem da poſt dimidiam horam, & in lectô coopertus ſudet iterum, & ſudor ſemper abſtergatur bene. vid. etiam Oswald. Gæbelkhov. Artzney-Buch *p. m. 22.* Stercus Pavonis ingreditur etiam Pulverem epilepticum pro pauperibus D. Scretæ.

℞. Rad. Pæon. mar. Valerian. ſylveſtr.
Viſc. qvern. Sem. Pæon. ana ℥ß.
Raſur. Corn. Hirc. Stercor. Pavon. Vacc. nigr. combuſt.
Hirund. deplumat. toſt. Ocul. ♋. ppt. Corall. r. ppt.
Semin. Rutæ & Nigell. an. ʒij. Succin. alb. ʒij.
Caſtor. Nuc. Moſch. ana ʒj. M. f. Pulv. ſubtil.
Doſ. ʒß. bis in die ex Aqv. Ceraſor. nigr.

vid. Roſin. Lentil. *Miſcell. Med. Pract. Part. III. p. 83.*

In Vertigine ſeqvens ungventum præſcribit Chriſtianus Franc. Paullini *Lycograph. Cap. I. p. 136.*

℞. Balſam. Rut. ʒij. Pingved. Cicon. ʒj.
♎ Lilior. convall. ℈j. Sangvin. lupin. gtt. xxjv.
Stercor. Pavon. ℈j. M.

Huc pertinet etiam Pulvis Eberhardi Olfers ad Vertiginem.

℞. Stercor. Pavon. maris purior. in Umbra exſiccat.
Rad. Doronic. (ſeu Cerebri Sciur. rubr. exſicc.) ana ʒj.
⊖ volat. Succin. Lap. ♋ crud. ana ℈j.
♁ ♂t. Elæoſacch. Aniſ.

Theriac. cœleſt. Caſſell. ana ℈ß. M. f. Pulv.
Doſ. ʒj. pro adultô cum Iuſculo Chærefol. præmiſſô tamen Emeticô. vid. Chriſtian. Franc. Paullin. *de Theriac. cæleſt. p. 80. ſeq.* Pulvis ad Vertiginem Claudii Deodati.
℞. Cinabaris nativ. ℥ß. Magiſter. Corall. Perlar. ana ℈ij. Stercor. Pavon. ppt. ℥j. Croc. orient. ℈j. Folior. ☉i no. 6. reduc. ad alcohol ſupra marmore. doſ. gr. x.

v. Cl. Deodat. *Hygiaſtic. Lib. III. cap. 18. p. 77.* Inqvit etiam Michael Ettmüllerus *Op. Tom. I. fol. 1161.* Stercoris Pavonis præter Borellum Williſius ad Vertiginem commendat: ad cujus imitationem ego nuper egregium effectum videns, illud non rejiciendum puto, vid. etiam *fol. 808. ſq.* Nobiliſſima qvædam Matrona hac arte ſanabat epilepticos: accipiebat acetum Garyophyllorum rubris floribus imbutum, miſcebat fæces Pavonis, trajiciebat per linteum: propinabat hoc novem continuis diebus, uti ex Joh. Heurnio refert Theodorus Corbeus *Pharmac. ſimpl. Claſſ. 3. Sect. 4. p. 536.* Inqvit autem Daniel Ludovici *Pharmac. Diſſert. I. Oper. p. 341.* Pavonis ſtercus curioſiores Epilepticis Vertiginoſisqve plus vice ſimplici, ſed fruſtra, dediſſe vidimus.

§. 18.

Suillum. Stercus ſuillum ſeu porcinum hæmorrhagiam narium & uteri ſiſtit, & qvidem pro odore naribus objectum, vid. Wolffg. Hœfer *Hercul. Medic. Lib. I. cap. 9. p. 79.* ubi pergit, parentem ſuum pulveriſata ollæ veteris fragmenta admiſcuiſſe, ſicqve ad miraculum ſangvinem ſtitiſſe. Hoc ſtercus in aqvâ tritum & illitum hæmorrhagiam narium ſiſtit, juxta Joh. Schrœd. *l. a. p. 848.* & in hæmorrhagiâ Uteri calidè adhuc, linteo incluſum, Vulvæ appoſitum expertum eſt remedium. In hæmorrhagia narium Lanio qvidam ſexagenarius poſt plurima incaſſum tentata remedia ex ſolô ſtercoris porci calidi uſu, cujus odorem naribus excepit, intra duas horas convaluit. vid. Phil. Grüling. *Curat. Dogmat. hermet. Obſ. 46. p. 51.* Juxta Mizald. *Cent. 8. n.*

763.

763. p. 327. ultimum refugium in ſiſtendô ſangvine eſt Stercus porcinum. Et *n. 886. p. 367.* inqvit idem, Sangvis ex qvacunqve parte corporis immodicè fluens illicò ſiſtitur, ſi ſubtili & rarô bombace involutum ſtercus ſuillum adhuc calens, in nares, pudendum muliebre aut locum alium ſangvine manantem, intrudatur. Qvod ruſticis potiùs, qvàm aulicis ſcriptum erit, ut ſimiles habeant labra lactucas. Ad hæmorrhagias Vulnerum ſeqvens in Manuſcriptis ſuis annotavit Laurentius Babſt, Medicus Electoralis Dresdenſis. Rec. Einen ſchwartzen Filtz-Hut, ſchneide ihn gantz klein, und ſo viel des Filtzes am Gewichte iſt, ſo viel nimm auch Schweinen-Miſt, der wohl dürre iſt, vermiſche es zuſammen in einen neuen Topff, klebe ihn feſte zu und laß ihn im Back-Ofen zu Pulver brennen. Uſus. Wenn ſich ein Menſch hart verblutet, ſo ſchabe von leinen Tüchlein Fäßlein, darauff ſtreue des Pulvers und drücke es in die Wunde und laß es drey Tage liegen. Iſt ein Meiſter-Stück vors Bluten. Fimum Suis ſylveſtris aridum, in aqvâ aut vinô potum, rejectiones ſangvinis ſiſtit, vetuſtum lateris dolorem mulcet: ad rupta & convulſa ex acetô bibitur: luxatis cum ceratô roſaceô medetur, juxta Petr. Andr. Matthiol. *in Dioſcorid. Lib. II. cap. 73. fol. m. 309.* Conradi Walkumb agricolæ ſervus viginti ſex annos natus in ſangvinis per nares fluxum valde copioſum inciderat, ut intra diem circiter decem ſangvinis libræ profluxerint; olfaciebat autem ſtercus ſuillum, & iſtô olfactoriô ſtatim remiſit profluvium, juxta Martin. Ruland. *Curat. empyr. Cent. X. Curat. 57. p. m. 707.* Stercus porcinum omnes hæmorrhagias ad miraculum ſiſtit, in qvibus non datur magis certum tutum remedium, ſive adhibeatur in formâ ſiccâ pulveris ad drachmam unam, ſive in formâ Syrupi adhibitum, inqvit Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. I. f. m. 492.* ubi pergit: Annus eſt, ex qvô ruſtica qvædam poſt abortum, qvem patiebatur, inſigni laborabat fluxu ſangvinis, cui, cùm â me conſilium peteret, ordinavi

navi ſtercus ſuillum. Hoc maritus Uxori inſciæ propinavit, & factum eſt, ut mulier priſtinæ reſtitueretur ſanitati. Varia ejusmodi contra ſangvinis è naribus profluvium reperiuntur in Joh. Dav. Ruland. *Pharmac. p. 93. ſq.* v. g. Fimi porcin. ℥j. Thuris maſculi ℥iß. trita ex acetô fronti illiniatur. Vel Stercus porci cum pennâ immittatur, Item ſuccus urticæ & porri cum ſtercore porci ſiccô aut humidô & olibanô, ac pilis leporinis cum tentâ impoſita, eſt ſummum Experimentum. Ad ſangvinis menſtrui fluxum ſuperfluum accipe ſtercoris porcini agreſtis magnitudinem dimidii ovi, diſſolve cum aqvâ fontanâ, exprime per linteum, expreſſæ aqvæ da Cochlear unum vel tria. Vel accipe ſtercus ſuillum mundum, calefac in frixoriô bene, applica calidè infra umbilicum ſupra ventrem & ſiſtetur fluxus absqve noxâ. Ad ſputum ſangvinis Landrinus cuidam ab aliis Medicis derelicto ſtercoris ſuilli, ſangvinis patientis, ana Mj. Butyri recentis parùm, mixta dedit pro cibô, â qvô aſſumptô ſanus factus obambulavit. In febre continuâ per hæmorrhagiam lethaliter judicatâ præter alia Medicamenta etiam Stercus ſuillum naribus admotum ordinavit. Roſinus Lentilius *Miſc. Med. pract. p. 164.* Fimus porcinus bulliat in aqvâ & fumum Uterô excipiat Mulier, albos Menſes ſiſtit, uti ex Heurniô refert Joh. Rudolphus Camerarius *Memorabil. Med. Cent. IV. n. 44. p. 220.* Juxta Lazar River. *Prax. Lib. IV. cap. 7. p. m. 338.* fimus porcinus inter præſtantiſſima ſpecifica recenſetur, ſi adhuc calens fronti & temporibus admoveatur vel, olfaciendus præbeatur, vel ſiccus in nares immittatur. Id confirmat etiam Hermannus Grube *de Medicam. ſimpl. Sect. 3. Art. 3. p. 57.* Stercus, inqviens, ſuillum recens naribus admotum hæmorrhagiâ laborantium fluxum ſangvinis ſiſtere feliciter, â tot usqve annorum decurſu, & credidit vulgus, & ipſe etiam uſus qvotidianus ſtabilivit. Non alia autem hic ſubeſſe videtur ratio, qvàm qvòd ſulphure ſuô narcoticô nimiam vaſorum apertionem occludat, vel qvòd ebulli-

tionem

tionem ſangvinis conſopiat. *vid. etiam p. 61.* In Menſibus immodicis formetur peſſus ex bombace, lanâ aut Linamentis, & imbuatur linimentô, qvod habet Stercor. porcin. ℥ß. Sangvin. Dracon. ʒß. Bol. armen. ʒj. Succ. burſ. paſtor. vel plantag. q. ſ. vid. Georg. Wolffg. Wedel. *Pharmacop. acroam. Lib. 2. Sect. 3. cap. 5. p. 341.* Et Joh. Conrad. Barckhauſ. *Pharmacop. ſynopt. p. m. 121.* hunc Peſſum ad Uteri hæmorrhagiam ordinat:

℞. Pulv. Stercor. ſuill. ʒvj. Herb. Burſ. paſtor. ℥ß. Sympathetic. ℈j. m. & c. Zendalo rubr. f. Peſſus.

De Curâ Panaritii per ſtercus ſuillum inqvit Johannes Agricola *Chirurg. parv. Tract. 5. p. m. 558.* Ich habe es nach des Paracelſi Inſtruction wahr befunden, wenn man Säw-Miſt in einer Pfannen warm macht, und gieſſet ein wenig Eßig daran, und kocht es zu einem Brey, und ſchlägt es über, ſo tödtet es den Wurm gar geſchwinde, dergleichen thut auch der Küh-Miſt, eben alſo gebraucht. Seqventem Obſervationem de Stercoris ſuilli efficaciâ in Paralyſi, refert Johannes Petrus Albrechtus *M. N. C. Dec. II. An. I. Obſ. 81. p. 191.* Vir qvidem aliqvot annos paſſionibus Colicis valde obnoxius erat, qvibus tantopere affligebatur, ut paralyſis dextri lateris cum amiſſione loqvelæ ſuccederet. Circumſtantes, abſente Medicô, cûm neſcii eſſent, qvid faciendum, accurrit fœmina qvædam recens Stercus ſuillum, qvod manibus gerebat, ægroti naribus intrudens; qvô vix peractô ſubitò ille in hæc erumpit verba: O Gott, wat ſtinckt dat Sau? & hac ratione non tantùm aphonia ceſſavit, ſed & paralyſis cruciatusqve colici extemplo remiſêre. Non in narium modò, ſed & Uteri hæmorrhagiâ, imò in qvartanâ ſtercus ſuillum laudat Georgius Dethardringius, *vid. Ephemerid. Academ. Nat. Curioſ. Cent. I. & II. Append. p. 199.* Experimentum probatum in multis infantibus, pueris, juvenibus & ſenibus. Recipe ſtercus Suis agreſtis ſpiſſum, non lene, ſicca bene, pulveriſa, colato admiſce vulgaris Tragææ tantundem, ut fœtor ſter-

Nnnnn coris

coris non ſentiatur. Ex hôc da febricitanti per novem dies, qvantum tribus digitis capere potes & jejunet ſemper tres horas atqve obſervet diætam febricitantibus convenientem. vid. Ruland. *l. a. p. 102. &c.* De Stercore porcinô ita ſcribit Caſparus Schwenckfeld *Theriotroph. Sileſ. p. 127.* ſuccerda ſeu fimus recens calidus Naribus admotus odoratus ſangvinem profluentem cohibet: impoſitus & poſt tertium diem ſublatus efficaciter verrucas & clavos aufert. Ex acetô coctum ad venenatorum morſus Aëtius laudat. Vulgus ad ſtercorandos agros & hortos oleraceos ſuillum fimum cæteris præfert. Steroris ſuilli uſum antefebrilem a Johanne Theodorô Schenckiô Alardo Hermanno Cummio communicatum, *M. N. C. Dec. II. An. 6. Obſ. 40. Schol. p. 104.* his verbis Schenckianis inſeruit Lucas Schrœckius: Non poſſum qvin tibi εὐπόριστον aliqvod ad febres intermittentes, non aliter, nec leviori cum ſucceſſu vim ſuam exerens atqve ſolet Cortex ille magni pretii, magniqve â pluribus æſtimata China de China, revelem, hoc mihi communicavit Monachus qvidam Dominicanus Tremoniæ, magnum ex felici febrium curatione nomen adeptus. Eſt autem Stercus porci maris per aliqvot horas in ſpiritu Vini Rhenani infuſum, indè colatum & expreſſum, poſtmodum ad duo vel tria cochlearia adhibitum. Hoc medicamentum ſi corpore præparatô exhibetur, plerumqve unâ vice per ſudorem materiam febrilem expellit, ſin verò, febrem ad qvatuor ſeptimanas differt. &c. Cum autem ſtercora præter Sulphureum principium, Sal etiam volatile aut nitroſum contineant, qvâ ratione ad febres abigendas valeant, ſatis liqvere poteſt. Johannes Schrœderus eqvidem apri qvoqve ſtercus rejectiones ſangvinis ſiſtere ſcribit *Theſaur. Pharmacop. Lib. 5. p. m. 805.* qvod tamen potius de Stercore Suis ſeu porci domeſtici, non de apri vel Suis ſylveſtris intelligi debet, juxta Mich. Ettmüll. *Oper. Tom. I. f. 766.* Et *fol. 798.* inqvit: In qvibuscunqve hæmorrhagiis, in ſpecie narium omnium reliqvâ ſtercora

cora longô intervallô poſt ſe relinqvit ſive ex ſtercore recenti exprimatur ſuccus & propinetur internè, aut applicetur fronti ac naribus externè: ſive ex hoc ſuccô, miſcendo cum Vino atqve ſaccharo fiat Syrupus interne aſſumendus. Sive ſtercus recens adhuc calidum circumligetur fronti ac temporibus. Alii miſcent ſtercus porcinum exſiccatum cum pulvere roſarum pro corrigendô fœtore &c.

§. 19.

Paulò antè de Stercore bubulô egimus, qvibus ſeqventia adhuc ſunt annectenda de Stercore vaccino, qvod ſæpius adhiberi ſolet, & qvidem externè ad varios tumores, apoſtemata, Scirrhos, Parotides, ſtrumas, cum acetô mixtum calideqve applicatum. vid. Joh. Dav. Ruland. *l. a. p. 36. ſq.* qvi *p. 38.* ex Gilbertô ſeqvens ad Strumas commendat: Rec. Fimi bovini, caprini, columbini, Lithargyrii, Cineris radic. Caulis, Sem. raphani, Armoniaci, Galbani, Amygdal. amarar. ana p. æ. Conficiantur omnia cum pice & modicô oleô antiqvô, vel cum axungiâ antiqvâ, ſcrophulas citò diſſolvit, maximè ſi præceſſerit purgatio. In Scabie humidâ vermiculari chronicâ Stercoris vaccini uſum proficuum annotavit Samuel Steurlinus *Ephemer. Academ. Nat. Cur. Cent. VII. Obſ. 22. p. 49.* mediæ ſcilicet ætatis fœmina Scabiem humidam cum puſtulis majoribus, cutisqve foraminulis patiebatur incurabilem, ordinariis medicamentis diu adhibitis, demum verò vaccæ ſtercus Vini Spiritu repetitis vicibus extrahebatur, indies cochleatim propinabatur & patiens integræ reſtituebatur ſanitati, expulſis per urinam & ſcabiem tenuioribus inſtar filamentorum vermiculis. Seqvens Cataplasma reſolvens ſive diſcutiens præſcripſit Paulus Barbette *Chirurg. Part. II. Lib. 1. cap. 2. p. m. 73.* *Vaccinum.*

℞. Stercoris Vaccin. ℥iij. Succ. Cicutariæ ℥j.
Ol. Chamom. ℥ß. Ol. Caſtor. ʒij.
Bol. Armen. ʒß. Myrrh. rubr. ʒij. Croc. ʒj.
Farin. Lupinor. q. ſ. M. f. Cataplasma.

De Stercoris vaccini virtute anodynâ ſeqventem Obſervationem recenſet Vitus Riedlinus *Linear. Med. An. 1696. Jan. Obſ. 23. p. 36. ſq.* Matrona qvædam ex præcipuâ familiâ oriunda, cùm dolore brachii vehementi per aliqvot dies torta fuiſſet, duobus licet vocatis Medicis celeberrimis, nullum tamen remedium admiſiſſet, & internis imprimis omninô rejectis, vix unum alterumve externum applicari conceſſiſſet, tandem accedente qvadam Vetulâ ſvadenteqve ut ſtercus vaccinum calidum bracchio imponeretur, hoc & ſtatim & facilè conceſſit, aliqvotiesqve iteravit, & qvidem tam feliciter, ut omnis inde dolor ceſſaverit &c. In Podagrâ Emplaſtrum de ſtercore vaccinô multum commendat Avicennas, qvod ſvaſu Valeſci de Taranta *Philon. pharm. Lib. 6. cap. 20. p. m. 706.* in lixiviô diſſolvi deberet. Juxta verba Joh. Fernelii *Method. Medend. Lib. 5. cap. 27. Oper. p. m. 421.* Stercus vaccinum, cùm præſertim depaſcuntur herbas, impoſitum, emollit & reſolvit ardoresqve mitigat, veſparum ictus mitigat, & additô acetô tumores digerit. Idem confirmat Johannes Ferdinandus Hertod *Tartaro-Maſtig. Morav. Part. 2. cap. 5. p. 244. ſq.* ſtercus, inqviens, vaccinum, cùm præſertim herbis recentioribus vaccæ paſcuntur, cum propriâ urinâ, vel aliô liqvore anodynô leviter coctum & in chartâ bibulâ qvadruplâ extenſum linteisqve involutum & duodecimâ hora renovatum utiliſſimum eſt anodynum, & qvanqvam parùm decoræ dignitatis inter materias medicas, multorum tamen teſtimoniô comprobatum remedium. Alii ex Stercore vaccinô & acetô cum tantillô Croci Cataplasma parant, tepidè applicandum. Stercus hoc cum Vinô rubrô infundit vaſeqve probè occluſô per menſem fimo eqvino committit, & poſtea lintea eodem liqvore humectata tepidè partibus dolentibus applicat Chriſt. Franc. Paullin. Dreck-Apoth. *Sect. 2. cap. 27. p. 170.* Stercus vaccinum calidum certè podagricis pedibus levamen affert, propter ſui pingvedinem oleoſam anodynam,

dynam, inqvit Michael Ettmüllerus *Oper. Tom. I. fol. 1161.* Ad Podagram & Cheiragram modò allegatus Rulandus *p. 48.* accipit Stercus vaccinum, coqvit cum Oleô roſaceô vel Chamomælinô ad formam pultis, qvæ appoſita omnem dolorem mitigat & tollit. Idqve Experimentum ſuum vocat. Alii pro hoc ſcopô Emplaſtrum è pingvedine Vulpis & Vulturis, vel ardeæ adhibent. In Tumore qvoqve œdematoſô, juxta Johann. Municks *Chirurg. Lib. I. cap. 6. p. m. 31.* nonnulli haud absqve ratione imponunt ſtercus vaccinum calidum; qvod reſpectu ſalis volatilis ac nitroſi in eô abundantis potenter poros aperit, ac Tumorem œdematoſum reſolvit, diſcutit; vel Cataplasma conficiunt ex Stercore vaccinô, qvod unà cum acetô frigunt, ac parum aluminis & ſulphuris ei admiſcent, e. g.

℞. Stercor. bubul. ℥iij. Fimi Columbin. ℥ij.
frigantur ſimul in ſartagine c. Axungiâ & Butyrò aut qvovis oleô, vel bulliant in oxycratô & Sulphure & alumine additis.

Contra Apum & Veſparum ictûs Stercus vaccinum cum acetô utiliter adhibetur, inqvit Eberhardus Gockelius *Conſilior. IX. p. 88.* Philippus Grülingius inqvit: Stercus de vaccâ nigrâ adhuc calidum indatur ollæ & calcinetur, atqve infanti recens nato detur a ſcrupulô ſemis ad integrum vel Drachmam ſemis, ſic tandem evomat pituitæ copiam in uterô collectam, qvæ eſt cauſa multorum malorum; hocqve Principis cujusdam ſecretum fuiſſe refert Johannes Franciſcus Lœw *Tr. de Variol. & Morbill. it. de Morb. Infant. p. m. 267.* v. etiam Philipp. Fraundorff. *Tabul. Smaragd. n. 221. p. 141.* ubi hoc Experimentum ad præſervandam Epilepſiam Hartmanno adſcribit. Ingreditur etiam Stercus Vaccinum Emplaſtrum antipodagricum, in qvibusdam Provinciis ſatis decantatum, cujus Compoſitio talis eſt: ℞. Eſulæ Bryon. Hellebor. nigr. Herb. Verben Rad. Ariſtoloch. rot. Herb. & Rad. Ranuncul. Herb. & Rad. Chelidon. Sal. comm. Hæc

omnia commiſcenda ſunt cum Stercore vaccinô pro Emplaſtrô, qvod calidè, manè & veſperi plantis pedum applicandum. *v. M.N.C. Dec. I. An. I. Obſ. 142.* ubi Philippi Jacobi Sachſii Judicium de hoc Emplaſtrô reperies. Johannes Baptiſta Werloſchnig novit duos, qvorum unus cujusdam Podagrâ laborantis ocreas dono accepit, alter ſimili miaſmate affectas, in forô ſcrutariô ſibi comparavit, qvi uterqve paulò pòſt indutis orceis in crudeliſſimos Podagræ cruciatus raptus eſt, ut miſeri, qvid agerent, cùm eis pane veſci ex labore incumberet, neſcirent, multis doloribus torti ſolamen qværitantes in non procul undiqve â ſtabulô eqvorum vaccarumqve collimantem lacunam pedes manusqve immiſêre, & en! ſenſêre levamen; iterarunt aliqvoties & diſparuit crudeliſſimus ille artuum hoſtis, Podagra & Chiragra. *vid. M. N. C. Dec. III. An. 9. & 10. Obſ. 25. p. 40.* Seqvens Ungventum Hepaticum communicat Hermannus Nicolaus Grimm *Compend. medic. chym. Pharmacop. Jndic. Sect. 10. p. 449.*

℞. Ceræ ex Bacc. Cinamom. ℔j. Ol. coct. fol. Cinamom. ℥jv.
Ol. deſtill. Bacc. Cinamom. ʒij Rad. Cinamom.
Pulv. Lign. Caliatur. Santal. citrin ana ℥j.
Stercor. Vaccin, Caprill. ana ℥ij M. f. Ungventum.

Stercus Vaccæ nigræ calcinatum a ℈j. ad ʒß modò nato infanti exhibitum, juxta balneum cum Corticibus Salicis recentibus paratum, Secretum perhibetur eſſe ad Epilepſiam & tabem puerorum præſervandam, imprimis autem id recens adhuc ob nitroſitatem in ambuſtionibus eſt præſentaneum anodynum, vid. Eman. Kœnig. *Regn. animal. Sect. III. 3. p. 274. ſeq.* qvô locô addit: hoc ſtercus vaccæ ſiccatum cum floribus Calcatrippæ, Ilice, farinâ fabarum, thure & parum Maſtiches ſuffitum præbere egregium ad tumores flatuoſos artuum, colli & dentium dolorem. Stercus bubulum vel vaccinum Menſe Majo collectum miram præbet aqvam, ſi per alembicum deſtilletur ad-

verſus

verſus Nephritidem. Calculos enim citò ſolvit, & urinam copioſè movet, qvam & nigram primâ die pellit, fortè calculis vehementer attritis. vid. Petr. Poter. *Pharmacop. Spagyr. Lib. I. Oper. p. m. 445.* Hæc aqva vocatur Aqva omnium florum, qvia bos innumeris floribus veſcitur, & maximi olim habita fuit, qvæ juxta Frid. Hoſſmann. *Annotat. in Poter. l. a.* in ipſâ Gangrænâ, peſte, inflammationibus, atthriticis & ſpaſmodicis affectibus, tam intra, qvàm extra, divinam præſtitit opem. Aqva hæc cum rore majali deſtillata tumoribus aqvoſis & hydropicis applicata, eos certe diſcutit, uti ex Poppiô refert Ettmüllerus *l. a. f. 768.* Juxta Pharmac. Batean. *p. 15.* fit Aqva omnium florum ex Stercore vaccinô Majô collectô cum Leucœni tertiâ parte deſtillatô. Vel ex ſtercore vaccinô & limacibus cum teſtis contuſis ana. com. organis deſtillatis. Dicitur hæc aqva arthritica, Arthriti vagæ, Rhevmatiſmo, Calculo, Urinæ ſuppreſſæ, &c. maximè proficua. Doſ. ℥jv. pro vice. Externè etiam putatur Aqva omnium florum coſmetici uſus eſſe contra lentigines, interim, qvi aqvam ſpermatis ranarum habent, juxta Mich. Ettmüller. *l. a. f. 1161.* illâ carere poſſunt. De uſu Stercoris vaccini vid. paulo ſupra §. *50.*

§. 20.

Solent etiam nonnulli Medici ipſa animalium Inteſtina & Ventriculum, imprimis Lupi, modò pro internô modò pro externô uſu medicô adhibere, ſiqvidem Andreas Libavius in Dyſenteriâ ungventum epomphalicum ex Roſatô vel Santalinô cum lupi inteſtinorum pulvere & argentô vivô foris applicat, v. Joh. Hornung. *Ciſt. med. Epiſtol. I. p. 2.* In Anorexiâ lupi Ventriculum cum euphoriâ uſurpatum refert Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lycograph. Sect. III. cap. 3. p. 155.* inqviens, Lambertus Schneewalder, Scriba alicujus Generoſi Nobilis Weſtphali, â febre qvartanâ adeò emaciatus, ut non ampliùs progredi potuerit, baculô licet ſuffultus, per multas hebdomadas ab omni cibô abſtinen-

Inteſtinorum uſus medicus.

abſtinentiſſimus, ſolô potu & medicamentis miſeram vitam ægrè protraxerat. Svadet Capucinus, ut Ventriculum lupi bene præparatum comederet, ſic enim accendi appetitum extinctum, cùm lupus voraciſſimum animal ſit. Commodè capti erant in viciniâ nonnulli, qvorum Ventriculos coëmit, & â ſordibus nitidè purgatos inqve butyro toſtos cum aromatibus ſtudioſè præparat, firmâqve ſpe ſanitatis fretus unum alterumqve devorat, ſuperbibendo vinum abſinthiacum. Nec pœnituit eum facti; qvod ex ore ipſius habeo. Contra Colicum dolorem in uſu fuit Lazaro Riverio pulvis Inteſtinorum lupi, qvod ſeqventi Obſervatione *Cent. I. Obſ. 59. p. m. 61. ſq.* confirmat. Domina ſcilicet de Varanda, ſexagenaria, graviſſimis doloribus vexabatur circa regionem lumborum, hepatis, ventriculi & inteſtinorum; duo injecti fuerant Clyſteres, qvibus valde purgata fuerat, & Cucurbitula magna admota, ante & retrò; dolores perpetuo intenſi. Vocatus Riverius exhibet pulveris Inteſtini lupi drachmam unam cum vini unciis tribus: Statim ceſſavit dolor. *vide etiam Obſervat. 86. p. 83.* Idem confirmat Petrus Pacheqvus *Obſ. 2. ibid. p. 259. ſeq.* inqviens: Dominus Præſes de Rupemora graviſſimô colicô dolore excarnificatus triduum integrum, cùm nullis anodynis levaretur, ſumptâ drachmâ unâ pulveris Inteſtini lupi cum paucô vinô generoſô, incantamenti inſtar in priſtinam valetudinem erectus fuit, qvô locô plura exempla addit. Juxta Henr. Petræi Noſolog. harmon. *Tom. 2. Diſſ. 28. §. 28. p. 115.* inter ea, qvæ a proprietate Colicos juvant, primas tenet Inteſtinum lupi ſiccatum, tritum, datum drachmæ ponderis aut qvatuor. Et Chriſtianus Franciſcus Paullini *Lycograph. Sect. 3. cap. 3. p. 155.* inqvit: certâ experientiâ, cùm â veteribus, tum recentibus Medicis comprobatum eſt, in Colicô affectu tutiſſimum ex lupô anticolicum Inteſtinum. Ibidem etiam *pag. 158.* pulveres anticolicos, qvos Inteſtinum lupi ingreditur, reperies. Sic nobilis Romanus colicâ affectione graviſſi-

graviſſimè torqvebatur, ad qvem plus minùs qvinqve vel ſex Medici inviſendum venerunt. Contra qvem dolorem cùm multis & ſelectis medicamentis uſi eſſent, nullum præſtantius aut divinius remedium pro eô propulſandô invenerunt, qvàm Lupi Inteſtinum. In pollinem etenim redactum & vinô generoſô exceptum, ac calidùm epotum brevi opus ſuum confecit, & ipſe æger ſanus evaſit, juxta verba Amati Luſitani *Cent. III. Curat.12. fol. m.227.* ubi addit: Curent igitur Medici Inteſtinum hoc apud Pharmacopolas ſemper ut habeatur. Seqventem pulverem in Colicâ præſcribit Franciſcus Feyneus *Pract. Med. Lib. 4. cap. 22. p. m. 533.* ℞. Inteſtini lupi in vinô generoſô loti & in Clibanô non admodum urente exſiccati ℥ij. C.C. uſt. ʒj Cumin. Galang. ana ℈ij. Sterc. lup. reſicc. & Cinamom. ana ʒß. Piper. Zingib. Croc. ana ʒß. Sacchari ad medium ponderis M. f. Pulvis. Alium Pulverem ſpecificum contra Colicam ordinat Joh. Ferdin. Hertod *Crocolog. cap.14. p.176.* ℞. Teſticulor. eqvi Vino lot. & exſiccat. in Cliban. Inteſtin. Lupi eod. mod. præpar. Stercor. ejusd. qvod terram non tetigit ana ℈j. Croc. ℈ß. M. f. Pulv. pro 2. doſib. Certâ experientiâ Veterum & Recentiorum comprobata laudantur Lupi Inteſtina in Colicâ externè Amuleti loco appenſa, inqvit Emanuel Kœnig *Regn. animal. Sect. III. cap. 3. p. 261.* Ruſtica Mulier doloribus colicis afflicta pulverem ex inteſtinis lupi cum euphoriâ aſſumſit, poſtmodum autem puellum ſummè famelicum peperit, uti ex Paullini Lycographiâ *ſupra Cap. I. §. 49.* adduximus. Ad Vermes dentium necandos Godofredus Schultzius mucum, ſeu Chyli reliqvias interiori tunicæ ventriculi ſuilli adhærentes commendat, qvi licet ſordidum qvadantenus & delicatioribus fortaſſis abominabile ſit remedium, vulgo tamen crebris experimentis eſt commendatiſſimus. *v. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 87. p. 433. ſq.*

§. 20.

Ad Hiſtorica pertinet, qvod ex Martianô Capellâ recen-

ſet Guilielmus Saldenus *de Libris varioqve eor. uſu & abuſ. cap. 1. p. 6. ſq.* ſcilicet ſtupendam Bibliothecam Conſtantinopolitanam, Inteſtinum Draconis habuiſſe, magnitudine Centum & viginti pedum, inſcripta habens Homeri Poemata, Iliadem & Odyſſeam.

CAPUT XV.

De Qvæſtionibus Medico-forenſibus.

§. 1.

Qvæſtio prima. Cùm ſuprà Capite nonô, aliqvot tam puellarum, qvàm adultarum fœminarum, qvibus ob ani Clauſuram, vel alias ob cauſas, fæces alvinæ per Partes genitales excerni ſolebant, exempla adduxerim: non immeritò mihi hôc locô ventilanda videtur

QVÆSTIO I.

An ejusmodi feminis adultis, Excrementa alvina per Vulvam ejicientibus, nubere liceat? Item An tale Matrimonium jam contractum vel etiam conſummatum iterum diſſolvi debeat?

Rationes pro impediendô & diſſolvendô Matrimoniô eſſe poſſunt, qvia ejusmodi Cohabitatio ſordida nimis, fœtida, horrenda atqve abominabilis eſt, adeò ut etiam â nonnullis pro Coitu Sodomiticô habeatur: cujusmodi congreſſus Stercorei pro Sodomiticô allegati exemplum recenſet Andreas Petermannus *Obſervat. Medic. Decad. 2. Obſ. 2. p. m. 23. ſq.* & qvidem de fœminâ ruſticâ, viginti aliqvot annorum, cui propter vitioſam conformationem podex exteriùs erat occluſus, intus tamen in vaginam uterinam deſinens, unde excrementa alvina per vulvam

vam excernebat. Qvanqvam verò hujus maritus ante benedictionem ſacerdotalem per annuum ſpatium die noctuqve multoties ſeſe cum eâ copulaverat, adeò ut ex tali congreſſu fœmina non ſolùm imprægnaretur, verùm etiam poſtmodum abortiret; nihilominus tamen abortum pro ſuô agnoſcere noluit, ſed potiùs contra Uxorem excepit, eum fœtum eſſe â puerperâ ſuppoſitum, & â muliere militari excluſum. Hinc in Judiciô Eccleſiaſticô ad divortium provocabat, ac imprimis urgebat, congreſſum, qvem hactenus cum Uxore habuerit, fuiſſe ſordidum & fœtidum, ſeqve proinde eum ulterius ſine horrore & abominabili crimine Sodomiæ continuare non poſſe. Impotentiam etenim legitimè cohabitandi ac congreſſum Sodomiticum Sole meridianô clariorem eſſe, pariter allegabat, ſiqvidem impotentiæ ratione Penis neutiqvam tendere valeat ad orificium Uteri internum, ſed longè potiùs aberret in Inteſtinum rectum, qvin Semen, continens in ſeſe luculam ſeu radium vitæ elaſticum, emittatur in Cloacam; proinde Sodomia nullâ indigeat probatione. Hæc ex Petermanno.

§. 2.

Huic Obſervationi & rationibus accedit etiam Matrimonii ex hôc fundamentô interdicti exemplum, ſiqvidem ſecundùm Obſervationem Johannis Heſſi apud Johannem Schenckium *Obſ. medic. Lib. 3. fol. m. 393.* formoſæ cuidam puellæ, feces alvinas ſemper per uterum dejicienti, Senatus Tubingenſis, ne nuberet, interdixit. *Exemplum prohibiti matrimonii.*

§. 3.

Anteqvam autem, qvid ad propoſitas Qvæſtiones reſpondendum mihi videatur, addam, nonnulla adhuc admonenda ſunt, & qvidem Primò: talem fæcum alvinarum, tam in puellis, qvàm adultioribus perſonis obſervatam, perqve vulvam factam excretionem vitioſam, non ſemper in eodem locô, ſed modò ex vulvæ parte inferiore circa coalitum labiorum, per peculia- *Diſtinctio inter loca excretionis.*

rem ductum, modò ex vaginâ Uteri, modò ex Veſicâ accidere. *In parte inferiore vulva.* In plerisqve enim ſuprà allegatis & qvidem puellarum exemplis obſervavimus, naturæ culpâ & errore primæ conformationis aut nativitatis, Anô ſcilicet penitus & firmiter occluſô, Inteſtinum rectum per vulvam exitum qvæſiviſſe, & ita qvidem, ut orificium Inteſtini recti ſub labiis Pudendi inqve illô Vulvæ locô, ubi infra vaginam Uterinam labiorum coalitus ordinariè obſervatur, deliteſcere ſoleat, per qvod excrementa, aliàs alvina, egredi deprehenduntur; uti in puellâ octo circiter ſeptimarum, excrementa per vulvam emittente, annotavit Zacharias Fürſt, in qvâ ſcilicet puellâ, cùm dictus Medicus diductâ nonnihil vulvâ abſterſisqve excrementis, Naturæ iſtuc aberrantis compendium accuratiùs perluſtraretur, incurvatô flexu Inteſtinum rectum ſuum in Vulvæ parte inferiore ſortitum eſſe exitum advertit. *v. M. N. C. Dec. II. An. 3. Obſ. 112. p. 225.* Item in puellâ ſemeſtri, anô imperforatô natâ officium ani labiis pudendi natura crediderat: ubi enim ſubtus vaginam labiorum ambitus coit, inibi orificium Inteſtini recti deliteſcebat, annotante Philippô Jacobô Hartmannô *ibid. Dec. II. An. 10. Obſ. 159. p. 249. ſq.* Videantur etiam, qvæ Henricus Volgnadus *ibid. Dec. I. An. I. Obſ. 11. p. 36.* ex Minadaô refert. Et mihi ipſi in duabus puellis, eôdem in locô Inteſtini recti exitum ſeu Sphincterem pro fæcum excretione obſervare licuit, qvarum pariter jam ſupra Cap. 9. §. 38. mentionem feci.

§. 4.

In vagina uterina. Deinde in qvibusdam ſubjectis fœmininis, imprimis puellis, pariter â primô ortu talis Inteſtini recti terminus ſeu exitus non in jam commemoratum vulvæ locum, ſed in vaginam uterinam inſeritur, qvale exemplum recrementorum, ex naturalibus, octavô qvoqve die, dejectorum in puellâ, clauſô ani meatu natâ atqve hoc malô usque ad ſextum decimum annum vitam ducente obſervavit Antonius Benivenius *Obſ. medic. cap.*

86. p. m

86.p.m.255. De Virgine honeſtâ Herbornenſi excrementa per muliebria clauſô anô deponente, vitamqve ad viginti aliqvot annos producente optimèqve valente *vid. M. N. C. Dec. II. An. 10. Obſ. 75. p. 132. ſeq.* Huc pertinet etiam exemplum modò ex Petermannô recenſitum.

§. 5.

In Interſtitio a morbo.

Præter hanc autem præternaturalem Inteſtini recti in vaginam uteri inſertionem in nonnullis fœminis adultis non â primâ conformatione, ſed â morbô aut infortuniô aliqvô in interioribus vulvæ partibus, videlicet per vaginam uteri hujusve ſubſtantiam ipſam exitum ſibi qværunt Excrementa. A variis enim cauſis Interſtitium illud inter Inteſtinum rectum & vulvam, (Iſthmus dictum) perforatum, vel exulceratum, vel disruptum apud Autores reperitur, uti ex ſuperiori capite nonô paucis hoc locô repetere volumus. Perforati ſcilicet ſeu eroſi hujus interſtitii exemplum in puellâ dyſentericâ octo annos nata obſervavit Johannes Schmid. *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 124. p. 198. & An. 4. & 5. Obſ. 57. p. 199.* Hæc ſcilicet puella per aliqvot annos circa loca pudenda pruritum ſentiebat, qvem frictione, remota etiam verecundiâ, demulcere ſæpiuſcule conabatur, nec à parentibus reprehenſa, ut manûs a locis hisce removeret, corrigi poterat; tandem Dyſenteriâ malignâ corripiebatur, ad qvam exſtirpandam cum Enemata adhiberentur, non ſolùm pars eorum, ſed etiam mucoſa & cruenta ex Inteſtinis materia per genitalia evacuabatur, qvod dictus Autor ab eroſione Inteſtinorum derivat. A Fluore albô cum Lue venereâ uterum ac Inteſtinum rectum ita eroſum, ut fæces per partem anteriorem lotiumqve per poſteriorem redderentur, in muliere obſervatum legimus apud Johannem Rhodium *Obſervat. medic. Centur. 2. Obſ. 91. p. m. 99.* Poſt Ulcus â Venere præpoſterâ in Inteſtinô rectô, vaginam uterinam penetrans, ſtercus per vulvam excernebat Meretrix illa, cujus ſupra ex Petri

de Marchettis *Obſerv. Medic. chirurgico-poſthum. Obſ. 5. pag. m. 135.* meminimus. Item fœmina qvædam poſtqvam diuturnô tempore purulenta fœtidaqve manifeſtiſſima exulcerati Uteri ſigna per partes genitales excreviſſet, tandem etiam ſtercora per eundem locum demiſit, juxta Remberti Dodonæi *Annotat. in Anton. Beniven. Obſerv. medic. cap. II. p. 156.* Fœmina qvædam nobilis per qvadriennium cum lotiô & ſtercore ſangvinem emiſerat, nullum inde dolorem perſentiens, tandem corroſis ac perforatis inteſtinis per vulvam totô vitæ tempore Stercora miſerè excrevit, juxta Amat. Luſitan. *Curat. medic. Cent. 2. Curat. 10. fol. m. 140.* Poſt Hæmorrhoides cœcas idem malum obſervavit Andreas Petermannus in fœminâ honeſtâ, qvas diutius perpeſſa erat, ut inde Inteſtinum rectum & vagina uterina inflammarentur, hisqve poſtmodum per ſuppurationem adapertis, fæces tandem alvinæ per vulvam excernerentur. vid. Petermann. *l. a. p. m. 25.* Qvandoqve etiam in Partu difficili Paries ille ſeu Interſtitium inter Uteri vaginam & Inteſtinum rectum ab Obſtetricibus imperitis dilaceratur, ut poſtea excrementa per vulvam ſimul prodeant. vid. Chriſtoph. Völters Hebammen-Schul, *Part. 2. cap. VI. Obſ. 3. p. m. 248.* Thom. Bartholin. *de inſolit. Part. Viis cap. 14. p. m. 114.* item *Hiſtor. medic. Cent. 2. Hiſtor. 63. p. m. 248. ſq.* Videantur etiam reliqva ſuperius cap. 9. recenſita exempla, ubi ex Johann. Rudolph. Salzmann. *Obſervat. anatom. p. m. 16.* mentio fit fæminæ cujusdam, cui poſt Dyſtokiam Inteſtina per Uterum Ulnæ unius & ultra longitudine propendebant, qvod ægrè ferens ægrota, omne id, qvod propendebat, reſcindebat, atqve mox per Uterum feces excernebat. Notatu autem maximè dignum eſt exemplum ex Ido Wolfii *Obſervat. Chir. medic. Lib. I. Obſ. 46. p. m. 146. ſqq.* de ruſtici cujusdam per ſesqviannum hæmorrhagiâ Uteri poſteaqve fæcum alvinarum, cum alvi plenariâ Obſtructione, per Uterum excretione laborante uxore, poſt cujus diſſectionem Inteſtinum Colon Utero firmi-

ter

ter annexum atqve perforatum,ejusdemqve Cavitati putidiſſimi puris & ſtercoris ingentem qvantitatem communicans obſervabatur.

§. 6.

Porrò etiam Excrementa alvina ex Inteſtinis qvandoqve ad Veſicam deponuntur, ita ut cum Urinâ ſimul excernantur; & qvidem fieri hoc ſolet, vel ob Veſicam & Inteſtina ſimul eroſa, vel dilacerata, vel etiam ob Inteſtini recti in veſicam implantationem; qvale exemplum recenſet Henricus Roonhuyſen *Part.2. Obſ.2. p.m.147.* de infante, die decimo qvartô poſt partum moriente, in qvô Inteſtinum rectum in fundô Veſicæ erat implantatum, ita ut ſtercus, viâ aliàs naturali per podicem ejiciendum, in Veſicam evacuaretur. Sine ano naſcebatur d. 2. Aug. 1671. Monſtrum Pariſienſe, ſiqvidem Inteſtinum rectum erat plenum Meconio, illud verò, ubi anus debebat eſſe inſerebatur in Veſicam, qvæ aliàs erat pleniſſima, de qvo Caſu Chirurgus Pariſienſis, nomine Portal, Diſſertationem edidit. vid. Georg. Franc. *Satyr. medic. 7. p.118.* Aliud exemplum de puerô, ani imperforatione laborante, extat apud Theophil. Bonetum. *Sepulchret. fol. m. 884.* cujus extremitas Inteſtini recti, qvâ conſtare debuiſſet anus, Corpori veſicæ, inſtar ureterum, non tamen per obliqvum, uti ureteres, ſed rectâ fuit inſerta. Licet autem hoc in puellô fuerit obſervatum; qvin tamen etiam in puellâ extraordinariô Naturæ luſu, ſimilis inſertio Inteſtini recti in Veſicam fieri poſſit, minimè dubitandum. *In Veſica.*

§. 7.

Secundò monendum, Excrementorum per hactenus recenſita loca depoſitionem atqve effluxum in nonnullis ſubjectis penitus involuntariè, omni tempore ſeu continuò absqve ullô impedimento fieri, ſimul ac ſtercora ad eroſorum, exulceratorum aut dilaceratorum Inteſtinorum foramen perveniunt, ſive motu periſtalticô appelluntur; ſi præſertim foramina ſunt ſatis *Excretio involuntaria.*

magna.

magna. In qvibusdam verò perſonis excrementa per dicta loca haud involuntariè & qvovis tempore egrediuntur, ſed pro voluntate retineri atqve excerni poſſunt; in illis ſcilicet ſubjectis, in qvibus Inteſtinum rectum in vulvâ, præſertim in inferiori labiorum coitu, exitum habet, talisqve Inteſtini recti extremitas Sphincteris alicujus munere fungitur; hinc etiam in ejusmodi puellis Urinæ & fæcum alvinarum excretionem modò ſimul, modò ſeparatim, & qvidem cum tali niſu, uti aliàs in evacuatione & depoſitione alvi voluntariâ accidere ſolet, fieri obſervamus. Talis fæcum dimiſſio voluntaria in iis fœminis locum habet, in qvibus Inteſtini recti extremitas ſeu Sphincter â nativitate & primâ conformatione in vaginam uterinam, vel etiam in veſicam urinariam inſerta ſeu implantata eſt; item ſi ex Inteſtinô exulceratô Stercus immediatè ad veſicam deponitur, qvia in hoc Caſu involuntaria fæcum excretio â Sphinctere Veſicæ impeditur.

§. 8.

Per foramen majus vel minus.

Tertio ejusmodi foraminum, per qvæ fæces alvinæ extraordinariè rejiciuntur, alia eſſe minora, alia majora, ex hactenus dictis patet; ſcilicet parva ſatis obſervantur, ubi extremitas Inteſtini recti in vulvæ locum inferiorem, vel etiam in Vaginam uterinam â primâ conformatione implantatur; majora autem illa, qvæ ab exulceratione aut dilaceratione Interſtitii inter Anum & vulvam ortum habent; qvibus annumerandum illud, ubi, ſecundum Petermanni locum allegatum, Vir, ſe in Inteſtinum rectum aberraſſe, atqve Semen in Cloacam emiſiſſe, refert atqve defendit.

§. 9.

Status eſt l. medicabilis vel non.

Qvartò obſervandum, ejusmodi ſtatum præternaturalem qvandoqve eſſe medicabilem, qvandoqve immedicabilem, & qvidem tum in Infantibus, tum & imprimis in perſonis adultis, de qvibus hoc locô agimus. Sic Petrus de Marchettis in exemplô

plô ſuprà allegatô de Meretrice ex præpoſterâ Venere Ulceus vaginam uterinam penetrans patiente, illud Ulcus, per qvod excrementa alvina in vulvam excernebantur, atqve ab omnibus incurabile exiſtimabatur, à ſe ſanatum fuiſſe ſcribit. Item foraminis inter Inteſtinum rectum & Uteri vaginam, poſt partum difficilem exorti, atqve poſt ſex hebdomadas iterum conſolidati, exemplum legimus in Thomæ Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 63. p. m. 248. ſeq.* Qvibus addendum illud, qvod de Capillamentarii noſtratis, nomine Thibout, uxore poſt abſceſſum utrinqve apertum ſanatâ & per multos annos optimè vivente ſupra adduxi.

§. 10.

Ante vel poſt nuptias ortus.

Deniqve etiam attendendum venit, ejusmodi malum, ſecundum hactenus adducta exempla, qvandoqve â primâ conformatione aut ante matrimonium adfuiſſe; qvandoqve etiam poſt contractum vel conſummatum matrimonium atqve durante Conjugiô, â morbô, vel â partu difficili, vel ſecundum hactenus recenſita exempla, ab aliis cauſis contrahi.

§. 11.

Reſponſio Autoris.

Ut itaqve de propoſitis Qvæſtionibus (an ſcilicet fœminis adultis, excrementa alvina per vulvam excernentibus nubere liceat? Item, an matrimonium jamjam contractum vel conſummatum diſſolvi iterum debeat?) mentem meam explicem, qvoad primum membrum ſtatuo, qvòd, ſi exitus ille Inteſtini recti, ſeu foramen illud extraordinarium, per qvod excrementa alvina præternaturaliter egeruntur, in illô vulvæ locô, ubi labia in parte inferiore coëunt, â primâ conformatione dependeat, ejusmodi perſonis adultis matrimonium neqve interdicendum, neqve jamjam contractum diſſolvendum ſit; qvia in his ſubjectis talia foramina ſatis parva atqve Sphinctere ita clauſa obſervantur, ut excrementa, pariter uti naturaliter, in Inteſtineô rectô, non liberè nec continuè effluant, ſed potiùs pro lu-

Qvoad foramen in vulva.

bitu retineri atqve excerni poſſint; imò pro hac dejectione conatu ſeu niſu ſolitô & muſculorum abdominis compreſſione neceſſe habeant; unde tales fœminæ ad congreſſum, conceptionem partumqve, & per conſeqvens ad matrimonium non ineptæ videntur. Id qvod exemplô formoſæ illius puellæ Tubingenſis, cujus ſupra ex Johannis Schenckii Obſervationibus mentionem fecimus, qvamqve a nativitate ita conformatam fuiſſe credo, probatur. Qvamvis enim ipſi Senatus Tubingenſis, ne nuberet, interdixerat, illa tamen Tubingam deſerens in villam Uſingen, dimidiô milliari â Tubingâ diſtantem, profecta ſutori cuidam pulcherrimum filium pepererat.

§. 12.

Objectio. Licet etiam qvis opponere vellet, per foramina ejusmodi parva in vulvam ſeu ejusdem inferiorem partem deſinentia, in coitu facillimè ſtercora eſſe proventura, atqve hoc modô cohabitationem pariter fore ingratam atqve abominabilem; Ad *Reſponſio.* hoc tamen reſpondeo, plerumqve in Orgasmô & actu venereô ob largiorem ſpirituum ad partes genitales & adjacentes affluxum, Sphincteres tam veſicæ, qvam Inteſtini recti, in utroqve ſexu, firmiter ſatis claudi, ita ut ſtatim poſt coitum vel etiam pollutionem nocturnam virorum, nec Urina nec fæces alvinæ excerni poſſint. Qvalis clauſura ſeu conſtrictio pariter ab extremitate Inteſtini recti, in caſu tali extraordinariè in vulvæ partem externam ſe finientis, atqve Sphincteris officiô qvaſi fungentis, expectanda mihi videtur. Interim tamen, fieri etiam poſſe, ut qvandoqve excrementa in ipſô coitu per dictas vias exitum ſibi qværant, libenter concedo, cùm viros qvoqve in coitu vehementiori excrementa alvina ſimul dejeciſſe, atqve flatus per Penem emiſiſſe, Autores referant. vid. Joh. Schenck. *Obſerv. med. Lib. 4. fol. m. 532.* Et Marcellus Donatus *de medic. Hiſtor. mirabil. Lib. 4. cap. 18. pag. m. 400.* ex Avicenna dicit, qvod iis, qvi molliori ſunt corpore ac habitum reſolubilem poſſident, multumqve

tumqve in coitûs actu oblectantur, ſi coitum freqventant, accidat qvandoqve, ut unà cum ſemine fæces per alvum emittant. vid. etiam *Spermatolog. noſt. Cap. V. §. 76. p. 316.*

§. 13.

Qvodſi etiam fæcum alvinarum excretio non in vulvæ parte exteriore & inferiore, ſed ſecundum memorata exempla, in uteri vaginâ accideret; tunc ante omnia inqvirendum mihi videtur, an hæc ſtercora â primâ ſtatim confirmatione, anô occluſô, ex fine Inteſtini recti in vaginam uterinam implantati, per parvum foramen & qvaſi Sphincterem, & qvidem non inſenſibiliter aut involuntariè, & continuè, ſed potiùs pro voluntate iſtius perſonæ, uti in ſtatu naturali per anum fieri ſolet, egrediantur; qvô in caſu, æqvè uti in proximè explicatô, ob easdem rationes non facilè ſtercoreus Coitus erit metuendus, hinc etiam tali fœminæ, meâ qvidem ſententiâ, matrimonium non erit interdicendum. *In Vagina Uteri.*

§. 14.

Econtra verò, ubi non â primâ nativitate, nec per parvum foramen, ſphinctere præditum, ſed per magnum atqve a morbis aut aliis cauſis exortum foramen, & qvidem omni tempore & ſine retentionis poſſibilitate, Excrementa ex Inteſtinis in & per vaginam uterinam effluunt, uti ſupra exemplum de Puellâ dyſentericâ ex Obſervatione Johannis Schmidii *M. N. C. Dec. I. An. 3. Obſ. 24. p. 198. & An. 4. & 5. Obſ. 157. p. 199.* item poſt fluorem album & Luem veneream, juxta Joh. Rhod. *Cent. 2. Obſ. 91. p. 99.* poſt ulcus ex præpoſterâ Venere, ſecundum Petrum de Marchettis *Obſerv. med. chirurg. p. m. 135.* vel poſt abſceſſum in Interſtitio inter foramen anterius & poſterius ex meâ Obſervatione; item poſt erupturam aut dilacarationem ejusdem parietis, in partu difficili, uti ſupra ex Thom. Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 36. p. m. 248. ſeq.* Chriſtoph. Välters Hebammen-Schule *Part. 2. cap. 17. Obſ. 3. p. m. 248. ſeq.* adduximus; ejus- *A morbo.*

Ppp pp 2 modi

modi ſanè fœminæ in tali ſtatu, niſi tale malum arte medico-chirurgicâ corrigi & tolli poſſit, â matrimoniô arcendæ, imò deſponſatæ atqve maritatæ iterum diſſolvendæ mihi videntur, ſi præſertim ſponſus aut maritus antea nullam hujus vitii notitiam habuerit; Siqvidem in ejusmodi Caſibus Coitus non niſi ſtercoreus, horrendus & abominabilis eſſe poteſt, ſi præprimis Inteſtinum rectum vel â naturâ, vel ab eroſione occluſum, & foramen in Vaginâ uterinâ tam patulum fuerit, ut Penis ſecundum Petermanni Obſervationem, in Inteſtinum rectum aberrare atqve ſemen in cloacam emittere qveat.

§. 15.

Caſus ſuſpectus. Qvæ tamen Petermanni Obſervatio, non qvidem ratione Medici, Caſum referentis, ſed ratione Mariti ejusqve Cauſidici, ad divortium provocantis, ut fatear, ſuſpecta mihi videtur; ſiqvidem ipſa Obſervatio teſtatur, fœminæ ruſticæ podicem propter vitioſam conformationem exteriùs fuiſſe occluſum, intus tamen in vaginam uterinam deſiiſſe, ipſiusqve maritum ante benedictionem ſacerdotalem per annuum ſpatium die noctuqve multoties ſeſe cum eâ copulâſſe, ut adeò ex tali congreſſu fœmina imprægnata poſtmodumqve abortum paſſa fuerit. Nihilominus tamen idem maritus poſtea fœtum abortivum pro ſuô agnoſcere noluit, ſed potiùs eundem â puerperâ ſuppoſitum & â muliere militari excluſum venditavit, ideoqve ob foramen in vaginâ, dictô modô deſcriptum, congreſſum, qvem hactenus cum uxore habuerit, ſordidum & fœtidum eſſe, ſeqve ulterius ſine horrore & abominabili Sodomiæ crimine, coitum cum ipſâ continuare non poſſe; dixit, coramqve Judiciô Eccleſiaſticô divortium petiit. Cùm proinde in dictâ fœminâ ruſticâ Podex â primâ conformatione vitioſâ occluſus, atqve Inteſtinum rectum in Uteri vaginam implantatum fuerit, nullus ſanè dubito, in hac fœmina eandem fuiſſe conformationem, qvam ſuprà circa Inteſtini recti in vulvam, & qvidem

circa

circa inferiorem labiorum coitum & in vaginam Uteri inſertionem monſtravimus; exitum ſcilicet ſatis parvum & ratione Sphincteris ſatis anguſtum, minimè autem adeò amplum atqve hiantem fuiſſe, ut Penis in Inteſtinum rectum in coitu aberrare potuerit, qvod in aliis exemplis poſt exulcerationem aut dilacerationem Interſtitii inter anum & vulvam libenter concedimus. Imò licet etiam, fortaſſe in partu difficili a dilaceratione aut aliô infortuniô, illud vaginæ foramen ante ſatis arctum, poſtmodum adeò fuiſſet dilatatum, uti maritus refert, aut planè novum foramen magnum exortum fuiſſe concederem, minimè tamen hic maritus ab uxore ſeparandus eſſet, cùm poſt illicitam totiesqve repetitam copulationem carnalem Ingravidatio poſteaqve difficilis partus atqve dilaceratio ſecuta fuerit. Sed ad propoſitam noſtram redeamus.

§. 16.

Qvantum ſcilicet porrò illas fœminas attinet, â qvibus ex qvacunqve cauſâ excrementa dicta per ipſam uteri cavitatem excernuntur, tales meô judiciô â matrimoniô arcendæ erunt in ejusmodi Caſibus, qvales binos, alterum ex Johanne Rudolphô Salzmannô, alterum ex Ido Wolfiô ſuprà recenſuimus. Juxta illum ſcilicet fœminæ poſt partum difficilem inteſtina, Ulnæ unius longitudine & ultra per Uterum propendebant; qvod ægrè ferens ægrota omne id, qvod propendebat, reſcindebat, atqve mox per uterum fæces excernebat. Secundum Wolfium autem, in ruſticæ cujusdam, poſt diuturnam uteri hæmorrhagiam fæces alvinas, cum alvi obſtructione plenariâ, per uterum excernentis, diſſectione, Inteſtinum Colon Utero firmiter annexum atqve perforatum, ejusdemqve cavitati putidiſſimi puris & ſtercoris ingentem qvantitatem communicans, obſervabatur. In utroqve exemplô Inteſtinorum vulnera ſeu foramina, in Uterô oborta, absqve dubiô fuerunt ſatis magna, neqve mediante qvodam Sphinctere ſe contrahere vel claudere *Per Uteri Cavitatem.*

potuerunt; hinc fæces alvinæ involuntariè & absqve impedimentô ſeu retentione in Uteri cavitatem atqve exinde in vaginam fuerunt prolapſæ; unde non niſi ſtercoreus Coitus ſeqvi potuit. Qvòdſi verò, anô â nativitate clauſô, Inteſtinum rectum eodem modô, uti de inferiore Vulvæ locô atqve de vaginâ uterinâ diximus, ipſi Utero implantatum eſſet, ita ut mulier mediante Sphinctere excrementa ſeu ſtercus retinere eorumqve involuntarium egreſſum impedire poſſet, tunc mitius mihi ferendum videtur judicium; qvamvis nihilominus ingratus ſatis atqve horrendus coitus ſit metuendus.

§. 17.

Per Veſicam. Qvibus deniqve fœminis vel ab extraordinariâ Inteſtini recti in veſicam implantatione, vel etiam ab eroſione & exulceratione utriusqve partis, vel qvocunqve modô, fæces alvinæ veſicam ingrediuntur, atqve ex hac unà cum urinâ rejiciuntur, illæ, meâ qvidem ſententiâ, neqve â matrimoniô excludendæ, neqve iterum ſeparandæ erunt; cùm ob Veſicæ Sphincterem ſatis fortem involuntaria ſtercoris excretio non facilè fieri, ſed ob rationes jam allegatas in coitu magis impediri poſſit. Fateor tamen, ejusmodi Caſûs, in qvibus excrementa alvina ex Inteſtinis ad veſicam tendunt, in ſeqviore ſexu, ob interjacentem Uterum, rariores eſſe, qvàm in ſexu maſculinô, qvale exemplum ſuprà ex Henric. a Roonhuyſ. *Part. 2. Obſ. 2. p. m. 147.* & ex Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 13. fol. m. 884.* de puerô adduximus. Qvin tamen pariter in ſexu muliebri talis Caſus accidere poſſit, penitus negandum non eſt, ſiqvidem naturam varias vixqve imaginabiles ejusmodi vias ſibi qværere obſervamus.

§. 18.

Qvoad dejectionem involuntariam. Hæc de Fæcum alvinarum excretionis locô præternaturali ſufficiant; paucis nunc etiam ad reliqvas circumſtantias pergamus, & qvidem Secundò, qvoad Stercoris Dejectionem volun-

tariam

târiam & involuntariam, jam aliqvoties hactenus monſtravimus, qvòd, ſi talis effluxus eſt penitus involuntarius atqve continuus, neqve â Sphinctere Inteſtini, aut qvodam ei analogô impediri poteſt, ſive ſit in vaginâ uterinâ, ſive in ipſô uterô, ab eroſione, aut exulceratione, aut dilaceratione, & qvidem foramine exiſtente ſatis amplô, tunc neceſſariò etiam Coitus ſordidus atqve abominabilis metuendus erit. Econtra verò, ubi talis fecum effluxus non eſt continuus, ſed per Sphincterem, qvi ordinariè conſtrictus & clauſus in fecum excretione ſe dilatat, pro voluntate ad tempus cohiberi poteſt, (id qvod fit, qvando â prima conformatione Inteſtinum rectum vel in vulvæ partem inferiorem, circa labiorum coitum, vel in Uteri vaginam, implantatum eſt) in ejusmodi Caſu coitum ſtercoreum aut planè non, aut non adeò freqventer ſecuturum credimus. Id qvod etiam in illô caſu, ubi excrementa in Veſicam urinariam deponuntur, intellectum volumus, cùm ob Veſicæ Sphincterem involuntaria fecum excretio ad minimum per tempus retardari aut cohiberi poſſit. Unde prioribus perſonis non æqvè, ac poſterioribus matrimonium concedendum videtur.

§. 19.

Tertiò qvoad magnitudinem foraminum, per qvæ fit talis excretio naturalis, majora minoribus ſemper ſunt magis ſuſpecta. Ad minora referimus ea, per qvæ â Nativitate, podice clauſô, excrementa præternaturaliter prodeunt, & qvæ Sphinctere aut qvodam ei analogô, excretionem fæcum involuntariam impediente, prædita ſunt, ſive talis inſertio in vulvâ, ſine in vaginâ uterinâ reperiatur. Ad majora autem foramina pertinent illa, qvæ non à primâ conformatione, ſed vel ab exulceratione aut dilaceratione oriuntur, nullumqve habent Sphincterem; hæc enim utplurimùm adeò magna ſunt, ut fæces ex Inteſtinô tranſire qveant; præterea etiam facillimè magis magisqve dilatari poſſunt. Interea non negamus, foramina in inter-

Qvoad foraminum magnitudinem.

ſtitiô

ſtitiô inter vulvam & inteſtinum rectum reperiunda, non ſemper eandem habere magnitudinem, ſed qvandoqve adeò parva eſſe, ut fæces, imprimis craſſiores, permeare neqveant, indeqve non ſemper Coitus ſtercoreus timendus ſit; & qvidem ſi anus non ſit occluſus, & excrementa per porum majorem ordinarium ſeu podicem naturaliater evacuentur. Poſſibile tamen eſt, ut, ſi anus, naturaliter antea apertus, poſt eroſionem inteſtini recti claudatur, iſta Interſtitii foramina minora ob conatum egerendi facillimè dilatentur, vel etiam ab eroſione aut exulceratione indies magis dilacerentur, atqve majora evadant.

§. 20.

Qvoad curam. Qvartò ſi talis conſtitutio præternaturalis, qvâ nimirum excrementa alvina per allegata loca extraordinaria projiciuntur, Coitumqve ſtercoreum & abominandum cauſantur, non eſt medicabilis, nullâve arte Medico-chirurgicâ ſanari poteſt, tunc non tantummodò tali perſonæ, adhuc liberæ, matrimonium interdicendum, ſed ipſa qvoqve jam ligata, poſt celebrata ſponſalia & contractum matrimonium, iterum ſolvenda videtur. Qvodſi verò ejusmodi foramina, ex Inteſtinô ad Uteri vaginam tendentia, per Medicinam aut Chirurgiam iterum conſolidari, partesqve cohabitationi dicatæ in integrum reſtitui poſſunt, qvalia exempla aliqvot ſupra recenſuimus, tunc ſeparatio ſeu matrimonii denegatio locum non habet.

§. 21.

Qvoad tempus matrimonii. Deniqve â Divortiô ſeu ſeparatione conjugali eximendæ mihi videntur illæ fœminæ, qvibus tale infortunium, v. g. exulceratio, dilaceratio, aut qvocunqve modô facta Inteſtini recti atqve vaginæ uterinæ, vel ipſius Uteri perforatio, cum ſubſeqvente Stercoris per vulvam dejectione, durante matrimoniô accidit. Qvamvis enim ſecundum Jura eccleſiaſtica ob defectûs naturales, qvi mulierem aut ad congrediendum, aut ad concipiendum, aut pariendum reddunt inhabilem, neqve per artem medicam corrigi poſſunt; matrimonium, licet per

bene-

benedictionem ſacerdotalem ſit confirmatum, declaretur nullum; nihilominus tamen ejusmodi vitia morboſa & alia infortunia, poſt contractum matrimonium ſupervenientia, qvamvis etiam congreſſum & impraegnationem interdum impediant, matrimonium non diſſolvunt, ſiqvidem qvod durante matrimoniô alteri conjugi absqve propriâ culpâ obvenit infortunium, utriqve patienter tolerandum eſt. Contrarium autem judicium de illis uxoribus ferendum erit, qvæ propriâ culpâ, v. g. ab alienô & impurô Coitu indeqve exortâ Lue Venereâ, ejusmodi exulcerationem & perforationem Interſtitii inter Vulvam & Inteſtinum rectum, & qvidem immedicabilem contrahunt: Item ſi feminæ ante matrimonium tali affectu, ſeu involuntariâ & immedicabili fecum alvinarum in Vaginam Uteri excretione laboraverint, ſponſusqve vel maritus ante ſponſalia & nuptias nullam planè hujus ſtatûs morboſi notitiam habuerit, ſed demum in cohabitatione conjugali inopinatò in tale fimetum inciderit. Talis enim congreſſus, licet etiam fœcundus eſſe poſſit, ſimul tamen, utpote ſordidus, fœtidus atqve abominabilis, videtur prohibendus. Qvodſi verò talis ſtatus præternaturalis Sponſo aut marito ante ſponſalia & copulationem ſacerdotalem, & fortaſſe ex illicitâ Converſatione, (ſecundum exemplum ex Petermannô allegatum) ſatis notus fuerit, hic tamen ſciens & volens talem fœminam in Uxorem duxerit, tunc ejusmodi Vir non immeritò ex hoc labyrinthô & cloacâ liberandus non erit, atqve exceptiones fœtoris atqve abominationis ſponte ſuâ evaneſcent; qvod enim ſemel vel aliqvoties placuit, ſemper locô pœnæ placeat.

§. 22.

Fortaſſe etiam â nonnemine, pro impetrando Divortiô, ad Coitum ſtercoreum & abominandum referri poſſet alius Caſus dabilis, qvando ſcilicet in partu difficili Iſthmus ſeu Perinæum vel Interſtitium inter anum & rimam pudendi mulie- *Qvæſtio de Iſthmô ruptô*

Qqq qq bris

bris diſrumpitur, anusqve & vulva unum continuumqve foramen fiunt, qvale exemplum in Mercatoris Colbergenſis Conjuge obſervavit Baldaſſar Timæus â Güldenklee, *Lib. 4. Caſ. 31. p. m. 230.* & aliud, & qvidem in Virgine ſine membri virilis intromiſſione imprægnatâ, annotavit Paulus Sorbait *M.N.C. Dec. I. An. 3. Obſ. 273. p. 486.* Hæc ſcilicet adhuc puella octo circiter annorum, cùm ſeſe, ut calefaceret, carbonibus in ollâ contentis inſideret, obdormiens perfractô fictili in carbones incidit & totam Perinæi, Vulvæ & pubis regionem combuſſit. Vocatus verboſus qvidam Chirurgus adeò negligenter eam curavit, ut integræ vulvæ labia firmâ cicatrice ſibi conjungi & relictis tantùm duobus foraminibus, unô infra Os pubis, alterô prope anum, in Perinæô, coaleſcere permiſerit. Puella taliter conſtituta ad Pubertatem pervenit, & cùm tùm ob hæreditariam levitatem Veneris œſtrô non parùm ſtimularetur, tum ob elegantem formam â procis non paucis ſollicitaretur, tandem ab unô per contactum absqve membri intromiſſione ingravidata fuit; cùmqve partûs adeſſet tempus, doloresqve biduô jam totô vehementer urgerent, de ſectione & apertione vulvæ conſultum fuit, qvam etiam feliciter perfecit Chirurgus, & illa paulô poſt ſummâ vi prolem ſat robuſtam enixa eſt, non per recens aptatam & ſectam vulvam, ſed per antè dictum foramen ano proximum, â naturâ tantâ vi dilatatum, ut totius Perinæi rupturam cauſaverit &c. Mihi ipſi etiam aliqvot a partu difficili ortæ rupturæ Perinæi exempla innotuerunt, qvæ, ob neglectam in principiô mali curam, poſt aliqvod tempus redintegrari aut reſarciri non potuerunt. Qvantum autem hôc in Caſu Coitum ſtercoreum attinet, ſciendum, nullum ex magnis ejusmodi rupturis fœtidum & abominandum Congreſſum eſſe metuendum. Qvamvis enim talis hiatus â vulvâ ad Inteſtinum rectum usqve extendatur, non tamen ipſum Inteſtinum rectum neqve Sphincter ani ſimul dilaceratur, unde etiam excrementa per illud

illud foramen ad vulvam non perveniunt, ſed ex Inteſtinô rectô per apertum, pro læſæ perſonæ voluntate, Sphincterem ſolitô modô excernuntur. Imò licet talis hiatus ſit ſatis ingens vulvaqve ampliſſima, ut adeo cum ejusmodi perſonâ Congreſſus non adeò jucundus celebretur, minimè tamen exinde Impræ-gnatio impeditur.

QVÆSTIO II.

An ex Meconiô per Puerperæ Vaginam uterinam prodeunte certum defuncti fœtûs ſignum deſumi qveat?

§. 1.

DE Meconii Denominatione, colore & conſiſtentiâ &c. jam ſupra Capite nonô pluribus egimus, ſcilicet eſſe ſtercus fœtûs ſubingricans, qvod non modò ab Infantibus recens natis, ſed in Uterô qvoqve adhuc detentis qvandoqve ante partum emittitur; Ex arte autem Obſtetricariâ notum eſt, non ſolùm Obſtetrices circa puerperia, & in examinibus, ſed etiam qvandoqve Medicos, Meconium â fœtu in Uterô adhuc detentô excretum atqve tempore partûs difficilis in puerperæ vaginâ uterinâ, vel in ipſô uterô ab Obſtetrice deprehenſum, pro Signô fœtûs in Uterô jamjam mortui habere, atqve fœtum infallibiliter in Uterô defunctum præſagire. Inqvit enim Johannes Jacobus Waldſchmidius *Prax. med. Caſ. 53. p. m. 160.* Infantem mortuum eſſe judicamus ex diuturnitate doloroſi partûs, ex horripilatione parturientis, ex colore lividô manûs exſertæ, ex fæcum excretione per muliebria &c. *& p. 944. ſq.* idem ſcribit: certiſſimum ſignum fœtûs mortui eſt, ſi in ipſô partu excrementa alvi per muliebria excernuntur, norunt hæc ipſæ Obſtetrices. Qvando enim ſimile obſervant, dicunt, vel jam extinctum eſſe fœtum, vel ſaltem verſari in agone. Qvodſi igitur Medicus ex his & aliis circumſtantiis certus ſit, fœtum in Uterô

Meconium an ſignum fœtûs mortui?

affirmatur:

eſſe extinctum, ſtatim exhibenda talia remedia, judicat, qvibus fœtus mortuus ex Uterô excludi poſſit. Scribit etiam Johannes Dolæus *Encycl. Chirurg. Lib. 4. cap. 5. p. m. 943.* in Matre mortem fœtûs innoteſcere; ſi Meconium in Uterô & Cervice percipiatur. Sic juxta Andr. Ottomar. Gœlicke *Medic. Forenſ. Specim. V. §. 8. p. 88.* non temerè credendum eſt ſuſpectis Mulieribus, etiamſi fœtum jam in Uterô extinctum eſſe callidè prætendant, niſi probatum dederint, excrementa priûs ex Uterô, qvàm publicam in lucem prodierit infans, profluxiſſe. Juxta verba Corn. Solingen *Embryulc. ofte Afhalinge eenes dooden Vruchts. cap. 7. p. m. 91.* Als het Kind ſyn Drek onlaſt wert, of afgaet, is mede een ſeker teeken, dat het doot is; 't welk alleen maer kan geſchieden voor dat eenigh deel, inſonderheyt het hooft ſich in de geboorte vaſt geſet heeft. Vel juxta Verſion. Germ. *p. m. 46.* **Wenn dem Kinde der Miſt entgehet, ſo iſt es ein gewiſſes Zeichen, daß es todt iſt, welches aber nur geſchiehet, wenn ſich ein Theil, vornehmlich das Haupt, in der Geburt feſte geſetzet hat.** Hoc ſignum etiam inter ſigna fœtûs mortui ponit Johannes Baptiſta Verduc *au Traité des Operations de Chirurgie cap. 36. de l'Operation Ceſarienne pag. m. 169.* Il y a, inqviens, qvel qvefois du meconium dans la Matrice & dans la Vagin. Et Cosmus Viardel certiſſimum fœtûs mortui ſignum ex præſentiâ Meconii deſumit, idque ſeqventi Obſervatione juxta Editionem Germanicam *Tract.* **von der Weiblichen Geburt,** *cap. 4. p. m. 42. ſeqq.* his verbis confirmat: Im Jahr 1665. wurde ich beruffen einer vornehmen Frauen von ohngefehr 20. Jahren, in Kindes-Nöthen zu dienen. Dieſe war fett und ſehr dick vom Leibe, und hatte drey Tage und drey Nächte in der Geburts-Arbeit geſtanden, mit ihrem erſten Kinde, welches zum Ziel kommen war, und wegen ſeiner unmäßigen Gröſſe und des ſehr engen Durchganges, der Mutter groſſen Schmertzen, und mir viel zu ſchaffen machte. Ich griffe mit meinen zwey Fingern,

(Indi-

(Indicibus utriusque manûs) in die Mutter, und fühlete ringſt um des Kindes Kopff herum, langete mit denen Fingern etwas tieffer hinein, und nachdem ich ſelbige wieder herausgezogen, wurde ich der Materie daran gewahr, welche in des Kindes Gedärmen enthalten iſt, und Meconium genennet wird; Daher nahme ich ab, daß das Kind todt wäre, welches Kenn-Zeichen bißher noch nicht in acht genommen worden; Denn es iſt eine gantz gewiſſe Sache, (das Kind liege auch wie es wolle) wenn in Bemühung einer Frauen, bey der das Gewäſſer angebrochen, die Finger mit einer ſchwärtzlichen Farbe gleichſam beſtrichen ſind, ſo kan man ſich verſichern, daß das Kind todt iſt, dieweil es ausgeleeret. Dieſes habe ich in dergleichen Fällen offt gemercket, doch auch dabey in acht genommen, daß etliche Kinder den Leib nicht ausleeren, ob ſie ſchon eine lange Zeit her todt ſind. Darumb wenn man nichts an denen Fingern ſiehet, kan man nichts gewiſſes ſagen, ob das Kind lebendig, oder todt iſt. Wenn man nun durch dieſes Zeichen verſichert iſt, daß das Kind nicht mehr lebet, kan man ohne alles Bedencken austreibende Artzeneyen gebrauchen ꝛc.

§. 2.

Qvamvis autem hæc ſententia hactenus pro certiſſimâ & infallibili habita fuerit, non tamen perpetuæ veritatis eſt, ſiqvidem Andreas Petermannus *Caſ. med. legal. Decad. I. Caſ. 7. p. m. 92.* in fœtûs cujusdam extractione Meconii aliqvot Cochlearia ex Puerperæ Uterô, ſatis adhuc clauſô, ope ſuorum digitorum prodiiſſe, ſe tamen nihilominus poſtea Inſtrumentô qvodam vivum & ſanum fœtum extraxiſſe, refert. *Obſervatio in contrarium.*

§. 3.

Ex qva Obſervatione duo imprimis mihi monenda veniunt, & qvidem primò ratione Obſtetricum vel Chirurgorum Obſtetricum Munere qvandoqve fungentium, ne ſcilicet poſt excretionem talis meconii, illi ſtatim de Infantis morte nimis *Monitum ad Obſtetrices.*

 ſint

ſint ſecuri, ac ſi fœtus in uterô infallibiliter obierit; atqve ex [illegible] ratione tandem qvacunqve vi & qvovis modô, etiam hamorum ſeu uncorum applicatione, vel fruſtulatim, reſectis nimirum brachiis & amputatis tibiis extrahere tentent, & fortaſſe fœtûs vitam maximo periculo exponant atqve inopinatò infanticidium committant. Sed qvia ex dictâ Petermanni Obſervatione liqvet, fœtum interdum, poſt excretionem Meconii, in uterô adhuc ſupervivere poſſe, ego potius ſvaderem, ut præter hanc Meconii excretionem alia qvoqve fœtus mortui ſigna, ante Operationem ſeu violentam extractionem, Chirurgi probè attendant, atqve ex iisdem collectivè ſumptis de vitâ aut morte fœtûs certiores fiant.

§. 4.

ad Medicos. Deinde inſervit hæc Materia & Obſervatio ad Qvæſtionem Medico-Forenſem, v. g. ſi qvando Meretrix, Infanticidii ſuſpecta, fœtum â ſe natum in partu adhuc vivum fuiſſe neget, ſed jamjam in Uterô obiiſſe affirmet, atqve pro ſua defenſione hôc unicô argumentô, qvòd nimirum Meconium ſeu Stercus Infantis ante partum vel ſimul cum fœtu prodierit, nitatur; tunc in ejusmodi Caſu a Magiſtratu aut Judice Medici ſeu Phyſici Judicium deſuper expetitur eiqve talis circiter proponitur Qvæſtio

An Meconium ſeu Stercus Infantis ante partum excretum, vel in Matris vaginâ uterianâ uterive cavitate ab Obſtetrice repertum, de fœtûs in uterô obitu certum & infallibile ſignum præbeat?

§. 5.

Reſponſio. Ad qvam Qvæſtionem ſi Medicus affirmativè, Meconium ſcilicet certiſſimum fœtûs in Uterô mortui Signum eſſe, reſpondeat ſuamqve ſententiam Autoritatibus ſuprà adductis & aliis confir-

confirmet, tunc puerpera ſtatim â ſuſpicione liberatur: Qvod ſi verò Medicus reqviſitus hujus argumenti, â Meconiô deſumpti ſufficientiam, ob allegatum Petermanni Obſervationem, infringat, tunc Mater, cæteris paribus, Infanticidii ſuſpecta manet.

§. 6.

Mediô itaqve tutiſſimus ibit Medicus, ad hanc qvæſtionem reſpondendo, qvòd ſcilicet utiqve verum ſit, in plerisqve Caſibus, ubi Meconium partum præcedit, fœtum mortuum ſeqvi; unde absqve dubiô etiam modò allegati & alii Medici hoc ſignum pro certiſſimô judicârunt. Qvia verò Andreas Petermannus, qvi ipſe, uti ſatis notum, ſæpiſſimè obſtetriciô munere functus eſt, & qvamplurimos vivos & mortuos fœtûs propriis manibus & Inſtrumentis extraxit, in fœtûs cujusdam extractione aliqvot Meconii cochlearia ex Uterô, ſatis adhuc clauſô, ope ſuorum digitorum prodiiſſe, ſe tamen nihilominus poſtea Inſtrumentô qvodam, vivum & ſanum fœtum extraxiſſe, locô allegatô annotavit, exinde videmus, hanc qvoqve ſententiam ſeu regulam de Meconii proventu mortem fœtûs indicante, non ſemper eſſe infallibilem, ſed qvandoqve exceptionem pati: Qvinimo fortaſſe, etiam ſæpius ſimilis Obſervationes aliis Medicis ac Obſtetricibus occurrere, dubium non eſt, licet non ſemper annotentur. Ipſe etiam memini, aliqvoties Obſtetrices in partu difficili ex Meconii præſentiâ fœtûs mortem prædixiſſe, cùm tamen poſtea vivus fœtus qvamvis maximè debilis, extraheretur. Et Obſtetrix qvædam Dreſdenſis, cùm in examine pro hac functione, qvam per aliqvot jamjam annos exercuerat, â me qværetur, an Meconium ante partum proveniens certum fœtûs in uterô mortui ſignum præbeat? negativè ideò reſpondebat, qvia tempore qvodam, cùm ad gravidam qvandam, unà cum Socru ſuâ, exercitatâ pariter Obſtetrice, reqviſita fuiſſet, parturiens hæc in hypocauſtô adhuc circumambulando aliqvot meconii fruſta ex Uterô rejecerat, nihilominus tamen, poſt *Signum eſt incertum.*

horam

horam circiter, gemellos vivos diuqve ſupermanentes peperat.

§. 7.

Monitum ad Judicem. Cùm proinde ex ſolô hoc ſignô, uti demonſtratum, de Vitâ & morte recens nati fœtûs nihil certi concludi poſſit, puerpera potiùs & Obſtetrix, item aliæ adſtantes mulierculæ, ſiqvæ puerperio interfuerint, de veritate accuratiùs à Judice examinandæ atqve de reliqvis fœtûs in uterô mortui ſignis expiſcandæ eſſent.

§. 8.

Signa fœtûs mortui. De variis ejusmodi fœtûs mortui ſignis, qvæ hôc locô brevitatis gratiâ recenſere nolumus, vid. Paul. Barbett. *Chirurg. cap. 23. p. m. 59.* Baldaſſ. Tim. à Güldenkl. *Lib. 4. Caſ. 26. p. m. 224.* Roder. à Caſtr. *de Morb. Mulier. Lib. 4. cap. 2. p. m. 437.* Chriſt. Frid. Garmann. *de Mirac. Mort. Lib. 1. Tit. 9. §. 9. p. m. 264.* Thom. Bartholin. *Cent. 5. Hiſtor. 78. p. m. 154. ſeq.* Jodoc. Lomm. *Obſ. medic. Lib. 2. p. 281.* Merſeburg. Hebammen-Kunſt, *Lib. I. cap. 13. p. m. 91. ſq.* Joh. Jac. Waldſchm. *Prax. med. p. m. 159. ſq. 942. ſq.* Franciſc. Mauric. von denen Kranckheit. ſchwang. Weib. *Lib. 2. cap. 12. p. m. 325.* Philip. Frauendorfer *de Morb. Mulier. cap. 7. p. m. 61.* Joh. Jacob. Mangett. *Annotat. in Paul. Barbett. Prax. Lib. 4. cap. 12. p. m. 199.* Joh. Muralt. *Hippocr. Helvet. p. m. 2. ſeq.* Cornel. Solingen *Empryulc. oſte Afhalinge eenes dooden Vruchts. cap. 7. p. m. 85. ſeqq. M. N. C. Dec. II. An. 1. Obſerv. 102. Schol. p. 243.* Henric. à Deventer. *Nov. Lum. Obſtetricant. cap. 32. p. m. 140.*

De Inteſtinis.

Qvæſtio de Inteſtinis. Porrò cùm in præſenti Chylologiâ non modò de Stercore, ſed etiam de ejusdem continente, Inteſtinis ſcilicet, actum ſit, non incongruum fore puto; ſi de iisdem qvoqve unam vel alteram Qvæſtionem Medico-forenſem hoc locô annectam. Dictam ſcilicet eſt ſuprà, Inteſtina ſæpe numerò datâ occaſione ſitum

ſitum mutare atqve vel ob laxitatem, vel ob rupturam Peritonæi, modò in Umbilicum, modò in Ingvina, modò in Scrotum prolabi, ibidemqve certos tumores, Herniarum nomine venientes, cauſari. Tali autem Inteſtinorum prolapſu ſeu Herniis laborantes Viri utplurimum Virginibus aliisqve feminis Impotentiæ coëundi liberosqve generandi ſuſpecti eſſe ſolent, juxta Obſervationem â Johanne Muys *Prax. Med. Chir. ration. Dec. 4. Obſ. 3. p. m. 148.* recenſitam. Nimirum recenter nupta Virgo, ubi primâ vice lectum cum ſuô ſponſô eſſet ingreſſa, intrepidâ manu mox illas mariti partes contrectat, qvas Adamus ſibi ficuum foliis ſtatim poſt lapſum contexiſſe legitur, atqve ita eundem herniâ divexari ex vinculô, qvod geſtabat, animadvertit, unde ferè in furorem acta hæc in verba erupit: pudeat te, conjux, qvod amaſiam tuam tam impèi deceperis; qvid conſilii mihi miſeræ? perii profectò; num tam malè conformatum corpus puellæ in flore ætatis conſtitutæ ac annum decimum octavum nondum egreſſæ ſatisfacere poteſt? minimè, actum eſt de me; emori mallem, qvàm tecum ampliùs habitare. Maritus hac ſuper re interea temporis ſeriò philoſophatus placidô ſermone tandem reſpondit: bonô animô ſis, animula mea, vanam ac ſupervacanam hanc, meum corculum, depelle ſolicitudinem, qvoniam polliceor tibi, me pro virili conaturum efficere, ne unqvam hac de re conqveraris ampliùs; ac novem menſibus vix elapſis experientia mariti verba confirmavit gemellis, qvos enixa eſt uxor poſtea mutire vix audens de imaginariâ conjugis impotentiâ. Interdum etiam ipſi hernioſi, certis de cauſis Impotentiam ſimulantes, ex eodem fundamentô, commiſſum ſtuprum excuſare ſeqve defendere conantur; unde qvandoqve Medicis proponitur

QVÆSTIO III.

An Hernioſi ad matrimonium ſobolisqve procreationem apti ſint?

§. 1. Ad

§. 1.

Circa hernias conſideratur. AD qvam qvæſtionem, qvia hernioſi per ſe & ſuâ naturâ ad generationem inepti non ſunt, ſine explicatione & diſtinctione neqve affirmativè neqve negativè reſponderi poteſt. Qvamvis autem materia de Herniis prolixiùs explicari poſſet, nobis tamen hôc locô tantummodò de ipſarum locô, cauſa materiali, & primariô de magnitudine brevibus agendum erit.

§. 2.

Locus. Ratione loci oritur Hernia vel in Umbilicô, qvæ umbilicalis ſeu Omphalocele, vel in Ingvinibus, qvæ ingvinalis ſeu bubonocele, vel in ſcrotô, qvæ ſcrotalis ſeu generaliter Hernia ſiveRamex vocatur, de novâ Herniæ ſpecie vid. *Hiſtor. Academ. reg. ſcient. 1700. p. 465. item p. 248. ſeq.* Qvandoqve etiam ſupra & infra umbilicum, ut & circa ejusdem latera, imò in aliis qvoqve Abdominis regionibus talisrnodi tumores herniales â variis cauſis excreſcunt, qvæ vagæ vocari poſſunt, attamen propriè huc non pertinent, ſed dictæ tres ſpecies in Praxi freqventiores eſſe ſolent.

§. 3.

Materia. Deinde ratione Materiæ Hernias cauſantis, ſeu partium in ejusmodi tumores prolapſarum, docet qvotidiana Praxis, plerumqve Inteſtina locum ſuum mutâſſe, minimè tamen hôc in *in Herniâ umbilicali.* paſſu excludendum eſt Omentum, hinc in Herniâ umbilicali utplurimum reperiuntur Inteſtina, & qvidem jejunum, idqve vel ſolum, vel cum Omento; qvamqvam etiam aliæ partes ſeu viſcera v. g. Ventriculus, Lien, Epar, in Umbilicum expanſum prolapſa interdum obſerventur. vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 29. fol. m. 1308.*

§. 4.

In ingvinali. In Bubonocole ſeu Hernia ingvinali utplurimum in ſiniſtrô latere Inteſtinum Ileum, in dextrô autem Colon & cœcum, item Omentum deprehenduntur. Nonnulli eqvidem Autores

ſtatu

ſtatuunt, Omentum ſeu Epiploon ſolummodò in Umbilicum prolabi atqve ibidem Epiplocelen cauſari; qvandoqve tamen etiam in ſubjectis humanis Omentum usqve in hypogaſtriâ & Ingvina protendi, uti ordinariè in canibus obſervatur, probatur experientiâ, ſiqvidem Felix Platerus Enterocelen & Epiplocelen in Ingvine cum Gangræna ſe obſervaſſe refert *Obſervat. Lib.3.p.m. 756.ſeq.* Scilicet pagano cuidam viro, alioqvin robuſto, cum duobus litiganti & in terram dejecto, adverſariorum alter pedem in Ingvinis dextri regionem adeò impetuoſè impegit, ut vehementem inde cruciatum mox ſentiens, vix iterum potuerit aſſurgere. Inde in lectum collocato ſtatim tumor in eo locô amplius apparuit. Chirurgus & Lithotomus vocati rupturam in Peritonæô factam atqve Procidentiam Inteſtinorum ſecutam judicârunt, ſed fruſtra in reponendô Inteſtinô laborârunt. Ipſe autem Platerus ſuperveniens non ſolum Inteſtina ſed etiam Omenti portionem procidiſſe aſſeveravit; qvod poſtmodum in defunctô Sectio monſtravit, ſiqvidem Omentum omninò corruptum erat, & prociderat cum Inteſtinis, &c. Idem qvoqve, dum hæc ſcribo, in Chirurgo, qvi poſt externam læſionem vel contuſionem, præter alia ſymptomata, per tredecim dies omnimodam alvi conſtipationem omniumqve aſſumptorum Vomitum qvandoqve cum fœtidô ſapore & odore experiebatur, obſervare mihi licuit. In hujus enim defuncti & die 23. Octobr. 1724. à me diſſecti abdomine Omentum ſuper Inteſtina ad Ingven usqve ſiniſtrum obliqvè nimisqve expanſum deprehendi, ejusqve partem infimam unà cum Inteſtini Coli portione, ad pollicis longitudinem verſus ſcrotum ita prolapſam vel potiùs intruſam ut neqve Omentum ſolum, neqve ſimul cum Inteſtinô colô ulla vi extrahi poſſent. Item Andreas Petermannus aliqvoties referebat, ſe Omentum usqve in Ingvina protenſum obſervaſſe. Qvod etiam confirmat ipſius filius Benjaminus Benedictus Petermannus *Obſerv. medic. Decad. 2. Obſ.* *Obſervatio.*

2. Obſ. 4. p. m. 29. & qvidem de aliô ſubjectô, ſcilicet in cadavere pueri Empyemate demortui, in qvô Omentum, uti in brutis ordinariè conſpici ſolet ad proceſſum usqve Peritonæi erat protenſum. Vulgo dicitur Hernia ingvinalis Herniæ ſpecies imperfecta, qvia facilè in Herniam ſcrotalem tanqvam perfectam ſeu completam degenerare poteſt.

§. 5.

In ſcrotali. In Herniâ ſcrotali non modò Inteſtinum Ileum, tanqvam infimum, ſed qvandoqve etiam reliqva ferè omnia, præſertim in Herniis inſignioribus & inveteratis, Scrotum illabuntur. Ubi pariter monendum, præter Inteſtina interdum etiam Omentum in Scrotum deſcendere ibiqve interdum inter ſe ita complicari, ut nulla repoſitioni aut curæ ſpes ſuperſit. In hernioſi apertô Cadavere Inteſtinum Ileum inventum fuit Gangrænâ affectum Spithamæ longitudine ac ſitum in ſcrotô cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars Omenti continebatur in ſcrotô convoluta inſtar pilæ cum Vaſis ſangviferis valdè diſtentis. v. Joh. Muys *Prax. Med. Chir. Dec. 4. Obſ. 3. p. m. 144. ſeq.* Plura exempla vid. Theoph. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 29. fol. m. 1299. ſeq. 1301 1303.* De herniâ duplici ita ut in alterô ſcroti latere Inteſtina, in alterô verò Omentum prolapſa apparerent, vid. Spermatolog. noſtr. *Cap. 8, §. 7. p. 365.* Horrendum ejusmodi exemplum Herniæ ſcrotalis obſervavit Job van Meckren *Obſ. Chirurg. Append. cap. 5. p. 363.* in virô qvodam, in qvô prolapſus Inteſtinorum tantus erat, ut ſubſidente hinc abdomine Vertebræ lumborum tactui paterent. Aliud ejusmodi exemplum recenſet Johannes Schenckius *Obſ. Medic. Libr. 4. fol. m. 538.* de Hernioſô, cui Inteſtina ad Scrotum delapſa graviſſima Symptomata excitârunt; & licet ipſe ferè reſtitutus eſſet, neglectis faſciis ex recidivâ mortuus eſt. Hujus inteſtina deprehenſa ſunt cum Epiploô livida & adeò in ſcrotô complicata, ut minimè explicari & reponi potuerint. Idem etiam

mihi

mihi ante viginti aliqvot annos in Cive qvodam noſtrate cum exercitatô Operatore & Herniotomô Dithelmô Schererô, Helvetô, obſervare licuit. Poſtqvàm enim ille Herniâ ſcrotali, capitis magnitudinem excedente, laborans dicti Schereri curæ ſe commiſerat, hic ſtatim ante inciſionem Omentum ſimul prolapſum prædicebat; cùm autem factâ inciſione Omentum cum Inteſtinis ita complicatum atqve hæc inter ſe coalita qvaſi videret, ut nullô modô â ſe invicem ſeparari ſeu explicari poſſent, ab ulteriori Operatione abſtinebat & factam inciſionem conſolidabat. Omnes illos molles ramices qvos carnoſos vulgus appellat, ex Omenti prolapſu incrementôqve progigni ſcribit Andreas Veſalius *de Corpor. human. fabric. ſeu Anatom. Lib. 5. cap. 4. fol. m. 380.* Interdum qvoqve tota Veſica Urinaria in ſcrotum prolabitur, qvale exemplum annotavit Fridericus Ruyſchius *Obſ. 98. pag. m. 125.* In hernioſi cadavere calculus cum ipſa veſica unam ſcroti partem impleverat, Inteſtina omnia tenuia alteram, vid. Thom. Bartholin. *Cent. 4. Hiſtor. 28. pag. m. 200.* *Obſervatio.*

§. 6.

A dictis illapſis partibus ſeu viſceribus, Herniæ, uti paulò antè dictum, diverſas ſortiuntur denominationes, dum Hernia ſive in umbilicô, ſive in Ingvine, ſive in ſcrotô, ab Inteſtinis orta, Inteſtinalis, ſeu Enterocele; ab Omentô omentalis vel Epiplocele; ab Inteſtinis & omento ſimul Entero-Epiplocele vocatur. Herniam illam, in qvâ Veſica urinaria in ſcrotum prolapſa fuit, Fridericus Ruyſchius cyſticam appellavit. *Denominationes.*

§. 7.

Ultra dictas Herniarum ſpecies adhuc aliæ reperiuntur, v. g. interdum in Scrotô continetur Aqva, talis tumor vocari ſolet Hernia aqvoſa ſeu Hydrocele; vel Ventus ſeu flatus, & dicitur Hernia ventoſa, ſeu Phyſocele & Pnevmatocele; Qvandoqve Teſticuli inſtar ſubſtantiæ carneæ indurantur, & audit Sar- *Aliæ ſpecies.*

 cocele.

cocele. Et qvando Vaſa Teſticulorum v. g. Muſculus cremaſter cum Vaſis pampiniformibus, Epididymidibus, dilatantur & ſcirrhoſa evadunt, talis tumor appellatur Cirſocele vel Scirrhocele ſeu varicoſa. Qvæ tamen ſpecies propriè ad Hernias non pertinent, ſed rectiùs Tumoribus ſunt accenſendæ, qvia in illis neqve ruptio, neqve partium vel Inteſtinorum ſitus mutatus obſervatur.

§. 8.

Differentia ratione magnitudinis.

Deniqve ratione magnitudinis admodum differunt omnes Herniarum ſpecies, hinc alia dicuntur parvæ ſive incipientes, aliæ maximæ ſeu completæ, qvarum ultimarum aliqvot exempla modò recenſuimus, pluraqve apud Autores & in Praxi medicâ occurrunt. Monſtroſam Umbilici procidentiam recenſet Gvilhelmus Fabricius, Hildanus, de Bernenſi Matronâ, qvinqvagenariâ, robuſtâ, ſanâ, obeſâ & pingvi valde, qvæ ante multos annos in difficili partu relaxationem Umbilici contraxerat, ex qvâ relaxatô Peritonæô paulatim exomphalos planè monſtroſa facta fuerat; qvandoqvidem ad magnitudinem Uteri, qvi fœtum maturum geſtat, Umbilicus propendebat, venter nihilominus ſuam ſervabat proportionem. Extuberantia verò illa Umbilici velut ingens ſaccus ita propendebat, ut manum facilè inter Ventrem & ſaccum iſtum imponere poſſet Fabricius. &c. *v. ipſius Obſ. chirurg. Cent. 3. Obſ. 63. Oper. fol. 246.* Et *Obſ. ſeq.* aliud exemplum recenſet. Sic fœminæ cuidam annô ætatis trigeſimô tertiô partu Exomphalus natus, qvi triginta ſeqventibus annis (qvô tempore præter alios tres, illa undecim infantes peperit,) ita crevit, ut adulti hominis caput magnitudine longè ſuperaret, adeò ut Inteſtina hoc tumore concluſa externâ parte aptè ſentiri poſſent, teſte Corneliô Stalpart. van der Wiel *Obſerv. rarior. Cent. I. Obſ. 53. p. m. 223. ſeq.* De muliere, cui ex Herniâ Omphalocele univerſâ penè Inteſtinorum mole, è Peritonæi Cavitate procidente, tumor immenſus ac veluti novus venter,

Exomphalus magnus.

â verô

â verô Ventre flaccidô & depreſſô, & in hunc tanqvam ſaccum, illi inanito appenſum propendebat, qvem & faſciâ circumductâ, ut onus hoc ſublevaret, collô ſuſpenſum geſtabat, v. Felic. Plater. *Obſ. med. Lib. 3. p. 759.* Ubi etiam Puellæ recens natæ meminit, qvæ tumorem immenſum, ex Umbilicô propendentem, ſecum in lucem attulit, in qvô tenuia Inteſtina per Umbilicum prolapſa, globi magni inſtar convoluta tenui membranâ pellucidâ, qvalis amnion fœtum involvens exiſtit, inveſtita conſpiciebantur &c. In Virgine qvadam ab aſſumptô leviter venenô & concitatis multis vomitibus Omphalocele in magnitudinem non mediocris utris, aut diſtenti potiùs fabri ferrarii follis, excrevit, juxta Marc. Aurel. Severin. *de recondit. Abſceſſ. Natur. Lib. 4. c. 21. p. m. 227. ſeq.* ubi figuram addit. Plura ejusmodi Herniæ umbilicalis majoris exempla vid. Frider. Dekkers *Exercit. pract. p. m. 37.* Heinr. van Roonhuyſ. *Obſ. med. Lib. 1. Obſ. 12. & 13. p. m. 46. ſqq.*

§. 9.

Herniæ autem ingvinales non adeò magnæ evadunt, ſed qvando ipſarùm moles aliqvantùm augetur, Inteſtina & Omentum ex Ingvinibus in ſcrotum prolabuntur, atqve Hernias completas & qvandoqve maximas cauſantur, qvales paulò ante adduximus. De Herniâ triplici, ingentis ponderis & ad libras ſexaginta devenientis, Obſervationem recenſet Johannes Schenckius *Obſ. Medic. Lib. 4. fol. m. 54.* In Virô ſcilicet magni nominis, vitam ſendentariam agente temperie humidâ præditô, & diu in viduitate vitam tranſigente, Hernia tum aqvoſa, tum carnoſa ac inteſtinalis in tantam magnitudinem excreverat, ut ultra ſexaginta libras penderet, & ipſe ampliùs hoc pondus propemodum ferre non poſſet, propter difficultatem ſpirandi, cùm omnia magna vi deorſum traherentur; ſemperqve lecto affixus decumbere coactus fuit. Studioſi Theologiæ Scrotum ex Enterocele & Epiplocele adeò tumebat, *Herniæ ſcrotales magnæ.*

ut

ut deorſum, pedis unius cum dimidiô longitudine propenderet, & in circumferentiâ plus qvàm pedes tres cum dimidiô comprehenderet, tota illa moles, qvæ admodum dura tactu deprehendebatur, triginta qvatuor libras pondere æqvaret; qvam, propter pondus, mantili involutam colloqve appenſam, latâ hac faſciâ geſtare cogebatur. Alvum qvintô ſaltem die exonerabat, tantô cruciatu, ut mortem potiùs adire, qvàm alvum dejicere optaret, referente Felice Platero *Obſervat. Lib. 3. p.m. 755. ſeq.* qvi Autor judicat, Inteſtina ruptô Peritonæo pleraqve in Scrotum cum Omentô provoluta fuiſſe; ventremqve totum vacuum, inanitum & collapſum apparuiſſe addit. Hydrocelem ſeu Herniam aqvoſam, inſtar Capitis, breviter curatam annotavit Petrus Borellus *Cent. I. Obſ. 4. p. m. 8.* Plura Herniarum exempla vid. Th. Bartholin. *Cent. 2. Hiſtor. 95. p. m. 296. ſeq.* Theophil. Bonet. *Sepulchret. Lib. 3. Sect. 28. fol. m. 1294. ſeqq.*

§. 10.

ad Qvæſtionem Reſponſio. His præmiſſis ad ſuperiorem Qvæſtionem: an nimirum Hernioſi ad Matrimonium Sobolisqve procreationem apti ſint? *ratione umbilici.* reſpondemus: Primò, circa locum Herniarum ſciendum, ab Herniis umbilicalibus Virorum Organa, generationi inſervientia, ad Cohabitationem & Imprægnationem minimè reddi inepta, licet Viro, magnâ Herniâ umbilicali laboranti, Coitus non æqve commodus & laborioſior eſſe poſſit. Qvod etiam de Mulieribus Omphalocele majori laborantibus judicandum erit, qvòd nimirum tales Herniæ neqve congreſſum neqve conceptionem per ſe impediant. Qvia verò in feminis maximè freqventer obſervantur Herniæ umbilicales â magni ponderis elevatione, vel utplurimum â partu difficili exortæ, non immeritò tales perſonæ cælibes ante matrimonium ſibi de legitimâ Curâ proſpicere vel ob metuendum, poſt impragnationem, tempore Graviditatis & Partûs, majus malum, Veneri non libare debent.

debent. Qvod etiam maritatis eqvidem ſvadendum eſſet, qvæ tamen, cùm non ampliùs ſint ſui juris, fata ſua expectent.

§. 11.

Secundò ratione Herniarum Ingvinalium, in reutrô ſexu tantum periculum metuendum erit, qvia tales, ſecundum ſuperiùs adducta, utplurimùm non adeò magnæ exiſtunt, ſed, ubi majorem molem acqvirunt, tunc Inteſtina & Omentum in Scrotum prolabuntur, ſicqve ex Herniis imperfectis perfectæ vel completæ & interdum maximæ evadunt, qvamdiu autem Inteſtina in Ingvine hærent, neqve coitum & imprægnationem, neqve Conceptionem impediunt. *Ratione Herniæ ingvinalis.*

§. 12.

Id qvod tertiò etiam de minoribus Herniis ſcrotalibus judicandum eſt, nullum ſcilicet exinde matrimonii impedimentum eſſe metuendum, cùm infinita proſtent exempla herniosorum, qvi partim jamjam hernioſi Uxores duxerunt, partim durante matrimoniô tales facti ſunt, multos nihilominus liberos progenerârunt. Qvodſi verò tales Herniæ nimium ſumſerint incrementum, alia eſſet qvæſtio. *Ratione Herniæ ſcrotalis.*

§. 13.

Deinde ratione materiæ in Herniis ſeu iisdem tumoribus contentæ, neqve Omentum, neqve Inteſtina in Umbilicum, vel Ingvina, vel Scrotum prolapſa Coitum & matrimonium impediunt, niſi aliud accidens, v. g. nimia moles, &c. accedat. Hinc etiam primaria contra Matrimonium argumenta ab Herniæ, imprimis ſcrotalis, Magnitudine petuntur, dum ſcilicet in tali caſu 1) Inteſtina in Scrotum delapſa illud in omnem Dimenſionem inſigniter extendunt. 2) Inteſtina propter neglectam ab initiô Herniæ repoſitionem inter ſe vel cum Omentô nimis complicantur, vel etiam cum Scrotô coaleſcunt, ut in abdomen reduci neqveant. 3) Arteria & Vena ſpermatica, Vaſa item tam præparantia, qvàm deferentia, Muſculus cremaſter, imò ipſe teſticulus, *Ratione materiæ.* *& magnitudinis.*

culus, ab Inteſtinis delapſis & complicatis continuò comprimuntur. 4) Motus Sangvinis & Spirituum animalium ad Teſtes & Muſculos Penis non parùm debilitatur, ſicqve partim genituræ elaboratio, licet non in totum, attamen in tantum, partim ipſius Penis erectio notabiliter impeditur, unde 5) propter Spirituum ad genitalia inſufficientem irradiationem minor aut omninò nullus Veneris ſtimulus adeſt, parumqve aut nihil genituræ fœcundæ excernitur, juxta Johannem Caſparum Weſtphalum, vid. Mich. Bernh. Valentini *Novell. medic. legal. Caſ. 4. p. m. 53. ſeq.*

§. 14.

Penis retractio ab hernia magnâ.

Imò dantur interdum etiam Herniæ adeò magnæ, ut Penis omnimode retrahatur, ejusqve ne veſtigium qvidem ab extra appareat, qvò petinent modò ex Job van Meekren, Johanne Schenckiô & aliis allegatæ Obſervationes, qvibus annecti qvoqve ſeqventes poſſunt. Refert ſcilicet Thomas Bartholinus *Epiſt. medic. Centur. 3. Epiſt. 10. p. m. 50.* ſe vidiſſe hominem miſerum, ſtipem rogantem, cujus Scrotum cum Pene in unum corpus informe qvaſi coaluerat tam vaſtum, ut tres Spithamas æqvaret longitudine, unam craſſitie, ſpeciem maximæ cucurbitæ referens, venis tumidis variegatum. Ad latus foramen patebat, per qvod lotium emittebat, qvod Umbilicum credidit Bartholinus, cùm primùm videret: qvæ ſuſpicio evanuit viſô in ſuperiore parte Umbilicô verô. Qvoties hic homo lotium reddebat, informe hoc peculium univerſum ex gremiô ſuô prodire jubebat, ne ſe commingeret. Majorem Colem nec in naſutis, nec Æthiopibus, nec Aſinis deniqve vidiſſe ſe unqvam meminit dictus Bartholinus, hancqve Herniam pro varicoſâ habuit. Idem qvoqve puerum qvinqve annorum ſimili Herniâ deformem Hafniæ vidit, in cujus ſcrotô omnia Abdominis Inteſtina videbantur concluſa, reliqvô ventre, etiam poſt largum paſtum, flaccidô. Et *Centur. 4. Epiſt. 92. p. m. 519.* pauperculi

culi cujusdam hernioſi meminit, cujus modiô Hafnienſi vel duplô majus Scrotum omnia viſcera cum Ventriculô ſimul videbatur in ſe continere; qvæ etiam moles veretri pellem infernam ita ſecum in conſenſum raptaverat, ut vix leve ejus veſtigium appareret partis, qvâ Vir erat. Tale exemplum etiam annotatum legimus in Hiſtor. Morbor. Vratislav. *A.1702.p.m.100.* de hernioſô, cujus Scrotum magnitudine vaſtâ, figuram oblongæ cucurbitæ majoris referebat; atqve ob hanc Scroti portentoſam magnitudinem & diſtenſionem Penis planè retractus erat, ut in ſuperiore Scroti parte nullum ejus veſtigium appareret, præter foveam, qvæ ad glandem intus latitantem pertingebat. Ex hac foveâ urina effluebat, ſed neceſſe erat, ut, qvotiescunqve urinam reddere vellet, manu tumorem reprimeret & ita foveam dilataret. Bina qvoqve ſimillima exempla in Spermatologiâ noſtra *Cap. 2. §. 32. p. 80.* recenſui, alterum in Nobili, alterum in Piſtore qvodam, â me obſervata: Nobilis ſcilicet Scrotum in incredibilem magnitudinem, tam ratione longitudinis, qvàm latitudinis, erat expanſum, ita ut genua attingeret, atqve locô Penis fovea, per qvam Urina excernebatur, apparebat. Qvandoqve etiam non ab Herniâ inteſtinali, ſed carnoſâ ſeu Sarcocele vel varicoſâ unius aut utriusqve Teſticuli burſa ſcrotalis ita dilatatur, ut Penis evaneſcat, vel etiam adeò intorqvetur, ut perfectè ſeſe erigere neqveat.

§. 15.

Qvodſi proinde qvis tam magnâ Herniâ ſcrotali laboret, ut Omentum & Inteſtina prolapſa ſimulqve complicata in abdomen reponi non poſſint, ſed mole ſuâ Vaſa ſangvifera & ſpermatica comprimant, ac ſeminis prolifici elaborationem ipſiusqve Penis erectionem impediant, taliqve malo nullum remedium medico-chirururgicum ſuperſit, tum ſanè â matrimoniô arcendus, vel etiam jam uxoratus, niſi hoc vitium durante conjugiô ſupervenerit, iterum diſſolvendus erit. Cùm econtra, ſi *Autoris ſententia.*

Herniâ non nimis magna, atqve Inteſtina in Scrotum prolapſa neqve inter ſe neqve cum Omentô complicata Scrotove annexa fuerint, ſed facilè in locum priſtinum reponi ibidemqve ſubligaculis ſeu brachialibus firmari,aut a perpetuô delapſu impediri poſſint, tunc hactenus dicta ſymptomata atqve imperfecta ſeminis elaboratio Penisqve retractio minimè metuenda erunt, nec matrimonium interdicendum; ſiqvidem qvampluri-mos hernioſos in Conjugiô fœcundô vivere videmus.

§. 16.

Item de Hydrocele &c. Idem judicium etiam de Herniâ aqvoſâ & carnoſâ ferendum, ſcilicet, qvòd, ſi nimis magna ſit, generationem qvandoqve impediat, de qva materiâ ita ſcribit Paulus Zacchias *Qvæſt. med. legal. Libr. 9. Tit. 3. Qv. 7. n. 11. fol. m. 782.* Herniæ aliqvale impedimentum generandi præbere poſſunt, cujuscunqve tandem ſpeciei exiſtant; qvarum tamen magis ſuſpecta in hoc negotiô illa eſt, qvæ à feroſitate, ſeu aqvoſô humore proficiſcitur, Hydrocele dicta, maximè ſi magna ac diuturna extiterit; hæc enim præ aliis genitalia refrigerat, & ſeminis ſpiritûs extingvit, qvod tamen ex ſe pauci ſpiritûs eſſe ſolet, cùm talis morbus totius corporis frigiditatem denotet. Ceteræ verò Herniæ non ob hoc refrigerandi vitium fœcunditatem aliqvando remorantur, ſed qvia interdum in tantam excreſcunt molem, ut virile membrum omninò diliteſcat, vid. Gvilhelm. Fabric. *Cent. 4. Obſ. 64. fol. 335.* & tunc etiam coitum impediunt & generationem. Qvando verò Herniæ aqvoſæ ad tantam magnitudinem pervenerint, neqve citò evacuationem admiſerint, extra omnem ſpem ſanationis in futurum evadunt, in qvô caſu, ſi daretur de impotentiâ coeundi Qvæſtio, fruſtra expectaretur triennium. Et *l. a. Qv. 5. n. 12. f. 774.* idem ferè ſcribit Zacchias: Herniæ omnes magnæ, præcipuè aqvoſæ, Hydroceles Græcis dictæ, non ſolùm qvia coloris nativi pauperiem atteſtantur in totô, ſed etiam qvia maximè genitalibus ſunt infeſtæ, Coitum

& erectio-

& erectionem impedire poſſunt, præterqvam qvod ipſe tumor, ubi inſignis eſt, non permittit, hominem copulâ carnali uti: nam etiamſi membri erectio fiat, membrorum conjunctionem prohibet &c. Qvamvis autem in Hydrocele impedimentum Coitûs & generationis mihi non eqvidem â partium genitalium refrigeratione totiusqve corporis frigiditate, & ſpirituum extinctione derivandum ſit, magnæ tamen hydroceles moles penisqve retractio in culpâ eſſe poſſunt. Qvod etiam de Phyſocele & Sarcocele magna judicandum erit, niſi his malis arte chirurgicâ & operatione mederi liceat.

§. 17.

Qvoad Curam Herniarum adhuc monendum venit, earundem minores, uti modò dictum, ſubligaculis debitâqve Diætâ ab ulteriori incrementô impediri poſſe; qvodſi verò jam nimis magnæ fuerint, ita ut ſeminis idonei præparatio, Penis erectio & ipſe Coitus turbetur, tunc videndum eſſet, an Herniotomiâ cum vel ſine Caſtratione huic malo mederi poſſimus. Circa hanc tamen Curam ante omnia attendendum, an forte in ejusmodi Herniâ Omentum & Inteſtina inter ſe complicata, ſint ideoqve in abdomen retrudi non poſſint. Qvô in caſu talis Celotomia potiùs intermittenda, ne hernioſus extremo vitæ periculo exponatur, cùm non modò in Herniis majoribus, ubi omnia ferè Inteſtina cum Omentô in Scrotô, ad genua expanſô, continentur, Penisqve retrahitur, ſed etiam in minoribus, qvando ſcilicet Inteſtina cum Omentô complicata & qvaſi indurata ſunt, neqve reponi poſſunt, talis operatio fruſtra tentetur. Qvod autem hactenus de magnis Herniis inteſtinalibus & omentalibus diximus, idem etiam in Curâ Sarcoceles locum habet, qvæ in Caſtratione ſeu indurati Teſticuli reſectione conſiſtit. Sicuti hæc Operatio in magnâ Sarcocele, virgam virilem vel retrahente vel incurvante, non æqve facilè ac in parvâ exerceri poteſt, ita ante operationem nulla matrimonii ineundi ſpes ſuper- *Curatio*

erit. Qvod ratione Hydroceles qvoqve obſervandum; ſcilicet ſi ejusmodi malum tantas radices egit, ut aut nimia retractio aut tortuoſitas Penis coitum impediat, tunc absqve operatione nulla cura neqve cohabitatio promittenda erit, qvanqvam talis cura non æqve in Caſtratione, qvàm aqvæ inſaccatæ evacuatione & aliis Enchiriſibus conſiſtat. Talis autem evacuatio in eodem ſubjectô ſæpius reiterari poteſt, qvale exemplum in Virô qvinqvaginta aliqvot annorum, atqve ferendis oneribus victum qværente, obſervare mihi licuit, qvippe cui Herniotomus ſingulis ſex menſibus inciſô Scrotô aqvam evacuabat vulnusqve iterum conſolidabat.

Obſervatio.

§. 18.

Caſus & Reſponſum Facultatis Medicæ.

Caſum de Sarcocele cum Reſponſô Facultatis Medicæ Lipſienſis communicat Paulus Ammannus *Medicin. critic. Caſ. 12. p. m. 132. ſeqq.* Scilicet Civis qvidam Zwickavienſis Sponſalia publica cum virgine celebraverat; Sparſô autem rumore, ac ſi ille ad matrimonium planè inhabilis eſſet, reſciſſionem matrimonii Virgo moliebat; ideò Senatus Zwickavienſis â Facultate Medicâ petiit, ut prævíô examine partes ipſius viriles diligenter inſpicere, eumqve, an & qvali vitiô iſte teneatur, qvod reſciſſionem ſponſaliorum cauſari debeat, certiorem reddere velint. Seqvitur nunc

Reſponſum Facultatis Medicæ Lipſienſis.

P. P.

PEtierunt â nobis, ut Chriſtianum N. contemplaremur, an in membris genitalibus aliqvô vel tali morbô aut vitiô corriperetur, ob qvod ad matrimonium admitti debitumqve conjugale reddere non poſſit. Qvô factô reſpondemus, qvod præviâ avtopſiâ, in ejusdem partibus, qvibus vir eſt, deprehendatur oneroſa Scroti magnitudo dependens ab incuneatô tumore dextri teſticuli, qvem Medici Sarcocelen vocant, ob qvem virga

virga virilis tam malè intorqvetur, ut ſeſe nullô modô perfectè erigere valeat, hinc per conſeqventiam ipſe Chriſtianus ad matrimonium; qvamdiu hic affectus non curatur, planè eſt inhabilis. Vel juxta ipſiſſima dictæ Facultatis verba, Editionis Germanicæ Ammann. p. 105.

P.P. Nachdem ſie zu uns Chriſtian N. geſendet und informiret zu ſeyn begehret, ob er wegen ihm zugeſtandnen Beſchwerung in Membris genitalibus und Geburts-Gliedern, ſo weit geſund und tüchtig ſey, daß er ſich in den Eheſtand begeben und eheliche Wercke pflegen könne? Als berichten wir hierauff, daß nach vorhergegangener Beſichtigung und Augenſchein ſeiner Mannſchafft, auch genugſame Exploration und Erwegung der innerlichen Urſachen, wir befunden, daß er mit einer onerosâ ſcroti magnitudine, herrührend von einem ſtarck verwimmerten Tumore des rechten Teſticuli, ſo die Medici Sarcocelem oder einen Fleiſch-Bruch nennen, behafftet, auch dannenhero Virga virilis und männliche Glid ſo intort und übel disponirt, daß er, umb ſolcher Beſchaffenheit wegen, die eheliche Beywohnung nicht pflegen kan, und ietziger Zeit, gegenwärtigen Zuſtand nach, ſchuldige Freundſchafft des Eheſtandes zu erzeigen gantz ungeſchickt ſey. rc.

§. 19.

Nonnulli econtra ob parvam Sarcocelen vel tumorem Scroti doloroſum Impotentiam ſimulant, qvale exemplum recenſet Michael Bernhardus Valentini *Pandect. Med. legal. Part. I. Sect. I. caſ. 7. p. m. 28. ſeq.* de qvodam ſexagenariô, qvippe qvi in Scrotô ad dextrum latus tumorem durum, rubicundum & doloroſum, magnitudine Ovum anſerinum ferè ſuperantem habuit, qvi tumor etiam ſurſum verſus ad regionem pubis, ubi proceſſûs Peritonæi in Scrotum inſinuatur, adſcendit, ita qvidem, ut ſupradictus proceſſus de hôc tumore notabiliter ſimul participaret. Cùm verò Tumor hiccc, qvi ex Herniâ omentali & carnoſâ vel potiùs tumore teſtis, in modum Scirrhi, ſeu Sarco-

Alius Caſus de Impotentiâ ſimulatâ.

Sarcoles, complicatus eſſe videbatur, tantæ magnitudinis non fuerit, ut membrum virile omninò intra corpus fuerit rectractum, ſed membrum adhuc ſatis liberum propenderit, ita qvidem, ut, dummodò cætera ſint paria, erectio bene fieri potuerit, adhæc ſiniſter teſticulus notabili qvodam vitiô non laborarit; hinc exiſtimat Facultas Medica Giſſena, prætextam Impotentiam per ſuprà deſcriptum malum ſuſtineri non poſſe, utut hariolari liceat, qvod propter adjunctum tumori dolorem, præſertim hac ætate concurrente, propenſio ad Venerem vel Voluptas in ipſô actu veneneô adeò intenſa non ſit &c.

§. 20.

Alius caſus. Alium Caſum & Qvæſtionem de Hernioſô, ſeu Sarcocele laborante, an ad procreationem ſobolis aptus ſit, reperimus in Johannis Friderici Zittmanni *Med. Forenſ. Cent. 2. Caſ. 85. p. m. 570. ſeqq.* qvem circumſtantiarum cauſâ hoc loco inſerere volumus:

P. P. Es iſt Titius von Jugend auff, und wie er nicht anders weiß, von Mutter-Leibe an, mit einer Herniâ carnoſâ in dextrô latere behafftet geweſen, ſo daß der rechte Teſticulus in ſcrotô nicht, ſondern nur ein verwachſener harter Callus, zu fühlen, das Scrotum aber, auf der rechten Seite, tumore aufgetrieben und ergrößert iſt: Dieſer Tumor auch ſich von den Scrotô zur rechten Seiten hinauffwärts ziehet, und unter dem Nabel ohngefehr 3. Finger breit über der Virgâ ſtehen bleibet, auch virgam einiger maßen occultiret, und ſelbige gleichſam mit eingewurtzelt iſt; der lincke Teſticulus aber iſt vorhanden und richtig, das Scrotum auch in dieſer Seite nicht alſo tumidum und auffgetrieben. Von dieſer Hernia nun hat Titius biß hieher keine andere ſonderliche Beſchwerung gehabt, als daß, wenn er ſich mit reiten und ſtarcken gehen allzuſehr beweget, er einige Schmertzen, und daß der Tumor größer wird, empfindet, den Urin auch zu Zeiten nicht bald anfangs zum hurtigen Abgang und Lauff bringen mag. So hat aber Titius, nach dem er ſein 24. Jahr erreichet, in der Fremde eine

de eine Frauens-Perſon bedienet, da er denn befunden, daß indem der Saame von ihm gehen ſollen, er wegen des um die Virgam ſtehenden Tumoris, ipſam Virgam nicht recht immittiren können, ſondern ſtatt des erforderten Nachdruckens, den Leib vielmehr zurücke ziehen müſſen, alldieweil es ihn umb die Virgam herumb, allwo der Tumor ſtehet, allzuſehr geſpannet, und offt empfindlichen Schmertzen verurſachet, und alſo, wie bereit gedacht, die Immiſſio Virgæ von dem Tumore circumdante ſehr behindert worden: Hat auch über das bey denen pollutionibus nocturnis wahr genommen, daß der von ihm gegangene Same meiſt wäßrig, und weil derſelbe, des obbeſchriebenen Zuſtandes halber, vermuthlich nicht gehörig præpariret und zur tauglichen Perfection gebracht werden kan, zum Kinder zeugen wohl nicht tauglich oder fruchtbar ſey. Welcher Urſache der Titius, nachdem er wieder aus der Fremde nach Hauſe kommen, und ſich zu einer Weibs-Perſon, Nahmens Lucretia, gefunden, dieſelbe auch einige Jahr über für Concubina gebrauchet, und bey ſolcher Beſchaffenheit ſeinem beſten Vermögen nach, bedienet, aber kein Kind gezeuget, biß endlich Lucretia, als Titius ſie wohl über 6. Jahr in Concubinatu ſterili bedienet gehabt, ein Kind gebohren, und Titium für den Vater ausgegeben, er Titius, ſich nicht zum Vater des Kindes verſtehen wil, weil zumahl ruchbar, auch urgentiſſima Indicia vorhanden, daß Lucretia mit einem andern, Sempronius genannt, zugehalten, und von ſelbigen geſchwängert ſey. Ob nun wohl nicht leicht eine von allen Speciebus Herniæ, deren doch unterſchiedliche gefunden werden, (wenn ſie nur nicht allzugroß, und mit dem Scrotô auch Virgam ipſam afficiren,) der Procreationi ſobolis per ſe hinderlich iſt, ſo fället demnach allhier der Zweiffel für, ob Titius bey ſeinem Zuſtande zum Kinder zeugen tüchtig, und für den Vater des von Lucretiâ gebohrnen Kindes zu achten ſey? Und werden demnach &c.

Reſponſum Facultatis Medicæ Lipſienſis.

ALß uns von euch ein Caſus zugeſchicket, und über nachfolgende Frage, ob Titius &c. unſer wohlgegründetes Judicium begehret worden, ſo geben wir euch nach collegialiſch- und reifflicher Erwegung der Sache, hinwieder zur Antwort, das wenn Titii Zuſtand, ſich dem Berichte nach (NB:) in der That und Wahrheit alſo verhält, zu vermuthen, daß er zum Kinderzeugen nicht tüchtig, vielweniger dieſes Kindes Vater ſeyn könne, weil 1) die Hernia carnoſa oder Sarcocele, damit er von Jugend an behafftet geweſen, tam ratione ſui ponderis, qvam ratione duritiei, urſach iſt, daß weder eine vollkommene Membri virilis erectio, noch eine gnugſame Membri immiſſio & per conſeqvens ſeminis legitima ejaculatio geſchehen kan; 2.) Iſt ex tumore ſupra virgam ſo viel zu nehmen, das nicht allein die Epididymides, ſondern auch das Vas pampiniforme vel varicoſum mit dergleichen Sarcocele angegriffen, oder wohl gar eine Hernia carnoſa cum Bubonocele, aut Enterocele, compliciret ſey, und weil 3.) die Extremitates Vaſorum deferentium, veſiculæ ſeminales circa radicem Penis in corpus glanduloſum ſich endigen; ſo wird deswegen der erforderte Nachdruck in coitu nothwendig bey Titio ſufflaminiret, auch 4.) derjenige Saame, ſo in congreſſu qvali qvali ejaculiret worden verhindert, daß er ad Uteri fundum nicht gelangen kan, maßen 5.) zu einer natürlichen Empfängnis, nicht allein pars recipiens, id eſt, Uterus, ſondern auch in Virô die Partes genitales, natürlicher weiſe müſſen diſponiret ſeyn; wie nun 6.) eine übernatürliche Länge Virgæ virilis eine Urſache der Unfruchtbarkeit billig geſchätzet wird, alſo auch im Gegentheil deſſen ungewöhnliche brevitas, es entſtehe auch dieſelbe vel â malâ conformatione, vel ab aliquô morbô, wie allhier ſarcocele: His enim, qvi diuturno teſtium tumore vexantur, non ſolùm naturale Teſtium & partium ſpermaticarum temperamentum deſtruitur: ſed etiam maximè anguſta ex compreſſione illâ vaſa redduntur, ut nec

mate-

materia ſemini generando nec Spiritus ſatis commodus admitti poſſit, ſchreibet gar wohl der Fortunatus Fidelis *Lib.3.de Relation. Med. S. 2.* de potentiâ generandi *p. 356.* Uber dieſes iſt auch 7.) das Principium Generationis materiale, nehmlich ipſum ſemen, bey dem Titio (wie gemeldet,) ſolcher Beſchaffenheit, daß es propter nimiam ſeroſitatem & aqvoſitatem pro prolificô nicht zu halten ſey. Welches alles 8) uns um ſo viel mehr in unſerer Meinung verſtärcket, weil in dieſen ſechs Jahren, da Titius die Lucretiam pro Concubinâ gebrauchet, kein Indicium Imprægnationis bey ihr vermercket worden, wenn zumahl 9) die erwehnten urgentiſſima indicia, daß Lucretia mit einem Semproniô zugehalten hätte, weiter beygebracht würden. Welches wir &c.

§. 21.

Adhuc alius Caſus.

Alium adhuc caſum de Adulteriô hernioſi, Impotentiam ſimulantis, communicat Michael Bernhardus Valentini *Novellar. medico-legal. Caſ. IV. p. m. 50. ſeqq.* in qvô, imprimis in Johannis Caſpari Weſtphali Judiciô medicô & defenſione cùm multa lectu digna atqve ad ejusmodi Inſpectiones & Relationes utilia & neceſſaria contineantur, totum illum Caſum, qvamvis prolixior ſit, huc transſcribere liceat.

SPECIES FACTI.

E Protocollô Lipſienſi de Anno 1689. die 2. Decembr.

SUſanna Loaſiz, Schlezenſis, refert, ſe conjugatam qvidem, ſed â Maritô deſertam, Delitii â Caupone, Petrô Richterô, ingravidatam adſtruit: addit hunc ſibi urticas porrexiſſe, jubendo, ut iis membrum ejus virile cederet, ſe autem id non feciſſe, utut per octiduum ab eô ita vexata fuerit. Illum poſtmodum violenter eandem compreſſiſſe, ſeqve Feriâ II. Paſchatos peperiſſe &c. Caupo modò nominatus non qvidem infi-

cias it, ſeſe carnaliter illi miſcuiſſe, nil qvicqvam tamen de Semine ſuô in Uterum ejus deveniſſe, & cùm increbeſceret, eundem Herniâ inſigni laborare, Conjux ejus de eô examinata, illud confirmat, addendô tamen Herniam cohabitationem maritalem non impedire.

Sententia Dnn. Scabinorum Lipſienſium.

Petrum Richterum ob crimen commiſſum in exilium perpetuum mittendum eſſe, niſi torturâ prætenſionem confirmare mallet. Menſ. Auguſt. An. 1690.

Atteſtatum Herniotomi.

Die 11. Aug. An. 1690. Peter Richter me convenit & affectum corporis ſui inſpiciendum obtulit, ubi reperi, qvòd in dextrô latere inſigni & periculoſâ herniâ inteſtinali laboret, incurabili qvidem, cùm in ſiniſtrô latere ante 32. annos Herniotomiam ſuſtinuerit, ſub qvâ in teſticulô ſiniſtrô vaſa ſeminalia prorſus ſunt ablata, ita ut Hernia hæc eam ob cauſam indies deterior reddatur, & de latere dextrô in ſiniſtrum tendat, verendumqve ſit, ne Inteſtina tandem ad unum omnia in ſcrotum dilabantur, ſicqve brevi neqve locô ſe movere, neqve laboribus ſuis vacare poſſit. Affectus hic etiam plurima incommoda involvit & infert, febrim ſcilicet, ſpasmum, Cephalalgiam, articulorum dolores & debilitates, tandemqve vires prorſus dejicit; qvemadmodum jamdum ſpasmo & doloribus articulorum, ut & virium dejectioni obnoxius eſt, qvæ indies augmentum capient: qvarum circumſtantiarum intuitu conjicio & exiſtimo, eundem per aliqvot annos abhinc ad Venerem prorſus ineptum fuiſſe, ſiqvidem ſemen cum urinâ inſtar aqvæ profluit, qvod ob prolapſum inteſtinorum accidit & qvaſi exprimitur: inde & conſtanter aſſerere valeo, eundem miſerum & calamitoſum virum eſſe, breviqve, ut apparet, longè miſeriorem futurum; qvæ omnia cum Veritatis fundamentô & conſcientiâ intemeratâ atteſtor. Caſimirus Eyſener. Lithot.

Reſpon-

Reſponſum Facultatis Juridicæ Jenenſis.

P. P.

TRansmiſſis nobis Actis Inqviſitionalibus contra Petrum Richterum ventilatis unà cum aliis, defenſionem ejus concernentibus, & deſideratâ ſententiâ noſtrâ juri conſentaneum eſſe dicimus: qvòd allegatus Inqviſitus, in novis ſuis ſcriptis defenſionalibus, nihil, qvod ipſi patrocinetur, deduxerit: qvapropter ſententiæ jam ante latæ inhærendum, idqve de Jure. Menſ. Octobr.

Inſpectio & Judicium Medici.

Qvandoqvidem me in fine nominatum Medicum Petrus Richter, Caupo hujus loci, reqviſiverit, ut non tantum eundem in genitalibus inſpicerem, ſed & Acta Inqviſitionalia contra ſe hactenus inſtituta perluſtrarem, & qvæ ad defenſionem ejus aliqvid contribuere poſſint, obſervarem, omniaqve in formâ atteſtati fide digni deducerem; hinc nuper die 29. Novemb. hoc in locô Judicii, illud autem die 30. Novembris cum Chirurgô juratô, effectui dedi, & ſub inſpectione obſervavi 1) unicum tantùm & qvidem dextrum teſticulum, qvoniam ſiniſter, juxta inqviſiti relationem, ante 32. annos ab Herniotomô (ex ignorantiâ ejus,) extractus fuerit: 2) in dextrô latere ſcroti Enterocelem completam, dum in dictô ſcrotô non tantum plura inteſtina, ſed & omentum detinebantur. 3) Scrotum longitudine $\frac{25}{28}$, latitudine vero $\frac{5}{8}$ Ulnæ, partes adæqvans. 4) interiorem proceſſus Peritonæi tunicam, qvæ valvulæ loco eſt, & inter qvam vaſa ſpermatica ſimili ratione ac ureteres veſicæ implantantur, ab inteſtinis delabentibus probabiliter dilaceratam: externam verò prorſus diſtentam. 5) Videtur, qvòd Inteſtina in Scrotum delapſa illic involuta ad minimum, ſi non prorſus, huic vel illi loco adnata ſint, qvoniam, juxta Inqviſiti relationem, ultra annum, & qvod excurrit, ſine repoſitione in ſcrotô permanſerunt, & tanqvam immobilia conſpecta fuerunt, nulla ratione

in abdomen retrudenda, cùm ob inſignes dolores, qvos inqviſitus ejulatu & clamore affirmabat, ab ulteriori reponendi conatu abſtinendum fuerit.

Jam licet de nihilô non ſit, & qvotidiana experientia teſtetur, qvod neqve monorchides, neqve hernioſi, per ſe & ſuâ naturâ ad matrimonium & generationem inepti ſint, qvoniam partim defectu unius teſticuli materia ſpermatica & ſpiritûs animales per arteriam ſpermaticam & nervos eò copioſiùs ad alterum teſticulum deferuntur; partim hernia reponi & ſine teſticuli exſciſione ſecari & curari poteſt, alioqvin etiam in & per ſe genituræ in teſticulis elaborationem, in epididymidibus perfectionem, multò minùs ejus extravaſationem in veſiculas ſeminales impedire non valet. Attamen exiſtimo, qvòd in Inqviſitô utraqve modò dicta vitia collectivè ſumpta, nunc generandi impedimentum, qvale qvid Zacchias *Qvæſt. med. legal. Lib. 9. Tit. 3. Qv. 6. §. 11.* de qvacunqve herniarum ſpecie (certô modô) ſtatuit omninò cauſari poſſint; dum 1) in Inqviſitô inteſtina delapſa ſcrotum in omnem dimenſionem inſigniter extendunt. 2) propter complicationum & cum ſcrotô, utut conjecturalem, coaleſcentiam è ſcrotô in abdomen reduci neqveunt, & jamdum ultra annum, & qvod excurrit, continuò in Scrotô jacuerunt, adeò, ut teſtantibus Actis *fol. 21.* ante annos aliqvot peſſimè ſe habuerit, & ſi vel minimô motu ſe exercuerit, inteſtina in ſinum prolapſa fuerint, unde ſæpe ſummis torminibus excruciatus fuit, priusqvam Inteſtina in abdomen reduci potuerint: Qvò cumprimis inqviſiti negotia & labores fabriles plurimum contribuerunt; unde 3) per inteſtina delapſa Arteria & Vena ſpermatica, tam præparantes, qvàm deferentes, muſculus cremaſter, imò ipſe teſticulus, continuò compreſſa & ita 4) motus ſangvinis & ſpirituum animalium ad teſtes & muſculos penis non parùm debilitatus, ſicqve partim ipſiûs Penis erectio notabiliter impedita fuerunt. Unde 5) porrò eluceſcit, qvòd propter ſpiri-

ſpirituum ad genitalia inſufficientem irradiationem minor aut omninò nullus Veneris ſtimulus, niſi Inqviſitus ab Objectô venereô irritetur, naturaliter adeſſe poſſit, parum etiam aut nihil genituræ fœcundæ excretum ſit, qvæ inſimul probantur qvod (α) inqviſitus *juxta fol. Act. 63.* intra biennium Uxori non cohabitaverit. (β) intra qvinqve annos (*fol. 67.*) nullos liberos obtinuerit, cùm tamen uxor, juxta relationem, tantùm 43. ſit annorum, ſana inſimul & incolumis & ad liberorum procreationem apta nata. (γ) Proſtibulo (*f. 2. & 74.*) Urticas porrexerit, qvibus membrum ejus virile cædere & irritare debebat; qvod remedium in ſe genituram minus copioſam minusqve turgeſcentem ac ſpirituoſam, & inde deficientem ſtimulum venereum membrumqve flaccidum in Inqviſitô præſupponit, qvoniam ob plura delapſa & immobilia Inteſtina partim arteriæ & venæ ſpermaticæ, partim nervi ad Penem ejusqve muſculos tendentes, compreſſa & ita genituræ turgeſcentia & copia, orta exinde irritatio & determinatus ſpirituum animalium ad genitalia motus notabiliter impedita fuerunt. Conf. Ettmüllerus *in Prax. Lib. 3. cap. 3.* Qvemadmodum & Fontanus *Conſil. 2.* de Nobili qvodam refert, qvòd in illô, ab eqvitatione nimiâ, Penis erectio, ob vias ejus & meatûs compreſſos impedita fuerit; qvale exemplum etiam de lapſu in dorſum Hildanus *Cent. 6. Obſ. 59.* obſervavit. Imò & in Capitis perciſſione & vulneribus, propter cerebri & teſticulorum, ratione nervorum affectorum, ingentem Conſenſum Conf. Bohn. *Circul. anat. phyſiol. Pragym. 1. p. 10.* idem ſæpius contingere ſolet. vid. Hild. *l. a. & Miſc. Academ. N. C. Dec. I. An. 2. Obſ. 194. p. 177.* In his Caſibus ergo urticatio remedium ſanè non ineptum & incongruum eſt, ſiqvidem illâ ipsâ ſenſus tactûs ſenſibiliùs afficitur, & ſpirituum animalium uberior ad genitalia radius, ſangviniſqve copioſior affluxus excitatur: proùt Paullini in Obſerv. ſuis *Anno V. Dec. II. Miſc. Acad. N. C. annexis Obſ. 90. p. 57.* de Hortulanô

tulanô qvodam veteranô refert, qvòd ſemper ante exercitia venerea membrum & teſtes viridi urticæ faſce fricaverit & cæciderit, ſicqve rem ſuam animoſè & feliciter egerit. De ſimili uſu flagrorum ad rem veneream Johannes Meibomius, Profeſſor Helmſtadienſis, Tractatum conſcripſit, qvem Bartholinus Obſervationibus ſuis illuſtrat: ubi inter alia notatur, qvòd qvidam Amaſiæ nunqvam ſatisfacere potuerit, niſi priùs ab hac virgis cæderetur, unde poſtmodum ita cæſus egregiè officiô præſtandô functus fuerit, conf. Ettmüll. *l.a.* & *Colleg. therap. Sect. 3.* ubi de Urticatione. It. Cælius *l. 11. cap. 15. Antiqv. Lect.* (δ) Effluxus liqvoris genitalis, de qvô Inqviſitus interdum conqveritur. Eqvidem Herniotomus, Caſimir Eiſener *fol. Act. 101.* ultra captum de eô judicare voluit, ac ſi ſemen per delapſum Inteſtinorum exprimeretur, & cum Urinâ aqvæ inſtar efflueret: aſt, alias abſurditates & contradictiones ut taceamus, Inqviſitum hiſce plùs gravavit, qvàm defendit, ſiqvidem genituræ potiùs abundantia & nervoſus ſæpiusqve repetitus coitus potiùs, qvam incapacitas aliqva ad Venerem præſumi poſſet. Verùm cuicunqve ex Anatomicis conſtiterit, qvòd genitura in teſtibus elaborata non tam immediatè, inſtar aqvæ, per meatum urinarium effluat, qvàm in epididymides, pro meliore perfectione & imprægnatione cum Spiritibus animalibus effundatur, ex hiſce in Vas deferens, hincqve tandem ad veſiculas deducatur illicqve reſervetur, donec exercitiô coitûs ejaculetur, ex illa parte ignorantiam Anatomiæ facilè perſpiciet, & probabilius eſſe ducet, Inteſtina delapſa comprimendo arteriam ſpermaticam, teſticulum & vas deferens genituræ tam elaborationem, qvàm extravaſationem potiùs impedire. Dictus vero liqvor genitalis, qvi ex meatu urinariô Inqviſiti interdum aqvæ inſtar fluere dicitur, non eſt ſemen aliqvod, ſed certus liqvor, ſeroſus & unctuoſus, in proſtatis glandoſis, circa radicem penis ſitis, elaboratus, qvi tempore coitûs per copioſos ductûs in Urethram ſimul exprimitur

tur & evacuatur, ubi genituram involvit, ipſiqve pro vehiculô inſervit,ut hæc meliùs & promptiùs per Penem ejaculari poſſit. Qvoniam igitur, ut ex deductis eluceſcit, penes Inqviſitum genituræ elaboratio, vel ad minimum perfectio impeditur, fieri non poteſt, qvin deficiente coitu liqvor hic genitalis in proſtatis glanduloſis magis magisqve coacervatus neceſſario inſtar aqvæ è meatu urinariô efflueret. Et ita longè plures dubitandi, qvam credendi rationes, an Inqviſitus proſtibulum in Actis expreſſum, binis illis adulterii ſtuprive actibus imprægnare potuerit? in promptu ſunt: ſiqvidem liqvor hicce genitalis, qvi in Inqviſitô aqvæ inſtar fluit, idem ille liqvor eſt, qvi adhuc in Caſtratis generatur, unde & hi coire & aliqvalem voluptatem percipere poſſunt. Conf. Zacch. *Qvæſt. Medico-legal. Lib. 3. Tit. 1. Qv. 2. §. 12. p. 267. & Qv. 5. §. 29. p. 275.* Ammann. *in Irenic. p. 146.* Ettmüller. *Fundam. Medico-phyſiolog. cap. 23. p. 151.* Rivinus *in Diſſertat. de ſpririt. Homin. vital. cap. 3. §. 9.* Delphini *Conjug. Evnuch. p. 2. 13. 28. 29. 87. 90. 104.* &c. Qvapropter è fundamentis Phyſiologicis, ut & Anatomico-Chirurgicis conſentaneum eſſe duco, qvod ſupradictus Inqviſitus probabiliter, ratione herniæ confirmatæ & unici teſticuli, collectivè ſumptorum, rebus ſic ſtantibus & qvamdiu inteſtina in Scrotô permanſerint (ſiqvidem neqve per Sectionem, & qvidem absqve teſticuli exemtione, nec per aliud remedium ipſi ſuccurri poſſe ſtatuimus) ſi non ad omnimodam cohabitationem conjugalem, ad generationem tamen ineptus, ſit atteſtante Subſcriptione noſtrâ & Sigillorum appresſione. Sign. Delitii die 1. Decembr. 1690.

D. Joh. Caſpar Weſtphalus, Phyſ.
Herman Flöner, Chir. jur.

Reſponſum Facultatis Juridicæ Hallenſis.

P P.

INqviſitum Petrum Richterum ad Juramentum purgationis

 neuti-

neutiqvam admittendum, ſed eundem pœnâ in ſuperiori ſententiâ dictatâ affligendum eſſe.

Nota: Re ad Sereniſſimum delatâ emigratio in mulctam mutata fuit, poſtqvam juſſu Serenitatis ſuæ alterum, qvod ſeqvitur, Atteſtatum Medici obtentum fuit.

Atteſtatum Medici II.

Prævio Mandatô Clementiſſimô Principali Saxonicô die 14. Decembr. 1691. datô, vi hujus atteſtor, qvod Petrum Richterum, Cauponem & Fabrum ferrarium hujus loci, nunqvam eqvidem ſub curâ meâ habuerim, attamen genitalia ejus, ad deſiderium ipſius, unà cum Chirurgô juratô, Dn. Hermannô Flönerô, Menſe Novembri 1690. inſpectioni oculari ſubjecerim & in illis periculoſam Enterocelen, ut & unicum tantum teſticulum in Scrotô invenerim, cui Inteſtina prolapſa & ſibi invicem prorſus circumvoluta, ut videbatur, adnata qvadantenus & annexa erant, ita qvidem, ut non obſtante inſigni, qvem adhibebamus, labore, in abdomen reponi non potuerint, prout in Atteſtatô Inſpectionis die 1. Decembr. 1690. ad Acta inqviſitionalia relatô fuſiùs recenſui; in qvô ſufficienter, ut ſpero, ſimul deduxi, qvòd ſupradictus Richterus, utcunqve in congreſſu, cum proſtibulô in Actis nominatô perpetratô aliqvid immiſerit, hoc tamen, tanqvam aqvoſum prorſus, genitura vera ſpirituoſa & fœcunda non fuerit, ſed probabiliter tantùm ejus vehiculum, ſcilicet liqvor proſtatarum (qvalem Evnuchi in congreſſu etiam ejaculantur) adeoqve pro infantis qvæſtionis Patre habendus non ſit. Herniam ſupradictam qvod attinet; accuratâ hìc curâ & Diætâ opus eſt, qvoniam ſub hac cumprimis ætate Senili, bina inde pericula imminent. Aut enim per Inteſtinorum refrigerationem, alvum adſtrictam, iram, timorem, Diætam peccantem, cibos acidos, adſtringentes flatusqve generantes potûs minùs laudabiles, &c. 1) Morbus Iliacus ſeu Miſe-

rere

rere mei, aut 2) inflammatio & gangræna inteſtinorum: ab utroqve autem mors pertimeſcenda: Econtra autem ad repoſitionem Inteſtinorum & conſolidationem Peritonæi rupti nulla ſpes ſupereſt, ſed omnia ſectione (qvæ adhuc ſpem qvandam relinqvit) tentanda eſſent, qvæ tamen in Corpore hôc ſenili periculô non caret, & in hisce regionibus ejusmodi Chirurgus, qvi adnata inteſtina accuratè, ſine metu inflammationis & læſionis â Scrotô ſeparare poſſit, rara avis eſt, adeoqve Operatio hæc chirurgica â qvolibet adeò tutò ſuſcipi neqvit. De cæterô Petrus Richter, cùm neqve inteſtina delapſa reſtitui, neqve ligamentum aliqvod applicari poſſint, ad labores ſuos ferrarios ineptus eſt. Uberioris atteſtationis ergo hæc ſubſcripſi & ſolitô ſigillô confirmavi. Dab. Delitii die 23. Febr. 1692.

D. Joh. Caſpar Weſtphal. Phyſ. ord.

Deniqve ratione Herniarum in Forô medico-legali alia adhuc occurrit

QVÆSTIO IV.

An hernioſi torqveri poſſint, ſive an Torturæ ſint ſubjiciendi?

§. 1.

Circa hanc Qvæſtionem ante omnia notandum, non ubivis locorum eadem tormentorum genera in uſu eſſe, ſed ſecundum omnes ferè civitates aut regiones differre. Scribit enim Paulus Zacchias *Qvæſtion. med. legal. Lib. 6. Tit. 2. Qvæſt. 1. §. 11. fol. m. 520.* Tormenta, qvæ modò in uſu ſunt, qvatuor tantùm eſſe, teſtantur recentiores, nempe Tormentum funis vel chordæ, tormentum Vigiliæ, taxillorum & ſibillorum, omnium tamen uſitatiſſimum & freqventiſſimum eſſe Tormentum funis, Doctores unaminiter fatentur. Et ſecundum eundem Autorem *l. a. §. 15.* Chordæ tormentum hoc modô infligitur: Reo denu-

Tormentorum genera.

Chorda.

denudato brachia retrò in dorſum contorqventur: invicemqve ſuperpoſitâ tenui ſed coriaceô vinculô digitum latitudine non æqvante, qvod Itali vocant la ſtringa, arctiſſimè ſupra carpum ſeu brachiale obligantur: dehinc craſſiori vinculô ſimiliter coriaceô, ſed tereti iterum ſuper primum vinciuntur, atqve per hoc funi ex altâ trochleâ pendenti reus alligatur, tum per trochleæ curriculum ſurſum trahitur, & pendulus eô modô ad Judicis libitum relinqvitur. Aliqvando reô usqve ad trochleam ſublatô, funis relaxatur reusqve ſuô pondere labi deorſum permittitur, ita ut ſuſpenſus â terra remaneat, qvod interdum repetitur bis aut ter; aliqvando eſt ſimplex ſuſpenſio, neqve repetiti ictus. Multa Judices machinantur ad majorem cruciatum reis inferendum, ut funis qvaſſationes, pondera rei pedibus appenſa, compedes, urcei aqvâ pleni, baculus divaricandis ac diſtrahendis pedibus inditus, & alia hujuscemodi, ſed præ omnibus, ſuperioribus temporibus in uſu erat aqva frigida, in dorſum projecta &c. Et juxta verba Fortunati Fidelis *de Relation. Medic. Lib. 2. Sect. 3. cap. 1. p. m. 226.* Chordæ tormentum eſt, cùm â tergô contortis brachiis ligatisqve extremis manibus ſurſum homo longô trahitur fune: atqve inde ſuô ipſius lapſus pondere, magnâ vi deorſum decidit: cùm antea tamen aliqvandiu non procul â terrâ ſuſpenſus pependerit. Interea autem humeri pectorisqve muſculis violenter attractis diſtortisqve acerrimi perferuntur dolores. Et *p. 225.* idem ſcribit: freqventiſſimum eſt noſtris temporibus cruciatûs genus, qvam chordam appellant, in qvô tam moleſtô dolore homines torqventur, ut etiam â pertinaciſſimis animis veritatem extorqvere Judex poſſit: cùm interim non adeò multum corpori nocumentum relinqvatur. Idem *p. 227.* ita pergit: hujus tormenti duæ ſunt partes, altera, cùm parùm â terrâ ſublatus pendet homo duntaxat; altera verò, cùm jam præceps fertur, ac deorſum latus concutitur conqvaſſaturqve. Illam ego ſimplicem ſuſpen-

ſuſpenſionem vocabo, hanc verò concuſſionem, aut, ut multis placuiſſe video, conqvaſſationem. Et qvanqvam unicum reverà ſit tormenti genus, in ſimplici tamen ſuſpenſione plus omnino moleſtiæ eſt, minus doloris: cum in ipſâ concuſſione plurimum doloris, nec parum moleſtiæ perſentiatur. &c. De reliqvis tribus Torturæ ſpeciebus, ſcilicet vigiliis, taxillis & ſibillis, aliisqve vid. Paul. Zacch. *l. a. n. 19. ſqq. fol. 521. ſq.*

§. 2.

Huic verò apud Italos freqventiori & uſitatiori Torturæ ſpeciei, Chordæ ſcilicet ſeu funi, non omnes rei indifferenter ſubjici poſſunt, ſed varia, tam ratione ætatis & ſexûs, qvàm etiam morborum, occurrunt impedimenta; qvorum intuitu a dictô torturæ graviſſimô genere liberantur; His inter alios morbos, à Paulô Zacchiâ *l. a. Qv. 4. §. 8. ſeq. fol. 530.* recenſitos, omnes annumerantur Herniarum ſpecies, niſi ſubligaculis, aliisqve ingeniis imminenti periculo occurratur. Licet, cùm Hernia ſive ruptura eſt inteſtinalis & magna, ſecundum dictum Autorem, tutum non ſit his remediis fidere. Qvam ſententiam eqvidem de herniis majoribus, non autem de minoribus, fovet Fortunatus Fidelis *l. a. cap. 7. p. 240.* Hernioſi, inqviens, ægerrimè hoc tormentum ferunt, ſive ſcrotum, ſive ingven, ſive ipſe plurimùm intumuerit umbilicus: tam magnô enim impetu in illâ concuſſione inteſtina deorſum præcipitant, ut vel hoc unô immenſum Ramicem etiam integris repentè excitare aliqvando posſit. Verum ſi exiguus qvispiam in his locis tumor aliqvando offerretur, & qvi modicè laxatis obicibus fiat, aut etiam aqvoſus iſte ſit tumor, qvem Hydrocelen vocant: ea mihi ſententia eſt, ut ſimplicem ſuſpenſionem nullô incommodô tolerare posſint, ac concusſionem qvoqve; ſiqvidem aptis qvibusdam faſciis, ac vocatis brachialibus bene hominem munias. Nam hac etiam ratione multos ſcio, qvi cùm non exiguam Enterocelem paterentur, ſimplicem tamen ſuſpenſionem *Chordæ hernioſi non ſubjiciendi.*

Uuu uu 3 inno-

innocuè pertulerunt. Atqve eadem qvoqve eſt ratio in Umbilici eminentiâ: qvæ ſi exiguait, utramqve tormenti partem admittit: ſin magna, â ſolâ excuſat concuſſione. Ad qvod tamen reſpondet Paulus Zacchias *l. a. f. 530. ſeq.* licet Fortunatus admiſerit ad ſuſpenſionem & concuſſionem alios etiam hernioſos, habitâ cautelâ prædictâ, tamen neqve magnos tumores illos pati, neqve multùm adapertos eſſe voluit. Et adverte, qvòd nullus hernioſus debet ictibus torqveri, licet ille ad concuſſionem hos admittat, qvæ videtur apud ipſum ictum ſignificare, non qvaſſationem; nam, ut patet, qvaſſatio differt ab ictu, qvam differentiam non videtur Fortunatus cognoviſſe.

§. 3.

Tortura genera in foro Saxonico.

Hæc qvidem de Italorum Torturæ gradu, ob Hernias periculoſô, ex allegatis binis Autoribus, Fortunatô Fideli & Paulô Zacchiâ, qvorum hic Romanus, ille Florentinus fuit adducta ſufficiant, cùm eorum ſententia, licet ſæpiſſimè citetur, ad noſtræ Saxoniæ gradûs & genera torturæ abſolutè applicari non poſſit; hinc potiùs de Torturis in Forô Saxonicô conſvetis ſolliciti ex Gottfridi Svevii *Synopſ. Rer. criminal. Carpzov. Part. 3. Qv. 117. §. 60. ſeq. p. m. 361.* earum tres gradus eſſe dicimus: qvorum primus & infimus eſt, qvando adhibitis funiculis juncturæ manuum arctiſſimè usqve ad oſſa conſtringuntur. Secundus & medius, qvando reus ſcalæ ſubjicitur & violentâ expanſione ſeu extenſione omnium membrorum, articuli diſtingvuntur atqve dilacerantur, Wenn Inqviſit auf die Leiter gezogen und geſpannet, oder gefoltert wird. Tertius & ſummus gradus Torturæ eſt, qvando Carnifices ultra expanſionem in ſcalâ jam peractam, ſeverioribus tormentis utuntur, candentibus luminibus vel ſulphure & igne corpori injectô Cutem adurunt, aut extremas digitorum partes, immiſſis infra Ungves pineis cuneolis, iisqve poſtmodum accenſis, aduſtione lædunt; ad qvem tamen modum Torturæ non devenitur, niſi in criminibus

bus neſandis, ſortilegii vel alterius, & qvidem ex Indiciis urgentibus ac certiſſimis.

§. 4.

Sicuti autem ſecundum Forum Romanum â vigiliarum, taxillorum & ſibillorum torturâ hernioſis, ut hernioſis, nihil planè, bene tamen â primô torturæ gradu, chordâ ſcilicet, ſeu ſuſpenſione, ictu, concuſſione & conqvaſſatione majus malum metuendum eſt, ob qvam rem etiam allegati & alii Autores tales reos ab hoc tantùm tormenti genere, vel in totum vel in partem immunes reddere allaborârunt; ita etiam ſecundum Forum Saxonicum neqve â primô & infimô torturæ gradu, à funiculis ſcilicet manuum juncturis arctiſſimè conſtrictis, neqve â tertiô & ſummô gradu, igne ſcilicet vel ſulphure, ſed tantummodò â ſecundô ſeu mediô gradu, ſcalâ ſcilicet & corporis omniumqve partium violentâ extenſione hernioſis periculum aliqvod imminere poteſt; qvâ de re qvoqve nobis de hoc tantùm paucis agendum erit. *cuinam hernioſi ſubjiciendi.*

§. 5.

Ante omnia, qvæ in Qvæſtione antecedente, de hernioſorum impotentiâ, circa varias herniarum ſpecies, tam ratione loci, qvàm magnitudinis, & ratione cauſæ materialis adduximus, huc repetenda ſunt, hac tamen differentiâ, ut in illâ qvæſtione, nimirum de matrimoniô, de herniis tantummodò ſcrotalibus ſolliciti fuerimus, in hac verò, de torturâ, reliqvæ etiam herniæ conſiderandæ veniant, cùm non modô viri, ſed fœminæ qvoqve, herniis umbilicalibus laborantes, qvandoqve ſcalæ torturam mereantur. *in utroq; ſexu.*

§. 6.

Ad ipſam proinde Qvæſtionem, an Hernioſi Scalæ ſint ſubjiciendi? non dubito, autoritate Pauli Zacchiæ, (qvi *l. 4. Qvæſt. 4. §. 9. fol. m. 530.* omnes herniarum ſpecies morbis â chordæ ſeu funis torturâ liberantibus annumerat) in genere nonnullos *an ſcalæ?*

nullos negativè reſponſuros eſſe, & qvidem ex eâ ratione, qvia Chorda â ſcalâ parùm differre videtur. Qvodſi tamen utrumqve, Cochleæ ſcilicet & Scalæ, genus torturæ conſideremus, in Scalâ, conſvetô apud nos torturæ gradu, nullam ictus, concuſſionis aut conqvaſſationis, qvæ herniòſis â chordâ noxam inferre poſſunt, ſed ſolius extenſionis, mentionem fieri videmus; Cumqve talis extenſio non unô impetu, ſed ſucceſſivè & lentô gradu inſtitui ſoleat, minus adhuc periculum à ſcalâ metuendum erit, & qvidem in Herniis minoribus, qvippe in qvibus nulla vel raro vera Peritonæi ruptura, ſed tantummodo laxatio ſeu dilatatio accidere ſolet. Qvamvis enim Veteres omnes hernias, etiam minimas, â dilaceratione ſeu tupturâ Peritonæi derivarent, adeoqve ipſis rupturarum, & Germanicè derer Brüche, nomen imponerent; ſæpius tamen ſolummodò extenſiones ſeu laxationes, qvàm veras rupturas, in Herniis deprehendi, recentiores Autozes per experientiam confirmant. Et licet nonnulli interiorem Peritonæi tunicam in Herniis rumpi concedant, exteriorem tamen, tanqvam ſummè dilatabilem raro disrumpi, ſed internâ disruptâ ab illabentibus inteſtinis & Omentô magè dilatari ſcribunt, vid. Thom. Bartholin. *Anat. reform. Lib. 1. cap. 7. p. m. 60.* Mich. Bernh. Valentin. *Polychreſt. Exotic. Diſp. 6. cap. 2. p. m. 80.* Porro Peritonæum non facilè disrumpi confirmat etiam Paulus Barbette *Chirurg. Lib. 1. cap. 7. p. m. 26.* Animadverſione, inqviens, non indignum videtur, Peritonæum rariſſimè disrumpi. In apertis diſſectisqve Cadaveribus aliqvoties expertus ſum & demonſtravi, umbilicum cum ſubſeqventibus Inteſtinis inſtar capitis virilis protuberâſſe, adeò ut muſculi ventris recti ac latera impellerentur, & â ſe invicem ſepararentur: attamen Peritonæum erat expanſum, ſed nusqvam disruptum. Talem Peritonæi extenſionem ſeu laxationem probat etiam Obſervatio Veſalii, qvi *Anatom. Lib. 5. cap. 4. fol. m. 380.* intra ejusdem vaginam ſeu teſtis tuni-

rum

cam Omentum ita auctum vidit, ut qvatuor aut qvinque librarum pondus æqvaret. Extraordinariam etiam Peritonæi expanſionem experiuntur hydropici & fœminæ gravidæ, qvalem hiſtoriam admirandam ad Gvilhelmum Fabricium perſcripſit Michael Dœringius in Epiſtolâ de Herniâ uterinâ. Vietoris ſcilicet uxor, cùm maritum in incurvandâ perticâ, ex qvâ vinculum vaſis parandum erat, juvaret, fortè ab eôdem reciprocante ad ſiniſtrum ingven percuſſa eſt, ruptumqve ſeu laxatum potius eſt Peritonæum. Paulò poſt enim tumor ad ſiniſtrum ingven oboritur, qvi brevi tempore tantum incrementum ſumpſit, ut nullô modô intra abdomen recondi poſſet. Uterus interea conceptu gravidus ita indies auctô fœtu dilatatus, ſimulqve cùm eô cutis Ingvinis ſiniſtri, qva Uterus prolaſus erat, extenſa eſt, ut uterô & cute concluſus fœtus inſtar ſacci ferè aut cucurbitæ oblongæ majoris modô propenderet, motusqve infantis tandem & tactu & viſu perciperetur. Tandem tempore partûs pro extractione fœtûs a Chirurgô ſecta eſt cutis & Peritonæum, qvod cuti integrum adhuc ſuberat, & in ſectione â Cute manifeſtè diſtingvi poterat. vid. Gvilhelm. Fabric. Hild. *Oper. fol. m. 894. & 899.* ubi Fabricius in hôc caſu Peritonæum non disruptum ſed dilatatum tantummodo fuiſſe multis rationibus monſtrat, idqve de aliis etiam Herniis confirmat.

§. 7.

Si proinde Peritonæum ab aliis cauſis in tantam amplitudinem absqve rupturâ expandi poteſt, non video, cur in herniis parvis &, ut ita dicam, adhuc incipientibus, a lentâ & ſucceſſivâ hernioſi in ſcalâ extenſione tantum periculum ſit expectandum, ſi cumprimis taliter hernioſi, præſervationis gratiâ, Idoneis Emplaſtris & ſubligaculis in anteceſſum muniantur. Qvam ſententiam etiam de ſimplici ſuſpenſione in chordâ, qvæ â ſcalâ noſtrâ non adeò multum differt, ſecundum ſuperiùs allegata fovet Fortunatus Fidelis *de Relation. Medic. Lib. 2. cap. 7.* *In Herniis parvis.*

p.m.240.ſq. ubi multos non exiguam Enterocelen paſſos ſuſpenſionem innocuè pertuliſſe refert; item umbilici eminentiam exiguam utramqve tormenti partem, ſuſpenſionem ſcilicet & concuſſionem, admittere, & magnam â ſolâ concuſſione excuſare addit.

§. 8.

An in herniis magnis? Econtra verò, ubi Herniæ tam umbilicales, qvàm ingvinales & ſcrotales, vel etiam vagæ mihi dictæ, id eſt, hinc inde, ſupra vel infra umbilicum, vel circa ejusdem latera ortæ majores vel maximæ fuerunt, tunc meâ qvidem ſententiâ ſcalæ tortura locum non habebit, qvia in tali caſu nullum datur infallibile indicium, an & qvomodo? an per longitudinem, an per transverſum Peritonæum perforatum ſeu disruptum ſit? cùm utraqve disruptio periculoſa, longè tamen transverſa præ longitudinali â ſcalâ ſit metuendâ. Qvamvis etiam in nimis magnis Herniis Peritonæum minimè disruptum eſſet, nihilominus tamen ipſa ingens moles, qvam nonnulli hernioſi modò in umbilicô, modò in ſcrotô, geſtare tenentur, ita ut vix ſtare vel incedere poſſint, eosdem ad hoc torturæ genus impares atqve commiſeratione dignos reddit. Ejusmodi Herniarum maximarum & monſtroſarum exempla jam ſupra in Qvæſtione antecedente, & qvidem umbilicalium ex Felice Platerô, Gvilhelmô Fabriciô, Corneliô Stalpart van der Wiel, & Marco Aurelio Severino, &c. Scrotalium ex Job van Meekren, Felice Platerô, Thomâ Bartholinô & propriâ Obſervatione recenſui. Inſuper meminit Georgius Wolffgangus Wedelius *M. N. C. Dec. II. An. 2. App. p. 453. item Exercit. med. philolog. Dec. I. Exercit. I. de Mort. Jud. p. m. 5.* Herniæ adeò grandis; ut ille hernioſus præ mole Inteſtinorum effuſorum per plures annos extra domum prodire non potuerit.

§. 9.

Reſtant adhuc de Herniis ſpuriis, uti ita dicam, nempe de Herniâ aqvoſâ, ventoſâ & carnoſâ, ſeu Hydrocele, phyſocele & Sarcole, pauca addenda, qvarum occaſione nonnunqvam rei a ſcalæ torturâ liberari ſatagunt; Negandum etiam non eſt, qvod, etſi in dictis Herniarum ſpeciebus nulla adſit Peritonæi ruptura, per qvam Inteſtina & aliæ partes in ſcrotum prolabi poſſint, tales tamen herniæ ſeu tumoreres ſæpe in nimis magnam molem excreſcant magnumqve pondus acqvirant, qvale exemplum recenſet Gvilhelmus Fabricius, Hildanus, *Centur. 4. Obſerv. 64. fol. m. 337.* de Juvene qvodam Generoſô, qvi cùm amaſiam ſuam amplecteretur atqve cum ipſâ in actu venereô eſſet, & jam ſemen ejaculare vellet, â qvodam cubiculum ingrediente in actu deturbatus fuit, ut ſemen retroceſſerit, retentumqve fuerit, qvapropter dolor in ingvine exortus eſt, & teſticuli intumuerunt. Succeſſu temporis circa dextrum teſticulam tumor remanſit, atqve in ingentem Herniam carnoſam excrevit, demum in conſilium adhibitus Fabricius non ſolùm carnem circa dextrum teſticulum concretam, verùm etiam Scrotum ſeroſis humoribus ita extenſum reperit, ut magnitudinem capitis infantis ferè adæqvaret. Ibidem etiam mentionem facit viri cujusdam nobilis, qvi per aliqvot annos laboravit Herniâ carnoſâ ex dextrâ parte, cui tandem qvoqve Hydrocele acceſſit, ita ut ſcrotum in illam magnitudinem extenderetur. Et *Obſervat. 65. f. 338.* alia bina exempla Herniæ aqvoſæ, in qva ſimul carnoſa qvædam ſubſtantia Vaſis ſpermaticis adnata recepta fuit, recenſet. Cum itaqve in talibus Herniis nothis non modo excreſcentia carnea in maximam ſæpe molem augeatur, ſed etiam ſcrotum a ſerô, qvandoqve ſimul extravaſatô, adhuc magis expandatur; facillimè etiam in hernioſô, in ſcalâ extenſô, ab

An in Herniâ, aqvoſâ, ventoſâ &c.

ejuſmodi magni tumoris vel Herniæ pondere, Peritonæum diſrumpi, vel etiam per dilacerationem aliqvot Vaſorum lymphaticorum major ſeri qvantitas in ſcrotum defluere, ſicqve Hernia adhuc augeri poterit. Qvæ tamen accidentia neqve ab Herniâ aqvoſâ, vel carnoſâ, multò minùs ventoſâ, ſi adhuc parvæ fuerint, expectanda ſunt; hinc etiam Fortunatus Fidelis *l. a.* hernioſos, hydrocele laborantes, ſuſpenſionem in chordâ ac concuſſionem, ſi aptis faſciis muniantur, nullô incommodô tolerare poſſe arbitratur. Qvod etiam de Scalâ confirmat ſeqvens exemplum: Scilicet A. 1701. Qvinta Eſſentia omnium neqviſſimorum, nomine Illmert, cujus jam ſuprà mentionem fecimus, ob Herniam, qvâ laborare dicebat, â Torturâ immunem ſeſe firmiter credebat atqve ſperabat. Cùm autem poſt ipſius inſpectionem ego Phyſicus reqviſitus cum Chirurgô in Relatione de ipſius ſtatu morboſô ipſum Herniâ eqvidem ſic dictâ; non autem inteſtinali ſeu Enterocele aut omentali, ſeu Epiplocele, ſed carnoſâ ſeu Sarcocele, in dextrô teſticulô, ad Ovi anſerini vel pugni majoris magnitudinem, absqve tamen ullâ Peritonæi vel ejusdem proceſſûs rupturâ laborare atteſtarer, ſimul tamen, exinde nihil timendum fore judicarem; tunc ſtatim dicto Illmert Scalæ tortura dictabatur, qvam poſtea etiam absqve ullô periculô aut damnô, imo absqve ullius doloris, circa locum affectum, mentione, durante torturâ, ut & ſine delictorum confeſſione, & qvidem reiteratâ vice ſuſtinebat. Neqviſſimus hic homo poſt aliqvot annos ob aliud perpetratum facinus denuò torturæ ſubjectus omnia ſcelera ſecundum omnes circumſtantias revelabat, iterumqve negabat; nullius tamen ſub torturâ doloris circa Herniam faciens mentionem.

§. 10.

an hernioſi ob refrigerationem liberandi?

Deniqve ob alias adhuc rationes, imprimis ob ſolam Inteſtinorum refrigerationem Hernioſos â Scalæ & omni tortura libe-

liberare nonnulli ſtudent; qvalem Defenſionem in ſe ſuſcepit Johannes Caſpar Weſtphalus, cujus verba ex Michaelis Bernhardi Valentini *Novell. medic. legal. Caſ. 4. p. m. 56. ſq.* hic inſerere liceat. Qvæſtio oritur: an hernioſi torqveri poſſint? Dico, qvod non, conſiderando, ſolâ Inteſtinorum refrigeratione, terrore atqve metu, cumprimis in ſenibus, inflammationem illorum, miſere mei, ipſamqve mortem induci poſſe, conf. Zacchias *Q. Q. medico-legal. Lib. 6. Qv. 2. p. 524. §. 7. & Qv. 4. p. 530.* Eqvidem Carpzovius *in Prax. criminal. P. 3. Qv. 118. §. 49.* è Matthæô Stephano allegat, qvod is, qvi rupturam circa genitalia habet, moderatè torqveri poſſit, ne ruptura incrementum accipiat. Aſt in incrementô rupturæ res non ſubſiſtet, ſed ſola etiam denudatione herniæqve refrigeratione mors in inqviſitô brevi poſſet inſeqvi. Ut taceam, in inqviſitô herniam confirmatam jam actu præſentem eſſe. Herniæ enim â frigore, præſertim ſubitaneô, ſolent fieri lethales: irritata nempe inteſtina dolorem, hinc ſpaſmum & duritiem concipiunt, qvas inſeqvitur Ileos, ſunt verba Ettmülleri *in Prax. Lib. I. cap. 10. p. 154. Ed. Lugd.* cum qvô conf. *Miſcell. Acad. N. C. An. 8. Dec. I. Obſ. 93. p. 154.* Sylvius in Praxi, Barbette *Chir. cap. 7. p. 45. & 76.* Muys *in Praxi chir. rationali*, Velſch. *in Hecatoſt. 2. p. 6.* Thevenin *Tr. de Oper. chir.* Le Qvin *Tr. de Herniis.* Prout ipſimet mihi ante biennium & qvod excurrit exemplum hujus rei in Georgiô Hirſchio, Præfecturæ hujus Principalis ſubditô occurrit, qvi in colicam tantum inclinans, poſt aliqvot â torturâ dies, & qvidem absqve herniâ ob abdominis refrigerationem obiit: in cujus ſectione inteſtina partim inflammata, partim ſphacelata & corrupta ſunt inventa. Qvapropter conſentaneum eſſe duco, qvod inqviſitus probabiliter ratione herniæ ſine vitæ periculô ob frigus modò urgens, neqve denudari, neqve torqveri poſſit. &c.

§. 11.

a refrigeratione varia Symptomata.

Qvantum autem hujus Autoris doctisſimi allegata ex Zacchia attinet, neqve in priori neqve poſteriori locô ulla refrigerationis inteſtinorum, ſed in priori tantummodò terroris & timoris mentio fit; interim tamen, tam in non hernioſis, qvàm hernioſis â refrigeratione Colicam, Pasſionem Iliacam & ipſam mortem qvandoqve excitari, præter qvotidianam experientiam Autorum Obſervationes teſtantur, v. g. Baroniſſa ab Elſenheim annorum viginti duorum, corporis obeſi & pingvis, cum ſeſe tempore brumali frigidisſimô, undecimô Februarii 1665. denudatô collô rhedô vehendo nimium frigori expoſuiſſet, dolore colicô corripiebatur, juxta Philipp. Jacob Schenfelder. *Hiſtor. 31. p. m. 103. ſq.* Ab intempeſtivô frigidæ potu juvenis ruſticus viginti circiter annorum An. 1683. tempore Mesſis fervente Solis æſtu ſitim ſedaturus, dolorem colicum incurrebat, teſte Johanne Jacob Harderô *Apiar. Obſ. 70. p. m. 271.* Idem in Coriariô obſervavit Roſinus Lentilius *Miſcell. med. pract. Tom. I. p. 67.* Hernioſus qvidam hibernô tempore 1658. prolapſô inteſtinô ferè totô, magnô impetu, ut reponi non poſſet, miſerè obiit vid. Georg. Hieron. Velſch. *Hecatoſt. II. Obſ. 7. p. m. 6.* ubi eô ipſô annô eodem mortis genere qvoqve fœminam bubonocele immenſum auctâ extinctam eſſe addit. Mulier triginta octo annorum duobus tumoribus, magnitudine utrinqve ovi gallinacei in ingvinibus, ſeu paulò ſupra os pubis, prominentibus, ſine tamen inſigni moleſtiâ, conqveſta, cùm aliqvando menſe Februariô totâ die linum carminando ſe graviùs exercuiſſet, gravisſima tormina, exqviſitisſimos dolores & abdominis borborygmos &c. patiebatur. v. Michael. Ettmüller. *Colleg. conſultat. Oper. Tom. II. fol. m. 1378. ſq. 1392.* ubi dictus Autor addit: Ratione frigoris notandum, qvod, cùm hæc ægra linum carminando ſe aëri frigido expoſuerit, & hujus cauſæ externæ occaſione paroxyſmum excitarit,

citârit, nil æqvè magis adverſetur hernioſis, qvàm qvidem frigus externum. Nam inteſtina, qvia ſunt nervea, â frigore paſſô mox convelluntur, adeò ut hernia inveterata facilè ad Iliacam paſsionem diſponi posſit. Id qvod ſeqventi Obſervatione idem Ettmüllerus *l. a.* confirmat: Sex, inqviens, anni ſunt, ex qvô veteranus Juris Conſultus, â multis annis hernioſus, mortem incurrit, die Feſtivitatis Natalitiorum tertiâ frigoris inſolitum perpeſſus inſultum, ſicqve exacerbatâ Herniâ Ileon expertus, ſecundô die mortem incurrit, qvia Inteſtina irritata convellebantur, & convulſa indurabantur. Vir qvadraginta annorum Ultrajectô Arenacum pedes profectus in Herniam, ſcrotum infeſtantem (cui herniæ antea etiam obnoxius erat, ſed tantum in Ingvine) & tamen adhuc per qvatuor horas incesſit pedibus, unde tumor valde excrevit, eratqve valde durus & dolens; æger interim ſemper vomebat, ac frigori expoſitus in ſtramine per totam noctem jacebat apud ruſticum; poſterô die Arenacum curru advectus eſt, continuò vomens; nihil juvantibus medicamentis ægrotus qvartô ægrotationis die è medio ſublatus eſt. Apertô cadavere Inteſtinum ileum inventum fuit Gangrænâ affectum ſpithamæ longitudine, ac ſitum in ſcrotô cum flatibus & excrementis duris; præterea magna pars Omenti continebatur in ſcrotô convoluta inſtar pilæ cum vaſis ſangviferis valde diſtentis. vid. Joh. Muys *Prax. med. chirurg. ration. Decad. 4. Obſ. 3. p. m. 144.* In Matronâ ſeptuagenariâ & hernioſâ circa umbilicum & ingvina atrocisſimos dolores, vomitum, nauſeam & miſerere, a frigore obſervavit Johannes Schmidius *M. N. C. Dec. I. An. 8. Obſerv. 93. p. m. 154.* Talem Obſervationem etiam ſupra de feminâ ingvinali Herniâ laborante adduximus.

§. 12.

Autoris ſententia. Num verò qvælibet perſona hernioſa utriusqve ſexûs, herniâ qvacunqve laborans, ob metuendam, juxta Johannis Caſpari

ſpari

ſpari Weſtphali locum allegatum, Inteſtinorum refrigerationem, neqve denudari neqve torqveri debeat, adeò abſolutè neqve affirmativè, neqve negativè decidi poſſe, ſed partim ad ipſam herniam, partim ad frigus reſpiciendum eſſe, ſtatuo. Et qvidem ratione herniæ majoris, ubi nimirum eadem, umbilicalis vel ſcrotalis, adeò magna eſt, ut pleraqve inteſtina cum ipſô Omentô extra abdomen in expanſum umbilicum vel ſcrotum prolapſa atqve inter ſe complicata nullô modô in locum ordinarium reponi atqve ſubligaculis obfirmari neqveant, negandum non eſt, hernioſum talem frigori expoſitum facillimè Inteſtinorum refrigerationem, hincqve colicam, convulſiones, paſſionem Iliacam, Gangrænam & ipſam mortem incurrere poſſe. Econtra verò, ubi hernia adhuc eſt parva, vel tantummodò ſubeſt laxatio, non autem ruptura, Peritonæi, in qvâ ulterior Inteſtinorum prolapſus facillimè Emplaſtrô vel ſubligaculis impediri poteſt, tunc ſanè à ſolâ denudatione Corporis hæc ſymptomata, non magis ac in aliis reis, non hernioſis, metuenda erunt.

§. 13.

item. Deinde ratione frigoris etiam libenter concedo, tempore hyemis ſeu frigoris intenſioris denudatum corpus Colicæ & aliis ſymptomatibus magis ſubjectum eſſe, qvàm tempore æſtatis aliove temperatô; cùm ſæpiſſime hernioſos frigori ſeſe exponere, potum frigidum aſſumere & balnea frigida absqve noxâ ingredi videamus. Qvodſi autem utrumqve, nimirum hernia magna atqve frigus ſubitaneum & ingens ſeu extremum, concurrant, eò magis dicta ſymptomata, etiam absqve torturâ ſupervenire poterunt, uti ex ſupra ex H. Velſchiô, Michaele Ettmüllerô, Johanne Muys, & Johanne Schmidiô allegatis exemplis apparet. Ambæ hæ Circumſtantiæ etiam in Johannis Caſpari Weſtphali, ex Michaelis Bernhardi Valentini Novelles

Me-

Medico-legalibus allegatô caſu, occurrunt; in dicti enim Subjecti dextro latere Enterocelen completam reperimus, dum in dicto ſcrotô non tantum plura Inteſtina, ſed & omentum detenta fuiſſe, & ſcrotum longitudine $\frac{5}{26}$, latitudine vero $\frac{5}{8}$ Ulnæ partes adæqvaſſe videmus. Præterea etiam viſum fuit Johanni Caſparo Weſtphalo, qvòd Inteſtina in ſcrotum delapſa illic involuta ad minimum, ſi non prorſus, huic vel illi loco adnata fuerint, qvoniam ultra annum ſine repoſitione in ſcrotô permanſerunt & tanqvam immobilia conſpecta fuerunt, nullâ ratione in abdomen retrudenda, cùm ob inſignes dolores ab ulteriori reponendi conatu abſtinendum fuerit; Unde Herniæ magnitudinem & repoſitionis impoſſibilitatem videmus. Frigus autem ingens in dictô ſubjectô concurrens ex Relationis hujus, Weſtphali, ſubſcriptô datô, ſcilicet de die 1. Decembris, judicare licet cùm præſertim ipſe Weſtphalus expreſſis verbis addat, dictum inqviſitum, ob frigus modò urgens, neqve denudari, neqve torqveri potuiſſe. Unde etiam Weſtphalum *l. a. p. 56. ſeq.* (ubi ad Qvæſtionem, an hernioſi torqveri poſſint? ob inteſtinorum refrigerationem, negativè reſpondet) non qvemlibet hernioſum, nec qvovis tempore â torturâ liberare, ſed certum aliqvem cauponem, ob adductas rationes, tempore brumali defendere voluiſſe, firmiter credo. Qvamvis etiam aliqvis, interdum qvoqve herniâ parvâ affectis, imprimis â refrigeratione plantarum pedum, Colicam ſupervenire poſſe, objiciat; ad hoc reſpondeo, idem etiam in aliis non hernioſis evenire poſſe, qvi tamen propterea a torturâ vix liberantur. Qvare in hernioſis, pro impediendô tali ſymptomate Emplaſtra & ſubligacula ante torturam applicanda, vel inqviſiti hernioſi tempore torturæ pedibus nudis non interram frigidam, ſed in fundamentum qvoddam ligneum ſiſtendi eſſent.

QVÆSTIO V.
An ex Ano ſeu Inteſtino recto ſignum conſtuprati Pueri peti poſſit?

Signa pueri ſtuprati.

SIcuti ſcilicet interdum de nondum puberum puellarum perpeſſô Stuprô violentô, Medicorum atqve Chirurgorum ſententia â Magiſtratu reqviritur, ita qvoqve de nefandô alio atqve perverſô Coitu Sodomiticô tale judicium qvandoqve expeti ſolet, qvando ſcilicet, juxta Joh. Georg. Simon. *de Impotent. Cap. II. n.4. p.m.11. ſeq.* Vir cum Virô turpiſſimô & plus qvàm efferatô more, ſe commiſcet, æqve ac muliebria patitur vel peragit: Qvô in Caſu tum Juris periti, tum Prætores, infligendæ pænæ cauſâ, â Medicis dicti ſceleris certitudinem experiri deſiderant. Qvàm abominandum autem ſit hoc flagitium, ex S. Scriptura liqvet; ob illud etenim Sodoma & aliæ civitates cum totâ planitie ſulphure & igne per Jehovam perdebantur, Juxta Geneſ. *cap.19. v.5. ſeqq.* Deinde etiam Levitic. *cap.18. v.22.* expreſſè nefandum hoc ſcelus his verbis prohibetur: cum maſculo non dormies concubitu fœminæ, vel juxta verſionem Sebaſtiani Schmidii: cum maſculo non cubalis, juxta concubitus mulierum. Item *Cap.20. v.13.* Vir, qvi jacuerit cum maſculo concubitu fœminæ, abominationem ambo fecerunt, ambo morte inficiantur; ſangvis eorum ſit ſuper eos. Fœdum hunc coeundi modum etiam damnat Apoſtolus Paulus Epiſtol. ad Romanos *Cap. 1. v. 27.* Mares, inqviens, derelinqventes naturalem uſum fœminæ; exarſerunt in prurigine ſuâ in ſe invicem, ita ut mares in maribus fœditatem patraverint, &c. Talis autem perverſus Coitus non modò Ebræis, Græcis & Romanis, ſed etiam aliis Italis, Gallis atqve calidarum Regionum Incolis familiaris eſſe ſolet. Ruſſos etiam huic crimini eſſe deditos refert Adamus Olearius *Itiner. Perſic. f. m. 127.* Imprimis autem pleriqve flagitioſis puerorum amoribus

ribus ac præpoſteri concubitûs fœditate ſe polluunt; qvapropter etiam ſæpius de puerorum, qvàm adultorum ſtuprô qvæſtiones moveri videmus. Circa qvarum reſponſionem notandum, qvòd de tali nefandô coitu, eqvidem aliqvando, ſi nimirum non cum adultô, ſed puerô tenerioris conſtitutionis committatur, atqve Inſpectio Ani ſeu Inteſtini recti non diu, ſed paulò poſt commiſſum facinus inſtituatur, vel ſi patratoris mentula non admodum gracilis ſit, ſed potiùs craſſa, item ſi tale ſtuprum ſæpius cum eodem puerô ſit commiſſum atqve reiteratum, utiqve oculari Inſpectioni unum vel alterum ſignum occurrat, qvatenus ob illatam læſionem atqve contuſionem, utplurimum in anô ſive Inteſtini recti extremitate apparent maculæ rubræ, inflammationes, eroſiones, excoriationes, item variæ excreſcentiæ, diverſæ figuræ atqve denominationis, exempli gratiâ, verrucæ, carunculæ, criſtæ, mariſcæ, ficûs, condylomata, qvin etiam fiſſuræ, rhagades & exulcerationes; interdum etiam à freqventiori Veneris exercitiô in anô nimia dilatatio ſeu laxitas deprehenditur, & interna Inteſtini tunica prolabitur, vel etiam ſolitæ Inteſtini dicti rugæ ſeu plicæ penitus ferè explicantur ſeu delentur atqve diſparent; qvæ rugarum planities juxta Paul. Zacch. *Qvæſt. Med. legal. Lib. IV. Tit. 2. Q. 5. fol. m. 382.* vix ab aliâ cauſâ, qvàm â ſtuprô eſſe poſſunt: qvô locô dictûs Autor ſeqventia habet: Stuprum non modò in puellas & Virgines & vetulas committitur, ſed à ſceleſtiſſimis hominum Naturâ abutentibus etiam in maſculos patratur. Farinac. *de Delict. Carnis Qvæſt. 148. num. I.* qvod Delictum graviſſimum qvidem inter omnia cum ſit, jure meritô condignas pœnas expoſcit, & in illud à legibus ſummô cum rigore animadvertitur, ut *per l. cum Vir. C. de Adulter. Clar. lib. 5. Sent. §. Sodomia num. I.* Boſ. *in Pract. crimin. tit. de ſtupr. de teſt. in maſc. num. I.* In ejus autem Delicti examine, ut de veritate Judices certiores fiant, per Medicos &

Chirurgos ipſos pueros conſpiciendos curant: qvi, ſi qvæ ſigna ſint, qvæ pueros ſtuprum paſſos eſſe atteſtantur, ea ad ipſos judices deferant. Qvæ Zacchiæ verba, absqve ipſius mentione, etiam in Herm. Frid. Teichmeyer. *Inſtitut. Medic. legál. cap. 4. Qvæſtion. 6. p. 31.* leguntur. Ipſe autem Zacchias *l. a.* ita pergit: Struprum in puero, qvod de recenti patratum fuit, ut ante menſem, præcipuè ſi freqventatum ſit, indicare manifeſtè poſſunt Ani ſciſſuræ, Rhagadiæ dictæ, qvæ facilè ob illatam vim apparent, præcipuè ſi puer tenerioris ætatis ſit, & ſtuprator craſſâ mentulâ dotatus: nam etiam conſideratio magnitudinis & parvitatis membri ſtupratoris inqviſiti debet in hoc caſu haberi. De neceſſitate autem videtur, qvòd non modò ſciſſuræ adſint, ubi hæc concurrant, ſed manifeſtisſima etiam fractura. Ubi autem puer grandior ſit, aut ſtuprator non adeò craſſâ mentulâ dotetur, interdum ea pars excoriata apparebit, ob eandem ipſam cauſam, violentiæ nimirum, ob qvam etiam aliàs inflammatione moleſtatur; cujus vice, vel ipſâ permanente, pruritus qvidam indeſinenter infeſtat. Si ſtuprum fuerit valde freqventatum, apparet etiam in ipſô podice laxitas qvædam & partis dilatatio, qvæ etiam multô pòſt tempore perdurare poteſt, & indicare inſimul ſtuprum freqventatum, etiam à multô tempore commiſſum. Podex enim, qvi ex Naturâ rugoſus exiſtit, ex hujusmodi congreſſu lævis ac planus efficitur, dum rugæ illæ in ani curriculô exiſtentes, ob asſiduam membri attritionem, obliterantur. Qvamvis autem Dictæ Excreſcentiæ & Sciſſuræ ab aliis etiam cauſis v. g. â nimiâ ſeri acrimoniâ, hæmorrhoidibus, alvi obſtructione, vel excrementis induratis, atqve difficili partu ortum ſumere qveant, uti Petrus Dionis *des Operations de Chirurg. Demonſtrat. 4. p. m. 273.* de Rhagadibus ſcribit: qve l'anus eſt tout entrecoupé de ces ſortes de fentes, qvi ſont de petits Ulceres longs, qvi incommodent beau-

beaucoup, particulierement, qvand l'anus eſt forcé de l'ouvrir pour la ſortie des excremens: l'acrete des humeurs & la dureté des excremens ſont les cauſes de ces maladies &c. De his vid. etiam Petr. Foreſt. *Lib. 21. Obſ. 10. f. m. 414. ſq.* & Amat. Luſit. *Curat. Medic. Lib. 2. Cur. 87. f. m. 206.* Interim tamen ſæpiſſimè etiam non modò in pueris vel aliis adultis maribus, ſed etiam in fœminis, ejusmodi fiſſuræ & excreſcentiæ â perverſô Coitu Sodomiticô dependent, uti aliqvoties ſeqvioris ſexûs perſonæ nobiles atqve ignobiles ejusmodi malô laborantes in curâ de vera cauſâ interrogatæ mihi confeſſæ ſunt. Id qvod etiam indicat Hermannus Fridericus Teichmeyerus *l. a. p. 32.* inqviens: hi morbi in Noſocomiis Incurabilium variorum Italiæ locorum in podicibus utriusqve ſexus ab ani ſtupratione orti annotantur. Cùm proinde horum ſymptomatum variæ poſſint eſſe cauſæ, non abs re Medici atqve Chirurgi, ad ferendum de ejusmodi Sodomiâ ſuſpectâ vel nefandô Maris cum puerô, adhuc incertô coitu, judicium reqviſiti, omnes circumſtantias bene attendant, anqve ſciſſuræ vel rhagades â nimiâ pueri acrimonia vel Lue venereâ, fæcumve alvinarum duritie aniqve læſione dependeant, ritè conſiderent. Siqvidem ſi ab humore acri atqve mordaci ſciſſuræ dependeant, ſecundum Paul. Zacch. *l. a. f. 383.* id facilè apparebit per aliqva ſigna hujusmodi humorum abundantiam atteſtantia, & per reſudationem interdum humoris ichoroſi, flavi, citrini, aut viridis, ex ipſis ulcuſculis & ſciſſuris. Sic & ſi fuerint ex nimiâ fæcum duritie excitatæ, promptè id conſtare poterit ex ipſarum fæcum conſideratione; præterqvam qvòd ubi altera ex iis cauſis ſimplex fuerit, non eſt neceſſe, adeſſe livores, aut inconſvetum ruborem in anô; neqve enim tantam vim pati poteſt puer ex fæcum duriritie, qvantam ex ſtupri violentiâ pati cogitur. Altera autem cauſa, nempe fluxus humorum erodentium, vix habet locum in pueris, neqve ſolet is morbus eſſe ipſis

admodum familiaris, qvòd benignioris naturæ humores ſortiantur. Præterea carunculæ & rugarum attritio atqve planities vix ab aliâ cauſâ eſſe poſſunt, qvam â ſtuprô. Itaqve conſideratis qvidem ſingulis per ſe cauſis & ſignis, magnâ cautelâ adhibitâ, non neglectis etiam conjecturis & præſumptionibus, etiam, qvæ extra artem haberi poſſunt, Medici de hac re facilè veritatem pronunciare poterunt. Et juxta Chriſtophorum Cruſium *Tract. de Tortur. Part. II. Cap. 19. n. 1. ſeqv. fol. 76.* Indicia Sodomiæ ſunt, ſi in puerô ſuſpectô deprehenduntur ſigna maſculæ veneris. Qvod expeditur, qvando Judex obſtetricibus, Chirurgis & Medicis inſpiciendum puerum committit, qvi ſiqvidem papulas, aut qvod aliud ſignum in corpore pueri invenerint, qvod non ex apoſtemate qvodam prognatum fuerit, indicium eſto contaminati pueri. In Virô, cum puerô Sodomiam exercente, indicia ſunt, ſi clam & ſecretò viſus ſit ingredi vel exire conclave, ubi puer cuſtodiatur, & poſthac reperta ſint ſigna maculæ Veneris in puerô, vel etiam ſi linteamenta uno cum hujusmodi puerô inveniantur in cubiculo, ſangvine paſſim tincta.

Aliud ſignum ex ani procidentia.

An ex ani procidentia mors. Judicium de Infanticidio, an nimirum Infans ex procidentiâ Inteſtini recti mortuus fuerit? a Facultate Medicâ Lipſienſi exhibitum repertur in Joh. Frid. Zittmann. *Medicin. Forenſ. ſive Reſponſ. Facultat. Medic. Lipſ. Cent. VI. Caſ. 69. p. 1621. ſeq.*

Alia Qvæſtio.

Signa Suffocationis. In Medicinam forenſem pertinet etiam Qvæſtio. An Inteſtina ſubmerſorum cum Ventriculô aqvæ inveniantur expertia, an verò ſecundum vulgarem opinionem plena? de qva videan-

videantur Michaelis Bernhardi Valentini Novellæ Medico-Legal. Caſ. XVI. de repertô ſub aqvâ Cadavere, an vivum, an demortuum eò projectum ſit? p. 297. qvô locô Johannes Conradus Beckerus ſubmerſorum mortem ſine potâ aqvâ accidere prolixè defendit. De qvâ ſententiâ idem Beckerus Anno 1720. Tractatum ſuum de ſubmerſorum morte ſine potâ aqvâ novis adjectis exemplis illuſtravit, & infallibilibus factæ & non factæ ſub aqvâ ſuffocationis indiciis auctum ſecundâ vice edidit.

CONSPECTUS CAPITUM.

Caput I. De Appetitu aucto. pag. 1
II. de Pica. 38
III. de Nauſea & Antipathia certorum cibo. 96
IV. de Aſitia & Adipſia. 175
V. de Oeſophago & Deglutitione. 239
VI. de Ventriculo & Chylificatione. 365
VII. de Vomitu. 447
VIII. de Inteſtinis. 530
IX. de Excrementis eorumqve excretionis Viis. 605
X. de Rebus præternaturalibus in Inteſtinis. 709
XI. de Stercoris Analyſi Chymicâ & inde præparatis. 737
XII. de Signis ex Stercore Humanô petendis. 743
XIII. de Stercoris humani uſu Medico. 752
XIV. de Stercoribus brutorum. 796
XV. de Qvæſtionibus Medico-Forenſibus. 842

INDEX

INDEX AUTORUM
In hoc Tractatu allegatorum.

A.

ACademiæ Regiæ Scientiarum Pariſienſis Hiſtoria, Anno 1699. & 1700. 8. Lipſiæ 1715.
Acta Eruditorum Lipſienſium. 4. Lipſiæ.
4. Supplementa. Lipſ.
Medica Berolinenſia. 8. Berolin.
Hafnienſia 4. Hafn. 1673. ſeq.
Philoſophica Anglicana, Oldenburgii, 4. Lipſ. 1674.
Æliani Hiſtoria animalium, in Oper. fol. Tiguri.
Agricolæ, Joh. Chirurgia parva 8. Nürnberg 1663.
Anmerckungen in Poppium. 4. Nürnberg 1696.
Alberti, Mich. Introductio in univerſam Medicinam. 4. Halæ. 1718.
Albini, Bernh. Diſputatio de Pica. 4. Francof. 1691.
Alpinus, Proſper, de præſagiendâ Vitâ & morte ægrorum 4. Lugd. 1710.
Amati, Luſitani, Curationes medicinales. fol.
Ammanni, Pauli, Irenicum Numæ Pompilii. 8. Francof. Lipſ. 1689.
Manuductio ad materiam medicam. 8. Lipſ. 1678.
Medicina Critica, Germanica Editio. 4. Erfurt. 1670.
Verſio Paullini 4. Stadæ. 1677.
Amthor, Caſpar, Noſocomium infantile. 8.
Apuleji, L. Opera, Metamorphoſis. 12 1606.
Arculani, Joh. Practica, fol. Venet. 1497.
Arnolds, Gottfried. Kirchen- und Ketzer-Hiſtorie fol. Franckf. 1699.
Leben der Gläubigen 4. Halle. 1701.
Aſellius, Caſp. de Lactibus, ſive lacteis Venis. 4. Baſileæ. 1628.
Autor der Vergnügung müßiger Stunden. 8.

B.

Back, Jacobus, de Corde 12. Roterodami 1660.
Baglivi, Georg. Diſſertatio de Sangvine. Lugdun. 1699.

Bapſts, Michael, Artzney-Buch. 4. Leipzig. 1596.
Barbette, Pauli, Anatomia practica) v. Opera 4. Genev. 1682.
Praxis.)
Barckhuſen, Joh. Conr. Acroamata ad Iatrochemiam. 8. Traject. 1703.
Oratio de Nepenthe, in Hiſtoria Medicinæ 8. Amſtelod. 1700.
Pharmacopœus ſynopticus. 8. Francof. 1696.
Pyroſophia 4. Lugd. 1698.
Baricelli, Jul. Cæſ. Hortulus genialis 12. Colon. 1620.
Barlæi, Caſp. Hiſtoria Rerum in Braſilia geſtarum. 8. Cliviæ 1660.
Bartholdi, Greg. Theod. Opera medica. Francof. 1717.
Bartholini, Caſpar. Specimen Hiſtoriæ anatomicæ 4. Hafn. 1701.
Bartholini, Thomæ Acta medica Hafnienſia. 4. Hafn. 1663. ſeq.
Anatomia renovata. 8. Lugdun. 1673.
Ciſta medica. 8. Hafniæ 1662.
Cygni Anatome. 8. Hafniæ. 1668.
Epiſtolæ medicinales 8. Hafn. 1663. ſeq.
Hiſtoriæ anatomicæ. 8. Hagæ 1659. ſeq.
de inſolitis Partus viis. 8. Hafn. 1664.
de Lacteis thoracicis. 8. Hafn. 1670.
de Luce hominis & brutorum 8. Francof. 1669.
de Nivis uſu medico 8. Hafn. 1666.
Orationes. 8. Hafn. 1668.
Spicilegium ex Vaſis lymphaticis 12. Amſtel. 1661.
de Unicornu. 12. Amſtelod. 1678.
Bauhinus, Caſp. de Hermaphroditis & monſtris 8. Oppenh. 1620.
Bauhini, Caſp. Theatrum Anatomicum. 4. Baſil. 1621.
Bauſchius, Joh. Laurent. de Hæmatite & Ætite. 8. Lipſ. 1665.
Beccheri, Joh. Joach. Phyſica ſubterranea 8. Lipſ. 1703.
Beckerus, Joh. Conr. de ſubmerſorum morte ſine potâ aqvâ 4. Jen. 1720.
Beckheri, Daniel. Medicus Microcoſmus. 4. Lugd. Batav. 1683.
Begvini, Joh. Tyrocinium Chymicum, Glückrat, 8. Witteb. 1638.
Behrs/ Joh. Oſt-Indianiſche Reiſe 4. Franckf. 1682.
Bellefontaine, Louis, de la Medecine dogmatiqve Mechaniqve, 12. à Amſterdam 1712.
Bellhoſte Chirurgien d' Hoſpital. 8. à Amſterd. 1707.
Bellonii, Petri, Obſervationes, vid. Carol. Cluſii Exotica.
Benedictus, Alexander, de Re medica. fol. Baſil. 1649.

Be-

Benivenius, Anton. de abditis morborum cauſis. vid. Dodonæi Obſervat.
Bensheim, Erneſt. de Hydrope. 4. Lipſ. 1700.
Bergeri, Joh. Gothofr. Philologia ſive de Natura. 4. Witteb. 1702.
Bibliotheca Anatomica Clerici & Mangett. fol. Genev. 1688.
Bicaiſſii, Honor. Manuale medicum. 24. Londin. 1659.
Bidloo, Gottfr. Anatomia. fol. Amſtelod. 1685.
Bierlingii, Caſp. Theoph. Adverſaria curioſa. 4. Jenæ. 1679.
Theſaurus theoretico - practicus 4. Jenæ. 1690.
Binningeri, Joh. Nicol. Obſervationes & Curationes medicinales 8. Montpelgard. 1673.
Blancardi, Stephani, Anatomia reformata. 8. Lugd. 1687.
Opera Medico - theoretico - practica. 4. Lugd. 1703.
Lexicon Medicum. 8. Lugd. 1690.
Collectanea medico - phyſica. 8. Leipzig 1690.
Anatomia practica. Hanov. 1700.
Blaſii, Gerardi, Anatomia Animalium. 4. Amſtelod. 1681.
Obſervata anatomica. 8. Lugdun. 1674.
Obſervationes medicæ. 8. Amſtelod. 1677.
Medicina curatoria. 8. 1686.
Commentarius in Veslingii Syntagma. 4. Patav. 1677.
Inſtititutiones Medicinæ. 12. Amſtelod. 1667.
Blegny, Nic. de, Zodiacus Medico - Gallicus. 4. Genev. 1680.
de Arte herniaria. vid. Zodiac. An. 1.
Bocconis, Sylvii, Curiöſe Obſervationes. 12. Franckf. und Leipzig. 1697.
Bœrhave, Hermann. Inſtitutiones medicæ. 12. Francof. 1710.
Bœtticher, Joh. Gottl. de peſte & peſtilentia. 8. Hamb. 1713.
Bohn, Joh. Circulus anatomico - phyſiologicus. 4. Lipſ. 1686.
de Officio Medici duplici. 4. Lipſ. 1704.
de Renunciatione vulnerum. 4. Lipſ. 1711.
Diſſertatio de vomitu 4. Lipſ.
de menſtruo univerſali animali. 4. Lipſ.
Collegium de materia medica. MSC.
Diſcurſus de Erroribus pathologicis. MSC.
Boneti, Theophili, Sepulchretum ſeu Anatomia practica fol. Genev. 1679.
Medicina Septentrionalis fol. Genev. 1686.
Polyalthes fol. Genev. 1691.
Mercurius compitalitius. fol. Genev. 1688.

Labirinthi medici extracti, ſive de Erroribus in Praxi. 4. Genev. 1678.
Borelli, Petri, Hiſtoriæ & Obſervationes medicæ. 8. Francofurt. Lipſ. 1676.
Botallus, Leonhardus, de Medici & ægroti munere. 12. Lugd. 1668.
Opera 8. Lugd. 1660.
Boyle, Robert. de Utilitate Philoſophiæ experimentalis 4. Lindav. 1692.
Tentamen Porologicum 4. Genev. 1686.
Brendelii, Adami, Obſervationes Dec. I. II. III. 4. Witteberg. 1716. ſeq.
Breßlauiſche Sammlungen. 4.
Brœn, Joh. de duplici Bile Veterum 12. Lugdun. 1685.
Medicina theoretica, ſive Opera medica. 4. Amſtel. 1703.
Animadverſiones medicæ in Henr. Regii Praxin medicam. 4. Lugd. 1695.
à Brunn, Joh. Conr. de Glandulis duodeni 4. Francof. & Heidelberg. 1715.
Bruyerinus, Joh. de Re cibaria. 8. Lugdun. 1560.
Busbeqvii, An. Geslen. Epiſtolæ. 24. Amſtelod. 1660.
F. E. B. Obſervatio curioſa de Excretione Vermis. 4. Wolffenbuttelæ. 1723.

C.

Cælii, Rhodig. Lud. Lectiones antiqvæ. fol. Baſil. 1550.
Calceolarii, Franc. Muſæum, fol. Veron. 1622.
Camerarii, Æliæ, Diſſertationes Taurinenſes tres. 8. Tubing. 1694.
Diſſertationes phyſico-medicæ. 8. Tubing. 1712.
Medicina conciliatrix. 4. Francof. 1714.
- Joh. Rud. Memorabilia medicinæ. 4. Tubing. 1683.
- Philippi, Horæ ſubciſivæ. 4. Francof. 1658.
Campanellæ, Thom. Medicinalia 4. Lugd. 1635.
Capivaccii, Hieron. Practica medicinæ. 4. Francof. 1594.
Cardanus, Hier. de Rerum varietate. 8. Baſil. 1581.
de Subtilitate 8. Lugd. 1580.
Cardilucii, Joh. Hisk. Stadt und Land-Apothecke. 8. Nürnberg. 1667.
Commentarius in Febure Chymiſchen Handleiter. 8. Nurnb. 1685.
à Caſtro, Rodericus, de Morbis Mulierum. 4. Colon. 1699.
Celſus, A. Corn. de Medicina. 12. Lugd. 1665.
Cattieri, Iſaac. Obſervationes, vid. Borelli Obſervationes.
Charas, Moſes, Pharmacopœa regia, chymica. 4. Genev. 1683.
Charleton, Gvalter. Oeconomia animalis. 12. Hagæ 1682.
de Catameniis & Fluore albo. 12. Lugd. 1686.
Clauderi, Gabriel. Methodus balſamandi corpora. 4. Altenburg. 1679.
Inventum cinnabarinum, 4. Jenæ. 1687.

Clau-

Claudini, Jul. Cæſar. Conſultationes & Reſponſiones. 8. Francof. 1607.
Clerc de la Chirurgie complete. 12. a Paris 1695.
Cluſii, Carol. Exotica, fol. Antwerp. 1605.
Cluverii, Philippi Introductio in univerſamGeographiam,4.Gvelferb.1686.
Coberi, Tobiæ, Obſervationes Medicæ, 4. Helmſtad. 1685.
Cockburn, Gvil. Oeconomia Corporis animalis, 12. Auguſt. 1696.
Coiteri, Volcheri, Obſervationes, fol. Noriberg. 1573.
Cole, Gvilh. de Febribus intermittentibus. 8. Lipſ. 1695.
Columbus, Reald. de Re anatomica. 8. Francof. 1593.
Comenii, Joh. Amos, Orbis pictus, 8.
Conerdingii, Chr. Arn. Diſputatio de Chylificatione. Præſ. Meibomio, 4. Helmſtad. 1674.
Corbei, Dorothei, Pharmacopœa ſimplicium, 4. Francof. 1656.
Cornari, Diomed. Conſilia medicinalia & Obſervationes, 4. Lipſ. 1599.
Commentarius in Diſcoridem. fol. Baſil. 1557.
Cornelii, Thom. Conſtantini, Progymnaſmata Phyſica. 12. Francof. 1664.
Coſteri, Joh. Theoria & Praxis in Tabulis. 4. Francof. 1664.
Coſmopolitæ Hiſtoria naturalis, 12. Lugdun. 1686.
Courtial, Jean Joſeph. Nouvelles Obſervations ſur les Os. 8. à Leyde, 1709.
Craan, Theod. Diſſertatio de homine, 4. Lugdun. 1689.
Obſervationes ſeu Praxis. 4. Lugd. 1689.
Oeconomia animalis. 8. Amſtelod. 1703.
Crollii, Oswald. Baſilica chymica. 8. Colon. 1661.
Crügneri, Mich. Epiſteln, 8. Regenſpurg 1679.
Cruſius, Chriſtoph. de Tortura & Indiciis ad Torturam. fol. Francof. 1692.
Cypriani, Abrah. Epiſtola de Fœtu tubario exciſo. 8. Lugd. 1700.

D.

Deckers, Frid. Annotationes in Barbette Praxin. 4. Genev. 1682.
Deliciæ medico-chirurgicæ. 8. Leipzig, 1686.
Del Rio, Mart. Disqviſitiones magicæ. 4. Colon. 1679.
Deodati, Claud. Pantheum hygiaſticum. 4. Bruntruti. 1628.
a Deventer, Henr. Operationes chirurgicæ, ſive de arte obſtetricaria, 4. Lugd. 1701.
Deuſingii, Anton. Faſciculus Diſſertationum. 12. Grœning. 1660.
Examen Anatomes Anatomiæ Bilſianæ. 12.
de Diemerbroc, Isbrand, Opera anatomico-medica. fol. Ultraj. 1685.
Digby, Kenelm. Demonſtratio Immortalitatis Animæ, 8. Franc. 1664.

von der Sympathie, 8. Hamburg, 1684.
Dionis, Petri, Anatomia corporis humani, 8. Genev. 1696.
Conrades Operations de Chirurgie 8 à Bruxelles 1708.
Dierſus, Petrus Salins, de Febre peſtilenti & affectibus particularibus. 8. Harderovic. 1656.
Dodonæi, Rembert. Obſervationes & Annotationes in Benivenium. 8. Colon 1581.
Dœbelii, Joh. Jac. Bericht von Eſther Johannen Paulin zehenjährigen Faſten. Halle 1724.
Dœringius, Mich. de Medicina & Medicis. 8. Gieſſæ 1618.
Dolæi, Joh. Encyclopædia medica. Francof. 1684.
Chirurgica 4. Francof. 1689.
Epiſtolæ ad Waldſchmidium. 4 Francof. 1689.
Donatus, Marcellus, de Hiſtoria Medica mirabili. 8. Francof. 1613.
Dornavii, Caſparis, Orationes. 8. Gorlic. 1677.
Drelincurtii, Carol. Experimenta anatomica. 12. Lugd. 1684.
de Conceptione Conceptus. 12. Lugdun. 1685.
de Lienoſis. 8. Lugd. 1711.

E.

Eiſenmengerus, Joh. Chriſtoph. de fœtu Muſſipontano. vid. Joh. Sinibald. Geneanthropia.
Elsholzii, Joh. Sigism. Deſtillatoria curioſa. 8. Berolin. 1674.
Entius, Georg. de Circulatione ſangvinis, v. Opera omnia 8. Lugd. 1687.
Ephemerides Academiæ naturæ curioſorum 4.
Eremitæ, Dan. Opuſcula de Vita Aulica &c. 8. Ultraj. 1702.
Eſſais d' Anatomie, 12. à Leide. 1686.
Ettmülleri, Mich. Opera, fol. Francof. 1695.
Everardus, Ægid. de Panacea ſeu Tabaco, 12. Antwerp. 1644.

F.

Fabricii, Gvil. (Hildani) Opera omnia, fol. Francof. 1646.
- Hieron. (ab Aqvapendente) Opera anatomica & phyſiologica, fol. Lipſ. 1687.
Fallopii, Gabriel. Opera omnia, fol. Francof. 1600.
Febure Chymiſcher Handleiter / 8. Nürnb. 1685.
Fehrii, Joh. Mich. Anchora ſacra, de Scorzonera. 8. Jenæ. 1666.
Hiera picra, de abſinthio. 8. Lipſiæ. 1667.

Fer-

Fernelii, Joh. Univerſa Medicina cum Notis Heurnii, 4. Traject. 1656.
Ferrarius, Omnibon. de arte medica Infantum, 8. Lipſ. 1605.
Feyeni, Franc. Medicina practica 4. Lugd. 1650.
Fidelis, Fortunatus, de Relationibus Medicorum. 8. Lipſ. 1674.
Fiſcheri, Lævin. Corpus Medicinæ Imperiale. 8. Hermipoli 1680.
Fludd a Fluctibus, Roberti, Anatomiæ Amphitheatrum, fol. Francof. 1623.
à Fonſeca, Rod. Conſultationes medicæ. 8. Francof. 1625.
Foreſti, Petri, Obſervationes medicinales. fol. Francof. 1602.
Formii, Sam. Obſervationes in Riverii Obſervationibus.
Franci de Franckenau, Georg. Satyræ medicæ. 8. Lipſiæ. 1722.
Frauendorffer, Phil. de Morbis mulierum, 12. Norimb. 1696.
Tabula Smaragdina. 12. Norimb. 1699.
Frommannus, Joh. Chriſtian. de Faſcinatione 4. Noriberg. 1675.

G.

Gœbelchoveri, Oswaldi, Würtenbergiſches Artzney-Buch, 4. Franckf. 1680.
Gaffarelli, Jac. Curioſitates inauditæ. 8. Hamb. 1678.
Galeni Opera, fol. Venet. 1562. ſeq.
Garmannus, Chr. Frid. de Miraculis Mortuorum 4. Dresd. Lipſ. 1709.
Oologio curioſa 4. Chemnic.
Gerbezii, Marc. Chronologia medico-practica, 4. Francof. 1713.
Gesneri, Conr. Hiſtoria animalium Lib. I. de Qvadrupedibus. fol. Tiguri, 1551
Gieswein, Joh. Phil. Hodegus ſive de Materia medica, 8. Francof. 1676.
Gladbach, Joh. Bernh. Praxis medicæ Idæa noviſſima. 8. Herborn. 1694.
Gliſſonus, Franc. de Ventriculo & Inteſtinis, vid. Biblioth. anatom. fol.
Gockelii, Eberh. Gallicinium ſeu Conſilia & Obſervationes, 4. Ulmæ 1700.
Von Beſchreyen und Bezaubern. 8. Fr. Leipz. 1699.
Gœlicke, Andr. Ottomar. Medicina Forenſis, 4. Francof. ad Viadr. 1723.
Gorræi, Joh. Definitiones medicæ. fol. Lutet. 1561.
Gottfrieds, Joh. Lud. Chronica. fol. 1674.
de Graaf, Regner. de Succo pencreatico. vid. Opera. 8. Lugd. 1677.
le Grand, Ant. Hiſtoria naturalis. 8. Noriberg. 1678.
Curioſus Rerum abditarum Perſcrutator. 12. Franc. 1681.
Gregorii, Petri, Syntaxes Artis memorabilis. 8. Colon. 1610.
Grembs, Franc. Oswald. Arbor integra & morboſa hominis. 4. Franco-furt. 1671.
Grimmii, Herm. Nicol. Compendium medico-chymicum. 8. Auguſt. 1694.

Grube

Grube, Herm. de Medicamentis ſimplicibus. 8. Hafn. 1669.
Grülingii, Phil. Medicina practica. 4. Lipſ. 1673.
Florilegium Hippocratico-Chymicum. 4. Lipſ. 1648.
Curationes Dogmatico-theoreticæ. 4. Northuſ. 1663.

H.

Haſenrefferus, Sam. de Cutis affectibus. 8. Tübing. 1630.
Hagendornii, Ehrenfr. Hiſtoriæ medico-phyſicæ. 8. Rudolſtad. 1690.
Tractatus de Catechu. 8. Jen. 1670.
du Hamel, Joh. Bapt. Opera Philoſophica 4. Norimb. 1682.
Hiſtoria Regiæ Scientiarum Academiæ. 4. Lipſ. 1700.
Hannemanni, Joh. Lud. Methodus cognoſcendi vegetabilia. 4. Kilon. 1677.
Harderi, Joh. Jac. Apiarium ſeu Obſervationes. 4. Baſil. 1687.
Hartmanni, Joh. Opera omnia medico-chymica. fol. Francof. 1687.
Hartnaccii, Dan. Admiranda phyſica. 8. Franc. Lipſ. 1684.
Hecqvet de la digeſtion & de maladie de l'Eſtomac.
Heer, Henr. ab, Obſervationes medicæ, 12. Lugd. 1685.
- Martini Introductio in Archivum Archei. 4. Laub. 1703.
de Heide, Antonii, Anatome Mytuli. 8. Amſterd. 1683.
Heinſius, Erneſtus, de Purgantium validiorum abuſu in febribus. 4. Lipſ. 169●
Heiſteri, Laurent. Compendium anatomicum. 8. Altdorf. 1608.
Oratio de Incrementis Anatomiæ. 8. Wolffenb. 1720.
Chirurgie. 4. Altdorf. 1720.
Helwigii, Joh. Obſervationes phyſico-medicæ. 4. Auguſt. 1680.
Helwig/ Chriſtoph/ Caſus & Obſervationes medicinales. 8. Frf. Leipzig 1711.
Helmontii Joh. Bapt. Opera fol. Lugd. 1667.
Fundamenta Medicinæ. 12. Ulmæ 1684.
Helvetii, Joh. Fr. Diribitorium medicum. 8. Amſtelod. 1670.
Hemſterhuys, Sibold. Meſſis aurea anatomica. 8. Heidelberg. 1659.
Henckelius, Elias, de Philtris eorumqve efficacia. 8. Francof. 1690.
Herfeld, A. G. de Origine Morborum. 8. Amſterd. 1706.
Herlinus, Joh. de Remediis ſudoriferis & analepticis. 4. Lipſ. 1693.
Hertodt, Joh. Frid. Crocologia. 8. Jenæ. 1671.
Tartaro-Maſtix. 8. Vienn. 1669.
- Joh. Philip. Medicus evporiſtus. 8. Hagæ. 1711.
Herveld, Jac. van Geneeskundige Anmerckingen. 8. t'Amſterd. 1693.
Heurnii, Joh. Praxis Medicinæ. 4. Lugd. 1609.
- Otton. Obſervationes, vid. Fernelii Opera.

High-

Highmori, Nathan. Corporis humani Diſqviſitio anatomica, fol. Hagæ 1651.
de Paſſione hyſtericâ & affectione hypochondriaca. 12. Jenæ 1617.
Hildesheimii, Franc. Spicilegia de Cerebri & Capitis morbis. 8. Francofurt. 1612.
Hippocratis Opera, Editio Foeſii fol. Baſil. 1536.
Aphoriſmi 24. Lugd. 1675.
Hiſtoria Academiæ Regiæ Scientiarum, Pariſienſ. Ann. 1699. 1700. 8. Lipſ. 1715.
Morborum Vratislavienſium. 1702. 4. Lipſiæ. 1710.
Morborum Vratislavienſium. 1609 ſeq. 4. Vratisl. & Lipſ. 1706.
Hœchſtetteri, Phil. Obſervationes medicinales. 8. Fr. Lipſ. 1674.
Hœferi, Wolffg. Hercules medicus. 4. Norimb. 1675.
Hoffmanni, Frid. Methodus medendi. 4 Lipſ. 1678.
Clavis Schrœderiana. 4. Halæ. 1681.
Annotationes in Poterii Opera 4. Francof. 1698.
de affectu Cataleptico. 4. Francof. 1692.
- Caſpari, Opuſcula medica de Medicamentis. 4. Franc. 1667.
- Danielis, Annotationes in Hypotheſes Goveyanas. Francof. 1719.
- Laurentius, de vero Uſu & ferô abuſu medicamentorum chymicorum. 4. Halæ. 1619.
- Joh. Maur. Idea Machinæ hum. Anatomico-Phyſiologica. 4. Altd. 1703.
Diſqviſitio corporis hum. anatomico-Pathologica. 4. Altdorf. 1713.
Hollerius, Jacob. de Morbis internis. 8. Pariſ. 1567.
Horlachers, Conr. Schatzkammer D. Michaelis Artzneyen. 8. Ulm. 1694.
Hoogſtraten, David van, de hodiernô Medicinæ ſtatu. 8 Dordrecht. 1683.
Horne, Joh. van, Microcoſmus ſive Opuſcula anatomico-chirurgica. 8. Lipſ. 1707.
de novo Ductu chyliferô. ibid.
Hornii, Georg. Hiſtoria naturalis. 12. Lipſ. 1671.
Hornungi, Joh. Ciſta medica. 4. Norimb. 1625.
Horſtii, Gregor. Opera medica fol. Noriberg. 1660.
- Joh. Dan. Manuductio ad Medicinam. 12. Ulmæ. 1660.

I.

Jeſſenii a Jeſſen Joh. Anatomia Pragenſis. 8. Witteb. 1613.
Johrenii, Conr. Praxis Chymiatrica. 8 Rintelii. 1676.
Jonſtoni, Joh. Idea Medicinæ practicæ. 8. Francof. 1664.
Syntagma univerſæ Medicinæ. 8. Vratislav. 1673.

Thavmatographia naturalis. 12. Antwerp. 1633.
Joſephus, Flavius, de Antiqvitatibus Judaicis. 8. Francof. 1617.
Joſſii, Nicandri, Opuſcula de Voluptate & dolore, de Riſu & Fletu, &c. 4. Romæ. 1580.
Journal des Savans. 12. à Amſterd.
Jungkens, Joh. Helffr. Erinnerungen über Poppium und Agricolam. 4. Nürnberg. 1686.
Junckeri, Joh. Conſpectus Medicinæ practicæ. 4. Halæ, 1718.

K.

Keckermanni, Barthol. Syſtema Phyſicum. 8. Hanov. 1617.
Kerckringii, Theod. Spicilegium anatomicum. 4. Amſterd. 1670.
Khunradi, Conr. Medulla deſtillatoria. 4. Fr. Leipz. 1703.
Klaunigii, Godofrid. Noſocomium Charitatis. 4. Vratislav. 1718.
Knoblochii, Tob. Diſputationes anatomico, phyſiologicæ. 8. Onolsb. 1612.
Kœnig, Eman. Regnum animale. 4. Baſil. 1682.
Kozack, Joh. Sophron. Tractatus de Sale. 4. Francof. 1663.
Krugeri, Bartholdi, Anatomicus Curioſus Deodidactus 4. Brunopol. 1700.
Kunckelii, Joh. Obſervationes de Salibus fixis. 12. Londin. Roterod. 1675.
Kyperi, Alberti, Anthropologia. 4. Lugd. 1660.

L.

Lairitzens, Joh Georg. Römiſcher Pabſt-Thron. 4. Beireuth. 1685.
Lamzweerde, Joh. Bapt. Appendix ad Sculteti Armament. 8. Amſteld. 1678.
Lancilotto, Carolo, Guida nuova alla Chimica. 12. in Venetia. 1682.
Langii, Chriſtian. Miſcellanea curioſa medica. 4. Francof. 1666.
Opera, Pathologia animata. 4. Francof. 1688.
- Chriſtiani Joh. Opera medica. fol. Lipſ. 1704.
- Johannis, Epiſtolæ medicinales. 8. Hannov. 1605.
Langwedelii, Bernh. Defenſio Hippocratis. 12. Lugd. 1647.
Lanſii, Thom. Conſultationes. 8. Tubing. 1678.
Lanzonus, Joſephus, de Salivâ humanâ. 8. Ferrar. 1702.
Laurembergii, Petri, Acerra Philologica. 8. Franckf. Leipz. 1694.
Laurentii, Andr. Hiſtoria anatomica fol. Francof. 1600.
Lemery, Nic. Cours de Chymie, oder Chymiſt. 8. Dreßden 1698.
Lentilii, Roſini, Eteodromus medico-practicus. 4. Stuttgard. 1711.
Jatromnemata theoretico-practica. 4. Stuttgard. 1712.
Miſcellanea medico practica. 4. Ulmæ. 1698.
Lentuli, Pauli, Hiſtoria de Inedia Apolloniæ Schrejeræ, 4. Bernæ. 1604.

Libavii,

Libavii, Andr. Epiſtolæ chymicæ 8. Francof. 1595.
Linden, Johann. Antonid. van der, Meletemata Medicinæ Hippocrat. 4. Lugd. 1656.
Selecta medica. 4. Lugd. 1656.
Linſing, Petri Ern. Inſtitutiones medicæ. 8. Erlangæ. 1701.
Lipſius, Dav. de Antipathia, 4. Jenæ. 1678.
de Hydrope. 4. Jenæ. 1678.
Liſter, Martin. de Humoribus. 8. Roterd. 1711.
Thermarum & Fontium deſcriptio. 12. Lond. 1686.
Lochneri, Mich. Frid. Deſcriptio Mungos. v. Ephemerid. C. III. IV. App.
Lœw, Joh. Frid. de Variolis & Morbis Infantum, 4. Norimb. 1699.
Lommii, Jodoci, Obſervationes medicinales. 12. Francf. Lipſ. 1688.
Lotichius, Joh. Petr. de Caſei Neqvitia. 8. Francof. 1640.
Loweri, Rich. Engliſches Artzney-Büchlein. 8. Leipz. 1702.
Ludolffs, Hiob, Schaubühne der Welt. fol. Franckf. 1699.
Ludovici, Daniel. Pharmacia, Opera omnia. 8. Lipſ. 1712.
Lumen rationale medicum in Henr. Regii Praxin 8. 1688.

M.

Macaſii, Joh. Georg. Promptuarium Materiæ medicæ. 12. Lipſ. 1677.
Majoli, Simon. Dies caniculares. fol. Francof. 1642.
Mangette, Jacob. Annotationes in Barbette Praxin. v. Barbette.
de Marchettis, Dominici, Anatomia. 12. Patav. 1656.
de Marchettis, Petri, Obſervationes Medico-Chirurgicæ, 8. Patav. 1678.
Marggravii, Chriſtiani, Prodromus Medicinæ practicæ, 4. Lugd. 1685.
-- -- Georgii, Hiſtorica Rerum Naturalium Braſiliæ. fol. Lugd. 1648.
Marpergers, Paul Jac. Kauffmanns-Magazin, 8. Hamburg, 1708.
Martius, Joh. Nicol. de Magia naturali. 4. Lipſ. 1715.
Matthæi, Joh. (Heſſii) Qvæſtiones Medicæ jucundæ, 8. Franc. 1603.
Matthiæ, Chriſtiani, Theatrum Hiſtorico-Politicum, Franc. 1684.
Matthioli, Petr. Andr. Commentarius in Dioſcoridem, fol. Baſil. 1674.
Mauriceau, Franc. von Kranckheiten ſchwangerer Weiber, 8. Nürnb. 1687.
Maxvelli, Guil. Medicina Magnetica. 12. Francof. 1679.
Mayerne Theod. Praxis Medica. Anguſt. 1697.
-- -- Syntagma alterum. 8. Aug. 1697.
a Meekren, Jobi, Obſervationes Chirurgico-Medicæ. 8. Amſteld. 1682.
Meibomius, Henr. de Abſceſſibus internis. 4. Dresd. Lipſ. 1718.

Mercklini, Georg. Abrah. Sylloge Caſuum de Incantatione. 4. Norib. 1698.
- - - - Hiſtoriſch-Mediciniſches Thier-Buch. 8. Nürnberg, 1696.
Mercurialis, Hier. Medicina Practica. fol. Francof. 1601.
- - de Venenis & Morbis venenatis. 4. Venet. 1588.
- - de Morbis cutaneis & Excrementis. 4. Venet. 1625.
- - de Decoratione. 4. Venet. 1601.
Mermanni, Thomæ, Conſultationes. fol. Ingolſtad. 1675.
Merſeburgiſch Hebammen-Buch, 8. Merſeburg, 1691.
Methode nouvelle d'Operation de Chirurgie, 12. a Paris, 1693.
Michaëlis, Joh. Opera medica, 4. Norimb. 1688.
Mindererus, Raymund. de Peſtilentia. 8. Auguſt.
Miſcellanea Naturæ Curioſorum, 4. Lipſ. &c. 1670. ſqq.
Mizaldus redivivus. 12. Norib. 1681.
Mocqvet, Jan. Reiſe-Beſchreibung in Aſia, Africa 2c. 4. Lüneb. 1688.
Mœbii, Gothofr. Fundamenta Medicinæ Phyſiologica. 4. Jenæ. 1661.
Mœllenbroc, Val. Andr. de Varis & Arthritide. 8. Lipſ. 1672.
Monardi, Nic. Hiſtoria Medicamentorum Simplicium. vid. Cluſii Exotic. Epiſtolæ Medicinales. 8. Lubec. 1525.
a Moinichen, Henr. Obſervationes. 12 Dresdæ. 1693.
Monconnys Reiſe-Beſchreibung durchs gelobte Land, 4 Leipzig. 1697.
Montui, Hieron. Anaſceve Morborum. 8. Lugd. 1563.
Morhofius, Dan. Georg. de Scyphô vitreô. 8. Kilon. 1672.
Moroni, Matthiæ, Directorium Medico practicum 4. Francof. 1662.
Mülleri Petri, Miracula Chymica & Myſteria Medica. 12. Pariſ. 1644.
Mundius, Henr. de Aëre vitali. 8. Franc. Lipſ. 1685.
Municks, Joh. Chirurgia. 4. Trajecti. 1689.
Muralt, Joh. Hippocrates Helveticus. 8. Baſel. 1692.
- - Chirurgiſche Schrifften. 8 Baſel. 1691.
- - Collegium anatomicum. 8. Nürnberg. 1697.
- - Vade mecum, ſeu Clavis Medicinæ. 12. Tigur. 1672.
Muys, Joh. Praxis Medico-Chirurgica, Decades XII. 12. Amſteld. 1695.
a Mynſicht, Hadriani, Armamentarium medico-chymicum. 8. Lugd. 1664.

N.

Neandri, Mich. Phyſica. 8. Lipſ. 1585.
Nenteri, Georg. Phil. Theoria Hominis, ſive Phyſiologia Medica, 8. Argentorat. 1714.

Neu-

Neuhoffs, Joh. Oſt-Indianiſche Geſandſchafft nach Sina. 4. Amſterd. 1666.
Nitzſchii, Frid. Journal des Sçavan ſive Ephemerides Eruditorum, 8. Lipſ. 1671.
Nova literaria Germaniæ, 4. Hamburg.
- - Maris Balthici. 4. Lubec. & Hamb.
Nuck, Anton. Adenographia & Uteri anatome. 8. Lugd. 1692.
- - Operationes & Experimenta Chirurgiæ, 8. Lugd. 1692.

O.

Obſervatio medica de Excretione Vermis F. E. B. 4. Wolff. 1723.
Oldenburgi Henr. Acta Philoſophica Anglicana, 4. Lipſ. 1674.
Olearii, Adam, Orientaliſche Reiſe-Beſchreibung, fol. Schleßwig, 1647.
Ortlobi, Joh. Frid. Hiſtoria Partium ſive Phyſiologia. 4. Lipſiæ. 1697.
Overcamps, Heydentr. Oeconomia animalis. Leipzig, 1690.

P.

Pæonis & Pythagoræ Exercitationes anatom. medicæ. 8. Baſil. 1682
Palfyn, Jean, Diſſertation anatomique des Parties de la femme. 4. a Leide, 1705.
Palmarius, Julius, de Morbis contagioſis, 8. Hagæ, 1664.
Panaroli, Dominici, Obſervationes medicinales, 4. Hannov. 1654.
Pancirollus, Guil. de Rebus memorabilibus ſeu deperditis, 4. Francofurt. 1660.
Panſa, Martin. de prorogandâ vitâ, 8. Lipſ. 1615.
Paracelſi, Theophr. Opera, fol. Straßburg. 1616.
Paræi, Ambroſii, Theſaurus Chirurgiæ, ſive Opera, fol. Francof. 1660.
Paſchii, Georg. Inventa Nov-antiqva 4. Lipſiæ, 1700.
Pauli, Joh. Guil. Annotationes in Joh. van Horne Opuſcula, 8. Lipſ. 1707.
Pauli, Sim. Qvadripartitum Botanicum. 4. Argentor. 1666.
- de Abuſu Tabaci & Herbæ Theæ. 4. Argent. 1665.
Paullini, Chr. Franc. de Angvilla, 12. Franc. & Lipſ. 1689.
- - - de Aſino, 8. Francof. 1695.
- - - de Bufone. 8. Noriberg. 1686.
- - - Cynographia curioſa, 4. Norimb. 1685.
- - - Lagographia. 8. Auguſt. 1691.
- - - Lycographia. 8. Francof. 1694.
- - - de Salvia. 8. Auguſt. 1688.
- - - de Talpa, 12. Francof. & Lipſ. 1689.
- - - de Theriaca cœleſti, 8. Francof. 1701.

Paullini, Chr. Franc. Obſervationes medico-phyſicæ, 8. Lipſ. 1706.
- - - Dreck-Apothecke, 8. Franckfurt, 1696.
Pawii, Petri, Obſervationes. vid. Thom. Bartholini Hiſtor. Cent. III. & IV.
Pechlinus, Joh. Nic. de Aeris & alimentorum defectu. 8. Kilon. 1676.
- - - Obſervationes phyſico-medicæ. 4. Hamb. 1691.
- - - de Purgantium Medicamentorum facultate. 8. Lugd. 1672.
Pecqveti, Joan. Experimenta nova de Chyli Receptaculo & Vaſis lacteis, 12. Amſtelod. 1661.
Perdulcis, Barthol. Univerſa Medicina. 4. Lugd. 1649.
Petermanni, Andr. Caſus medico-legales. 8. Lipſ. 1708.
- - Benj. Bened, Obſervationes medicæ, 8. Lipſ. 1707.
Petræi, Henr. Noſologia harmoniaca, 4. Marpurg. 1615.
Peyeri, Joh. Conr. Merycologia ſeu de Ruminatione, 4. Baſil. 1685.
- - - de Glandulis Inteſtinalibus. 8. Amſterd. 1681.
- - - Parerga anatomica & medica. 8. Amſtel. 1682.
Pfannerus, Tobias, de Charismatibus ſeu donis miraculoſis. 12. Fr. Goth. 1630.
Pharmacopœa Auguſtana renovata. fol. Auguſt. 1684.
- Bateana. 8. Londin. 1700.
Philoſophia myſtica aus Theophraſto, Weigelio, &c. 4. Neuſtadt, 1618.
Phrygii, Joh. Ant. Explanatio in Hippocratis Prognoſtica, 8. Ticin. 1603.
Pierii, Joh. Hieroglyphica. 4. Francof. 1678.
Pigræi, Petri, Chirurgia, 8. Pariſiis, 1609.
Piſo, Guilielmus, de Medicina Braſilienſi, fol. Amſteld. 1648.
Piſonis, Caroli, Obſervationes de Morbis ſeroſis. 8. Lugd. 1650.
Placiti, Sexti, Libellus de Medicamentis ex Animalibus, 4. 1538.
Plateri, Felicis, Praxis medica. 4. Baſil. 1621.
- - Obſervationes. 8. Baſil. 1614.
- - Qvæſtiones Phyſiologicæ. vid. Prax.
Plempii, Vopiſci, Fortunat. Fundamenta Medicinæ. fol. Lovanii, 1644.
Plinii, C. Hiſtoria mundi. fol. Baſil. 1554.
Poterii. Petri, Opera medico-chimica. 4. Francof. 1608.
a Pratis, Jaſon de Uteris. 12. Amſteld. 1657.
Praxis Chymiatrica rationalis, vid. Chemia rationalis. 4. Lugd. Bat. 1682.
Primeroſii, Jacobi, Enchiridion Medicum. 12. Amſteld. 1639.
Purmanns, Matth. Gottfr. Chirurgiſcher Lorber-Crantz. 4. Halberſt. 1684.

Q.

Qvercetani, Joſeph. Diæteticon polyhiſtericon. 8. Lipſ. 1607.
Pharmacopœa reſtituta. 4. v. Renodæi Diſpenſatiorum. 4.

R.

Ramazzinus, Bernh. de Morbis Artificum. 8. Ultraj. 1703.
de Principum Valetudine tuenda, 8. Lipſ. 1711.
De Rebecqve, Joh. Conſt. Atrium medicum & Obſervationes. 12. Genev. 1619.
Regii, Urbani, Dæmonolatria. 4.
a Reies, Gaſp. Campus Elyſius jucundarum Qvæſtionum. 4. Francof. 1607.
Remigii, Nicol. Dæmonolatria. 4. Lugdun. 1595.
Renealmi, Paul. Obſervationes. 8. Pariſiis. 1606.
Renodæi, Joh. Pharmacevtica, ſ. de Materiâ medicâ. 4 Francof. 1615.
Reverhorſt, Maur. Dan. de motu Bilis circulari ejusqve motu, 8. Lugd. 1696.
Reusneri, Hieron. Obſervationes medicæ. v. G. H. Velſchii Sylloge. Curat.
Rhodii, Joh. Obſervationes medicæ. vid. in Borelli Obſervat.
Mantiſſa. 8. vid. Th. Bartholin. Hiſt. anatom. Cent. V. & VI.
Riedlini, Viti, Parentis, Obſervationum medicarum Centur. III. 12. Aug. 1691.
- - Filii, obſervationum medicarum Centuria. 12. Ulmæ, 1710.
Lineæ medicæ. 8. Auguſt. 1695. ſeq.
Millenarius Curarum medicarum. 4. Ulm. 1709.
Riolani, Joh. Antropographia, ſeu Opera omnia anatomica. fol. Lutet. 1649.
- - Enchiridion anatomicum. 8. Lipſ. 1674.
del Rio, Martini, Diſqviſitiones magicæ. 4. Colon. 1679.
Riverii, Lazari, Obſervationes medicæ. 8. Hagæ. 1656. ſeq. & Delphis. 1651.
Praxis medica. 8. Lugdun. 1660.
Rivini, Aug. Qvir. Cenſura Medicamentorum. 4. Lipſ. 1701.
Diſputatio de Spiritu vitali. 4. Lipſiæ.
Rolfincii, Gvern. Epitome Methodi cognoſcendi & curandi Corporis affectûs. Jen. 1675.
Ronſei, Balduini, Opuſcula medica, Epiſtolæ. 8. Lugd. 1618. de Venatione.
Roonhuyſen, Heinrich, Obſervationes oder hiſtoriſche Heil-Curen. 8. Nürnberg. 1674.
Roſſetus, Franciſc. de Partu cæſareô, ſeu de Exſectione fœtûs vivi. 8. Francof. 1601.
Rudbeck, Olaus, de Vaſis ſeroſis. 12. Aug. 1691.

Ru.

Rulandi, Joh. Dan. Pharmacopœa ſtercororia & urinaria, 12. Norinb. 1644.
- Martini. Curationes empyricæ, & Hiſtoriæ. 8. Rothong. 1650,
Theſaurus Medicus, v. Pauli Spindler obſervat.
Rumleri, Udalrici, Obſervationes. v. Velſohii Sylloge Conſult.
Ruyſolin, Frid. Obſervationes anatomico-chirurgicæ. 4. Amſterdam. 1691.
Theſaurus anatomicus. 4. Amſtelod. 1701. ſeq.
Muſæum anatomicum. v. Obſervata.
Catalogus Rariorum v. Obſervat.

S.

Saars, Joh. Jacob, Reiſen, fol. Nürnberg 1672.
Sachſii, Phil. Jacob. Gammarologia ſive de Cancris. 8. Franc. & Lipſ. 1633.
Sala, Joh. Dominicus, de Alimentis & eorum adminiſtratione, 4. Patav. 1628.
Salmuthi, Phil. Obſervationes medicæ. 4. Brunſuig. 1648.
- Henrici Commentarius in Gvid. Panciroll. de Rebus memorabil. 4. Francof. 1660.
Salzmanni, Joh. Rudolph. Obſervata anatomica, 12. Amſtel. 1669.
Sanctorius, Sanctorius, de Staticâ Medicinâ. 12. Venet. 1634.
De Sandris, Jac. de Sangvinis ſtatu, it. de Ventriculo & Emeticis. 8. Francof. 1712.
Savonarola, Joh. Mich. Practica canonica. 8. Lugd. 1560.
Scaliger, Julius Cæſar, de Subtilitate. 8. Hanov. 1634.
Schallingii, Jac. Ophthalmia, ſeu de Natura Oculorum. fol. Erfurt. 1615.
Scharandæi, Joh. Jac. Modus & ratio viſitandi ægros, 12. Solodori. 1670.
Scharffii, Benjam. Antidotus prophylactica, oder Gifftmiſcher. 8. Erfurt 1698.
Schefferi, Joh. Lapponia. 4. Francof. 1673.
Memorabilia Sveticæ Gentis. 8 Hamb. 1611.
Schelhammerus, Günth. Chriſt. de Tumoribus humani Corporis. 4. Jen. 1695.
Schenckii, Joh. Obſervationes medicæ. fol. Francof. 1665.
- Joh. Georg. Hiſtoria Monſtrorum. 4. Francof 1609.
Schenfelderi, Phil. Jac. Hiſtoriæ, Enarrationes & Curationes. 8. Ratisb. 1681.
Schlegel, Joh. Andr. von Natürlichen, unnatürlichen und wider-natürlichen Dingen. 8. Nürnb. 1686.
Schneiderus, Conr. Victor. de Catarrhis. 4. Witteb. 1660.
Schœnborn, Sam. Manuale Medicinæ practicæ. 12. Argent. 1657.
Schoockius, de Butyrô & Averſatione Caſei. 12. Grœning. 1664.
Schottii, Caſp. Phyſica curioſa. 4.

Schot-

Schottii, Anatomia fontium ac flumium. 8. Herbipol. 1663.
Schraderi, Frid. Diſputatio de Idioſyncraſia, 4. Helmſtad 1696.
- Iuſti, Obſervationes & Hiſtoriæ. 12. Amſteld. 1674.
Schrœckii, Lucæ, Hiſtoria Moſchi. 4. Auguſt. 1682.
Schrœderi, Joh. Parmacopœa Medico-chymica. 4. Ulme 1685.
Schulzii, Gothofr. Scrutinium cinnabarinum. Halæ. 1680.
- de Tinctura bezoartica. Halæ. 1678.
Schulzens, Walther/Oſt-Indianiſche Reiſen. fol. Amſterd. 1676.
Schurigii, Martin. Spermatologia medico-hiſtorica. 4. Francof. 1720.
Sialologia medico-hiſtorica. 4. Dresdæ. 1723.
Schwenckfeldi, Caſp. Theriotrophæum Sileſiæ. 4. Lignic. 1603.
Screta, Henr. de Febre caſtrenſi maligna. 8. Scafuſi. 1686.
Scribonius, Guil. Adolph. de Sagarum naturâ & purgatione per aqvam. 8. Marpurgi. 1588.
Scriptura Sacra.
Sculteti, Joh. Armamentarium chirurgicum. 4. Francof. 1666.
Sebizius, Melch. de Alimentorum Facultatibus. 4. Argent. 1650.
Semmedi, Joh. Curvi, Hiſtoria Variorum Simplicium. 4. Witteb. 1722.
Sennerti, Dan. Practica Medicinæ. 4. Witteb. 1654.
Paralipomina. 4. Witteb. 1642.
Inſtitutiones Medicæ. Witteb. 1642.
de Chymicorum cum Ariſtotelicis Conſenſu. 4. Witteb. 1655.
Serenus, Qvintus, de Re medica. 4. Tiguri. 1540.
Severinus, Marc. Aurel. de recondita Abſceſſuum natura. 4. Francof. 1643.
- - - Chirurgia trimembris. 4. Francof. 1653.
- - - Zootomia Democritea. 4. Norib. 1645.
Simonis, Joh. Georg. Tractatus de Impotentiâ conjugali. 4. Jenæ. 1718.
Sinapii, Mich. Aloyſ. Abſurda vera ſeu Paradoxa medica. 8. Genev. 1697.
Sinibaldi, Joh. Bened. Geneanthropia, & de Fœtu Muſſipontano. 4. Francof. 1669.
Smetii, Henr. Miſcellanea. 8. Francof. 1611.
Solenandri, Reineri, Conſilia medica, fol. Hanov. 1605.
Solingen, Cornel. Wund-Artzney. 4. Franckf. an der Oder. 1693.
Embryulcia, ofte Afhalinge eenes doden Vruchts. 12. Graven, Haag. 1673.
Solini, Jul. Polyhiſtor ſ. Collectanea Rerum memorabilium. 8. Gothæ. 1665.
Sperlingii, Gottfr. Diſputatio de Vomitu cruento. 4.

Spindleri, Pauli, Obſervationes medicinales. 4. Francof. 1691.
Stahl, Georg. Erneſt. Theoria medica vera 4. Halæ. 1700.
Stalpart, Cornelius van der Wiel, Obſervationes rariores medico-anatomico-chirurgicæ, 8. Lugd. 1687.
Stifferus, Joh. Lud. de Febribus intermittentibus. 4. Brunſvig. 1687.
Stockeri, Joh. Empirica. 8. Francof. 1601.
Stockhameri, Franc. Microcosmographia, 12. Viennæ. 1682.
Strauſſii, Laurent. Palæſtra medica. 8. Giſſæ. 1686.
- de Fœtu Muſſipontano. v. Sinibald. Geneanthrop.
- Encomium Roſæ. 4.
Svevi, Gottfr. Synopſis Rerum criminalium Carpzovii. 8. Lipſ. 1703.
Swalwe, Bernh. Qværelæ & Opprobria Ventriculi. 12. Amſteld. 1664.
Sylvii, Franc. Opera medica. fol. Avenione. 1680.
- 4. Amſtelod. 1680.

T.

Tachenii, Otton. Hippocrates chymicus. 12. Lugd. 1671.
Tackii. Ioh. Triplex Phaſis ſophicus. 4. Francof. 1673.
Taranta, de, Valeſci, Philonium pharmacevticum. 4. Francof. 1680.
Tavernier, Joh. Bapt. Reiſe-Beſchreibung, fol. Nürnberg. 1680.
Tauvry, Danielis, Anatomia. 8. Ulmæ. 1694.
Teichmeyeri, Herm. Frid. Inſtitutiones Medicinæ legalis. 4. Jenæ. 1724.
Temnick. Joh. Philoſophia vera. 8. Colon. 1706.
de Tertiis, Joh. Tractatus de Curioſitatibus. 8. Lugd. 1686.
Theatrum Sympatheticum. 12. Norimbergæ. 1660.
Theſaurus Secretorum curioſorum. 4. Colon. 1709.
Thomſon Acus magnetica. 12. Francof. 1686.
Thoneri, Auguſt. Obſervationes medicinales. 4. Ulmæ. 1651.
Thuani, Jac. Aug. Hiſtorien. fol. Franckf. 1632.
Tilingii, Matthiæ, Prodromus Praxeos chimiatricæ. Rinthel. 1674.
Timæi à Güldenklee, Baldaſ. Opera. 4.
Tollii, Jacob. Epiſtolæ itinerariæ. 4. Amſtelod. 1700.
de Torreblanca, Franc. de Magiâ. 4. Lugd. 1678.
Tulpii, Nicol. Obſervationes medicæ. 12. Amſterd. 1652.

V. U.

Valentini, Mich. Bernh. Pandectæ medico legales. 4. Francof. 1701.
- - - Novellæ medico legales. 4. Francof. 1711.
- - - Praxis Medicinæ infallibilis. Francof. 1711.
- - - Praxis Chirurgiæ infallibilis. 4. Francof. 1715.

Me-

- - - Medicina Nov-antiqva. 4. Francof. 1698.
- - - Polichreſta Exotica. 4. Francof. 1700.
Valerius Maximus, A. Thiſii cum Variorum Obſervat. 8. Lugd. 1654.
Valleriolæ, Franc. Obſervationes medicinales. 1588.
Valleſii, Franc. Philoſophia ſacra. 8. Francof. 1608.
Vallifneri, Antonio, de' Corpi marini. 4. in Venezia. 1721.
Varandæi, Joh. Opera omnia. fol. Lugd. 1638.
Vateri, Abrah. de Vulneribus Inteſtinorum. 4. Witteb.
- Chriſtiani, Phyſiologia experimentalis. 4. Witteb. 1701.
Diſputatio de Bubone ingvinali. 4. Witteb.
à Vega, Chriſtoph. Opera, in fol. Lugdun. 1587.
Vehr, Irenæi, Diſputatio de Anima fœtida. 4.
à Veiga, Thom. Rod. Opera omnia in Galenum. fol. Lugd. 1587.
Velſchii, Georg. Hier. Curationes propriæ & Conſilia. 4. Aug. 1660.
- - - HecatoſteæObſervationes phyſ. med. 4. - 1675.
- - - Sylloge Curationum & Obſervationum. med. 4. - 1667.
- - - Conſilia medicinalia. 4. Auguſt. 1698.
Venuſti, Ant. Mar. Conſilia medicinalia. 4. Francof. 1605.
Verdries, Joh. Melch. de Actione Ventricula. 8. Giſſæ. 1721.
Verduc, Jean. Bapt. des Operations de Chirurgie & Pathologie. 8. Paris. 1694.
- - Chirurgiſche Schrifften. 4. Leipzig. 1712.
Verheyen, Phil. Anatomia Corporis humani. 8. Lipſ. 1699.
Verzaſchæ, Bernh. Obſervationes medicæ. 8. Amſtelod. 1677.
Veſalii, Andr. Anatomia, ſive de Fabricâ Corporis humani. fol. Venet. 1614.
Veslingii, Joan. Syntagma Anatomicum cum Annot. Blaſii. 4. Patav. 1677.
- - Obſervationes & Epiſtolæ, vid. in Barthol. de inſolitis Partus viis.
Viardel, Coſmi, Anmerckungen von der weiblichen Geburt. 8. Franckf. 1676.
Vieuſſens, Raymundus, de Principiis Mixti. 4. Lugd. 1688.
- - Nevrographia univerſalis. 8. Francof. 1690.
- - Syſtema Novorum Vaſorum Corporis humani. 8. Amſteldam. 1705.
Viridetus, Joh. de prima Coctione & fermentô Ventriculi. 8. Genev. 1691.
Völters, Chriſtoph, Hebammen Schule. 8. Stuttgard. 8. Franckfurt. 1676.

W.

Waldſchmidi, Joh. Jac. Inſtitutiones Medicinæ. 8. Lugd. 1689.

Waldſchmidi, Joh. Jac. Praxis Medicinæ. 8. Francof. 1690.
- - & Dolæi Epiſtolæ. 8. Francof. 1689.
Wallæi, Joh. Epiſtolæ de Motu Pulmonum. vide ejusdem Opera omnia. 8. London. 1660.
Waltheri, Joh. Georg. Sylva Medica. 4. Arnſtad. 1678.
Warlizius, Chriſt. de Morbis biblicis. 8. Witteb. 1714.
Weberi, Joh. Cornel. Anchora ſauciatorum ſeu Liqvor ſtypticus. 8. Vratislaviæ.
Weckerus, Joh. Jac. de Secretis. 8. Baſil. 1600.
Wedelii, Georg. Wolffg. Amœnitates materiæ medicæ. 8. Jenæ. 1684.
- - - Diſputatio de Bulimia. 4. Jenæ.
- - - Exercitationes medico philologicæ. 4. Jenæ. 1686.
- - - - Semiotico-pathologicæ. 4. Jenæ. 1703.
- - - Introductio in Alchymiam. 4. Jenæ. 1706.
- - - Pathologia medico-dogmatica. 4. Jenæ. 1692.
- - - Phyſiologia medica. 4. Jenæ. 1682.
- - - Pharmacia Acroamatica. 4. Jenæ. 1682.
- - - de Morbis Infantum. 4. Jenæ.
Weickardi, Arnold. Theſaurus pharmacevticus. fol. Francof. 1626.
Weinrichii, Mart. Commentarius de Ortu Monſtrorum. 8. Vratislav. 1595.
Weſtphali, Joh. Caſp. Pathologia Dæmoniaca. 4. Lipſ. 1707.
Wharton, Thom. Adenographia ſive de Glandulis. 12. Veſal. 1671.
Whitakerus, Tobias, de Sangvine Uvæ. 8. Francof. 1655.
Wieri, Joh. Opera omnia. 4. Amſtelodam. 1660.
Williſii, Thom. Opera omnia. 4. Lugd. 1681.
Wolfii, Ido, Obſervationes Chirurgico-medicæ. 4. Qvedlinb. 1704.
- - Joh. Lectiones memorabiles. fol. Hemipol. 1672.
Woodwardi, Joh. Idea Medicinæ, de Variolis. 8.
Wormii, Olai, Muſeum ſeu Hiſtoria Rerum naturalium. fol. Lugd. 1655.

Z.

Zacchiæ, Pauli. Qvæſtiones medico-legales. fol. Francof. 1688.
Zacuti, Luſitani, Opera omnia. fol. Lugd. 1649.
Zeileri, Mart. Itinerarium Germaniæ. fol. Straßb. 1632.
Zittmanni, Joh. Frid. Medicina Forenſis. Francof. 1706.
Zwingeri, Theodor. Faſciculus Diſſertationum medicarum. 8. Baſil. 1710.
- Theatrum Praxeos medicæ. 4. Baſil. 1710.
Zypæi, Franciſci, Fundamenta medica. 8. Bruxellis. 1684.

IN-

Abietis ramulus in ventriculô repertus. 437
Extra Abdomen Inreſtina 692
Abortus à Picâ 50 55. 86. à Roſis. 132. ab alvi Conſtipatione. 628
Abſinthii Nauſea. 128. Sal an plantæ ſuæ virtutem habeat? 128 171. ſeq.
Abſtemia à Vinô. 193
Abſtemii à Vinô & omni potûs genere. 148 215. ſeq.
Abſtinentia diuturna à cibô & potu. 175 ſeq.
Acetum Caryophyllorum ad Epilepſiam & Vertiginem. 830
Aceti Pica. 58. 84. 94. Averſio & Nauſea. 145
Aricula deglutita cum variis ſymptomatibus. 722 ſeq.
Aciculæ deglutitæ prodeuntes per anum. 290. 292. 722. ſeq. circa aurem. 292. per Crus 290. 292 per Cutem. 290. ex ingvine. 295. per vomitum. 291. 495. per Urinam. 290. 294. 295. per vulvam. 295
Acidum an cauſa famis caninæ? 4. ſeq. an cauſa Chylificationis? 411. ſeq.
Aciem cultri ſurſum verſam Baro qvidam ferre non poterat. 164
Acini Uvæ paſſæ cauſa ſuffocationis. 355
Acus deglutita Magnete extracta. 293. crinalis deglutita per Veſicam prodiens. 494 ſeq. per vomitum 515. ſeq. 576. ſutoria per Veſicam. 290
ab acus acumine viſo Lipothymia. 164
Adamas deglutitus per alvum rejectus. 296 724
ab Adamante deglutitô mors. 297
Adeps induratus deglutitionem impedit. 277
Adipis viginti libræ in Epate. 147
Adipſia qvid ſit? 175
Adipſiæ exempla. 214. ſeq. 217. 220. ſqq. in brutis. 219
Adrianus IV. Papa a Muſcâ in aſperam arteriam attractâ ſuffocatus. 361
Ægon octoginta placentas devoravit. 21
Ælurus. vide Felis.
Aer nivoſus cauſa Bulimi. 17
Aglais fuit voraciſſima. 20
Agnus ſine podice natus. 653
Ai, animal in Braſiliâ ſine cibô vivens. 236
Alabaſtri Pica. 53
Alapam à Maritô deſiderans uxor. 96
Alcali an cauſa famis? 7
Albinus Imperator fuit voraciſſimus. 23
Alexander Magnus fuit bibaciſſimus. 32. ſeq.
Alexandri M. eqvus, bucephalus dictus, an Caput bubulum habuerit? 3
Alkermes Confectionis antipathia. 143

Allii antipathia. 125
Ex Allii eſu fœtor in excrementis. 747
Alvus non niſi verberibus ſoluta. 627. per riſum ſoluta. 627. per imaginationem. 629
Alvi laxitas a variis cauſis. 699. ab Ira. 699. a Jure carvis bubulæ, 701. Gallinæ. 701. per lactationem. 704. ſeq. a medicamentorum purgantium aſpectu. 137. ſeq. 142. 698. odoratu. 137. ſeq. 139. ſeq. 701. a purgante per Coitum communicato. 704. a tactu. 702. a terrore. 699, a tonitru. 700. a cura magica. 784
Alvi Obſtructio diuturna a variis cauſis. 617. ſeq. 632. ab Aqvæ frigidæ potu, a terrore. 622. cum variis ſymptomatibus. 620. lethalis. 628. ſemper duas ſeptimanas durans. 441. 619. per Alvum varia rejecta. 709. ſeq. 713. ſeq. 728. ſeq.
Ambræ antipathia. 143
Amphora qvid ſit? 18. ſeq. 35
Amurcæ Pica. 51
Amygdalarum Emulſionis Pica. 59
Anacreon Uvæ paſſæ acinô mortuus. 355
Anaſarca potus abſtinentia curata. 217
Anevriſma in ſubclaviâ dextra. 262. ſeq.
Angina ſtercore humanô ſanatur. 755
Angliæ Rex Jacobus ſtrictum enſem tolerare non potuit. 164
Angvilla per alvum evacuata. 64. 303. 731
Angvillæ deglutitio. 63. 64. 92. 303. ſeq.
Angvillarum Antipathia 107. ſeq. Pica. 63. 92
Animalcula ſine Cibo viventia. 219. 233. 236
Animalia adipſa ſive nihil bibentia. 219. viva devorata. 337. ſeq.
Animam ſe eſſe qvidam ſibi imaginatur. 232
Animi deliqvium. vid. Lipothymia.
Anorexiæ cauſæ. 176
Annulus deglutitus. 306
Anus anguſtus. 650. ex matris impreſſione. 661. coalitus. 652. 658. ſeq. in puellis. 662. imperforatus. 655. ſeq.
Ani clauſura. 650. 652. ſeq. ejusdem Chirurgia. 655. 659. 669. exempla. 653. ſeqq. in Brutis. 670
Ani laxitas variis à cauſis. 696
Ani procidentia. 705. Cauſæ. 705. ſeq.
ex Ano ſignum ſtuprati pueri an deſumendum? 908
per Aniſtergium venenatus Pontifex. 604
Anſerum aſſatorum Nauſea. 106
Anthropomantia. 749
Antropophagia. 87. 89
pro Antichriſto habitus Italus qvidam. 348
Antipathia. 96. in qvô conſiſtat? 97 variorum ſenſuum. 155. ſeq. hæreditarie Opiatorum. 146. Abſinthii. 28. Aceti. 147. Acûs acuminis. 164 Alkermes confectionis. 143. Allii. 125. Ambræ. 143. Angvillarum. 107 ſeq.

ſeq. Anſerum aſſatorum 106. Aqvæ florum aurantiorum. 136. Sambuci. 135. Aranearum. 150. Auditus 166 Baccarum Cynosbati. 123. Baſilici. 129. Batæ. 127. Braſſicæ. 126. Butyri. 111. Caffé. 145. Calendulæ florum. 135. Campanarum ſoni. 167. 169. Cancrorum. 109. Capitis leporini. 104. porcelli aſſati. 104 ſuilli. 103. ſeq. vituli. 103. ſeq. Caponum. 105. Capparum. 125. Carnis. 98. 101. Caſei. 111. ſeq. 123. Caſſiæ, 139. Cheiri florum. 129. Ciborum. 97. variorum. 151. Cinamomi. 124. Clyſterum. 140. 154. Coaxatûs ranæ. 158. ſeq. 167. Coloris rubri. 166. Croci. 125. Cultri mucronis. 163. ſeq. Cynosbati. 123 digiti incurvati. 165. Emulſionis peponum. 147. Enſis evagnati. 164. felium. 155. fragorum. 121. Fragrantiæ. 144. ſeq. Galli gallinacei. 160. Gallinarum 105. Glirium. 158 Globulorum é farina. 119. Grunnitûs porcorum. 169. Halecum. 108. herinacei. 160. hominum certorum. 61. Lactis. 110. laxdi 105. leporum. 104. 164. ſeq. liberorum propriorum. 162. ligni Saſſafras. 142. liliorum. 135. lucii piſcis. 108. lyræ ſoni. 167. macis. 125. mammæ. 139. medicamentorum. 97. 155. purgantium. 137 139. 143. Meliſſæ. 128. Mellis. 115. Menthæ. 127. Mororum. 123. Moſchi. 143. mucronis cultri. 163. mulierum 161. ſeq. murium, 157. muſicæ, 167. Nominis proprii. 268. olei olivarum. 147. Opiatorum. 146. ovorum. 147. Panis 98. ſeq. Perdicum. 106. petaſonis calidi. 103. Phlebotomiæ. 163. phormingis. 167. piperis. 125. piſcium. 98. 106 plumarum in aëre volitantium. 165. Pœoniæ. 129. polentæ. 151. pomorum. 119. citreorum. 120. porcelli Trojani. 105. prunorum. 164. pullorum. 105. ranarum. 158. Rhabarbari. 139. Roſarum. 130. ſeq. Rutæ. 127. ſacchari. 22. 116. ſalis. 117. ſalviæ. 39. 127. ſambuci florum aquæ. 135. ſaſſafras. 142. ſcoparum ſtrepitûs. 168. ſulphuris. 118. ſyrupi florum perſicorum. 136. Tanaceti. 129. Tartari. 150. ſeq. Tonitru. 166. Tormentillæ. 129. volucrium. 105. uberis vaccini. 105. veſparum. 159. vetularum. 160. vini. 148. violarum. 129. virginum. 160. viſus. 163

Antipathiæ cauſa. 97. ſeq. 102

Antonius Eremita inſignis hypocrita. 220

Aper integer unô die à phagone devoratus. 19

Aphonia à percuſſione. 205

Appolloniæ Schrejeræ Inedia. 129.

Apoſtema ſtercore humanô ſanatur. 757

Appetentia canina qvid ſit? 2. incongruorum. 38

Appetentiæ caninæ cauſæ. 4. ſeq. 9. ſeq. 13. ſeq.

Appetitus ad Chylificationem requiri-

riquitur. 1. duplex, auctus & imminutus. 2. depravatus 38. imminutus 96. variarum rorum. 91
Appetitûs definitio. 1. cauſa. 3. 43. differentiæ. 2. aucti varii gradus. 2. 96. imminuti cauſæ. 176
Aqua ſtercoris humani. 738. ad animalium morſûs. 767. ad faciem. 762. florum omnium. 738. ad ozænam. 807. Vulneraria Schillingii. 808. Strelenſis. 808. a Werthern. 808
Aqva in magnâ copiâ pota. 94. ad triginta libras. 94
Aqvæ Antipathia. 149. Roſarum antipathia. 131. florum aurantiorum. 136. ſambuci. 135. frigidæ potus cauſa Paſſionis Iliacæ. 647. Pica. 93. ſeq.
Aqvâ ſolâ vivens melancholicus. 182
ab aqua Cinamoni deliqvium animi. 124
Aqvivomi. 517
Aqvilæ non bibunt. 219. 234
Aranea in ſtomacho reperta. 66. 445. magna, corpore & pedibus patinam mediocrem tegens. 501
Araneæ devoratæ. 65. ſqq. 345. ſeq. vomitu rejectæ. 66. 70. 500
Aranearum Pica. 65. ſeq. antipathia. 159
Araneivori. 66. ſqq. 339
Arenæ Pica. 42. ſeq.
ab arenæ eſu chlorofis. 44
Argillæ Pica. 46
ab Arſenicó Inedia diuturna. 181
Arteria corta delatata. 263
Arteriæ aſperæ illapſa varia. 349. ſeq.
ad Arthritidem ſtercus humanum. 757
Arundo in Elephanti Ventriculo. 440
Aſcites abſtinentia potûs curata 217 (ſeq.
Aſini Bulimus. 24
Aſitia qvid ſit? 175. aſtutia curata. 232. in brutis. 219. ſuſpecta. 220.
Aſitiæ cauſæ. 178. ſeq. derivatio. 175 exempla. 179. ſeqq. 220
Atrophia in Virô panem averſante, 100. a pediculis aſſumptis. 16. a compreſſione ventriculi. 481
Auditûs Idioyncraſia. 166. Antipathia. 166
Autoris ſententia de feminæ, excrementa per uterum excernentis, matrimonio. 842. de hernioſorum matrimonio. 865 de meconiô, ante partim apparente. 859
Avellana aſperæ arteriæ illapſa. 355 (ſeq.
Avenæ grana in ventriculô germinantia. 439.
Aviculæ cultellorum attritu ad cantandum excitantur. 167
ab Auris vellicatione Vomitus. 462

B.

Baccarum Cynosbati antipathia. 123
Balans adoleſcens. 80
Balbuties lapillô lingvæ impoſitô corrigitur. 288
Baneanes, philoſophi apud Indos plurimum jejunant. 181
Baſilici antipathia. 129
Benedictus, Alexander, Bulimiâ laboravit. 17

Be-

Betæ nauſea. 127.466
Bibaces. 32. ſeq.
Bibentes ſine deglutitione. 247
Biberius Mero. 33
Bibo Melitenſis. 528 ſeq.
Bibonum exempla. 32
Bicornis homo ruminans. 381
Bilis per certum ductum in Ventriculum defluens. 8
Bilis vomitus. 457.ſeq.477
a bile Fames canina. 7
Bolus Armena fugat Vermes. 11
Bonoſus egregius Potator. 34
Bos Draconem evomens. 521
Braſſicæ antipathia. 104.126
Brutorum aſitia. 219.236
βȣ eſt particula augendi. 3
Bubonecele à Chirurgô pro bubone venereo diſſecatur. 694
Bucephalus Eqvus Alexandri M. an caput bovinum habuerit? 3
Bufo prægrandis deglutitus. 72. ſeq. per alvum excluſus. 734
Bufones Vomitu rejecti. 72.305.502
Bulimiæ exempla. 17.20.ſeq.
Bulimus qvid ſit? 2. in brutis. 24. in Aſino. 24. in Canibus. 24. in Gulone. 25. ſeq. ex Nive. 17
Bulumi Derivatio. 2.3. Cauſa. 4.5.9. ſeq. 13. ſeq. 17. ſeq.
Burgos eſt animal. 767
Butyrum vomitu rejectum 490. ſeq.
Butyri Nauſea. 111

C.

Cachinnus immodicus à globis ex farina & carne ſuilla viſis. 119
Cadavera à Gulonibus è terrâ eruuntur. 27
Cadus vini qvid ſit? 36
Ceeparum Pica. 58
Caffé antipathia & virtus vomitiva. 145
Calculus Inteſtino colo ad hærens. 710. Unciæ unius item Unciæ unius ſemis per alvum excretus. 711. 712
ad Calculum ſtercus humanum. 757
Calculi devorati. 333. bilioſi. 711. inteſtinorum. 561. 709. ſeq. per alvum excreti. 333. ſeq. 561. ſeq. 709. ſeq. vomitu. rejecti. 492 ſeq.
Calculorum vomitus. 189
Calendulæ Antipathia. 135
Caligula Imperator fuit timidus. 166
Calx viva devorata. 45.46
Calcis Pica. 45. ſeq. 50.91
à Calcis eſu mors. 76
Camblex Lydorum Rex voraciſſimus uxorem qvadam nocte conſumſit. 21.88
Campanarum ſoni Antipathia. 167. 169
Cancer vivus deglutitus. 306
ad Cancri curam ſtercus humanum. 757
Cancrorum Nauſea. 109. Pica. 61
Candelæ ſebaceæ devoratæ. 333.338
Canis catalepticus. 209. diu ſine cibô vivens. 235. per alvum excretus. 735. Vomitu rejectus. 512
Canis antipathia. 165
Canina fames. 2.24
Canthariddes degutiti. 301

Capilli vomitu rejecti. 487. peralvum excreti. 728
Capillivori. 76
Capillorum pica. 76
ad Capillos ſtercus humanum. 760. tingendos eqvinum. 818
Caponum Nauſea. 105
Capparum Antipathia. 125
à Capite leporino Lipothymia. 204. porcelli aſſato Lipothymia. 104. 105. ſuilo viſo lipothymia. 103. Vitulinô Nauſea. 103
Caracciolus Johannæ, Reginæ Neapolitanæ, procus mures averſabatur. 158
Caraffa, Oliverius, Cardinalis, Roſarum odorem ferre non poterat, 130
Carbonum Pica. 44. 50. 92
Cardia eſt orificium Ventriculi. 245
Cardialgia à guſtu pullorum. 105. a morſu hirudinum. 301
Cardialgiæ ſedes. 386
Carnificis ſervus a fragrantibus Lipathymiam incidit. 145
Caro aſſata calida nauſeam excitat. 98. ſeq. 101. humana dulcis & grata. 88. ſeq. Vomitu rejecta. 489. ſeq.
Carnis antipathia. 101. ſeq. crudæ pica. 88. humanæ pica. 86. libras qvadraginta unô die eſitabat Maximinus Imperator. 18. ſeq.
Carne fumô induraâta ſuffocatio. 285
Carnium eſus. 86. 88.
Cartilago in œſophagô. 258
Cartilaginis enſiformis depreſſio. 461. læſio doloroſa. 461
Carunculæ in Oeſophago. 260
Caſei antipathia ſeu nauſea. 111. ſeq. a ſtutia correcta. 114. Pica. 81
a Caſei eſu Paſſio Iliaca. 648. Vomitus. 489
Caſſiæ fiſtuli hauſtu familia interiit. 139. ligneæ Nauſea. 125
à Caſtanea deglutita ſuffocatio, 359
à Caſtaneis Paſſio Iliaca. 648
Caſtimonia viri. 161
Catalepſeos exempla 205. ſeq. 209
Catalepſis a Vermibus. 209. in Cane, 209
Cataplasma de Nido hirundinum. 806. peſtilentiale. 811. ad ſcirrhum. 812. ad ſqvinantiam ſeu Anginam 805. ſeq. 817. ad tumorem teſtium. 809
Cati ſceleton vomitu rejectum. 511
Catuli vomitu rejecti. 512
Caudæ caninæ nodi per vomitum excreti. 515
Caviano, qvid ſit & qvomodo præparetur. 118. rubrum qvomodo præparetur. 118
Cautelæ circa inſpectionem excrementorum. 745. in Peſte. 750
Celotomia in Paſſione Iliacâ fruſtra inſtituta. 643
Cenæ Pica. 52. ſigillaris Pica. 52
a Cerasi nucleô ſuffocatio. 350. ſeq.
Ceraſorum Pica. 60
Cereviſiæ nauſea. 148
Cervus Venatorem lædens. 559
Certamen potatorium ab Alexandrô M. inſtitutum. 33
Ceſpitis ſulphurei Pica. 51. 99

Cha-

Chamæleon an ſine alimentis vivat? 233. 235
Chartæ bibulæ Pica. 80
Cheiri florum antipathia. 129
Chelæ Cancrorum deglutitæ ſuffocationem minantur. 285
Chirothecæ Medici Ambrâ delibutæ puerpuræ Syncopen & mortem excitarunt. 144
Chirothecarum Pica. 77
Chloroſis ab eſu areneæ. 44
Cholera a tonitru. 166
Chone qvid ſit? 36
Chorda tormentorum genus, 885
Chylus eſt ſuccus nutritius. 1
Chyli egreſſus è ventriculo. 429. an per poros? 429 ſeq. iter. 601. 604 elaboratio. 1 depuratio. 239. Color 598 cur in ventriculô cinereus, in lacteis verò albus ſit, 548 croceus. 600 ruber. 600 ſeq. receptaculum. 602 ſeq. motus. 601. ſeq.
Chilificatio. 239. 365. 409. in Ore inchoatur. 1. 239. an in Inteſtinis fiat? 407. 588. ſeq. an per calorem & coctionem. 409 an ab acido affirmatur. 411. negatur. 413 an a fermentatione. 417 an á ſpiritibus. 424. an per extractionem. 425
Ghyiificationis modus. 239 ſeqq. duratio. 433 ſeq. organum. 365. ſeq.
Chylologia. 1
Chymus qvid ſit? 239
Cibus per vulnus ventriculi exemptus. 400
a Cibo abſtinentia diuturna. 175 ſeq.
an ſine cibo homo vivere poſſit. 178
Ciborum antipathia. 97. 151 ſeq.
Cicatrices ſtercore humanó ſanantur. 760
Cicuta ab anu ſine noxa aſſumpta. 345 ſeqq. a pica devorata. 93
Cinamomi antipathia. 124. pica. 58
Cinis talpinus contra Epilepſiam. 733
Cinerum Pica. 46 ſq.
Claviculæ deglutitæ. 308
Clavis deglutita. 308
Clavis deglutitus. 307. ferreus ſub cute illæſâ apprehenſus et novacula exciſus. 445
Clavi vomitu rejecti. 518
Cloaca flammam concipiens. 613
Clyſteres nutrientes. 152. 259 vomitu rejecti. 522. 692. 646
Clyſterum antipathia. 140. 154
a Clyſtere viſó alvi ſolutio. 139
Coaxatus ranarum cauſa ſyncopes. (159. 167
Coca herba in India ore geſtata famem repellit. 225
Cochleæ vomitu rejectæ 497 per alvum. 731
Cochlear deglutitum & per alvum redditum. 319
Coitus ſodomiticus cum puero, 609 cum vacca. 382
Coitu vis purgandi communicata. (704
Colica a corticibus aurantiorum, 136 â macibus. 125. a pipere & raphano. 125 dolo curata. 154 per magiam curata. 784
Colluvii pecorata pica. 84.

Colon. vide Inteſtinum colon. 557
Coli pars in thorace. 550
Colocynthidis ſemen paralyſin excitat. 624
Coloris rubri antipathia. 166
Conceptio ſine penis immiſſione. 858
Conchiliorum Pica. 56
e Conchiliis pilulæ contra famem 177
Concuſſio qvid ſit, et an ipſi ſint hernioſi ſubjiciendi? 893
Confectionis Alkermes antipathia 143
Congius qvid ſit? 35
Conſolidæ majoris radix deglutitionem impedit. 265
Convolvulus inteſtinorum. 572. ſqq. in brutis. 577.
Cor in dextro latere. 369. extra thoracem. 547
Corallia deglutita et vomitu rejecta. 494
Corium deglutitum. 489. 728
Cornuti homines. 381. 382
Corona potatorum. 33
Corpora ſphærica in ventriculo. 442 (ſq.
Coryza tempore roſarum freqvens. (131
a Coturnicum eſu Convulſiones. 106
Crater quid ſit? 35. Herculis. ib.
Crembalum deglutitum. 318
Crepitus Diaboli. 795
Cretæ pica. 43. 46 ſq. 50. 56
Croci antipathia. 125
Crocodilus terreſtris ab aquâ in os injectâ moritur. 236
Crocuta animal vorax. 27
Crux aurea deglutita. 319
Cucumerum muriæ pica. 84
Cultellorum attritu aviculæ ad cantandum excitantur. 167
Culter é ventriculo exſectus. 322. 324 (327
Cultri mucronem lanio non poterat aſpicere. 163
à Cultrorum ſtridore gingivarum cruentatio. 168
Cultrivora Harburgenſis. 328.
Cultrivorus Baſileenſis. 325. Boruſſicus, 323. Halenſis. 326. Londinenſis. 328. Pragenſis. 322. Regiomontanus. 323
Cultrivororum alia exempla. 329
Cunctivori. 330. 335
Cunegunda ſoror Maximiliani Imperatoris. 222
Curam eſt bufo prægrandis. 347
Cynosbati antipathia. 123
Cyprini pica. 63

D.

Dactylis ſolis victitans natio. 152
Decoctum ictericum. 798
Deglutitio. 243. liquidorum facilior, quam ſolidorum. 248. ſolidorum quandoque facilior, quam liquidorum. cur. 250. magica. 339. a variis cauſis impedita. 250. ab anevriſmate. 262. ab angina 259. à cartilagine. 258. a carunculis. 260 ab Epiglottidis eroſione. 257. à gulæ coalitu. 260. ſq. ab hoſtia. 276. a Nicotianæ fumô. 273. ab Oeſophagi coalitû. 260. conſtrictione. 258. 265. à Paralyſi gulæ 267. à polypo narium. 274. œſophagi. 263

a Sali-

a Salivatione. 273. a viperæ morſu. 274. ab ulcere faucium. 258. ab uvulæ defectu. 256
Deglutitio impedita Venæ ſectione curata. 262
Deglutitionis actus. 244. ſeq.
à Deglutitione læſa ſignum prognoſticum. 364
ſine Deglutitione bibentes. 247
Deglutita varia p. n. 289. ſeqq. acus et aciculæ. 290. ſeq. adamas. 296. anguilla. 63. 64. 92. 303 ſeq. annuli. 306. cancer vivus. 306 cantharides. 301. caſtanea. 359. catenæ orbiculi. 320. chelæ cancrorum. 285. clavis. 308. clavus. 307. cochlear. 319. corii fruſtum. 287 crembalum. 318. crux aurea 319. cultri. 322 cuſpis fuſcinæ. 318 dens ſuillus 306. fillula. 320. fiſtula. 317. forfex. 320. globuli. 315. 317. hirudines. 300. Hordei ſpica. 298. Lapides. 88 Lignum. 296 Ligula. 321 Nummi. 308. Ollæ ferreæ pes. 321 Orbiculi catenæ. 320. Penna anſerina. 298. Piſces. 302. Plumbum. 315. Specillum chirurgicum. 320. Sperma ranarum. 304. Viperæ. 302. Vitra. 330
Demoſthenes fuit abſtemius 148
Dens ſuillus deglutitus. 306 per alvum rejectus. 726
Dentes in Gulone. 30. qvid ad maſticationem faciant. 243
Dentium triplex ordo in vorace lepreô Eleô. 21 dolor á ſaccharo & dulcibus 116. ex ſtriduli ſoni auditu. 170
Diabete laborans ſingulis ſeptimanis dolium dimidium cereviſiæ ingurgitavit. 37
Diaphragma in parte nervoſa perforatum. 369. 370
Diaphragmatis vulnera non ſemper lethalia. 369. ſeq. 401. ſeq.
á Diaphragmatis læſione Ventriculus in thorace repertus. 369
Diarrhœa ab Ira. 699. a Tactu. 702. a Terrore. 699. à Tonitru. 700
Digiti incurvati antipathia. 165
Dolium unô die ebibit Lityerſes. 35
Druſus Pompejus a pyrô ſuffocatus. (350
Ducati a Turcis deglutiti. 314
Ductus chiliferus 602
Ductus cholodochus. 8. 9. 565. duplex. 567. in voracibus in Ventriculum inſertus. 8. 27. 567. an in Gulone in Ventriculum implantetur? 27. 30
Ductûs cholodochi Intusſuſceptio. (578
Ductus pancreaticus. 565
Ductus pancreaticus duplex. 7. 566.
Ductûs pancreatici Inventor. 565. thoracicus. 602 ſq.
Dyſorexia. 176
ad Dyſenteriam Stercus humanum. 760. 785.

E.

Ebrietas apud Germanos non probroſa. 33
Ecſtaſis in puerô. 192. alia exempla. (210. 231

Edacitati dicatum templum. 21
Edonum exempla. 24
Elector Saxoniæ I. G. III. Cappares ferre non poterat. 125
in Elephanti Ventriculô arundo. 440
Elias Thesbites ab Angelo cibatus. (179
Elixir epilepticum Cratonis. 819
Emplaſtrum ad Hydropem. 810 podagricum. 837 iſchiaticum. 811 magneticum. 811 ſynanthicum. 806. ad tumorem artuum, zum Gliedſchwamme. 809
Emulſionis amygdalarum dulcium Pica. 59 Peponum Antipathia. 145
Energumeni voracitate vexantur. 22
Enſis mucro devoratus & per alvum excretus. 329. 723
Enſem ſtrictum Iacobus, Rex Angliæ, videre non potuit. 164
Enteroepiplocele. 885
Epar magnum in femina vorace 14 in feminæ voracis ventriculo. 394 446. lupinum contra colicam 29.
Epatis vitulini pica. 45
in Epate viginti libræ adipis repertæ. (14
Epidermis nulla in Infante. 84
Epiglottis ad deglutitionem confert. 244. 252. ſqq. a Lue venereâ exeſa et fere conſumpta. 257 indurata (257 ſeq.
Epilepſia á grunitu porcorum. 169 a Lepore viſô, etiam picto. 164. ſeq. ab eſu fungorum. 121. a Contuſione. 205 á Meconiô. 609. a ſonô campanarum. 167. 169 a vitro deglutito. 332. per ſympathiam curata. 186
Epimenides cretenſis qvadraginta vel ſexaginta annos dormiviſſe dicitur. 233
Epiplocele. 867. 869
Epiſcopi Spirenſis à Franckenſtein Inedia. 192
Epithaphium cujusdam paraſiti. 34. Timocreontis Rhodii. 23
Eqvus Alexandri M. Bucephalus dictus, an caput bovinum habuerit? 3. Regis Daniæ Anatomiæ ſubjectus. 540
Eqvorum Caro vorata. 88
Equaleus vomitu rejectus. 517
Eraſmus Roterodamus piſces abhorrebat. 103
Eruca per alvam excreta. 732
Erucæ comeſtæ. 18. vomitu rejectæ 501
Erucarum Pica. 65
ab Erucis Melancholia. 732
Eriſichton cur aſinus dictus. 2
Evæ Flegin Inedia. 196. ſeq.
Excrementa alvina. 665. vide etiam ſtercus. per varias vias. 59. per Os. 524. 575. 661. 676. per Ingvina 683. per Pedem. 696. per Penem. 662. 664. 666. 671. per ſcrotum. 696. per veſicam. 571. 663. ſeq. per Vulnera abdominis. 691. Uterum. 666. 673. ſeq. per vulvam. 666. ſeq 672
Excrementa oſſea in Gulone. 29. ſine fœtore in Gulone. 29. malum ſignum, 746. ſeq. viridia unde. 611. in-

inſpiciendæ. 744. lapidea an dentur? 709. per vulvam rejicientibus feminis an nubere liceat? 842
Excrementorum aſſumtio locô panis. 22. ortus. 611
ab Excrementis ſigna petenda 743.
Excreſcenitſæ in Inteſtinis. 553
Exomphalus magnus. 870. Cauſa Paſſionis Iliacæ. 640
Eymer qvid ſit. 35
Ezechias an ſtercus comederit? 782. ſeq.

F.

â Faba in aſperam arteriam illapſa mors. 357. 359
Fagopyri Pica. 56
a Fagotritico Deglutiô læſa. 287
Fames aucta qvid ſit? 2. dicitur morbus qvidam verminoſus. 11
Fames canina. 2. a Ventriculô duplici. 13. ſeq. a pediculis in Ventriculô. 16. a Vermibus. 9. a ductu pancreatico duplici. 7
Fames Nicotianâ ſedatur. 177. ſeq. decennis. 200. poſt aſſumptum Piper toleratur. 184. item per faſcias. 184. ſeq.
Famis caninæ cauſæ. 4. 7. 9. ſeq. exempla. 4. ſeq. 18
Fame mortui. 237
Faſtidium, vid. Nauſea.
Febris tertiana â fragis. 122. qvartana terrore â glire ſanata. 158. colluvie pecoratâ ſanata. 584
Felis Pica laborans. 93. homicidium manifeſtans. 87. zibethica ſine potu vivens. 219 234
a Felis præſentia varia ſympthomata. 155. ſeq.
Feles devoratæ. 335. ſeq.
Felium antipathia. 155
Ferdinandi, Imperatoris tunicæ Ventriculi inſtar papyri fuerunt extenuatæ. 377
Fermentatio an cauſa Chylificationis. 417. ſeq. 420
Fermentum Ventriculi. 417
Fermenti Pica. 57
Fibula deglutita & vomitu rejecta. 320. 495
a Ficu in os injectô ſuffocatio. 350
Fila pilæ in modum conglobata vomitu rejecta. 488
Filorum Pica. 78
Fiſtula deglutita. 317
Fimi columbini uſus. 809. ſeq.
Flamma ex Ventriculô. 524. ſeq.
Flatus per penem cum ſibilo. 663 ſeq. ſtercoreus accenditur. 612. ſeq.
Florenus deglutitus. 311
Fœni Pica. 80
Fœtor ſtercoreus unde? 612. ſeq.
Fœtoris in ſtercore defectus malum ſignum. 746
Fœtor ſtercoris ab Allio. 745
Fœtus vivus ex matre mortua exciſus. 144. humanus Vomitu rejectus monſtroſus. 513 ſeq. per alvum excretus. 753
Fœtûs oſſa per alvum prodeuntia. 736. mortui ſigna. 864. Nutritio in utero. 607
Fons faſtidium vini generans. 151

Foramen Ventriculi. 398. 399. ſeq. a Vermibus. 395. inſtar fonticuli in anô a matris impreſſione. 651
Forfex deglutita & per anum egreſſa. 320. 724
Foricarii cur Ophthalmiâ laborent? 616
Formicæ vomitu rejectæ. 500
Foxleji, Guil. Inedia diuturna. 202
Fragorum antipathia. 121. odor animi deliqvium excitans. 121
a Fragis varia Symptomata. 121. ſeq.
Fragrantia mulieribus & puerperis adverſa. 143. viris noxia. 144. ſeq.
Fraudibus qvandoqve Medici curant 153. ſeq.
a Frigore ſphacelus. 213. bulimus. 5. 17. procidentia ani. 707
Fructuum horariorum antipathia. 123
Fundulus ab infante deglutitus. 302
Fungorum Pica. 60
Funiculi fruſtum deglutitum. 297
Fur venabulô in ventriculo læſus. 400
Furca triceps in Ventriculo reperta. 445
Furor ab acu deglutita. 292

G.

Gallina octo dies ſine cibo vivens. 235
Gallinarum Nauſea. 105. ſeq.
Gallus Indicus tres ſeptimanas ſine cibô vivens. 135
Galli Antipathia. 160
Gangræna Inteſtinorum 554. 675
Gingivæ Cruentatio à cultrorum ſtridore. 168
Glaciei Pica. 85
Glans plumbea per anum excreta. 179
Glandulæ Oeſophagi. 7. 24. ſeq. 246. inteſtinales. 531. ſeq. per alvum excretæ. 715
Glirium antipathia. 158
Globulus figulinus deglutitus. 317. plumbeus contra paſſionem colicam deglutitus. 315. in Inteſtino cœco repertus. 585
Globuli bombardarum deglutiti. 215. 720. ex carne ſuilla & farina menſæ appoſiti riſum immodicum excitantes, 119. piloſi in Ventriculo reperti. 440. ſeq. pingues per alvum excreti. 714. ſeq.
Glottis eſt rima aſperæ arteriæ. 24
Glutinis pica. 52
Goſſypii pica. 75
Græci fuerunt bibaces. 33
Graminis pica. 80
Grana avenæ in Ventriculo germinantia. 439
Gravedo deglutionis impeditæ cauſa. 278
Gravida marito ova in faciem projiciens. 96
à Gravidarum impreſſione ſitus Inteſtinorum mutatus. 544
Grilli habent vim Cantharidum. 67
à Grunnitu porcorum Epilepſia. 169
Gula à Carunculis obſtructa. 260. à variis illapſis. 278
Gulæ actio. 246. coalitus à Variolis. 265. Vulnera. 363
Gulo an Amphibium animal. 31. animal voraciſſimum. 25. nullam habet Valvulam coli. 29

Gu-

Gulonis denominatio, 25. deſcriptio 25, ſeq. 30. anatome 28. 30. ſeq. ductus cholodochus an in Ventriculum implantetur? 27. Inteſtina an differant? 27. ſeq.. Voracitas. 26. ſeq. 28.
de Gulone varia. 25. ſeq. Obſervatio. 28
Gyrorum in Inteſtinis uſus. 15

H.

Hæmoptyſis ab Hirudine. 330. ſeq.
Hæmorrhagia narium a variis cauſis, ab allii odore. 126. a butyro. 111. a Campanarum ſono. 169. a Capitis vitulini aſpectu. 104. a pomis. 119. a roſis. 131. per Sympathiam curata. 787
ad Hæmorrhagiam Narium prodeſt ſtercus ſuillum. 830. ſeq. aſininum. 800
Halec integrum deglutitum. 61. 303
Halecum nauſea, 108. ſeq. Pica. 60
Halitus venenatus. 345. 348.
ab Hasfeld, Henrici, Inedia. 190
Hellebori nigri radix fonticulo impoſita Vomitum excitat. 142. 465
Hepar magnum Ventriculi ſitum mutat. 369. 371. in Ventriculo repertum. 446. extra abdomen propendens. 545
Hercules ſtrenuus fuit potator & vorator. 20. 35
Herinacei, animalis, Antipathia 160
Hernia Ventriculi. 367. per Magiam curata. 787
Herniæ ingvinalis ſectio in femina. 644. 646
ab Herniâ excrementa per Os. 670
Herniæ ſcrotales. 868. ſeq aqvoſæ. 869. ventoſæ. 869. ingvinales. 560. 866. 871. umbilicales. 866 869 in biis vulvæ. 549
Herniarum denominationes 866. 869 locus. 866. ſpecies. 869. cura. 877
Hernioſi an ad matrimonium apti. 865. 872. an torqveri poſſint? 899. an ſcalæ ſubjiciendi? 899. an ob refrigerationem tortura liberandi? 900
Herniotomia in Paſſione Iliaca cum Euphoria inſtituta. 44. ſeq.
Herpes in Ventriculô. 454. miliaris in Crure. 464
Hippice eſt certa planta contra Inediam. 225
Hirudo potu hauſta. 300 471
Hirudines deglutitæ. 300. vomitu rejectæ. 471. 498. 502
Hirundinum ſtercus. 817
Homerdæ pica. 82
Hominis ſuſtentatio in qvô conſiſtat. 1
Hordei crudi pica. 56. ſpica deglutita. 289
Hoſtiæ deglutitio difficilis. 276
Hyæna animal vorax. 27
Hydatides in Ventriculo repertæ. 442. ſeq.
Hydrocele. 869. an matrimonium impediat? 876
Hydrophobi non bibunt. 219. ſolida, non autem liqvida deglutire poſſunt. 252
Hydrops abſtinentia a potu cura-

 ta.

tus. 271. ſeq. per arenam curatus. 43. tubarius. 373
Hyoſcyami eſus. 92
Hypochondriaci fame corripiuntur. 16
Hyſterica paſſio ab odore Roſarum. 132

I.

Jacobus, Rex Angliæ, ſtrictum enſem videre non poterat. 164
Ichthyphoagi. 63
Icteri cura per pediculos. 16. ſignum ab excrementis. 747. ſeq.
ad Icterum ſtercus anſerinum. 796. ſeq. eqvinum. 812
Idioſyncraſia erga certos cibos. 38. ſeq. 97. ſeq. 120. 466. inter virum & Uxorem. 171
Jejunium diuturnum. 179. ſeq. vid. etiam Inedia.
Jerff eſt nomen Gulonis. 25
Ignis inextingvibilis ex ſtercore. 743
Ignivori. 340
Ilei Inteſtini ſtrangulatio. 578
in Ileo tres nodi. 626
Ileus qvid ſit. 633. 637
Ilei cauſæ. 634. ſeq.
Iliaca paſſio. 632. ſeq. ab excrementis induratis. ab exulceratione. 637 a Scorpionis ictu. 524. 649. in Infante. 646
Imaginationis operatio in alvi obſtructione. 629 697. matris in antipathia. 102
ab Imaginatione Pica. 41. ſeq. 883
Impotentia ſimulata. 859 878
Incantationis exemplum. 765
Indi ſunt antropophagi. 89. ſitim ſedant Pilulis ex Conchyliis & Tabaco. 177
Inedia diuturna. 175. ſeq. 179. ſeq. 104. ſeq. Appolloniæ Schrejeræ. 102. Epiſcopi ſpirenſis, Rud. a Franckenſtein. 192. Foxleji. 292. Fratris Nicolai. 199. Henr. ab Hasfeld. 190. Iſaaci Stiphont. 188. 202. Johannis Schlegelii 225. pueri Brunſuicenſis. 201. puellæ Colonienſis. 195. Commeriacæ. 198. Gonſoletanæ. 198 Halberſtadienſis. 201 Mœrſienſis. 196. Norwegicæ. 203. Mariæ Streicheriæ. 227. Spirenſis. 194
Inedia ſuſpecta. 220
Inedia in variis animalibus brutis. 219. ſeq.
Inediæ diuturnæ exempla ſacra. 179. exempla profana. 180. ſeq. cauſæ. 234. ſeq.
Inediâ ſe curavit Imperator Valerius Aurelianus. 189. mortui. 137. ſpontanea mortui. 257
Ignivori. 340
Ignis niextingvibilis. 743
Infans per alvum rejectus. 735. famelicus. 24
Ingluviei exempla. 17. ſeq. 20. ſeq.
ad Inpenetrabilitatem ſtercus. 791
Inſectorum Pica. 92
Inſpectio Excrementorum. 744. fiat cum Cautela. 745
Inſtitarum Pica. 79
Inteſtinum cœcum an ad craſſa Inteſtina pertineat. 533. ſeq. qvodnam ſit.

ſit. 534. 579. duplex. 565. 582. expanſum. 540. ſeq. in ſiniſtro latere 518
Inteſtinum Colon. 585. expanſum 541. ſeq. 525. in Thorace. 370
Inteſtinum Duodenum. 562. ſeq. coalitum. 538. expanſum. 567. Jejunum. 568. in thorace. 369. cartilaginoſum. 538. Ileum 569. ſeq. 538. an habeat Valvulas. 570. coalitum. 571. Rectum. 587. coalitum. 538. Veſicæ implantatum. 664 665.
Inteſtinum unicum. 375. in Vorace. 14. 15. an in Gulone? 27
Inteſtini cœci Uſus. 583. Ilei denominatio. 569. recti coalitus. 538. 652
in Inteſtinô cœcô globulus repertus. 585
Inteſtina nimis anguſta. 537. coalita. 538. conſumpta. 560. diſtenta 538. duplicia. 564, ſeq. fiſſa. 557. parva. 537. per Uterum propendentia. 675. extra abdomen propendentia. 844. 545. ſeq. a Vulnere. 642. in Vulvam prolapſa. 549. perforata. 555. ſeq. a lumbricis 684. ſeq. ſuffocatorum an aqva ſint repleta. 910. an Chylipſient. 407. ſeq. 589. Lupi ad Anorexiam & colicam uſurpantur. 839. 840
Inteſtinorum Anatome. 531. calculi. 561. coalitus. 538. 629. diviſio. 533. gangræna. 554. glandulæ. 531. gyrorum uſus. 15. 28. longitudo 536. ſeq. motus periſtalticus. 1. 591. ſeq. reduplicatio. 635. ruptura. 557. ſitus mutatus. 543. 544. ulcera. 563. vulnera. 564. uſus. 588. 605. medicus. 839
in Inteſtinis varia reperta. 709. ſeq. verrucæ. 553
Invaginatio Inteſtini Ileis. 572. 576
Invinius, i. e. abſtemius 148
ab Ira ani laxitas. 699
Iſocrates inedia ſibi mortem acceleravit. 237
Iſthmus perforatus an matrimonium diſſolvat. 857
Judæi abſtinent a Caviaro. 118

K.

Kaldaunen/ vid. Inteſtina.
Καρδία vocatur ſiniſtrum Ventriculi Orificium. 384

L.

Labia â guſtato ubere vaccino intumeſcentia. 105. vulvæ cicatrice coalita. 858
Lac ebutyratum ad libras duas et triginta intra horæ qvadrantem potum. 18
Lac frigidum ſolus potus. 152
Lactis antipathia. 110
Lactatione vis purgandi communicata. 704
Lacerta Americana diu ſine cibo vivit. 234
Lacertæ vomitu rejectæ. 305. 504
Lacertarum Pica. 65. 92
Lactis ſulphuris præparatio. 601
Lactuca cruda in copia devorata. 18

a Laganô ſuffocatio. 286
Lagena qvid ſit? 35
Lanæ pica. 75
Lanio carnis eſus averſatus. 102
Lapis Philoſophorum ex ſtercore. 742
Lapides in ventriculo reperti. 443 in Inteſtinis. 709. ſeqq. vomitu rejecti. 492 ſeqq. per alvum rejecti. (709 ſq.
Lapidivori. 330 ſeq. 333. ſeq.
Lapidum Pica. 44. 52
Lardi Nauſea. 105
a Laudanô Vomitus. 485
Lauweræ Inedia diuturna. 189
Lazarus vitrivorus. 336
Leporis antipathia. 104
a Leporis, etiam picti, adſpectu Epilepſia. 164
Leproſus famem continuam paſſus. 5
Levcophlegmatia a Cretæ Picâ. 47
Liberi proprii comeſti. 89
Liberorum propriorum antipathia. 162
Lien ſex librarum. 14 in thorace repertus. 372. in ventriculo. 446
Lignum deglutitum. 296 inſtar ſtercoris humani fœtens. 615
Ligni Saſſafras antipathia. 142
Ligula deglutita. 321
Liliorum antipathia. 135
Limaturæ martis eſus. 90
Limax per alvum. 731
Limaciforme animal vomitu rejectum. 497
Lingva qvid ad deglutitionem conferat. 245
Lingvæ Tumor à Veneni exſuctione. 274
Lingvas ignotas loqventes. 212
Linteorum Pica. 78
Lipothymia ab acu deglutita. 290. a conſpectô acus acumine. 164. ab aceti odore. 147. ab aëris commotione. 169. ab angvillæ viſu & odore. 107 ſeq. ab araneis. 159 a caſei odore. 112 ſeq. a coaxatu ranarum. 159 a felium viſu vel odoratu. 156 ab halecum odore. 109 ab humoribus acidis. 6 a liberorum aſpectu. 162 ſeq. a nicotiana. 465. a panis aſpectu. 49. a perdicibus aſſatis. 106 a porcelli aſpectu. 104. ſeq. a roſarum odoratu. 130. a vetulæ conſpectu. 160 a vini guttâ. 149 a virginis præſentia. 161
Liqvida facilius deglutiuntur, qvam ſolida. 248. cur interdum difficilius? 250
Lithuaniæ Incolarum vitæ genus. 26
Lityarſes totum vini dolium unô die ebibit. 35
Lucanicæ nomine auditô puer qvaſi ad vitam redit. 266
Lucii Nauſea. 108
Lues venerea à carnis humanæ eſu. (89
Lumbricus duodecim cubitorum. 10 hirſutus cauda bifida. 730 latus a ſucco Naſturtii expulſus. 12
Lumbrici Inteſtina perforantes. 561
a Lumbricis fames canina. 9
Luporum voracitas an a vermibus. 10 (12
Lupi Inteſtina contra colicam. 24. (839. 840

à Lyræ ſono Urinæ profluvium involuntarium. 167

M.

Macis antipathia. 125 Pica. 58
Magnes pulveriſatus tantum non valet, qvàm integer. 293
Magnete extractа acus exgutture. 293
Magenbürſte, ſeu penicilli abuſus & noxa. 263
Majoranæ Pica. 57
Malacia. 38
Malaciæ et Picæ differentia. 39 cauſæ. 41
Maniacus proprium ſtercus devorabat. 83 ſq.
à Manna varia Symptomata. 139
Maritus ab Uxore devoratus. 88
Maſticatio ad Chylificationem neceſſaria. 240 ſq.
Maſticationis modus. 240. 242
à Maſticatione neglectâ varii morbi. (241 ſeq.
Mater filium nec perferre, nec aſpicere poterat. 163
a Matris impreſſione abſtemius. 148
Inteſtina extra abdomen 545 ſeq.
Maximinus Imperator devoravit uno die qvadraginta libras carnis. 18. 19
Maza panis. 224
Meatus ab Inteſtino cœcô ad Veſicam. 583
Meconium, qvid ſit? 606 an cauſa partûs. 609 poſt partum debet expurgari. 609 per penem evacuatum. 552 an ſignum fœtus in uterô defuncti? 749. 859. 862 unde oriatur. 606 ſeq. 608
Meconii denominatio. 606 color (606 ſq.
Meconium ad Epilepſiam 609. 731 ſq. ad febres. 762 ad Nævos. 770
Medicamentorum omnium Nauſea 155. purgantium antipathia. 136
Mel roſatum in clyſteribus periculoſa ſymptomata inducit. 134
Mellis antipathia. 115
Melancholia ab Erucis. 732
Melancholici ſine cibo viventes. 180. 182. ſeq. 186. ſeq 193.
Membranæ per alvum rejectæ. 717
Menſes per vomitum excreti. 471
Menthæ antipathia. 127
Mercurii uſus in Paſſione Iliaca. 642
Meſſiam ſe nominabat Iſaacus Stilphont. 202
Metallorum Pica. 90
Miles vorator, famem etiam perferens. 185
Milii Pica. 56
Millepedes vomitu rejecti. 499
Millepedum partus curioſus. 499
Milo Crotoniata vorax, uno die taurum voravit. 20
Mirmeciæ in Inteſtinis. 553
Miſerere ſeu Paſſionis Iliacæ cauſa. 634
Mithridates, Rex Ponti, voraciſſimus fuit. 20 à venenis fuit immunis. 348 ſeq.
Monachus bicornis ruminans. 381
Monedulæ pica. 73
Morbus Saraguſæ Fames dictus. 11
Mororum nauſea. 123
Moſchus ex ſtercore. 741
Moſchi antipathia. 143 odor perditus

ta qvomodo reſtituatur? 768.769
a Moſcho mors. 143
Moſcoviæ Incolarum vitæ genus. 26
Moſis Inedia diuturna. 179
Motus periſtalticus Inteſtinorum. 591 ſeq. inverſus. 594 poſt mortem obſervabilis. 595 viſibilis in vulneratis 696.692 Oeſophagi. 245
Motûs periſtaltici Deſcriptio. 592 formalitas. 592. Inventor. 597 Uſus. 597
à Motu periſtalticô inverſo Paſſio Iliaca. 632
Muci narium pica. 81
Mucronis cultri antipathia. 163
Mulier maritum devorans. 88 marito multa ova in faciem projiciens. 96
Mulierum Antipathia. 161
Mullorum Pica. 63
Muriæ cucumerum Pica. 84
Mus alpinus non habet valvuam Coli. (615
Mures vivi devorati. 338 vomitu rejecti. 509 per alvum excreti. 732 ſq.
Murium antipathia. 157. Pica. 63
Muſcerdæ uſus medicus. 823. 825
Muſciliones vomitu rejecti. 500
Muſicæ antipathia. 175
Muſtela vomitu excreta. 511
Muſtelæ nomen cur ruſtico fuerit impoſitum. 99
Mutitas diuturna. 199 a cancris calidis. 110

N.

ad Nævos inſervit Stercus humanum. 770
Napelli vis deleteria. 348
Narium Muci Pica. 81
Naſturtii aqvatici ſuccus fugat vermes. 12
a Navigatione vomitus. 467
de Nauſea varia. vide etiam ſupra Antipathia.
Nhamby planta contra venenum 347
Nicolai, Fratris, Inedia. 199
Nicotiana appetitum obtundit. 177 famem ſedat. 177 an Calvariæ nigrorem inducat. 455
à Nicotianæ fumo Vomitus. 455
á Nicotianâ deglutitio impedita. 273 vid. etiam Tabacus.
Nix cauſa famis. 17
Nivis Pica. 85. ſq.
Nodi in Inteſtino Ileo. 571
Nomen proprium averſans Iuven. 168
Nucleus é malô in Ventriculô germinans. 439 prunorum in Ventriculo germinans. 439. 440
á Nucleo pomi ſuffocatio. 350 Ceraſi Phthiſis. 350
Nuclei fructuum deglutitionem impedientes. 288 ſeq. in aſperam arteriam illapſi. 350. 352. per alvum excreti. (726
Nummi deglutiti & per alvum rejecti. 308. ſeq. 722 per vomitum 311 (ſeq. 495
Nux Pontica in Trachæam illapſa. 353

O.

Obſtructio Alvi. vid. Alvi Obſtructio.
Oculorum pruritus tempore Roſarum. 133 affectibus inſervit Stercus. 771. 799
ex Oculis piſa & frumenta creſcentia. 203

Odon-

Odontalgia ſtercore humanô ſedatur. 772
ab Odore aceti Lipothymia. 147. Allii Odore hæmorrhagia narium. 126. Lipothymia. 149. odore Vini Vomitus. 148. pharmaci alvi fluxus. (701
Oeſophagus. 239. 244. in deglutitione activè & paſſivè ſe habet. 245. ſeq. cartilagineus. 258. ſq. 361. dilatatus. 361. diviſus. 361. obturatus. 258. ruptus. 362. vulneratus. (363
Oeſophagi actio. 246. derivatio. 244. adſtrictio a radice Conſolidæ majoris. 265. Coalitus. 260. Glandulæ ad digeſtionem faciunt. 244. ſeq. 246. ſeq. Polypus. 263
in Oeſophago Cartilago. 258. Caruncula. 260. varia hærentia. 278. ſeq. Chelæ cancrorum. 285. Oſſicula 278. Spinæ piſcium. 283
Oleum Stercoris humani. 738
Olei hujus rectificatio. 739. Olivarum Antipathia. 147. Uſus contra venena. 346. ſuccini virtus in variis affectibus. 204
Omentum qvinqve librarum. 372. viginti ſex librarum. 433. in Thorace repertum. 368. item in Cane. 372
per Omentum potulenta. 433
Omphalocele. 681. 870
Ophiones venenis aluntur. 345
Ophthalmiâ cur foricarii laborent. (616
Opium ad Drachmas duas aſſumptum. 346
Opiata appetitum minuunt. 176
Opiatorum antipathia. 146
Orca qvid ſit? 19
Orexis vehemens. 9
Orificium Ventriculi prius in dextrô latere repertum. 371. inferius ſcirrhoſum. 272. 388
Orificii ſuperioris ſitus an ſub ſcrobiculo Cordis? 284
Orificia Ventriculi. 383. 388. an ſint craſſiora, qvàm membranæ Ventriculi. 384
Oſſa per alvum rejecta. 724. 729
Oſſium fruſta Vomitu rejecta. 282. (492. 514
Oſſiculum deglutitum per abſceſſum circa umbilicum proveniens. 281
Oſtreæ trecentæ unâ cœnâ devoratæ. (18
Oſtrearum Pica. 64
Otricolanus, Medicus, capite truncatus. 185
Ova multa Uxor marito in faciem projiciebat. 96. ſorbilia alvum laxant. 117. taricha qvid ſint. 118. Stutionum. 118
ab Ovis varia ſymptomata. 117
Ovis ſolis veſcebatur ruſticus. 99. 152
ab Ovô deglutitô ſuffocatio. 287
in Ovo ſorbili repertus pullus deglutitus. 117
Ovorum antipathia. 117. ſq.
Oxymellis Uſus lethalis. 147

P.

Paganina diciturItalisMeconium. 761
Pamphagi 335. ſq.

ad

ad PanaritiumStercus humanum. 772 ſuillum. 833
in Panaritiô an Vermis reperiatur? (815. ſq.
Pancreas ſcirrhoſum. 390. 567. durum. 459
Pancreatis ſuccus an acidus? 566. ductus duplex. 17
à Pancreate ſphacelatô Vomitus 459
Panis antipathia. 98. Pica. 54
Pane ſolô vixit Poſtellus. 152
Panum mellitorum Pica. 56
Papa Adrianus a Muſcâ deglutitâ ſuffocatus. 361
Paralyſis gutturis. 267
Paraſiti Epitaphium. 34
Partes abdominis & thoracis perverſè diſpoſitæ.
Paſſio Iliaca. 632. qvid ſit. 633. 637. a Variis cauſis. 574. 634. in Jamaica eſt morbus endemius. 575. in Paſſione Iliaca Operatio chirurgica non ſemper eſt fruſtranea. 643. ſq. ſignum ex ſtercore deſumitur. 748. Paſſionis Iliacæ formalitas. (633
Pater filium tolerare non poteſt. 162
Pediculi in Ventriculô reperti. 16. 444. ad Curam Icteri. 16. 71.
à Pediculis in Ventriculo fames. 16. Phthiriaſis. 76. Mors. 16. 71
Pediculorum Pica. 71
Peditus accenſus. 613
Pellis Gulonis. 25. 27
Pellium Pica. 74
per Penem flatus. 663. ſtercus. 663. ſq.
Penna anſerina deglutita. 298
Pennæ upupæ contra Lipothymiam uſurpantur. 159
Perdicum Antipathia. 106
Perforatio Ventriculi. 392. ſqq.
Periacaca eſt Mons ſublimis. 463
Peritonæi ruptura. 681
Petaſonis calidi eſum abhorrebat Virgo. 103
Phagones id Voraces.
Pharyngis uſus in deglutitione. 245. obſtructio. 266.
à Phaſeolô deglutitô ſuffocatio. 357
poſt Philtrum folia roſarum rejecta. (440
contra Philtra Stercus. 792
à Phlebotomiæ aſpectu Lipothymia. (165
a Phormingis ſono Urinæ involuntaria excretio. 167
Phoſphorus ex Stercore humano. 742
Phreneſis ab acicula deglutitâ. 293. (722
Phthiriaſis a pediculis comeſtis. 72
Phyſocele qvid ſit 869. an Matrimonium diſſolvat? 869
Pica qvid ſit. 38. eſt affectus gravidarum. 38. in fœmina non gravida. (39. 258
Pica variarum rerum. e. g. Aceti. 84. 92. Alabaſtri. 5. Alapæ. 96. Amurcæ. 51. Amygdalarum Emulſionis. 59. Angvillarum. 63. ſq. Aqvæ. 93. 94. Aranearum. 65. 92. Arenæ. 42. ſq. 42. Argillæ. 46. bufonum. 72. 92. cæparum. 58. Calcis. 45. Cancrorum. 61. ſeq. Capillorum. 76. Carbonum. 50. foſſilium contrico-

torum. 51. 95. carnis humanæ. 86. Caſei. 81. Ceræ. 52. Sigillatæ. 52. Ceraſorum. 60. Ceſpitis ſulphurei 51. 90. chartæ bibulæ. 80. chirothecarum. 77. Cinamomi. 50. Cinerum. 49. Colluviei pecoratæ. 84. ſeq. Coloris. 95. Conchyliorum. 65. Cretæ. 43. 92. Cyprini. 63. epatis vitulini. 65. erucarum. 65. fagopyri. 56. fermenti. 57. filorum. 78. fœni. 80. fungorum. 60. glaciei. 85. glutinis 52. goſſypii 75, graminis 80. halecum 60. hordei 56. inſtitarum 79. lacertarum 65. 92. lanæ 75. lapidum 44. 32. 91. linteorum 78. luti 45. ſq. 91. Macis 58. Majoranæ 57. Metallorum 90. Milii 56. Millepedum 92. Monedulæ 73. Muci narium 81. Mullorum 63. Nivis 86. Muriæ 84. Odoris 95. Ollarum fragmentorum 54. Oſtrearum 64. Panis 54. 101. panum mellitorum 56. pediculorum 71. pellis ovillæ 74. picis 51. piperis 57. piſcium 63. plumbi 90. pomorum citriorum 60. pulicum. 72. pulli vivi 73. ranarum 65. 92. ridicula 95. Salis culinaris 58. Scarabæorum 92. Scorpionum 70. Senſuum aliorum 94. Seri lactis 94. ſitis 93. ſtercoris 81. ſq. ſtraminis 80. ſtuppæ 75. Tartari 54. Terræ 45. 48. 50. Theriacæ 59. Tritici 56. Venti ex folle 95. Veſpertilionum 92. Zingiberis 57. in brutis 92. ſq. Cane 93. fele 93. picâ 93. qvomodo differat à Malacia. 39.

Picæ denominatio 38. cauſa 39. ſqq. 94. ſq. exempla. 42. ſqq.
Picis pica 51. navalis pica. 51
Pigrities eſt certum animal in Braſilia, Luſitanis Ai dictum. 236
Pilæ piloſæ in animalium Ventriculis. (441
à Pilô deglutito ſuffocatio. 360
Pilulis à ſervâ aſſumptis domina purgabatur. 137
Pilulæ opiatæ reqviem turbantes. 146 contra famem & ſitim 177. diu in Ventriculô manentes. 435
a Pilulis ſuffocatio. 360
Pingvedo per alvum excreta 713. ſq. Vomitu rejecta. 491
Pingvia impediunt Venena 347. retardant appetitum. 176
Piſo L. magnus potator. 33
Piper contra famem. 184
Piperis antipathia 125. pica. 57
a Pirô ſuffocatio. 350
Piſcis cruri impreſſus. 107
Piſces deglutiti 92. 302. vomitu rejecti. 303. 508
Piſcium antipathia. 98. 106. ſq. 466
Piſum laryngi incidens mortem minatur. 356
Plagium ex Baricello 803. Grülingii. (806
Planchette qvid ſit? ejus uſus & noxa. 462
Planta ad Inediam. 225
ad Pleuritidem Stercus eqvinum. 815
Plumarum in aere volitantium antipathia. 165
Plumbum deglutitum. 90

Plumbi Pica. 90.315
Poculum Herculis. 35
Pœoniæ antipathia. 151
Polterhannß cunctivorus. 333
Polyphagus, animal, vid. Gulo.
Polyphagi ſive voraces. 17.ſq.20.ſq
Polypus Oeſophagi. 263.ſq.
Polypi Narium exempla. 274.ſq
a Polypô Deglutitio læſa. 263.274
Pomorum antipathia. 119
a pomi fruſto arteriæ aſperæ illapſo ſuffocatio 349. nucleo ſuffocatio. (350
a pomis crudis ſuffocationis metus. (119.ſq
Poma Citri Colicam inducunt. 121
Pomorum citriorum antipathia 120. Pica. 60
Pompejus, Druſus, a piro ſuffocatus. (350
Pontifex per aniſtergium venenatus (604
Porcellus vivus devoratus. 337.ſq
Porcelli aſſati antipathia. 105
Pori in Ventriculo cui uſui inſerviant? 429.ſq
Poſtellus, Ant. ſolô pane vixit. 152
Potatorum exempla. 32.ſq.34.36
Potio vulneraria Schillingii 808. Strelenſis. 808. Vœlteri. 808
Potulenta per Omentum ad Renes. (433
Potûs abſtinentia. 214
Procidentia Ani. 705.ſq
Promachus olim nominabatur, qvi aliis bibonibus præbibebat. 33
Prunarum antipathia. 164
Prunorum nucleus in aſperam arteriam illapſus 342. oſſicula in Ventriculo germinantia. 439.440
Pruthenorum Bulimia. 11
Puellæ Auguſtanæ Inedia 221. Colonienſis 195. Commerciacæ 198. Confolentanæ 198. Halberſtadienſis 201. Mœrſenſis 196. Norwegicæ 203. Palatinæ 197. Spirenſis. (194.ſq
Puer balans inſtar Ovis. 80
Pueri ſtuprum 906. Brunſvicenſis Inedia. 301
Pulicum Pica. 72
Pulimus loco Bulimus. 3
Pullus vivus à gravidâ devoratus 73. membranatim Vomitu rejectus. (498
Pullorum Nauſea. 105
Pultes unicus Canonici cujusdam cibus. 152
Pulvis epilepticus Scretæ pro pauperibus 829. naſalis ex ſtercore 775. Saxonicus bufonem expellit 734. Sympatheticus 775. ad Vertiginem Claudii Deodati. ſtypticus Belzeri 801. Ictericus Olfers. 798
a Pulvere ſternutatoriô Hiſpanico polypus Oeſophagi. 263
Purgantium Antipathia 136. operatio ab aſpectu 136.ſq a ſolo odore. (136
Puris vomitus. 478
Puſtulæ in genis à Roſis. 131
Pylorus anguſtus 389. 390. calloſus 403. cartilagineus 289.ſq. exulceratus 389. gypſea materia obductus

ctus 452. nullus 15. ſcirrhoſus 388. ſq. 390. in ſiniſtrô latere repertus 371. relaxatus 369. cauſa appetitûs canini. 13
Pyrophagi. 340

Q.

Qvæſtiones Medico-legales. 842. ſq.
Qvartana fraude curata. 153. terrore à glire ceſſans. 158

R.

Radix Conſolidæ majoris Gulam adſtringit. 260
Rana in Ventriculô lucii. 108
Ranæ in Ventriculo coaxantes 304. comeſtæ 18. per alvum rejectæ 735. Vomitu excretæ 502. nidore pennarum Upupæ accenſarum fugantur. 159
Ranarum Pica 65.92. antipathia. 158
Ranulæ deglutitæ 305. 502. ſub lingva cura. 799
Raphani Antipathia. 125
Rebiſola eſt aqva ex ſtercore humanô. 764
Receptaculum Chyli. 602
Reduplicatio Inteſtinorum 572. in Colo. 574
Reduplicationis exempla. 572. ſqq
à Reduplicatione Paſſio Iliaca. 635
à Refrigeratione varia ſymptomata. 902
Remex Veſalii an fuerit vorax? 8
Reſpiratio impedita ab Oſſe in Oeſophagum illapſô. 279
Rhabarbari Nauſea. 139
Riſus fere lethalis à viſis globulis ex farinâ & carne ſuillâ. 119
Roboris exemplum rarum. 36
Roſarum Antipathia 130. albarum odorem fœmina ferebat, non autem rubrarum 133. folia poſt philtrum rejecta. 440
a Roſarum odore mors. 130.132. ſq
Roſomachia vocatur Gulo. 25. ſq
Rudbeckii ſententia de vomitu impugnatur. 449
Ruminantium animalium Ventriculus 380. in ruminante homine Ventriculus magnus. 373
Ruminatio in homine. 381
Ruptura ventriculi 398. peritonæi. 681
Rutæ antipathia. 127

S.

Sacchari Antipathia. 116
Saccus cum Carbonibus devoratus. (336
Sal Abſinthii an virtutem plantæ ſpecificam obtineat? 128. 171. ſq. fixum ſtercoris humani 780. an reperiatur in ſtercore animalium Omaſô carentium? 737. volatile ex ungvibus volucrium rapacium. 228
Salis culinaris faſtidium 117. Pica. 59.
Salia fixa an eandem habeant operationem? 171. ſq
Salamandra vomitu rejecta. 503. 506
Saliva Chylificationem inchoat. 1
Salivatio ab impedita liqvidorum deglutitione. 251
Salviæ antipathia. 127
Sambuci florum aqvæ antipathia. 135
Samojedæ ſignificant Anthropophagos. 90

Sangvis conſumptus qvomodo reſtituatur 1. paucus in qvodam fame extinctô 238. Vomitu rejectus. 469
Sarcocele. 869. ſq
Saſſafras ligni Antipathia. 142
Sauſchwemme contra febrem. 85
Scarabæi vomitu rejecti 498. per alvum. 732
Scaligeri ſtercora an Moſchum oboluerint? 616. ſentent. corrigitur 25
Sceleton Cati vomitu rejectum. 511
Schlegelii, Joh. Inedia. 225
Schreieræ Apollon. Inedia. 192
Schurmannia araneas devoravit. 67
Scirrhus in Orificio Ventriculi 272. 388. in fundo Ventriculi 391. ſq. 452. in pyloro 388. in gula ab Oſſiculo 278. Inteſtini coli 553. recti (553. ſq. 626
Scirrhocele. 870
Scoparum ſtrepitûs antipathia. 168. ſq
Scorpionis pica. 70. 71
à Scorpionis ictu Paſſio Iliaca. 524. 649
Scorpiones diu ſine cibo vivere dicuntur 234. Vomitu rejecti. 509
ad Scorpionum ictûs Oleum ſcorpionum uſurpatur. 347
Scrotum nullum in infante. 654
per Scrotum excrementa. 696
Scybala lapidea. 709
Scybalophagia. 81. ſq. 780. ſq
Semina per alvum excreta. 727
Serpens per alvum prorepens 730. cæruleus. 730
Serpentes comeſti 345. vomitu rejecti. 506
Serum lactis unicus cujusd. cibus. 152 Virginis. 99
Seyfridiæ Inedia. 194
Shanus O-Neal heluo maximus. 37
Signa ex Stercoris Colore 747. fœtore 746. in febribus malignis 746. 748. fœtus mortui 864. in Ictero 747. in Paſſione Iliaca 748. ex ſtercore humano 743. ſq. aſitorum 750. ex Oeſophago. 364
Silius Italicus Inedia mortuus. 257
Siluri, piſcis, Ventriculus. 445
Sinapi Antipathia. 126
Singultus an à ſtomacho, an à Diaphragmate dependeat. 387
Siſymbrii aqvatiei Nauſea. 126
Solida cur interdum facilius deglutiantur qvam liqvida. 250
Somnus diuturnus. 227. ſeq. 232. ſeq. Foxleji. 202
Spaniol, ſive Pulvis ſternutatorius Polypum Oeſophagi cauſans. 263
Specillum chirurgicum deglutitum. 320
Sperma ranarum deglutitum. 304
Sphacelus à frigore. 213. Inteſtinorum 554. 558. Oeſophagi ab oſſiculo. 279
Spica hordei deglutita. 298
Spinæ piſcium in Oeſophago hærentes. 283
Spinus Sylveſtris in Ventriculo. 437
Spiritus antepilepticus. 819. ſtercoris humani. 738. 740. vini hauſtus flammam excitat. 525. vitæ ruber Rulandi contra vermes. 11
Spirituoſa an Chylificationem promoveant. 325
Sputum ſangvinis ab hirudine deglutita. 498

Starkotterus Vir fortis. 549
Stercus humanum animalibus gratum. 615. devoratum. 82. ſeq. 338. per Penem. 662. per vulvam. 666. 672. ſeq. 675
Stercoris analyſis chymica. 737. elementa. 612. ſeq. 737. Excretio. 605 deſtillatio. 738. fœtor. 612. 614. Materia. 611. nomina. 605. ſeq. Pica. 81. ſal fixum. 740. virtus in genere. 754. uſus medicus, an licitus? 752. contra hoſtes. 752. 793
Stercoris humani uſus medicus. 752 duplex. 743. in Angina. 755. in Apoſtemate. 757. in Arthritide. 757 ad Calculum. 757. ad Cancrum. 758 ad Capillos. 760. ad Cicatrices. 760. ad Combuſtionem. 760. Diſenteriam. 760. Epilepſiam. 761. Eriſipelas. 762. Fiſtulas. 763. ad Gangrænam. 763. Guttam roſaceam. 764. Hydropem. 764. Icterum. 764. 787. Incantationem. 765. 787. Hæmorrhoides. 766. Mammas. 767. morſûs animalium. 767. Moſchum. 768. ſeq. Nævos. 770. Oculorum affectus. 771. Odontalgiam 772. Panaritium. 772. Peſtem. 773. Philtra. 774. Podagram. 775. Scabiem. 776. Tabacum. 776. contra Venena. 777. ſeq. contra hoſtes. 752
Stercoris humani uſus magicus ſeu ſympatheticus. 783. ad varios affectus. 783. ſeq.
Stercorum animalium uſus ad varios affectus, 796. & qvidem
Stercoris anſerini. 796. aſinini. 800. bubuli. 802. canini. 803. caprilli. 809. columbini. 809. ſeq. eqvini. 812. felini. 815. gallinacei. 86. hirudinum. 817. leonini. 819. Leporini. 820. lupini ad Colicam. 24. 821. murium. 823. ſeq. Ovium. 825. ſeq. pavonis. 828. ſuilli. 830. vaccini. 835
ex Stercore human. præparata. 737. ſq Aqua. 738. Ignis inextingvibilis. 743 Lapis Philoſophorum. 742. Phoſphorus. 742. Pulvis Cyprius. 793. Spiritus. 740. Zibethum occidentale. 741
in Stercore latitat ſulphur. 606. 612
Stercora non fœtentia in brutis. 615. beneolentia. 615
Sternutatio immodica à Cancrorum eſu. 109
Stiphont, Iſaaci, Inedia. 188
Stramen per alvum excretum. 488. 726. vomitu rejectum. 488
Straminis Pica. 80
Streicheriæ, Mariæ. Inedia diuturna & ſomnus. 227
Struppæ Pica. 75. 334
Stuprum pueri. 751. 906
Stupri hujus ſigna. 906
Strutionis ova. 118
Submerſorum Ventriculus & Inteſtina ſine aqua. 910
Şucci nutritii uſus. 1
Succini olei Virtus in Paſſione hyſterica. 204
Suctio infantis impedita ab Uvulæ defectu. 257
Sudor frigidus à viſâ fele etiam picta. 155. ſeq. à viſô Capite leporinô. 104. à Viſis halecibus. 109

à viſis pomis. 120. á tonitru. 108. ruber a vino Alicante. 600
Suffocatio ab acino uvæ paſſæ. 355. ab Epiglottidis eroſione. 257. à ficu in os injecto. 350. a fruſtô lingvæ bubulæ. 355. pomi. 349 à Caſtanea. 359. a globulo filorum. 360. à Muſcà. 361. ab Ovò 287. à phaſeolo deglutito. 357. a pilis in tracheam illapſis. 560. à pilulis. 360 a piro. 350
Suidrigellus Dux Lithuaniæ centum & triaginta utebatur ferculis. 23
Sulphur occidentale eſt ſtercus humanum. 606. in ſtercore. 606.612
Sulphuris antipathia. 118
Suppoſitoria Vomitu rejecta. 522
Suſceptio Inteſtinorum. 572 ſeq.
Suturæ ſagittali applicatum Veſicatorium. 276
Sympathia mira inter virum & uxorem. 171
Syncope a carnis guſtu. 101. a Capitis leporini aſpectu. 105. vid etiam Lipothymia.
Syrupi florum Perſicorum antipathia. 136
à Syrupô Roſarum ſolutivò Mors. 131.135
T.
Tabaci fumus obtundit. appetitum. 177. vid. Nicotiana.
ad Tabaci ſaporem ſtercus humanum 776
ex Tabaco Pilulæ contra famen & ſitim. 177
Tabacibibuli carent appetitu. 177
Tabes a Vomitu. 482. ſeq.
Talpa in anum irrepens & inde extracta. 733. vomitu rejecta. 510
Talpæ cinis contra Epilepſiam. 733
Tanaceti Nauſea. 129
Tartari antipathia. 150. ſeq.
Tartariæ incolarum genus Vitæ. 26
Taurus totus à Milone unô die voratus. 20
Taxus integrum menſem ſine cibô vivere dicitur. 234
Templum edacitati vel voracitati dicatum. 21
Terræ Pica. 45.48.50
a Terrore varia Symptomata. 902. alvi laxitas. 203. 699. ſpectri alvi Obſtructio. 622. Tonitru alvus laxa. 700
Teſtudines terreſtres octodecim menſes ſine Cibô vivere dicuntur 234
Theriacæ Pica. 59
Tiberius Nero vocatur Biberius mero. 33
Timocreon Rhodius maximè edax bibaxqve fuit. 20.23
Timocreontis Epitaphium. 23
Tincturà Solis Lipſienſis noxia. 134. viridis ex Vitriolo veneris & Sale ammoniaco. 479. ſeq.
ad Tineam Stercus humanum. 777
Titillatio Vomitum excitans. 462
Tonitru antipathia. 166
Tonitru audito Caligula terrebatur. 166
a Tonitru varia ſymptomata. 166. 700. ſq. alvi raritas. 700. vomitus. 166. 464

Tormen-

Tormentillæ Nauſea. 129
Tormentorum genera. 891
Torqvatus tricongius appellabatur cur. 33. ejusdem laudes. 34
Torturæ genera in Forô Saxonicô. 894
Torturæ an hernioſi ſubjiciendi? 891
Trachea a vermibus perforata 364
in Trachæam varia illapſa. 349
Trepander à ficu ſuffocatus. 350
Tritici pica. 56
Tubarum uterinarum hydrops. 373
Tuberculum in fovea cordis à fame. 16
a Tumore Colli deglutitio difficilis. 249
ad Tumores ſtercus humanum. 777
Tunicæ Ventriculi nimis extenuatæ. 374. 377
Turcæ Ducatos devorant. 314. nunqvam Papyro pro Aniſtergiis utuntur. 796

U.

ab Ubere vaccinô guſtatô labia intumeſcunt. 105
Ugocionis à Fugiolani voracitas. 22
Ulcera Ventriculi. 403
ad Ulcera Stercus humanum. 779
per Umbilicum excrementa. 679
Ungventum ad Procidentiam Ani. 708
Ungves Vomitum excitant 454. ſeq. Vomitu rejecti. 520. ſq
Upuparum pennæ accenſæ contra ranas 159
Urina propria pota. 45
Urinæ potus via per meatum ex Inteſtino cœco 583. ſuppreſſio a terrore. 203
Urinâ ſola conſervatus Vir per ſeptem dies. 183
Urina qvid ſit? 19. 35
Uterus cancro exulceratus. 377
per Uterum Excrementa. 666. 673
Uvæ diu in Ventriculo manentes. 435
ab Uvæ paſſæ acinis ſuffocatio. 355
Uvula qvid ad deglutitionem conferat? 245
Uvulæ defectus. 257
ab Uvulæ defectu impeditur deglutitio. 257
Uxor maritum devorans 88. a marito devorata. 21. 89

V.

Vacca pariens puerum. 382
Valerius Aurelianus Imperator ſemper Inediâ ſe curavit. 189
Valvula coli 585. nulla in mure alpino 615. in Gulone. 29
Valvulæ an in Inteſtino Ileo 570. in Inteſtino jejunô 569. conniventes qvid ſint? 569. in colô, 587
à Variolis fames canina 5. Gulæ coalitus. 265
Vaſa lactea an circa Ventriculum. 433
Venæ ſectio ad deglutitionem læſam. 262
à Venæ ſectionis aſpectu Lipothymia. 165
contra Veneficia ſtercus humanum. 788
Venenum abſqve periculo ingeſtum. 345. loco nutrimenti aſſumtum. 345. 348

Veneni gradualis aſſvetudo. 69.347. ſq. 349. ſq.
Veneno aſſveta puella alios interimere poterat. 69
à Veneno Paſſio Iliaca. 639
Venenivori. 342
Venenivorus Lipſienſis. 344
Venenivororum fraus. 346. ſeq
Veneris furor ab eſu ranarum. 68
Ventriculus 365. Chylificationis organum 365 duplex 13.378. in thorace repertus 367.369. per vulnus Diaphragmatis in thoracem aſcendens 369. magnus 4.372. 373. in virô ruminante 373. ad pubem usqve devolutus 373. totum abdomen inplens 374. ad papyri ſpiſſitudinem extenuatus 373.374.377. parvus 375. in ſtrenuô helluone. 375
Ventriculus ruminantium animalium 380. in viro ruminante 373. perforatus 392. ſeq. 401. ſeq. 453. eroſus 34 53. ab Arſenicô 394. ab Herpete 454. an ad vitæ ſuſtentationem ſit neceſſarius. 378.406
Ventriculi diviſio 383. dignitas 403. defectus 377.406. ſtructura 366. ſitus 367. vitioſus 364.371. extra abdomen 545. hernia 398. inflammatio à bile 9. ruptura 398. ulcera 403. vulnera 372.399. 401. orificium 383. orificium prius in dextro latere repertum 371. pori cui uſui? 429. 430. uſus 403. lupini uſus. 445
in Ventriculô abietis ramus 437. fœtus monſtr. 445. grana avenæ 439. lapides 443. oſſa fructuum 439. ſq. pediculi 444. pilulæ 435. ſerpens 507. ſpinus ſylveſtris 434. Vermes 12. Uvæ 435. ſubmerſorum an aqva reperiatur? 910
Vermis hirſutus 11. 501. ſerpentis formam & magnitudinem habens 11. in fruſto carnis vomitu rejectô. 490
Vermes per alvum 730. per umbilicum 682. ventriculum perforantes 394. in ventriculo 12. conglomerati in ventriculo 12. centum rejecti 496. cornuti 495. Vomitu rejecti. 498
contra Vermes ſuccus naſturtii aqvatici 12. Spiritus vitæ Rulandi. 11
à Vermibus fames canina 9.10. voracitas luporum 9. Catalepſis. 209
Verminoſus morbus fames dictus. 11
Verucæ in Inteſtinis. 553
Vertigo a Ranarum præſentia. 159
Veſicatorium ſupra ſuturam coronalem contra deglutitionem impeditam. 276
Veſpertilionum eſus. 92
Veſparum antipathia. 159
a Vetulæ conſpectu Lipothymia 160
Vielfraß, animal. vid. Gulo. 25. ſq.
Vini antipathia. 148. a fonte. 151
Vini odore ſolo inebriatus. 148
a Vini odore Vomitus. 148
a Vino Lipothymia 466. de Alicante ſudor ruber. 600
Violarum antipathia. 129

Viperæ deglutitæ. 302. Vomitu rejectæ. 506. ſeq. per anum egreſſæ. 730
Viperas diu ſine cibô vivere. 233
Virgo Svecica per decennium nihil edens. 200.
Virginum antipathia. 160. ſeq
Viſcera extra umbilicum propendentia. 372
Viſcerum dislocatio. 371
a Viſu antipathia. 158. ſeq.
Vita an ſine alimento ultra ſeptem dies durare poſſit? 178. ſq. a Tabaco ſuſtentatur. 177. ſq.
Vitrivori. 330. ſq.
Vitulus crudus una vice devoratus. 19. 338
Volatilium Nauſea. 105
Volvulus qvid ſit? 572. ſqq.
Volvulus ab Ictu Scorpionis. 524
Vomitus. 447. billioſus. 457. ſq. 477. cæruleus. 479. contagioſus. 484. diuturnus. 480. lethalis. 459
Vomitus periodicus. 484. an in mortuis accidat. 485. ſtercoreus. 676. ſqq.
Vomitûs Cauſæ variæ. 441. Aer 463. Auris vellicatio 462. Bilis à ductu cholodocho in Ventriculum delata. 8. Calculi 387. Caſus ab altô 458. Cartilago enſiformis 461. Crocus Metallorum 464. diſtorſio pedis 462. Helleborus in fonticulo 142. 465. 704. Hirudo 471. Idioſyncraſia 171. Laudanum 455. Lien 460. Liliorum odor 135. Mœror. 465. Navigatio 467. Nicotiana 455. 459. 464. ſq. Orificium Ventriculi obſtructum 271. ſchirrhoſum 389. 392. 452. Pancreas 459. Pharmaca & venena 454. Renes 461. Scirrhus Epatis 459. Titillatio ſub axillis 462. Tonitru 166. 464. Ventriculi eroſio 34. 53. Vermes 456. Vini odor. 466. Ungvium raſura. 454. ſq.
Vomitûs formalitas 447. ſeq. differentia. 467
Vomitu varia rejecta 515. ſqq. e. g. Acus 495. 515. Animalia 517. ſqq. 519. aqva limpida. 479. aqvæ variæ 518. araneæ 445. 500. bilis 457. 477. bufones 502. butyrum 490. ſq. calculi 492. ſq. 516. canis marinus 445. Capilli 457. 515. Caro non aſſumpta 489. Caſeus 489. catuli 512. Clyſter 522. Cochleæ 497. Corium laridum 489. Erucæ 501. Excrementa 523. 524, felis ſceleton 511. fibula 495. fila conglobata 488. fœtus humanus 513. mortuus. 514. ſeq. formicæ 500. hirudines 471. 498. lacertæ 305. 504. limaciforme animal. 497. materia nigricans 474. menſes 471. millepedes 499. molæ 489. mures 509. muſciliones. 500. muſtela 511. nummi 495. oſſa 492. 514. pingvedo 491. piſces 303. 508. pullus 498. ranæ 502. ſalamandra 503. 506. ſangvis 469. ſcarabæi 498. ſceleton cati 511. ſcorpiones 509. ſerpentes 506. ſtercus 676. ſeqq. ſuppoſitoria 522. talpæ 510. Vermes,

mes,

mes. 495. Veſiculæ 492. Viperæ 506
a Vomitu Atrophia & mors 459
Vorax qvidam ſuſpenſus, cur? 19. ruminator 383
Voracitas luporum an a Vermibus? 10. 12. a duplici ductu cholodocho an? 9. 564. ab inteſtinis parvis 557. periodica. 21
Voracitatis damnum 404. exempla 4. 7. 10. 17. ſqq.
Voracitati dicatum templum 21
Vulnera Oeſophagi 363. Ventriculi. 372. 399. 401
ad Vulnera ſtercus humanum 780
in Vulvæ labiis hernia 549
ex Vulva Inteſtina prolapſa 547
per Vulvam ſtercus 666

W.

Wallenſteinus, Dux, tinnitum ferramentorum ferre non potuit 167
Wildfraß vid. Vielfraß 25
Wirſungius fuit Inventor Ductus pancreatici 565

X.

Xenagoras vinoſiſſimus homo Amphora vocabatur 32
Xenarchus cur Metretes fuerit dictus 33

Z.

Zacella viginti dies ſine cibo ſupervivere dicitur. 234
Zibethum occidentale dicitur ſtercus humanum. 606. paratum ex ſtercore humano. 741
Ziegleria Virgo triginta & unam ſeptimanas ne micam aſſumſit 186
Zingiberis libra in ventriculo reperta 436. Pica 57
Zyto, Præſtigiator ſeu Magus, alium devorabat, & per alvum exonerabat. 339

Corrigenda.

Pag. 5. lin. 19. fuit. p. 15. l. 10. alimentum. p. 22. l. 10. obſeſſo. l. 28. nuncius. p. 23. l. 25. Φαγ. p. 25. l. 10. Cæſar Scaliger, p. 34. l. 7. bibat p. 41. l. 12. minùs p. 53. l. 6. de, & l. 16. riuſcì ib. coſi p. 55. l. 7. albican p. 56. l. 4. ſe noſſe p. 62. l. 14. Anthou p. 74. l. 25. evadant p. 75. l. 13. app. & l. 23. nium p. 77. l. 19. mirus appetitus p. 109. l. 21. Sternutatione p. 116. l. 29. 30. uvas paſſas p. 127. l. 25. intuitum p. 151. l. 6. commixtus p. 164. l. 15. qvavis p. 169. l. 23. harum p. 197. l. 4. incunabulis p. 214. l. 2. σκύθρ. p. 259. l. 27. lugubri p. 300 l. 25 rivulo p. 313. l. 16. æneum p. 326. l. 19. in certô p. 329. l. 3. cujas p. 333. l. 30. redund p. 388. lin. pen. Scirrhus talis p. 389. l. 5. Kerckr. p. 407. l. 12. conformat p. 433. l. 10. diſſertum p. 571. l. 23. apparent p. 602. l. 24. Cord p. 696. l. 27. & 28. dele Ani laxitas p. 712. l. 17. laminis p. 743. l. 9. cyprium p. 758. lin. pen. lege lotor. p. 760. l. 24. aduſt p. 783. l. 17. oſte p. 813. l. 27. ſumptu.

9.50

Coll. complet, R.